R-4787

ALPINI, Prospero (1553-1617)

De Medicina methodica : libri tredecim / Prosperi Alpini ... — Editio secunda. — * Lugduni Batavorum : ex officina Boutesteiniana, 1719

PROSPERI ALPINI

MAROSTICENSIS *Philosophi, Medici, & in Gymnasio* PATAVINO *Simplicium Medicamentorum Professoris Ordinarii, atque Horti Medici præfecti,*

DE

MEDICINA METHODICA

LIBRI TREDECIM.

In quibus medendi ARS METHODICA vocata olim maxime celebris, quæ hac ætate non sine magno Studiosorum medicinæ & dedecore, & damno plane desiisse visa est, denuo restituitur, atque in Medicorum commodum quadantenus ad medicinam Dogmaticam conformatur.

Opus novum, è quo Studiosi præter sectæ Methodicæ placita à celeberrimis Medicis tradita, etiam praxim Methodicam exactissimam ad medendum nanciscentur.



EDITIO SECUNDA.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina BOUTESTEINIANA, 1719.



SERENISSIMO
FRANCISCO MARIÆ II.
Feltrio de Ruvere duci Urbini VI.

PROSPER ALPINUS. S. D.

CUM mille fortaſſè ab hinc annos (Sereniſſime Dux) ut non levi conjectura conſequi poſſumus, ex tribus medicinæ ſectis olim veteribus cognitis, Methodica vocata, poſteaquam multis ſæculis à viris doctiſſimis exculta, in toto ferè orbe maxime floruerat, nunc omnino & obſoleviſſe, & planè deſiiſſe viſa ſit, doliturum ſanè, & quidem acerbius, medicinæ Studioſis exiſtimavi: Artem medendi Methodicam (quia brevi methodo homines medicinam facere doceret) appellatam, ex Medicorum memoriis prorſus ſublatam: in qua tot tantique Philoſophi, & Medici eruditiſſimi, quorum ſummam in tradendis liberalibus artibus præſtantiam, atque claritatem antiquitas probe novit, ad eam cognoſcendam, ſtabiliendamque plurimum inſudarunt. De qua etiam Theſſalus quondam Methodicorum Princeps apud Neronem Principem tantopere gloriatus eſt. Quid an non præter hunc, atque Themiſonem Laodiceum Syrium illius ſectæ primum auctorem, Antipater quoque, Leonides Alexandrinus, Archigenes Apameus, Soranus Epheſius, Julianus, Caelius Aurelianus, atque alii penè innumeri ab antiquitate plurimi aeſtimati hanc medendi methodum religioſius excoluerunt? mordicuſque tenuerunt? Quid amplius? Nonne Galenus ea aetate maxime in medicina celebris, forſitan quadam

nobili aemulatione commotus (quia eam medendi ſectam, quo tempore ipſe primum Romam venerat, in ea urbe, atque alibi in totius orbis terrarum locis ſupra alios Medicos clarere animadverterit, atque ad majorem quoque honorem, & gloriam evehendam ſuſpicaretur) cum medendo, tum ſcribendo varias diſputationes contra ipſos apologeticas ſuſcipere coactus eſt? Quas Methodicis non parum auctoritatis, atque ſplendoris attuliſſe, creditum eſt; nimirum quaſi tantus Medicus poſt unum Hippocratem Dogmaticorum omnium Princeps eo modo multum cohoneſtare, illorumque claritati aliquid majus honoris addere videretur. Huc accedit valetudinis curationem, quam Methodici proſecuti ſunt, vel idem ipſum mederi à Dogmaticis ſecutum videri, vel pauculis quibuſdam differentiis ab ipſo ſolummodo diſtinctam, deprehendi. Tametſi hae duae Medicorum ſectae in modis medica praeſidia indicandi, ſcopoſque curatorios eliciendi ferè omnino interſe diſſenſerint. Hujus quidem medicinæ celebritas, & tantorum Medicorum, qui ipſam inſecuti ſunt, auctoritas me adeo in ejus deſiderium impulit, ut in ea cognoſcenda plurimum laboris, atque ſtudii impenderim; cujus eximia voluptate captus in Studioſorum comodum de hac ipſa medicina tredecim libros majori qua potui diligentia conſcripſi: quorum tres priores ad proponenda Methodicorum placita, eaque diſputanda perfeci. Reliquos vero ad morbos & adſtrictos & laxos, & mixtos ex laxo & ex adſtricto cognoſcendos, atque curandos ad exitum perduxi. Quos ſanè hortatu quorundam Medicorum maxime illuſtrium in lucem, ut prodirent facile mihi perſuaderi paſſus eſſem, niſi à Dogmaticis Medicis (quibus vel etiam antiquitus hæc curandi ratio maxime inviſa fuiſſe viſa eſt) periculum meum me commoviſſet. In qua opinione hæſitans eouſque extiti, quo tu (DUX SERENISSIME, Princepsque Clementiſſime, cui hanc meam medicinam denuo reſti-

reſtitutam nuncupare, ac dedicare jam diu conſtitueram) mihi in mentem occurriſti: ita enim ipſa commendatam ſatis ac probatam ſe eſſe intelliget, ubi judicio tuo longe quidem acerrimo non injucunda viſa fuerit, ex quo mihi omnis timor continuo ex animo depulſus eſt. Si modo licuerit, ut meæ lucubrationes in tuo patrocinio quicquam ſperare debeant, aut poſſint, cum unus tu ſis ex maximis Italiæ principibus, cui ampliſſima, & probe divina munera debentur. Quo pacto enim Methodica hæc medicina à me & tibi planè ignoto, & nullis ſervitiis hoc promerito profecta, in tuæ Celſitudinis clientelam pervenire ſe poſſe confidat? Verumtamen ego de tua humanitate clementiſſima, qua cunctos litterarum profeſſores perbenigne complecteris, neque haud omnino deſperans, mihi quoque qualiscumque ſim ex te humaniſſimo Principe, litteratorum omnium hujus ſæculi patrono advocationem non defuturam, teque etiam non minus me in albo tuorum Clientum deſcribi paſſurum, non dubitavi. Qua ſpe animatus hoſce meos commentarios ampliſſimo nomini tuo nuncupatos Studioſis evulgandos, conſtitui. Etenim unum te principem Italia novit, inter magnos Duces, qui FELTRIAM DE ROVERE familiam Sereniſſimam Regiis profectò virtutibus hac ætate perornas, nempe maximo rerum uſu, incomparabili ſapientia, prudentia, ceteriſque aliis animi præclarioribus dotibus praeditus, cultum praecipue religionis, unà cum Juſtitia, charitateque eximia ſanctius excolis. Huc accedit, te Reges maximos, qui non minus imperio quàm reconditarum litterarum ſtudiis claruerunt, maxime æmulari voluiſſe. Quemnam ex hujus ætatis principibus te ipſo magis rerum cognitione oblectari, atque clarere hoc noſtrum ævum compertum habet? Quo mirum non eſt, ſi Bibliothecam à Sereniſſimo FEDERICO Urbini Duce felicis recordationis, olim comparatam maxima tua liberalitate uſque adeo & auxiſti,

& perfeciſti, ut nulla ſit hoc tempore cognita, quæ illi præferri vel poſſit, vel debeat. Cujus profecto tu mira adlectus voluptate, quicquid nanciſceris otii, id totum legendis, recognoſcendiſque eorum ſcriptorum lucubrationibus aſſidue impendis. Unde mirum itidem non eſt, ſi bonarum artium ſtudioſis plurimum faveas, eoſque non minus & foveas, & protegas. Igitur hoſce meos libros, quos tibi devotiſſime, & me ipſum unà quoque voveo ac dedico, ut benigno vultu accipias, te etiam atque etiam oro. Quod ſi feceris animum mihi ad alios noſtros in hoc genere ſtudiorum labores evulgandos, inflammabis. Vale Dux Sereniſſime, & me in numero tuorum clientum deſcriptum eſſe, neutiquam dedigneris.

Patavii ex Horto Medicinali die xij. Februarii. Anni M. DC. XI.

PROSPER ALPINUS LECTORI.

ECCE candide Lector tibi evulgatam Methodicam noſtram medicinam, quam ego in libris de præſagienda vita & morte ægrotantium decem abhinc annos in lucem editis, pollicitus fueram. De qua libenter cum medicinæ Studioſis tantisper hic agere decrevi, ut illa curandi ratio quondam à Medicis clarioribus perveſtigata, quodamque tempore ab antiquitate plurimum celebrata, quæ præſenti ætate, planè deſierat, in Studioſorum medicinæ utilitatem, atque commodum, ad memoriam hominum revocetur, in priſtinumque honorem reſtituatur. Profectò non potui non vehementer admirari, ex innumeris ferè, qui in medica arte variis temporibus claruerunt, atque multa in eadem arte innovare ſtuduerunt, neminem extitiſſe, qui hanc Methodicorum medendi rationem, jam diu è memoriis hominum ſublatam, renovare, & quadantenus in antiquam amplitudinem, atque uſum revocare cogitarit. Hanc, inquam, Methodicam vocatam medicinam, cujus auctores fuerunt viri Medici olim celeberrimi, & quæ tam longa temporum ſerie ſcilicet quatuor centum ferè annorum ſpacio, ut poſtea ſuis locis demonſtrabitur (cæpiſſe hanc medendi ſectam Marci Antonii, & Cleopatræ Reginæ Ægypti temporibus, floruiſſeque uſque ad Galeni Pergameni ætatem, quam ipſe Romæ maximi æſtimatam offendit, deprehenſum eſt,) in toto fere terrarum orbe, eoque magis in magna Italiæ urbe Roma, quo tempore Imperatores maximi in ea claruerunt, fuit prædicata. Et cui primos etiam inter alias medicinæ ſectas honores antiquitas itidem tribuiſſe viſa eſt. Sed quid amplius de iſtiuſce ſectæ medicinæ, auctoritate, atque celebritate dicemus? An non verum eſt ipſam fuiſſe à Medicis celeberrimis inventam? Non mi-

minuſque etiam perpetuo Medicos graviſſimos, plurimique in doctrinis æſtimatos, ipſam mordicus & tenuiſſe, & exercuiſſe? Hoc certe negari non poteſt. Quandoquidem aperte conſtat, eos primum, qui olim illa uſi ſunt, magna cum laude in ægritudinum curatione ipſam exercuiſſe, atque eoſdem Medicos in magno honore, magnaque exiſtimatione habitos fuiſſe. Quid de Themiſone Laodiceo Syrio primo iſtiuſce ſectæ auctore dicemus? Nonne fuit Aſclepiadis Medici Dogmatici, nunquam ſatis laudati, condiſcipulus? Qui ab ipſo occaſionem nactus ex Dogmatica ad Methodicæ ſectæ inventionem ſe contulit. Quem Plinius in medicina ſummum auctorem vocare ſolet. De quo Paulus Ægineta, Aëtius, aliique non pauci perhonorificam mentionem fecerunt. Galenuſque hieram Themiſonis tanquam præclaram medicamenti purgatorii compoſitionem meminit. Quid de Theſſalo Tralliano? Quem ipſam medicinam à Themiſone inventam perfeciſſe, traditum eſt. Nonne (ſi Plinio credendum eſt) ſub Neronis principatu illius auctoritas in medendi peritia cunctis quam maxima apparuit? Quid de aliis illiuſce medicinæ præclaris ſectatoribus, qui poſtea eam in ægrotis ſanandis factitarunt? Hi fuerunt viri omnium opinione in diſciplinarum ſtudiis Clariſſimi. Hujuſmodi fuiſſe conſtat, Heraclidem Tarentinum, Proculum, Soranum Epheſium, Antipatrum, Julianum, Attalum, atque alios fere innumeros, quos brevitati ſtudens lubens omitto. An non Galenus Heraclidem, Proculum, Soranum, Antipatrumque magnis laudibus quandoque fuit proſecutus? Quid de Attalo quem Romæ medicinam honeſte facere Galenus offendit, dicemus? Nonne ita ipſi (Galeno perſuadente in Theagene Philoſopho Cynico Romæ pluris æſtimato, laborante jecoris Phlegmone, non eſſe utendum nudis laxantibus) reſpondit? Niſi multum tibi tribuerem, nihil horum toleraſſem. Nam in quibus ſuperiores Medici paſſi naufragia ſunt, priuſ-

quam

quam vera medicina inventa à noſtris eſſet, ea mihi veluti ignaro ſuades, ex quo in ea urbe Roma qualis ejus fuerit auctoritas, conjici potuit. Julianum quoque Galenus plurimi feciſſe tunc temporis viſus eſt, cum præſertim adverſus illum ſcribendo doctiſſimam diſputationem apologeticam ipſum non parum cohoneſtaſſe viſus itidem fuerit. Quid de Cælio Aureliano? Nonne ex iis litterarum monumentis, quæ de morbis acutis, atque chronicis ab ipſo traditis nobis ſuperfuerunt, liquido conſtat, ipſum fuiſſe Medicum graviſſimum, magniſque profecto laudibus concelebrandum. Quid de aliis qui hanc medicinam poſtea magna omnium cum laude tractarunt, à nobis dicendum erit? Hos quoque non parum ſua præſtantia honoris Medicorum choro addidiſſe. At de iis poſterius nos accuratiorem ſermonem habebimus. Quid amplius? nonne Galenum quoque de hac Themiſonis atque Theſſali ſecta commentarium accuratiſſimum compoſuiſſe ex libro ſexto ſimplicium cap. 25. apparet? Quem de ipſa ſecta laborem ſcribendi haud ſuſcepiſſet, ſi (uti aliquando facere ſolet) ea & inutilis, & damnoſa fuiſſet ab ipſo judicata. Cur de ipſa ſcribendo, atque diſputando ſæpius tempus contrivit? Huc accedit, ipſum quoque in libro de optima ſecta ad Thraſybulum cap. 7. medicinam Methodicam inter celebres medicinæ ſectas adnumerare minime erubuiſſe. Nonne etiam in libro tertio cap. 2. de locis affectis ſe in omnium ſectarum ſcientia eſſe maxime eruditum, atque illis, qui ſectam quamlibet ab ipſo diſcere cupiebant, nemini eſſe poſtponendum, non ſine aliqua petulantia jactavit? Adde ad majorem iſtiuſce ſectæ præſtantiam cognoſcendam, hanc ſanè rationem ægrotos curandi non ab ignobilibus & plebeis, at quinimo à Magnatibus, Principibus, Regibus, atque etiam non minus à maximis Imperatoribus Romanis fuiſſe perpetuo in magno honore, magnaque exiſtimatione habitam. Sed quid de ipſius utilitate eximia? Cum ipſa

via quam breviſſima Medicos doceat, quomodo recte morbis mederi ii debeant. De quibus Medicis Galenus aliquando ſcripſit: In principio Methodi medendi cap. 1. Propterea Methodicos illos olim Romæ, quoniam medicinæ artem tradere ſe poſſe auditoribus unico ſemeſtri pollicerentur, plures diſcipulos habuiſſe. Ex iis itaque ſingulis quiſque noſtrum aperte intelliget, quanti hæc Methodica medendi ratio apud antiquos fuerit æſtimata, atque non minus qualis, quantaque fuerit eorum Medicorum, qui illam inſecuti fuerunt, auctoritas atque præſtantia. Cum vero iſthanc ipſam medendi rationem Methodicam olim vocatam multis jam præteritis ſeculis omnino ex Medicorum memoria decidiſſe, planeque deſiiſſe animadverterim, neminemque hactenus illius meminiſſe, multoque minus ipſius uſum reſtituere voluiſſe, rem gratam me facturum medicinæ amatoribus duxi, ſi ipſius, mea opera, recordatio denuo revocaretur, tantæque medicinæ cognitio, atque uſus priſtino honori reſtitueretur. De qua idcirco tredecim libros majori qua potui diligentia compoſui, quibus ipſa tota rurſum poſſet ab hominibus & cognoſci, & in uſum revocari. In quo ſanè opere atque labore eo præſertim argumento verſatus fui, ut medicinæ ſtudium quoad fieri poſſet, & augeretur, & ejuſdem itidem artis Studioſi plurimum juvarentur, atque ea quoque de cauſa ipſorum gratiam, benevolentiamque aſſequerer. Accipe igitur Lector candidiſſime hoſce meos libros artem medendi Methodicam appellatam complexos, eoſque æquo animo legito, & cognoſcito, de ipſaque tuum etiam judicium benigne interponito. VALE.

IN-

INDEX CAPITUM,

LIBRI I.

CAP. I. *De variis medicinæ sectis ac de Methodicæ origine atque auctoritate.* Pag. 1

— II. *De Medicis antiquis, qui olim in secta Methodica claruerunt.* 4

— III. *Quanto tempore inter Medicos Secta Methodica claruerit.* 7

— IV. *Quid sit medicina Methodica, & quibus principiis fuerit constituta.* 9

— V. *Quamobrem Methodici constituerint, primum medicinæ dogma in adstricto & in fluido.* 14

— VI. *Demonstratur primum Methodicorum dogma etiam Medicorum auctoritate ac non minus quoque Dogmaticorum sive Rationalium vocatorum.* 18

— VII. *Quomodo Methodici affectus communes adstrictos, & laxos vocatos generales morbos esse voluerint.* 26

— VIII. *Quid adstrictum & fluidum sive laxum sit, & quot modis intelligatur.* 29

— IX. *Quomodo adstrictum & laxum sive fluidum cognoscatur.* 33

— X. *Cur adstrictum & laxum vel fluidum Methodici in species non diviserint.* 37

— XI. *An ab adstricto atque laxo fluidove curatio indicetur.* 43

— XII. *Quomodo Methodici voluerint tempora morborum curationem quoque indicare.* 49

— XIII. *In quibus Methodici cum aliis Medicinæ sectis convenerint.* 54

— XIV. *De communitatibus, quas Methodici in medicina Chirurgica atque in Prophylactica observarunt.* 56

— XV. *De aliquibus quæ Methodicis objiciuntur, in communitatibus Chirurgicis.* 58

— XVI. *Methodicis objicitur, quod non exerceant medicinam ad particulares homines, sed ad hominem communem & genericum.* 68

— XVII. *De parte Prophylactica, quam Methodici cognoverunt.* 75

INDEX CAPITUM,

LIBRI II.

CAP. I. *IN quibus Methodici à Dogmaticis differunt.* 79

— II. *Primas qualitates morbos non facere, ac proinde ab ipsis veram curationem non indicari ex Methodicorum dogmatis.* 81

— III. *Quamobrem Methodici in aliquibus morbis adstrictis aliquando frigidis medicamentis utantur.* 91

— IV. *Humores exsuperantes in corporibus, secundum Methodicos, non esse causas morborum quæ indicant curationem.* 96

— V. *Dogmaticos Medicos in multis morbis curandis, non differre à Methodicis.* 102

— VI. *De dogmatibus, quæ à Methodicis in medendo non admittebantur, & primum, quod non sit necessaria cognitio, ad indicandam curationem, læsarumque partium, naturæ causarum, cæli, anni temporis, ætatis, studii atque similium.* 105

— VII. *Quod partes affectæ non indicent in morbis curationem.* 110

— VIII. *Cur adstringentia medicamenta, in phlegmonum, quæ morbi sunt adstricti, principio conveniant.* 117

— IX. *An in omnibus morbis adstrictis nuda laxantia conveniant, vel adstringentibus cummixta esse debeant.* 121

— X. *De morborum generibus secundum Methodicos, & quales ad adstrictum & quales ad laxum, reducantur, & in quibus morbis locum habeat adstrictum & laxum.* 124

— XI. *De morbis adstrictis, atque an febres omnes sint morbi adstricti.* 126

— XII. *De morbis laxis, & an omnes excretiones, quovis modo appareant, laxum morbum faciant, & quo modo excretiones, quæ sunt morbi laxi, ab aliis interstinctæ dignoscantur.* 130

— XIII. *De morbis mixtis ex adstricto & laxo, & an dentur, & si dantur quales sint.* 132

INDEX CAPITUM,

LIBRI III.

Cap. I. *De medicamentis laxantibus, adstrictos morbos tollentibus.* 135
— II. *An genere laxantium medicamentorum Methodici comprehenderint medicamenta incidentia, detergentia, diaphoretica atque cathartica.* 137
— III. *De præsidiis particularibus laxatoriis, & primo de iis, quæ in victus ratione observari debent.* 141
— IV. *De præsidiis laxatoriis, quæ ex variis exercitiorum generibus depromuntur.* 143
— V. *De ambulatione, cursu, saltu, venatione, ludo pilæ, pugna umbratili, lucta, gestatione, vectione, frictioneque præsidiis laxatoriis.* 145
— VI. *De frictionibus laxatoriis atque de venereis.* 152
— VII. *De venarum & arteriarum sectione pro moliendâ sanguinis evacuatione, de crurum scarrificatione, de cucurbitulis, atque de hirudinibus.* 154
— VIII. *De medicamentis laxatoriis, quæ humores è corporibus educendo, purgandoque variis modis id præstant.* 160
— IX. *De simplicibus medicamentis, quæ corpora laxare apta sunt.* 165
— X. *De medicamentis vomitoriis.* 171
— XI. *De Errhinis, apophlegmatismis, atque hechicis.* 174
— XII. *De medicamentis laxatoriis, evacuantibus per vesicam atque per uterum.* 176
— XIII. *De præsidiis, quæ movendo sudorem laxant.* 179
— XIV. *De balneis laxatoriis ad morbos adstrictos tollendos.* 184
— XV. *De præsidiis Metasyncriticis.* 186
— XVI. *De præsidiis adstrictoriis in communi.* 188
— XVII. *De Medicamentis adstrictoriis in particulari.* 190
— XVIII. *De Medicamentis mixtam facultatem ex adstricto atque & laxo habentibus.* 191

INDEX CAPITUM,

LIBRI IV.

CAP. I. AGitur ex Methodicis de Medicinæ parte prophylactica, & primo in quibus eam observarint. 193

— II. *An possit constitui Methodus tuendæ sanitatis ex Methodicorum dogmatis.* 195

— III. *An homines præservari possint à venenis, & à morsibus, ictibusque Ferarum venenosarum.* 196

— IV. *De iis, quæ faciunt ad præservationem à venenis.* 199

— V. *De Medicamentis, quæ præsens venenum prodere creduntur, atque de aliis quovis modo à venenis præservantibus.* 202

— VI. *De iis, quæ præservant à reptilibus, serpentibus, atque ab aliis omnibus bestiis venenatis.* 205

— VII. *De præservatione ab iis affectibus, qui ex prava victus ratione excitantur, atque de hujusce artis prophylacticæ utilitate.* 211

— VIII. *De causis, quibus hominum sanitas tuetur.* 213

— IX. *An causæ conservantes in corporibus meatuum symmetriam, symmetriam quoque partium similiarum atque organicarum conservent.* 215

— X. *Quod ad præservandam sanitatem cognitio symmetriæ naturalis meatuum sit necessaria, quantumque hæc laxitatis vel adstrictionis habeat in variis cum ætatibus, tum temperamentis, tum habitibus, non esse negligendum.* 218

— XI. *An ex omnibus causis conservatricibus, duæ tantum scilicet ciborum, potuumque & aliarum continentia atque corporum labores pro tuenda valetudine sufficiant.* 220

— XII. *Quomodo ex singulis causis conservatricibus sanitas in corporibus custodiatur, & primo quomodo ex aëre.* 223

— XIII. *Quomodo sanitas conservari possit usu eorum, quæ intrò assumuntur, usuque somni, veneris atque animæ passionum.* 226

— XIV. *De sanitate conservanda ex retentione atque excretione excrementorum.* 231

— XV *De sanitate conservanda ex corporis motu scilicet ab exercitiis.* 239

— XVI. *De*

INDEX CAPITUM,

— XVI. *De ſanitate in iis corporibus conſervanda, quæ laſſitudinibus laborant, & primum de methodo, qua laſſitudines ſanari queant.* 241
— XVII. *De particulari curatione ad laſſitudines perſanandas, atque de medicamentis ſingulis ad eam curationem accommodatis.* 247
— XVIII. *De pſeudolaſſitudine ſiccatoria vocata, ſcilicet de ſiccitate, ſqualore gracilitateque corporum tollenda.* 249
— XIX. *De corporum obeſitate corrigenda.* 251
— XX. *Ad rigorem, horrorem, frigiditatemque atque ad caliditatem in corporibus corrigendam.* 253

LIBRI V.

CAP. I. *DE febrium curatione ex Methodicorum placitis, & primum, quid ſit febris, & quot ejus ſint genera.* 254
— II. *De Febris generatione.* 257
— III. *De febrium Ephemerarum ſeu diariarum curatione.* 260
— IV. *De febrium putridiarum cognitione.* 263
— V. *De continuarum febrium cognitione.* 266
— VI. *De continuarum febrium pognoſtico.* 271
— VII. *De continentium febrium curatione.* 276
— VIII. *De continuarum febrium curatione.* 293
— IX. *De febris peſtilentis cognitione atque curatione.* 298

LIBRI VI.

CAP. I. *DE febrium intermittentium cognitione & curatione, & primum de medicamentis ad tertianas.* 316
— II. *De febris tertianæ nothæ, ſeu non exquiſitæ, curatione.* 321
— III. *De febris quartanæ curatione.* 331
— IV. *De febris quotidianæ curatione.* 342
— V. *De hecticarum febrium curatione.* 349
— VI. *De ſymptomatibus febrium, quæ in ipſis curationem expetunt, & pri-*

primum de illorum curatione, quæ adstrictorum morborum genere comprehenduntur, atque de medicamentis ad capitis, stomachi, atque ventris dolorem. 355

— VII. De Medicamentis, quæ faciunt ad somnum in febribus tollendum, ad rigorem & frigiditatem, ad tussim, ad cibi fastidium, bulimon, appetitum caninum, sitim atque ad linguæ asperitatem. 359

— VIII. De medicamentis ad ictericum colorem, inquietudinem, nauseam, singultum, alvum, atque urinam adstrictam. 366

— IX. De medicamentis ad vigiliam, ad syncopem, atque ad hæmorrhagiam sanguinis. 369

— X. De profluvio sanguinis, de sudore, de vomitu, ventrisque fluxu, atque de urina immoderatius profluente, cohibendis. 373

— XI. De dolore oris Ventriculi, quem cardialgiam Græci vocant, quod symptoma solet esse familiare in febribus biliosis intermittentibus, potissimumque in tertianis atque semitertianis. 375

LIBRI VII.

Cap. I. DE phlegmonibus internis adstrictorum morborum genere comprehensis esse agendum; & primum partes corporis, quæ solent eo morbo tentari in medium afferuntur. 377

— II. Quid phlegmone sit, & quibus differentiis interstinguatur, quomodoque generetur. 379

— III. De phlegmonum cognitione in communi, & primum de phlegmosis internæ cognoscendæ signis. 381

— IV. De medicamentis ad phlegmones internas & primo de illarum, quæ phlegmoses seu inflamina dicuntur, curatione. 386

— V. De phrenitidis curatione. 388

— VI. De Medicamentis ad alias phlegmones cerebri, sed præsertim ad eam, quam Ægyptii Demelmuja appellant. 395

— VII. De medicamentis ad lethargicos. 397

— VIII. De medicamentis ad internas aurium phlegmonas. 401

— IX. De uvæ & glandularum juxta linguam positarum phlegmone curanda. 403

INDEX CAPITUM,

— X. *De Medicamentis ad gutturis phlegmonem, quam anginam vocant.* 404
— XI. *De Medicamentis ad phlegmonem pleuræ membranæ coſtas ſubcingentis.* 409
— XII. *De Medicamentis ad pulmoniam peripneumoniam vocatam phlegmonem.* 416
— XIII. *De Medicamentis ad plegmonem ſepti tranſverſi.* 419
— XIV. *De Medicamentis ad plegmonem hepatis.* 422
— XV. *De lienis phlegmone ſananda.* 425
— XVI. *De phlegmone ventriculi ſananda.* 426
— XVII. *De ilei inteſtini atque coli phlegmone tollenda.* 427
— XVIII. *De omento, meſentereo, atque de pancreate phlegmone vexatis.* 431
— XIX. *De renum phlegmone ſananda.* 435
— XX. *De veſicæ phlegmone ſananda.* 440
— XXI. *De ſatyriaſi, id eſt, de phlegmone vaſculorum ſeminis.* 442
— XXII. *De uteri phlegmone ſananda.* 445
— XXIII. *De tumoribus internis non phlegmonoſis.* 447
— XXIV. *De ventris tumore, quem hydropem appellant, perſanando.* 453

LIBRI VIII.

CAP. I. *DE phlegmonum atque tumorum internorum vomicis, ſive abſceſſibus eſſe agendum, & primum quid per abſceſſum vomicamve intelligatur, deque ipſius cauſis.* 461
— II. *De partibus in quibus purulentiæ ſeu vomicæ fiunt.* 464
— III. *Quibus ſignis puris collectio vel vomica fieri deprehendatur.* 466
— IV. *Quibus ſignis ſuppuratio ſive puris collectio, quæ facta eſt, deprehenditur.* 471
— V. *De Vomicis, quæ fiunt in capitis partibus, cognoſcendis.* 473
— VI. *De Vomicis, quæ fiunt in thoracis partibus, & primo de vomica, quæ fit ex pleuritide, & pulmonia.* 475
— VII. *De Vomicis, quæ fiunt in ventris partibus, & primum de ea, quæ*

ſtomacho, hepate, liene, meſentereo, pancreate, atque omento excitatur. 478
— VIII. *De vomicis, quæ fiunt in inteſtinis.* 480
— IX. *De vomicis, quæ fiunt in renibus, in veſica atque in utero.* 481
— X. *De puris eruptione, & quibus ſignis pus effuſum deprehendatur in varias partes corporis.* 483
— XI. *De vomicarum prognoſtico, & primum de ſalutaribus, & mox de lethalibus cognoſcendis.* 486
— XII. *De vomicarum curatione, & primo quæ ipſarum Chirurgia & quæ medicamentis tollantur.* 491
— XIII. *De medicamentis futurum abſceſſum, vomicamve cum prohibentibus, ne fiat, tum, ut citò probeque fiat adjuvantibus.* 492
— XIV. *De præſidiis vomicarum eruptionem adjuvantibus.* 496
— XV. *De puris eruptione per tuſſim, per vomitum, per alvum, per urinam, per uterum atque per abſceſſum.* 498
— XVI. *De vomicis, quæ ſectione tolluntur, quomodoque hoc ſit moliendum.* 502
— XVII. *De ſanandis ulceribus ex vomicis in variis partibus corporis excitatis, & primo de iis, quæ in aſpera arteria, in pulmonibus, atque in thorace fiunt, ex quibus de phtiſi etiam particulatim agitur.* 505
— XVIII. *De ſanandis ulceribus ex vomica obortis in ſtomacho, in meſentereo, in jecore, atque in inteſtinis.* 512
— XIX. *De ſanandis ulceribus, quæ ex vomicis relinquuntur in renibus, ureteribus, veſica, atque in utero.* 515

LIBRI IX.

CAP. I. *DE phlegmonis & tumoribus externis eſſe agendum, & primo de iis in communi agitur.* 519
— II. *De phlegmonis, quæ externas corporis partes vexant, ſanandis & primo de opthalmia.* 525
— III. *De*

INDEX CAPITUM,

— III. *De parotide ſananda, mammarum phlegmone, atque in inguinibus facta.* 527
— IV. *De phlegmonis articulos vexantibus, præſertimque de arthritide, de podagra, atque coxendico dolore.* 530
— V. *De medicamentis ad coxendicum dolorem uſurpandis.* 541
— VI. *De doloribus ſermonem continuari, & primum quid dolor ſit, ipſiusque differentiæ, cauſæ, atque curatio in communi tractatur.* 543
— VII. *De dolore capitis perſanando.* 549
— VIII. *De aurium dolore.* 556
— IX. *De dentium dolore.* 557
— X. *De Medicamentis ad ſtomachi, ventris, atque laterum dolorem.* 560
— XI. *De Medicamentis ad colicum dolorem.* 562
— XII. *De dolore renum atque veſicæ.* 567
— XIII. *De dolore uteri.* 569
— XIV. *De articulorum dolore.* 570
— XV. *De quodam dolore nocturno, qui repente pedum aut currum, aut coxendicum, aut alterius partis muſculos invadit.* 571

LIBRI X.

CAP. I. *DE nonnullis morbis adſtrictorum genere comprehenſis cur in hoc libro ſit agendum, & de quibus particulatim.* 573
— II. *De apoplexia.* 574
— III. *De paralyſi curanda.* 578
— IV. *De vertigine ſcotomatica curanda.* 586
— V. *De caro.* 589
— VI. *De catoche & catalepſi.* 590
— VII. *De epilepſia, ſeu morbo comitiali.* 595
— VIII. *De convulſione.* 603
— IX. *De tremore.* 607
— X. *De mania ſeu furore ſanando.* 608
— XI. *De melancholia.* 613

— XII. *De tussi.* 618
— XIII. *De asthmate.* 623
— XIV. *De palpitatione seu tremore cordis.* 625
— XV. *De cibi fastidio, appetitu canino, atque siti.* 628
— XVI. *De hepatis atque lienis obstructione & scirrhosi.* 631
— XVII. *De morbo regio ictero appellato.* 635
— XVIII. *De renum & vesicæ calculis.* 638
— XIX. *De Priapismo.* 644
— XX. *De uteri strangulatu.* 646

LIBRI XI.

CAP. I. *IN quo agitur de evacuationibus, & purgationibus adstrictis restituendis.* 653
— II. *De evacuatione, quæ per poros cutis insensibiliter fit, intercepta restituenda.* 654
— III. *De sudore, qui sæpius fieri sponte in aliquibus corporibus consueverat suppresso restituendo.* 661
— IV. *De intercepta evacuatione capitis, quæ fit per nares, & de catarrho sæpe proveniente suppresso restituendo.* 662
— V. *De ulceribus in quibusdam partibus corporis obortis, pro tuenda valetudine, conservandis, deque iisdem sublatis restituendis.* 664
— VI. *De arthritide antiquata, quæ postea ex toto sublata est, pro tuenda valetudine renovanda.* 666
— VII. *De consueta hæmorrhagia, id est, de sanguine, in quibusdam per nares familiarius, sæpe salubiterque exeunte, suppresso restituendo.* 668
— VIII. *De hæmorrhoidibus suppressis restituendis.* 669
— IX. *De menstruis in mulieribus suppressis revocandis.* 671
— X. *De urina suppressa restituenda.* 677
— XI. *De vomitione intermissa restituenda.* 679
— XII. *De alvo adstricta laxanda.* 680
— XIII. *De venere multo tempore intermissa, pro valetudinis conservatione restituenda.* 684

LIBRI

INDEX CAPITUM,

LIBRI XII.

CAP. I. *De morbis laxis esse agendum, quotque hi sint.* 689
— II. *De insensibili evacuatione, quæ in lethalem syncopem deducit cohibenda.* 690
— III. *De sudore vires exsolvente cohibendo.* 693
— IV. *De profluvio sanguinis per nares supprimendo.* 695
— V. *De sanguine per vomitum immoderatius profluente cohibendo.* 701
— VI. *De sanguine ex ore per screatum & tussim rejecto cohibendo.* 704
— VII. *De sanguinis fluore, qui per alvum fit, supprimendo.* 715
— VIII. *De sanguinis profluvio per renes & vesicam cohibendo.* 720
— IX. *De hæmorrhoidum profluvio sistendo.* 723
— X. *De menstruorum profluvio firmando.* 724
— XI. *De vomitu cohibendo.* 728
— XII. *De alvi profluvio cohibendo.* 729
— XIII. *De urinæ profluvio, quod Græci Diabeten appellant, tollendo sive cohibendo.* 734

LIBRI XIII.

CAP. I. *De morbis mixtis ex adstricto atque laxo esse agendum, & primum quot sint hi affectus, qui mixtorum morborum genere comprehenduntur.* 738
— II. *De curatione febrium synocharum, ardentiumque, maxime æstuosarum.* 741
— III. *De curatione febrium hecticarum, quæ tabidæ evaserunt.* 742
— IV. *De febribus, de phlegmonibus, & de aliis morbis adstrictis, quæ habent conjunctam aliquam evacuationem, sanandis.* 744
— V. *De sputo sanguinis.* 749

INDEX CAPITUM,

— VI. *De cholera & cardialgia.* 751
— VII. *De Diarrhœa.* 753
— VIII. *De fluxu hepatico ſanando.* 754
— IX. *De dyſenteria ſananda.* 746
— X. *De gonorrhœa ſananda.* 759
— XI. *De profluvio muliebri ſanando.* 764

FINIS.



1610. Die

PRiorem partem Medicinæ Methodicæ, mira erudione refertam, quam Excellentiſſimus D. D. Proſper Alpinus, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, admirabili ordine, & ſingulari Methodo contexuit, & compoſuit; cum jam ego Fr. Ambroſius Pat. Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini in Sacra Theologia Doctor, & Magiſter, omni diligenti ſtudio, legendo evolverim; nil in ea, quod vel eſſet contra fidem Catholicam, aut repugnans determinationibus Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum; ſive obnubilans aut denigrans bonos piorum mores, offendi, ideo judico dignam, ut in publicum evulgetur, ac Typis mandetur. In quorum fidem, &c.

Idem qui ſupra manu propia.

Qua ſtante atteſtatione Rev. P. Inq. concedit ut Imprimantur. Fr. Zaccarias Inquiſitor Paduæ.

Octavius Livellus pro Sereniſs. Republica Veneta.

Adi XXI. Maggio 1610.

L'Illuſtriſs. Sig. Podeſtà hà conceſſo che ſia ſtampato il ſopr. libro.

V. Canc. Prætt.

Die 23. Maii 1610.

Posteriorem adhuc partem Methodicae Medicinae ejusdem Excellentiss. D. D. Prosperi Alpini Doctoris Philosophi, & Medici; Ego Fr. Ambrosius Patavinus Ord. Erem. Sancti Augustini in sacra Theologia Doctor, & Magister, fateor, me totam legendo pervoluisse, nilque in eam offensum esse, quod vel oppugnaret fidem Catholicam, aut perverteret Mores piorum. Ea propter prælo committi posse adjudico, dignamque esse ut in manus studiosorum deducatur, sperans ob præclaram Methodum, & Ordinem admirabilem professores Artis Medicæ maximam utilitatem, ac fructum ex ea reportaturos esse. In quorum fidem,

Ego qui supra manu propria.

Stante suprascripta attestatione conceditur quod Imprimantur Fr. Zaccarias Ravennas Inquisitor Paduæ.

Imprimatur. Octavius Livellus pro Serenissima Republica Veneta.

1610. VI. Octobris.

Conceditur quod Imprimatur, mandato Illustrissimi Domini Prætoris Visis, &c.

Cancell. Prætorius mand. &c.

ADMONITIO.

CUm in variis editionis Patavinæ locis pondus Medicamentorum numeris aritmeticis sit expressum; ut exempli gratia Pag. 337. qui recipit, vel oximellis simplicis unc. 5. syr. de Epithymo unc. 5. cum decocti fumiterræ, &c. Pag. 338. aut pilularum cochiarum scrupul: iiij. Mastichinarum scrup. 15. fiant pilulæ; & tamen vix dubium est quin sit legendum, Oximel: sim. unc. ß. syr. de Epithym. unc. ß. &c. Pilul. Cochiarum scrup. iiij. Mastichinarum scrup. iß. Lector pro libitu, ubi aliis in locis similis numerus 5. occurrit, vel emendet vel relinquat.

PROS-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De variis medicinæ ſectis, ac de Methodicæ origine atque auctoritate.

DE medicina Methodica ſcripturo, ab eo exordiri libuit, quod ipſa medendi ars primo ortu, rudis, atque inculta, poſteaque ruditate expurgata ſenſim variis temporibus à multis varie cognita, in diverſas ſectas fuit diducta. Etenim, ut pleriſque perſuaſum eſt, primum Chiron Centaurus, cujus nomen in centaureo herbæ etiam vivit, cæpit herbarum vires in ſylvis obſervare, deinde ab ipſo Æſculapius, aut ſicuti Macrobio viſum eſt, non ab ipſo, ſed ex Apolline ejus parente herbariam medicinam didicit. Neque vero non Cadmus Agenorides Phœnicum Rex, In 1. Saturnal.

Rex, vel Samotracum nati, herbas heroico illo ævo cognoscere cœperunt: Assirii vero, & Ægyptii, ac aliarum nationum populi, qui sine medicis vitam ducebant, ægrotos omnes in forum efferentes, ab iis, qui tunc aderant, & multa ægritudinum remedia, & curationes, quas fuissent experti, sciscitabantur, & demum in tabellas descripta, in Æsculapii vel aliorum Deorum templis, ut medicamentorum usus omnibus innotesceret apponebant. Quod a Romanis factum toto illo tempore legimus, quo Archagatum magni nominis medicum Lisaniæ filium Romam è Peloponesso profectum, itemque alios complures Græcos medicos, Romani ipsorum crudelitate fastiditi (M. Catone auctore) nedum Roma sed ex tota Italia expulerunt. Annis fere sexcentis hi (ut Plinius est auctor) sine medicis vixerunt. Ex iis itaque liquido constat, medendi artem primum in observatione, & historia fuisse constitutam. Hinc quæ primo floruit secta Empirica fuit appellatata, ipsamque Græci τηρητικὴν, scilicet observatricem, atque μνημονευτικὴν, ideſt, memorem dixerunt. Hæc concursu signorum ægritudines agnoscit, medicamentorum utilium, atque expertorum observationem & conservationem considerat, ac ab expertis cognitisque ad non cognita, attamen similia transitum facit. Perpetuo apud omnes nationes hæc medicinæ secta claruit. Post ipsam Dogmatica sive rationalis florere cæpit, quam Græci δογματικὴν, & αναλογισικὴν, nominarunt. Hanc Hippocrates Cous à Crotonienſibus medicis, & Cyrenaicis (penes quos medicinam olim maxime exultam floruisse Herodotus est auctor) fortasse acceptam (cum ipse post illos, si Artaxercis Persarum Regis ætate vixit, quod ex epistola ad ipsum regem scripta conjicitur, claruerit) perfecit, ac maxime excoluit. Hæc corporis, quod curatur, naturam considerat, omniumque effectricium causarum vires, quibus corpus cum salubrius, tum insalubrius redditur, scilicet & aëris, ex cælo, regione, anni tempore, constitutione, naturam, & locorum, aquarum, potuum, ciborum, consuetudinis vitæque studii non minus animadvertit, itemque omnes morborum causas: atque complures alii aliarum Nationum populi hanc perpetuo in magno hono-

Homer. 4. Iliad.

Strabo lib. 3. & lib. 15. Herodotus lib. 1.

In lib. 3. ubi de Dario Persarum Rege à Democede sanato.

re

re habuerunt. Nunc vero ubique locorum primatum obtinet. Demum alia quoque ſecta medendi, clarere cæpit, ſcilicet Methodica appellata, cujus Themiſonem Laodiceum Syrium auctorem faciunt, qui (ut ajunt) ab Aſclepiade rationali occaſionem nactus ad Methodicam ſe contulit. Hæc quaſdam tantummodo communitates agnoſcens, ab ipſis per contraria curativas indicationes elicit: Dogmaticorum omnia fere præcepta ſpernens, haud corporis quod curatur, naturam, vel ullam effectricium cauſarum agnoſcit, ætatem, conſuetudinem partes leſas non conſiderat, eodemque modo & morborum cauſas. Quæ tamen ſi verum fateri velimus Romæ & ante Claudium Neronem Imperatorem, ac ipſo etiam imperante (quo tempore Theſſalus Methodicorum princeps maxime claruit) uſque ad Antonini Pii imperatoris ætatem, atque amplius etiam ceteris aliis medicinæ ſectis maxime prævaluit. Theſſalus ad Neronem principem epiſtolam miſit, in qua hæc legebantur; *Cum novam ſectam condiderim, & quæ ſola vera ſit propterea, quod, qui ante me fuerunt, omnes nihil utile prodiderunt, vel ad ſanitatem tuendam, vel morbos propulſandos.* Plinius vero non Theſſalum, ſed Themiſonem iſtius ſectæ, ac vel etiam Vectium Valentem auctores feciſſe viſus eſt. De hoc ita habet. *Exortus deinde eſt Vectius Valens adulterio Meſſalinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator, is eam potentiam nactus novam inſtituit ſectam.* De ſumma vero Theſſali ſupra omnes medicos auctoritate hæc ſubdidit. *Eadem ætas Neronis principatu ad Theſſalum tranſilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem.* Quali prudentia, ingenioque æſtimari vel ex uno argumento abunde poteſt, cum monumento (quod eſt in Apia via) jatronicem ſe inſcripſerit. Galenus quoque methodicam inter celebres medicinæ ſectas adnumerare non eſt veritus, & in libris de locis affectis ita habet: *Ego vero reipſa & publice & privatim apud eos videlicet, qui ſectam quamlibet à me diſcere cupiebant, oſtendi in omnium ſectarum ſcientia (ne majus quicquam dixero) me eſſe poſtponendum nemini.* Ex iis hanc Methodicorum medicinam plures annos ſupra omnes medicos, maxime æſtimatam claruiſſe

Lib. 29. Cap. 1.

In libro de opt. ſect. ad Traſyb. Cap. 7. In 3. li cap. 2.

nobis esto persuasum. De qua quidem scribere nostrum est institutum, quam provinciam eo libentius obeundam duximus, quod hæc secta in medendo apud antiquos plurimi fuerit æstimata, & quod etiam hac nostra ætate ipsa plane obsoleverit. Demum addimus quartam quoque fuisse medicinæ sectam, quam Agatinum Lacedemonium inveniisse auctor medicarum definitionum scripsit. Græci hanc επισυνθετικὴν quasi super compositivam dixeris, nominarunt, & Alii hecticem idest habitricem ceterum ipsius nulla nunc habetur cognitio.

CAP. II.

De medicis antiquis, qui olim in secta Methodica claruerunt.

Ex medicis antiquis, hi in Methodica secta claruerunt, quippe Themison Laodiceus Syrius, qui (ut Plinius scribit) ab Asclipiade rationali, occasiones nactus ad Methodicæ sectæ inventionem se contulit, auctor libri, qui introductio & medicus dicitur, Galeno tributi, confirmat, hanc sectam ab ipso incepisse. Quem fuisse primo Dogmaticum ex C. Aureliano
Cap. 12. Methodico intelligitur, qui in primo acutorum ubi contra ipsum, ut Dogmaticum primum disputasset, postea subdidit; *sed postea ex Methodica secta multa bona contulit medicinæ*. Hanc Thessalus Trallianus perfecit atque absolvit. At hunc ab aliis Thessalis, qui antiquitus fuerunt, distinguito. Etenim unus fuit Hippocratis Coi medici filius; quem secundum librum epidemiorum, quartum, atque septimum scripsisse, multorum est opinio: De quo in suo monumento hæc scripta sunt.

Thessalus Hippocratis Cous genere hic jacet,
Phœbi à radice immortalis genitus,

Plurima trophea morborum statuit armis medicinæ Gloriam trahens multam non fortuna, sed Arte. Alter fuit, quem Alexandro magno venenum, quo ipse interiit; propinasse, multis creditum est. Demum fuit Thessalus nuper dictus Methodicus, quem Galenus alioquin ipsius hostis perpetuus sæpe meminit. Hic est, qui Neronis principatu cuncta majorum placita delere studuit, quique tandem in monumento victorem medico-

dicorum se ipsum scriptum reliquit. Post hos ex Methodicis fuerunt Mnaseas, sive Mnaseus, Dionysius, Proclus aut Proculus, quem C. Aurelius scribit, fuisse Themisonis sectatorem, Post hos Antipater, quem Galenus Methodicum fuisse tradidit. Olympiacus Milesius, Menemachus Aphrodiseus, Soranus ephesius, Leonides Alexandrinus, atque Archigenes Apameus Syrius. His addunt, Vectium Valentem, quem alii Valentem physicum dicunt, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris (ut ait Plinius) nobilitatum, de quo ait; Is eam potentiam nactus novam instituit sectam, Eudemumque itidem alium (ut Tacitus ait) in adulterio Liviæ Drusi Cæsaris deprehensum, quem Aurelianus Themisonis sectatorem facit. Post hunc fuit Attalus medicus Romanus Thessali sectator, ac Julianus, contra quem Galenus scripsit disputationem apologeticam. Demum ex Methodicis postremo claruit C. Aurelianus, cujus ex multis litterarum monumentis apud nos extant, solummodo morborum cum Acutorum, tum Chronicorum libri. Hosque Methodicos fuisse legimus; De quorum doctrina & auctoritate præstabit, quæ potuimus consequi, in medium proferre, atque à Themisone exordiemur, non ab eo, qui fuit tempore Apuleii, de quo meminit in prima apologia, quem ejus mancipium fuisse constat, at a Laodiceo Syrio, qui primo Asclepiadis sectator fuit, atque ab ipso postea ad Methodicam se contulit; hunc Plinius summum authorem vocat. Galenus Hieram Themisonis meminit, & descripsit. Paulus Ægineta & Ætius de ipso perhonorificam mentionem fecerunt. De quo juven. ita habet.

Morborum omne genus, quorum si nomina quæras.
Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

In libro Galeni medico. In 3. Chronicon. cap. 8.

Lib. 4. hist. In 3. Acuto. cap. 11. 12. 15. & 16.

In lib. 14. hist. nat. c. 17. Lib. 8. de comp. med. loc. cap. 3. Lib. 3. cap. 15. lib. 9. cap. 10. In Satyra. 10.

Thessali vero auctoritas Neronis principatu apparuit maxime conspicua, qui cum Nerone magnam habuit familiaritatem, atque ita aliis medicis prævaluit, ut eo mortuo in monumento ἰατρονίκῃ, inscripserint, quasi medicorum victorem. Homo non fuit certe sine arrogantia, optarem tamen (ait medicus quidam eruditus) libros ejus, quos de communitatibus & Syncreticis scripsit, nunc extare; nam & ex fragmentis quæ vidimus

ab aliis citatis conſtat, eum fuiſſe acutiſſimum atque etiam doctiſſimum, hujus ſæpe meminit Aurelianus. Dionyſium quoque, ſive ſit chirurgicus à Scribonio largo citatus, vel Mileſius vel Samius, vel qui ſcripſit de herbis, uti Plinio viſum eſt, vel demum, qui fuit condiſcipulus Heraclidis Tarentini (etenim hi fuerunt omnes Dionyſii medici) magnæ inter medicos fuiſſe auctoritatis unico hoc intelligitur argumento, quod Galenus, Plinius, Celſus, Aurelianus, atque Ætius perhonorificam de ipſo mentionem fecerint. Non minoris quoque eruditionis & nominis fuiſſe Proculum medicum, quem Prodicum eſſe aliqui putant, ex Galeno conjicitur, qui ipſum citat, & inter alia litterarum monumenta, de natura hominis ſcripſiſſe nobis teſtatum reliquit. Aurelianus ipſum Themiſonis ſectatorem fecit. Antipatrum vero Galenus ſuo tempore Romæ medicinam non ſine multa laude feciſſe, teſtatur, & in multis locis ipſum perhonorifice nominavit. Menemachum Aphrodiſeum citat Galenus & Celſus. Soranum Epheſium, qui (Suida auctore) primum Alexandriam profecit, deinde Romam venit, ubi temporibus Trajani & Hadriani Imperatorum medicinam exercuit; libroſque multos ac optimos in medicina compoſuit, virum præclarum fuiſſe conſtat. Aurelianus hunc Methodicorum principem facit. Galenus ipſum in medicaminum cognitione claruiſſe affirmat: unde ad ipſum merito complura pharmaca referuntur. Archigenis, qui fuit Apameus Syrius, ut auctor libri introductionis ait, eruditionem ac ſummam præſtantiam Galenus & alii multi medici, qui ſæpius ipſum in medicina perhonorifice nominarunt, ſatis perſpectam fecerunt, non minus & Valentem phyſicum Galenus meminit, & ſi ſit Vectius vel Vetus Valens Meſſalinæ Claudii Cæſaris uxoris adulterio, (ut ait Plinius) nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator, quem (ut ſcribit Cornelius Tacitus) adulterii reum & confeſſum Claudius ad ſupplicium tradi juſſit; Hic tamen erudite multa ſcripſit. Eudemi medici duo fuerunt, fortaſſe ſe ſenior atque junior; hujus perhonorifice meminit, Galenus; Atheneus, Aurelianus, qui ipſum Themiſonis Sectatorem fecit; illius & Galen. & Theopraſtus. De Attalo Galeni con-

Galen. in 4. de comp. med. loc. c. 7. in 2. de Antidotis 4. de comp. ſecundum genera & 5. com. ſecundum locos. c. 7. Plin. li. 20. c. 11. & 20. C. Aure 2. Chro. 13. Celſus li. 6. cap. 6. In 2. diff. feb. c. 6. li. 3. chron. c. 8. Lib. 4. de loc. aff. cap. ult.

Lib. 3. de comp. ſecundum. genera. cap. 9. Lib. 7. comp. loc. cap. 6. & li. 9. c. 4. & 5. Lib. 29. cap. 1. Lib. 4. hiſt.

Lib. 1. &. 6. med.

contemporaneo ipſe fatetur, ipſum fuiſſe Sorani Epheſii diſcipulum, cui cum Galenus perſuadere voluiſſet, ut Theageni Philoſopho Cynico jecoris Plegmone laboranti, ne ad ipſum jecur exterius nudis relaxantibus uteretur, ſed & aliquod medicamentorum adſtringentis facultatis laxantibus permiſceret, ipſum ſic ei reſpondiſſe apud Galenum ita legitur: *Niſi multum tibi tribuerem nihil horum toleraſſem; nam in quibus ſuperiores medici paſſi naufragia ſunt prius, quam vera medicina inventa à nobis eſſet, ea mihi veluti ignaro ſuades.* Quibus conjicitur hunc ipſum apud Romanos haud parvæ fuiſſe auctoritatis, addo quod admiſſus fuerat curationi Theagenis philoſophi Cinici Romæ pluris æſtimati. His additur Juliani Apollonidis Cyprii (ut voluit Galenus diſcipulus) quem itidem non parvæ fuiſſe exiſtimationis vel hoc uno argumento conjicitur, quod Galenus omnium medicorum (uno excepto Hippocrate) facile princeps, contra ipſum apologeticam diſputationem ſcripſerit, atque ipſum etiam Alexandriam profectus perſonatim convenerit. Paulus Ægineta & Alexander Trallianus ita illum æſtimarunt, ut ab ipſo oximel purgatorium paratum & acurate deſcripſerint, & plurimum commendaverint. Demum quid de C. Aureliano Siccenſi Methodico diximus? an non ejus qui extant libri morborum cum Acutorum, tum Chronicorum, ipſum medicum doctiſſimum, graviſſimumque fuiſſe teſtantur? qui ut ex ipſius ſcriptis intelligitur, licet Methodicam ſectam mordicus tenuerit, feceritque; etiam medicos dogmaticos præcipuos, illuſtrioreſque præ manibus habuit. Atque hi fuerunt, qui in medicina Methodica variis temporibus claruerunt.

Lib. 9. ex libris de oleribus.
Lib. 3. Acuto. c. 11. & 12.
Lib. 3. de loc. aff. cap. 10. & 9.
comp. loc. c. 5. Theoph. l. 9. hiſt. plant. cap. 18.
Lib. 13. meth.
In 1. meth. med.
Lib. 7. cap. 5
Lib. 11. cap. de podagra.

CAP. III.

Quanto tempore ſecta Methodica inter medicos claruerit.

Certum eſt (ut nullus antiquorum dubitavit) Themiſonem Laodiceum medicum fuiſſe Methodicæ ſectæ auctorem: unde ab eo tempore ſectam Methodicam claruiſſe dicemus ad tempora uſque in quibus Galenus claruit, quod ex C. Aurelia-

no

no facile intelligitur, qui cum in libris morborum Acutorum & Chronicorum, omnes medicos præclaros cujuſvis ſectæ meminerit, de Galeno ne verbum quidem. Quod ſatis certa conjectura videtur, Galenum poſt Cælium Aurelianum in medicina claruiſſe, ni dixerimus eadem ætate ambos fuiſſe, ſed quod Aurelianus in Africa claruerit, & Galenus in Europa, eveniſſe, neque Galenum Aureliani, neque hunc Galeni notitiam habuiſſe, ex quo mirum non eſt, ſi neque Aurelianus Galenum, neque Galenus Aurelianum in ſuis ſcriptis meminerit. At hoc unum quicquid ſit, affirmabimus, ſectam Methodicam à Themiſonis temporibus inceptam ad Galeni uſque ætatem (etenim Julianus, Attalus, Antipater, ac alii medici Methodici fuerunt Galeni contemporanei) floruiſſe. Themiſonem vero ante Dioſcoridem Anazarbeum Alexandrinum fuiſſe, ex eodemmet Dioſcoride conjicitur, qui in libro ſexto de materia medica de rabie ſcribens, Themiſonis iſtius ita meminit: *Themiſonem aliqui demorſum in idem vitium incidiſſe, & evaſiſſe fatentur*: alii ipſum cum amico aquam expaveſcenti morem gereret, & officium exhiberet, quadam naturarum concordia, ſimilem contraxiſſe affectum ſed poſt multos tandem cruciatus ſervatum extitiſſe. Neque eſt, ut aliquis dubitet, Themiſonem Methodicæ ſectæ auctorem Dioſcoridem non intelligere, at alterum præſtantiorem dictum, qui fuit Apuleii mancipium, cujus meminit Apulejus in prima apologia. At Aurelianus videtur affirmare Themiſonem, qui rabie fuit tentatus, fuiſſe medicum, cum ita dixerit. *Ajunt denique Themiſonem quanquam volentem non potuiſſe, ſiquidem ex rabido cane quodam fuerit vulneratus, etſi ejus curationem aſſumeret mente, quippe ſcripturus, continuo admonitus in eandem relaberetur.* Quo, eundem fuiſſe Themiſonem cum Dioſcoridis tum Aureliani liquido conſtabit, quippe medicum Methodicum. Quare ante Dioſcoridis tempora Methodicam medicinam extitiſſe credendum eſt. At cum Dioſcorides M. Antonii & Cleopatræ temporibus vixerit (His familiarem Alexandriæ fuiſſe Suidas eſt auctor) merito colligitur hanc medendi ſectam ante M. Antonii & Cleopatræ ætatem incepiſſe, atque poſt Antonini Pii, atque Severi tempora exti-

Libro 3. Oxeon cap. 16.

extitiſſe, eo enim tempore Galenus Romæ complures Methodicos florere cognovit, præſertimque Attalum, Julianum, atque Antipatrum, eorum namque Imperatorum temporibus ipſe Galenus Romam venerat, atque in medicina clarere cæperat, ex quibus quidem annos circiter tercentos, ſi eos à Marci Antonii, Cleopatræque temporibus uſque ad Severi Imperatoris ætatem metiri voluerimus, medicinam Methodicam claruiſſe liquido conſtabit.

CAP. IV.

Quid ſit medicina Methodica, & quibus principiis fuerit conſtituta.

Poſteaquam medici, qui variis temporibus Methodicam ſectam magna cum laude mordicus tenuerunt, ac apud plures mundi nationes in ea claruerunt, à nobis hactenus fuere expreſſi, non minuſque etiam quanto tempore ipſorum in ea medicinæ ſecta auctoritas prævaluerit, cognitum eſt, reſtat, ut quid ea fuerit ſecta intelligamus, atque qualia quoque principia, ſive dogmata habuerit, ut parcius magis ad iſtius medicinæ ſectæ notitiam deſcendamus: Quam provinciam nobis haud parum fore difficillimam intelligimus, quod Methodicorum apud nos non extent monumenta. Cælium ſolummodo Aurelianum habemus, cujus libris de iſtius ſectæ dogmatis conſcriptis, penitus caremus, ejus tantummodo libri morborum Acutorum, atque Chronicorum, quos legere poſſimus nobis ſuperfuerunt. Accedit, nullum Græcorum, Latinorum Arabumque librum nunc extare, à quo dogmata illiuſce ſectæ diſcere protuerimus, (quibuſdam exceptis Galeno tributis, quos Galeni non fuiſſe certio certius credidimus) deſiderantur vero ſex commentaria quæ de hac ſecta Galenus ſcripſerat, quæ ſi extarent præcipua dogmata, quibus ea ſecta medicinæ fuit conſtituta, nobis in aperto eſſent. Itaque auctor definitionum medicarum de hac ipſa ſecta ita habet: *Methodica eſt ratio, quæ ab apparente progreditur, & incomperti comprehenſionem facit, ut ſi ſunt ſudores, ſunt exigui cutis meatus: apparens enim res ſunt ſudores, eſſe autem meatus,*

tus, incompertum eſt. Galenus in lib. de ſectis ad eos, qui in-
Cap. 6. troducuntur de eadem ſcripſit. Totamque denique ſuam medicinam ita definiunt, ut eorum cognitio ſit, quæ communia evidentia ſunt, quæ ne ceteris omnibus artibus videatur communis definitio (nam illas quoque eorum, quæ communia evidentia ſunt notitias eſſe putant) addunt, ut ea ſint, quæ finem medicinæ ſequantur, eorumque aliqui, non quæ ſequuntur, ſed quæ ejuſdem fini conſentanea ſint, adjunxerunt. Pars autem maxima hæc ambo componens, Methodum inquit notitiam eorum eſſe, quæ communia evidentia ſunt, eaque medicinæ fini conſentanea, conſequentiaque; quidam autem, ut Theſſalus, ſic, ut eadem proxima ac neceſſaria ſint ad ſanitatem adjunxerint. Quibus conſtat medicinam Methodicam eſſe communitatum evidentium ad medicinæ finem ſeu ad ſanitatem conſequentium, & neceſſariarum, cognitionem. Porro ut hæc medicinæ ſecta melius dignoſcatur, Communia illa evidentia dogmata, quibus eam condiderunt, accuratius ſunt cognoſcenda, ſed in primis dicamus hanc ſectam idcirco non rationalem & dogmaticam dictam fuiſſe, quod nimirum in evidentibus verſetur, quod quidem ipſius erit dogma ſeu principium: quoniam Dogmatici ſive rationales medici conjecturis ad dignoſcendos affectus corporis, utantur, & propterea Methodici dixerunt eos in obſcuris verſari. Communitates vero Methodicorum pro ipſorum medicina conſtituenda, duæ fuerunt, ſcilicet adſtrictionem & profluvium, a quibus ex ambobus mixtum tertium addunt, Græcis ῥοώδες καὶ στεγνὸς dicitur, ac latinis, fluidum & adſtrictum. Unde omnes affectus (vel morbi vel ſymtomata vel cauſæ ſint) aut adſtrictos eſſe, aut fluidos, aut mixtos, affirmarunt, à quibus curationem indicari voluerunt, nempe ſi corpus adſtrictum ſit, laxandum eſſe, ſi profluvio laborat adſtringendum, ſi vitium mixtum ſit, occurrendum vehementiori malo. Præter has duas communitates, alias quoque Methodicos habuiſſe, Gal. in lib. de opt. ſecta ad Traſyb. ita expreſſit:
Cap. 30.

Non ſolum autem duas communitates, ſed plures etiam ſtatuunt, aliaſque in victus ratione, alias in manuum affectione, collocant. In victus quidem ratione adſtrictum & fluens, adjunctamque magnitu-

gnitudinem, morbi tempora quatuor; initium, incrementum, ſummum impetum & decrementum, celeritatem, longitudinem, acceſſionem. In manuum vero affectione, quod à natura alienum eſt, ponebant, loco, tempore, & pluribus aliis. Ceterum ut de his communitationibus clarior adhuc cognitio nobis eluceſcat, ſive melius ut tota de hac re notitia habeatur, huc transferenda duxi, quæ in libro introductorio ſive medico dicto fuſe de iis ſcripta ſunt; licet non leviter dubitem eas omnes communitates, ita ut leguntur, haud fuiſſe Methodicorum. Ita vero in eo libro ſcribitur. *Methodica communitatibus & ſimili ſpeculationi adhæret, omnes enim particulares affectus ad generales duos reducunt, ad adſtrictum & fluentem, quas communitates vocant, cognoſcunt eas ex obortis circa corpus affectionibus in utroque evidenter conſpicuis. Quare notas non deſiderant, exempli gratia adſtrictum inde oriri, quod corpus denſatum ſit, profluvium ipſius ſiſtatur, omniſque evidens excretio impediatur; Fluentem vero inde, quod ſumma corporis cutis rara evaſerit, & cujuſque corporis particula excretiones ſenſibiles intenſæ ſint. Duplicem igitur curationis ſpeciem generales duo corporis morbi ipſis indicant, nempe ſi corpus adſtrictum eſt, laxandum eſſe: ſi profluvio laborat, comprimendum: ſi vitium mixtum habet, occurrendum vehementiori malo. Ceterum communitates omnes nominant evidentes, harum alias paſſivas, ut adſtrictum & fluens, alias curativas, ut reſolvere & tenere: quaſdam temporales, initium, incrementum, vigorem ſeu ſtatum, & inclinationem. Porro medicinæ, quæ manu medetur, communiter in ejus ablatione, quod alienum eſt, conſiſtunt. Duplex enim alienum eſt, vel extrinſecus vel in corpore, extrinſecus ſimplex, illius, quod incorpore eſt, tres numerantur ſpecies. At qui extrinſecus, ut ſpiculum, telum, & quod cumque aliud id genus exiſtit, perfectam eductionem oſtendit. Eorum, quæ in corpore ſunt, aliud loco alienum, ut ſuffuſio, eluxatio & fractura, quæ tranſpoſitionem, vel reſtitutionem in proprium locum indicant. Aliud magnitudine, ut abſceſſus omnes, ſcroti tumores, acrochordones, ideſt pendulæ verrucæ, phymata & condylomata: Quorum nonnulla diviſionem requirunt, nonnulla ſummam ſuperfluorum præciſionem demonſtrant. Aliud defectu alienum, non ut ſupervacaneum,* Cap. 30.

cuum, ſed veluti deficiens dicitur, cujuſmodi mutila & curta omnia, ſicut in labris, oculiſque cernitur, unde quidam, λαγοφθάλμοι, *&* λαγόχειλοι, *ideſt leporinos oculos & leporina labra habentes, nominantur; pari modo etiam ſe habent fiſtulæ & vitia profunda, quæ Græci vocant hypophora, ſinus, ulcera, aliaque hujuſmodi omnia, quæ ex defectu repletionem deſiderant, atque indicant: eſt vero præter quatuor chyrurgorum communitates & ſpecies, quam* προφυλακτικὴν, *id eſt præſervatricem appellant. Apponitur autem & ipſa ut communitas, in deleteriis & toxicis, beſtiiſque omnibus, quæ virus inſpuunt tum venenoſis volatilibus & terreſtribus, aquatilibuſque. Nam commune omnium genus, ut ſint exitialia, non tamen ad adſtrictum & fluens referuntur, ſed aliud eſt præter hæc genus. Quare & curatoria ipſorum communitas, alia, præter illam habetur, dicta prophylactice. Methodicam quoque ſectam primum exculpit ſimilis in evidentibus conſideratio, ſed non in latentibus & abditis, quemadmodum in Rationali ſecta. Hoc unum intercedit diſcriminis, quod in illa quoque ſimilium inſpectio, ſed in obſcuris conſiſtit: ſecundum quod ex ſimili in evidentibus, affectus, auxilia, tempora, particularia omnia ad generalia reducit. Attamen non evidentia tantum empiricorum more animadvertunt, ſed particularibus nullo generali cognito inſiſtunt.* Hactenus auctor libri medici & introductorii dicti. Ex quibus intelligitur, omnes particulares affectus ad duos generales olim Methodicos reduxiſſe, quippe ad adſtrictum & fluentem, quos ex obortis circa corpus affectionibus in utroque evidenter conſpicuis, cognoſcebant. Tertio notas non deſiderabant ad eos cognoſcendos, unde quartum dogma fuit, duplicem curationis ſpeciem duos generales affectus indicare, ſcilicet adſtrictum corpus laxandum, & laxum adſtringendum. Quinto adſtrictum & fluens communitates paſſivas vocabant, reſolvere & tenere activas, & temporales communitates dicebant morborum principium, augmentum, ſtatum atque declinationem. Septimo in chirurgia quoque communitates duas habebant, ſcilet ejus quod alienum eſt, indicare ablationem, quod cum duplex fuerit, ſcilicet alienum ſuperfluum, atque alienum deficiens, hujus dicebant ablationem eſſe repletionem ut partes mutilæ,

cur-

curtæ, ulcera, ſinus, & alia ſimilia, illius, quod loco alienum eſt, ut luxatio & fractura tranſpoſitionem atque reductionem in proprium locum, & quod magnitudine alienum eſt, ut abſceſſus, tumores, phymata, condylomata, aut quandam ſolummodo diviſionem ſive præciſionem, aut ſummam præciſionem. Demum communitatem quoque habent, præter prædictas prophylaticem, id eſt præſervatoriam dictam, quam in medicamentis deleteriis, toxicis atque in beſtiis omnibus virus imſpuentibus inſectabantur. Hæque fuerunt Methodicorum communitates ex prædictis locis animadverſæ, quibus alias quoque addimus, quippe in victus ratione adſtrictum & fluens maxime obſervari. idemque facere, affectuum magnitudinem, tempora morbi, celeritatem atque tarditatem, acceſſionem atque remiſſionem, ab hiſque omnibus indicari victus rationem, tempora item morborum curationem indicare; Morbi item principium, incrementum prohibent indicare, ac inter morborum principia adſtringentibus eſſe utendum; corporaque denſitate & duritie firmiora reddi; humores & qualitates primas non eſſe cauſas morborum; effectus cauſarum loco haberi, at non qua cauſæ ſunt, ſed qua communitates indicare, proindeque curationem dicebant ab affectibus indicari, minime àutem à ſymptomatibus: Fluxum cognoſci quod corpora mollia ſint fragilia & effæminata, contra adſtrictum, quod aſpera duraque ſint. Præter ea negabant quicquam utilitatis facere ad indicandam curationem locum in corpore læſum, naturam corporis, ætatem, vitæ ſtudium, conſuetudinem, tempus anni, cœlum, regionemque; propterea neque ad curationem inſtituendam quicquam medicos curioſos eſſe debere, de frigore, de æſtu, de ebrietatibus, de cruditatibus, de ſatietate, de fame, de laſſitudinibus, de otio, de ciborum generibus atque de mutatis conſuetudinibus. Accedit, trium ſectarum medicinæ profeſſores in his concordes fuiſſe, ſcilicet primum, quod evidentia præcepta utilia ſint, analogiſmus, obſervatio, hiſtoria, ad ſimile tranſitus, quod hiſtoria ſine delectu ſit utilis, modus item applicandorum remediorum, quod ex aliis alia deprehendantur, quod iiſdem præſentibus malis eadem ſint facienda, quod ad-

Gal. in li. de ſect. ad eoſque cap. 6.

In li. de op. ſect. ad Tra. ſyb. c. 7.

jectionibus & detractionibus ſanitas ſervatur, & morbi fugantur, quod ad ſanitatem retinendam, & morbos tollendos nocentium uſus ſit fugiendus: quod ad materiæ adhibendæ notitiam experientia potens atque utilis ſit: quæ nutriunt, & quæ non nutriunt, purgantia atque mortifera, experientia omnia comperta eſſe: Hæc fuere medicinæ Methodicæ dogmata, quæ etſi maxime confuſa mihi viſa ſint, tamen ne aliquid ab antiquis de hac ſecta nobis traditum omitteretur, conſcribere hic libuit.

CAP. V.

Quamobrem Methodici conſtituerint primum medicinæ dogma in adſtricto, & in fluido.

Cum Methodicorum dogmata cognoſci debeant, ab eo exordiri libuit, quod eſt omnium præcipuum, ac veluti totius illorum medicinæ fundamentum, nimirum morbos ſcilicet omnes, ſive affectus noſtri corporis ad duos tantum reduci; ſcilicet ad adſtrictum & ad fluidum ſive profluens, ſive laxum, Græcis ῥοώδες καὶ σεγνὸς dicitur, latinis fluidum & adſtrictum, ita ut omnes particulares affectus (vel morbi ſint juxta dogmaticos medicos, vel ſymptomata, vel cauſæ) ad hos duos reduxerit, ſcilicet ad adſtrictum & ad fluidum, atque admixtum ex utroque. Circa quod placitum illud primum erit cognoſcendum, quippe unde fluxerit, & qua ratione atque auctoritate tueatur. Fluxiſſe putamus ab illorum philoſophorum opinione, quæ fuit, quod rerum primordia atomi & vacuum fuerint, vel raritas & denſitas. Atomos & vacuum poſuerunt Democritus, Epicurus, Leucippus, Metrodorus, atque (ut auctor eſt Galenus) Aſclepiades: Denſitatem vero & raritatem Anaximenes, Archelaus Athenienſis, Heraclitus, Thaleſque: Anaximenes & Archelaus, idcirco aerem rerum eſſe principium crediderunt, quod & rarefieri & denſari queat, & Heraclitus ignem, & Thales aquam, quod omnium maxime rarefiat & denſetur. Galenus hoc principium ab Aſclepiade Dogmatico fluxiſſe ſcribit, qui credidit ex atomis corpora conſtare, abſque meatibus, unde Aſclepiades in ſymmetria & competentia exiguorum

In lib. 5. ſimp. c. 24. lib. 4. Meth. med. cap. 4.

rum meatuum, quos poros appellat (ut Galenus dixit) ſanitatem & in ametria inconvenientiave morbum conſtituerat, ex quo Theſſalus Methodicus cenſuit in multis morbis, totam exiguorum meatuum ſtatum immutandum, quod ipſorum naturalem apertionem ſive poſitionem vitiatam eſſe æſtimarit; atque ex hac opinione proceſſit Metaſyncriſeos nomen idem plane poteſtate indicans, quod Græcis Metaporopiſeos, & latinis exiguorum meatuum ſtatus mutatio. Metaſyncreſis eſt Metaporopiſis ideſt meatuum ſtatus mutatio. Metaſyncreſiſque dicitur, quod Græce (ait Galenus) *συγκρίνειν τὰ σωμάτα καὶ ἀνακρίνειν*, quaſi miſceri decernique corpora dicas. Quæ opinio eorum fuit, qui corpuſcula & meatus, aut individua & vacuum, aut denique impatibilia & inalterabilia prima elementa ſtatuerunt. Atque ab hac ipſa opinione primum Methodicorum dogma illuxit, quod omes ſcilicet affectus reducerentur ad meatuum vel clauſum vel fluxum, quod nimirum (ut Aſclepiades ſentiit) in optimo eorum ſtatu ſanitas conſiſtat, atque in vitiato morbus. Age itaque dicamus hoc principium primum ab iis veniſſe philoſophis, qui pro rerum principiis atomos, id eſt, minima corpuſcula, atque vacuum ſive meatus eſſe exiſtimarunt. Stoici vacuum extra mundum poſuerunt, atque alii tantum ſolummodo vacui extra mundum eſſe putarunt, quantum ad reſpirationem mundi faciat. Etenim mundus igneus cum ſit, eventatione indigere putarunt. Unde corpora, quæ eventatione opus habent, vacuo uti ad eventandum eſt neceſſarium; At animalium corpora, aëre, qui ſpatium (quod inane philoſophi poſuerunt) eſt, ad eventationem utuntur. Atque hinc (ut Galenus docet) cutem, licet primo ortu ſibi fuerit continua, ſpatio temporis perforari, ac plurima nanciſci ſpiramenta ritu cribrorum, neceſſe eſt; quod nimirum multæ venæ, arteriæque aperiantur in cutis meatus, ac in ipſius non minus ſuperficiem internam, & in meatuum perforationes non pauca pervenire venarum arteriarumque oſcula, nihiloque ſecius ad extimam ſuperficiem, ita, ut ibi ipſæ oſculis finiant. Hæcque à natura ita fuiſſe ſpatia inania & pervia conſtituta (quod corpus omne intro foraſque auctore Hippocrate, ſit tranſpirabile, ſive ex-

Gal. in lib. de hiſtoria philoſophica capite de vacuo.

In lib. ſimp. c. 12.

Lib. 6. epid. ſect. tex. 4. lib. de uſu pulſuum.

expirabile, atque inſpirabile) Galenus demonſtravit arterias, ubi ſe dilatant, undequaque & per omnes meatus, qui videntur ſpatia vacua, attrahere non aërem modo, halitumque, ſed quicquid etiam trahi facile, ac tenue ſit, ad ſpiritualis eſſentiæ impetum expedite conſequi. Itaque perinde atque ii philoſophi, dicemus adeſſe extra corpus vacuum quod ſpatium eſſe (cum Galeno) dicimus aëre plenum, ad hoc ut calor innatus eventetur, unde natura in corporibus plures conſtituit vacuitates, quæ nihil quidem aliud ſunt, quam viſcerum internorum & omnium partium cavitates meatuſque præſertim venarum & arteriarum, quas idcirco ad utramque ſuperficiem cum extimam tum intimam, oſcula & meatus habuiſſe, natura voluit. Quo non tantum extra eſſe vacuum aſſerimus, ut quinimo etiam intra corporibus inſertum. Quo fortaſſe argumento Methodici à philoſophicis, qui vacuum dari intra corpus, & in corpore inſitum voluerunt, perdocti, eum morborum communitatem conſtituerunt, quod morborum quidam ad adſtrictum, & quidam ad laxum merito referantur, nam qui atomos pro rerum principiis poſuerunt, neceſſario in corporibus vacuum quoque inſertum fateri debuerunt, per quod atomi intro foraſque commode permearent. Quod neque Galenus negavit, quippe ſectæ, quæ vacuum poſuit, illud dogma convenire, nempe in meatuum ſymmetria ſanitatem conſiſtere, & in ametria morbum, ſicuti in fluxu clauſuque rerum, quæ per id feruntur in victus ratione, morbos. Quare philoſophorum vacuum ponentium, quos eruditiſſimos, graviſſimoſque viros fuiſſe, ſcimus, auctoritate etiam ea communitas confirmatur. Non tamen nos latet Ariſtotelem ac complures alios vacuum in corporibus non admiſiſſe, veluti neque omnes philoſophos qui poſt ipſum claruerunt, Ariſtotelis de vacuo ſententiam recepiſſe. Inter alios, qui vacuum ineſſe corporibus voluerunt, Joannes Grammaticus cognomento Philoponus particularem digreſſionem contra Ariſtotelem de vacuo doctiſſimam habuit. Non diſſimili argumento hoc Methodicorum dogma firmum, atque verum feciſſe ii philoſophi videntur, qui rerum principia in raritatem & denſitatem, uti ſuperius dictum eſt, retulerunt.

In lib. 3. de diff. pulſ. c. 6.

In apolog. contra Julianum cap. 4.

In lib. 4. phyſicorum.

Quan-

Quando in denſitatis, raritatiſque ſymmetriam & ammetriam, ſanitas & morbus referantur, immodice quidem meatibus rarefactis aut denſatis, corpora ad morbum ac iiſdem probe ac naturaliter, quod ad raritatem & denſitatem pertinet, ſe habentibus, ad ſanitatem inclinant. Denſitatem vero & raritatem pro principiis rerum poſuiſſe diximus Anaximenem, Archelaum Athenienſem, qui idcirco aërem omnium rerum principium eſſe voluit, quoniam & rarefieri & denſari queat; Heracilitus ignem, atque eadem ratione Thales aquam, quæ omnium maxime rarefiat & denſetur, rerum principium eſſe ſtatuit. Quem philoſophum ab Ariſtotele nominari cum quadam obſervantia ac reverentia Simplicius eſt auctor. His addimus Ariſtotelem, qui in lib. 8. phyſicorum ita ſcribit: *Amplius autem paſſionem principium eſt denſitas & raritas. Etenim grave & leve & molle & durum & calidum & frigidum denſitates videntur eſſe & raritates quædam. Denſitas autem & raritas, congregatio & diſgregatio, ſecundum quas generatio & corruptio ſubſtantiarum dicitur. Quæ autem congregantur & diſgregantur, neceſſe eſt & ſecundum locum mutari.* At vero, & ejus, quod augmentatur & diminuitur, mutatur ſecundum locum magnitudo. Hæc Simplicius ejus interpres dicta accepit, tanquam ad propriam ipſius mentem. Ariſtoteles vero dixit rarum & denſum partium quandam poſitionem eſſe, cum denſum quidem ex eo quippiam ſit, quia partes ipſius ſibi ipſis propinquæ ſunt, rarum autem ex eo quia à ſeſe diſtant: Quod, & Galenus ſentiit, cum dicat, rarum eſſe, cujus partes ſpaciis inanibus interceptæ ſunt: contra denſum cujus partes ſpaciis inanibus non interceptæ ſunt. Ex quibus conſtat in raris corporibus vacuitates eſſe, in quarum ſymmetria ad aſtrictum & laxum, corporum ſanitatem, ut dictum eſt, inſiſtere Methodici putarunt, & earundem vacuitatum ſive meatuum ad adſtrictum & laxum in receſſu à ſymmetria, morbum conſiſtere: unde merito dixerunt Methodici omnes affectus ad adſtrictum & fluidum reduci. Addo Platonem quoque in Timæo animalia in igne & ſpiritu ex neceſſitate vitam habere dixiſſe: quod maxime (uti Galenus non negavit) in igne & aëre animalium vita conſiſteret. Ignis

Gal. in libro de diff. morb. cap. 4. & 5.

In 1. lib. de anima com. tex. 32.

In lib. de prædicamentis cap. de qualitate. In 1. ſimpl. c. 15.

In commento Timæi Platonis.

autem calor eſt, & humores calidi, & ſpiritus quidem aër, cujus uſus eſt ad conſervandum eventatione calorem, quod confirmat Methodicum principium, quippe ſanitatem & morbum in moderata & immoderata adſtrictionis atque diffuſionis meatuum conſtitutione conſiſtere, & propterea omnes morbos ad adſtrictum & laxum reduci. Quod & Gal. viſus eſt affirmaſſe, cum ita ſcripſerit: *Nam cum quatuor ſint elemata ex quibus ſingula, quæ generantur ortum habent, ignis, terra, aqua & aër: ex his materialiora quidem terram & aquam, efficaciora vero præcipue in animalibus, ignem & ſpiritum eſſe, ab omnibus fere conceſſum eſt.* Id autem, quod ab iis gubernatur corpus, multas non ſolum vacuationes manifeſtas, ſed ſenſu ignotas perſpirationes & effluxiones habere neceſſe eſt. Quibus intelligitur, ſanitatem corporum præcipue conſiſtere in meatuum optimo ſtatu, in quo ignis atque ſpiritus, (quum ſint duo efficaciora elementa, à quorum ſtatu & bono & malo, corporis ſanitas vel morbus procedit) recte ſe habent, namſi recte excrementa calida & fumoſa exhalant, & evacuantur, calor, qui ignis eſt tranſpirat, eventatur per probam meatuum apertionem, quæ ſi immodica ſit, profluvio corpus laborat, ſi claudantur, adſtricto. talemque originem habuit Methodicorum primum dogma, ſcilicet à philoſophorum, qui vacuum atomoſque poſuerunt, opinione, atque non minus ab iis, qui denſitatem & raritatem, congregationem & diſgregationem pro rerum primordiis acceperunt.

CAP. VI.

Demonſtratur primum Methodicorum dogma etiam medicorum auctoritate, ac non minus quoque Dogmaticorum ſive Rationalium vocatorum.

Jam ad præcipuam Methodicorum Communitatem, ac dogma, quo illa ſecta maxime nitebatur, deſcendimus, hactenuſque ex philoſophis, qui pro rerum principiis atomos & vacuum poſuerunt, fluxiſſe, ac non minus etiam ab iis, qui

qui denſitatem & raritatem, congregationem atque ſegregationem principia itidem eſſe voluerunt. Reſtat, ad majorem hujuſce dogmatis cognitionem, ut ipſum medicorum quoque rationibus atque auctoritate roboremus ac confirmemus. Quod primum ex ſanitatis morbique ratione intelligere operam dabimus, proponentes ea, quæ Methodici de ſanitate & morbo olim ſcripſerunt, in qua quidem re ipſorum aliqui confuſe ſatis, uti Galenus animadvertit quædam definierunt, ſcilicet ſanitatem atque morbum in eodem non eſſe genere, ſed ad diverſa genera referri. Unde alii dixerunt, ſanitatem eſſe actionem integram corporis, morbum vero non actionem, ſed corporis diſpoſitionem, quippe corpus certo modo diſpoſitum. Olympicus dixit ſanitatem eſſe diſpoſitionem per excluſionem morbi, & morbum verſionem ejus eſſe, quod ſecundum naturam eſt, in id, quod præter naturam eſt, ſtabilem. At Theſſalus Methodicorum princeps, aliique diſtinctius ſanitatem in ſymmetria quadam meatuum corporis conſtituerunt atque in ammetria morbum. Quod dogma ab Aſclepiade fluxit, qui ut antea dictum eſt, ſanitatem in exiguorum meatuum convenientia, & morbum in ammetria conſtituit. Unde metaſyncriſeos & metaporopæeſeos nomen invenit. Itaque Methodici, ſanitatem, quandam ſymmetriam eſſe (quod neque Dogmatici negant) conſtituerunt, addentes corpuſculorum & meatuum, quos ὄγκους καὶ πόρους Græci vocant. Contra morbum ammetriam. Quod Julianus Methodicus (ut auctor eſt Galenus) ita expreſſit. *Igitur contractionis diffuſioniſque moderatum ſtatum, commenſuratumque ſtatuentes in humanis coagmentis ſanitatis illum nomine appellamus, iſti porro mediocritati cum inſidiæ à morbis tenduntur, neceſſario fit, ut patiantur corpora contracta ac dura ſicciorave, aut diffuſa, molliaque facta atque humida.* De qua & Galenus ita habet. *Sicuti quæ vacuum ponit, illa convenire, nempe in meatuum ſymmetria quadam ſanitatem conſiſtere, ſicuti in fluxu, clauſuque rerum, quod per id feruntur, ſecundum victus rationem, morbos.* Cum igitur ſanitas in quadam ſymmetria ſive moderatione meatuum corporis fuerit à Methodicis conſtituta, atque ægritudo in eorundem meatuum ammetria ſive ſtatu

In 1. meth. med cap. 7.

In Apologia contra Julianum. cap. 4.

immoderato; merito ex hoc collegerunt, duo esse genera morborum sive affectuum curandorum, quippe adstrictum & fluxum sive fluidum. Etenim si in meatuum corporis, sive ut ait Julianus, in eorum contractionis & diffusionis symmetria, sive statu moderato, sive mediocri sanitas consistit (quod non est difficile demonstrare) in eorundem meatuum vel contractionis & diffusionis à mediocritatis recessu, morbus ægritudove necessario constituetur. In moderato vero meatuum constrictionis, & diffusionis statu sanitatem maxime consistere, ac propterea corpora habentia meatus moderate ac naturaliter pervios recte valere atque sana existere vel hoc unico argumento facile demonstratur, quod (auctore Hippocrate) foras introque spirabile totum corpus sit. Galenus expirabile atque inspirabile omne corpus esse, ideo consentiet, ut in toto corpore caloris nativi mediocritas custodiatur; veluti respiratione caloris, moderatio servatur. Cujus sane caloris transpirationis ad sanitatem
Cap. 5. conservandam necessitatem demonstrans in libro de usu pulsuum, de meatibus arteriarum ad cutem terminantibus agens, ita scribit: Sicuti nimirum per ora, quæ in cutem finiuntur, quicquid halituosum fumidumve excrementum habent, id excernunt. Recipiunt ex circundante nobis aëre, non exiguam portionem, atque ideſt, quod Hippoc. ait, foras introque spirabile totum corpus esse. Quo fit, ut corpus moderate poros cutis ac ceteros alios meatus corporis habens apertos, mediocriterve adstrictos ac diffusos (quod idem est ac si naturaliter transpirabile esse dicatur) idcirco sanum esse ac recte valere, dicimus. Contra vero ubi à contractionis vel diffusionis moderato statu recesserit, è sanitate in morbum delabi, atque morbosam exinde constitutionem incipere. Tantum potest ad conservandam sanitatem corpora probe esse difflabilia ac transpirabilia (quod est habere moderatam meatuum contractionem atque diffusionem seu apertionem) ut corpora vel etiam humida, multisque excrementis scatentia in morbos, quoad in eodem matuum naturali statu perseverant, non delabantur. Unde Galenus merito dixit: hæc ipsa multis excrementis scatentia gaudere sanitate seu recte valere quousque meatus corporis à naturali contractionis

&

& diffuſionis ſymmetria minime receſſerint. Quibus iiſdem immodice vel adſtrictis, vel ampliatis corpora morbos incurrere ſit neceſſarium. locum ſingularem ad hanc rem non tacendum duxi, quòd & huic propoſito, & Methodicorum dogmati favere maxime videatur, ita enim Galenus ſcribit. *Veluti nimirum ipſa animantium corpora, tametſi plurimam ſubſtantiæ ſuæ portionem humidam & calidam ſunt ſortita, magnum tamen annorum numerum ſine putredine, ac ſana, vivaque exigunt, ſi ſervetur (ut demonſtratum eſt) eorum proprius calor in cordis quidem corpore per reſpirationem, in reliquis omnibus partibus, tum per communitatem, quam habent cum corde, tum per aliam quandam reſpirationis ſpeciem, quæ per totam agitur cutem, & tranſpiratio, perſpiratiove dicitur.* In lib. 11. meth. med. cap. 8. Hocque fit, quoniam in corpore bene ſpirante humores quieti manent, & in non naturaliter perſpirante ad motum compelluntur; & ſic aliquem morbum concitant. Hinc eſt, quod corpora alioquin recte ſpirantia & ſana ex aliquo quandoque medicamento purgante commota, in morbos labuntur, quippe humoribus quieſcentibus vi purgantis commotis, qua de cauſa multi perierunt, quod Dominico Zanio, Benedicto Georgio, Patritiis Venetis proximis annis evenit, qui recte valentes purgationis faciendæ gratia ab aſſumpto pharmaco paulo poſt, commotis ad cerebrum humoribus, apoplectici interierunt. Quibus vel etiam ex Galeno demonſtratum eſt, ſanitatem in meatuum corporis moderata adſtrictione & diffuſione conſiſtere, & quoad corpora in ea ſymmetria conſervantur, ea ſana recte valere. Contra vero, ſi ab hac ipſa meatuum ſymetria recedant, in morbos delabi: ſcilicet meatibus iiſdem præter naturam vel auctis ampliatisvè, vel adſtrictis clauſisvè. A clauſis morbi complures oboriri ſolent, uti ſunt febres, inflammationes, fluxiones ad varias partes corporis, à quibus affectus non pauci concitantur. A diffuſis ampliatisvè, ſyncopes, & mors repentina, cachechſiæ, hydrops; Galenus ait, probatiſſimam corporis conſtitutionem eſſe, quæ ſimul attemperatiſſima ſit, & ſimul humorum tranſitum expeditum tenet, & cutem denſam habentes, pati ab internis, atque raram, ab externis. Hippocrates, raritatem corporis ad perſpirationem, quibus amplius In lib. de fuce. bonit. & vitio. cap. 2. In 1. de ſanit. tuen. cap. 10.

In lib. de alimento circa medium.

aufertur ſaniores reddere. Denſitatem verò ad perſpirationem, quibus minus aufertur, morbidiores, docuit. Habitus corporis ſi denſior vel adſtrictus evaſerit, quo caloris innati tranſpiratio ſive eventatio impediatur, febres uti etiam dictum eſt, fieri, inflammationes, phlegmones atque alios complures affectus apud quoſque receptiſſimum eſt: neque immeritò, cum contractiore habitu, vel obſtructione venarum arteriarumque viis interceptis vel clauſis tenuia excrementa per cutis meatus evacuari ſolita, non evacuentur, quæ cum fuliginoſa ſint, ſive acria, febres (auctore Galeno) promptiſſime accendunt, putridas, & non putridas, quæ ni acria ſint, ſed optimi ſanguinis intus collecta minime evacuentur, plethoram aut ſummum calorem corporibus inducunt, atque ubi maximus a meatuum ſymmetria fuerit receſſus etiam ad mortem ſuffocatione corpora provehi. Quam rem Gale. in libro de cauſ. morborum ita expreſſit: *Et ſiquidem ſtipatæ fuerint arteriæ, ſive (ut nuper dictum eſt) ob ſanguinis redundantiam, ſive earum ora obſtructus aliquos patiantur, ita ut nullam habeant tranſpirandi viam, calorem extingui neceſſe eſt. Quod vero ita affectum eſt corpus emori, quod ſi fuerit ſtipatio modica, non adeo calorem naturalem pati eſt neceſſarium. At ſi quidem in animali corpore veluti fuliginoſa quædam ac fumida excrementa tunc conſtituerint, alius erit caloris naturalis affectus: alius vero ubi ſolum vapor quidam ſuavis atque optimus exhalarit. Atque horum utrumque bifariam hoc modo evariat. Cum enim ſanguinis optimus in corpore fuerit, nullo inquinatus humore ſuperfluo, vapor ex eo incaleſcente optimus exurgit, qui nihil aut igneum aut aëreum ſecum invehit. Tale quidem corpus cum mediocriter ſtipari contigerit, brevi aut erit plethoricum, aut ſupra modum caleſiet.* Et paulo poſt ſubjunxit: *In corpore autem ſtipato quod à fumeo excremento obſidetur, aut febris accendetur, ob intercluſam interius fuliginoſam evaporationem, aut ſtrangulabitur atque extinguetur calor inſitus, atque nativus. Utrumque vero accidet pro multitudine excrementorum, aut magnitudine ſtipationis. Nam ſi fumoſa ſuperfluitas, quæ evacuari expetebat, plurima fuerit, atque ſtipatio vehemens, periculum imminet, ne calor naturalis ſtrangulatus ab excrementis extinguatur, ſi vero ſuperfluitas pauca fuerit,* &

In libro de diff. morb. cap. 5. in 8. Meth. med. c. 2. in lib. de cauſ. morb. c. 2. in 11. meth. med. c. 9. Cap. 9.

& ſtipatio parva, febris accendetur. Quare ex his conſtat, meatuum adſtrictionem vel clauſionem, vel obſtructionem dicas, ob prohibitam caloris naturalis tranſpirationem, & humorum ventilationem, atque ob excrementa, quæ per eos meatus quotidie vacuabantur, intus collecta retentaque calidos morbos, plethoram, putredines, febres, phlegmones, fluxioneſque concitare. Non minus quam iiſdem meatibus ad raritatis diffuſioniſque receſſum provectis, immoderatæ excretiones, evacuationeſque fiant, à quibus corpora reſolvuntur, contabeſcunt, atque morbis à calore reſoluto, ac diminuto vexantur, & quandoque repente iiſdem immodice laxatis meatibus homines moriuntur, ut in affectu, quem Græci pericharrian, quaſi gaudii exceſſum dicunt, obſervatur, quo quoſdam ſubito interiiſſe Gal. tradidit: & cauſam eſſe cordis relaxationem ſive arteriarum meatuum immodicam raritatem ſive diffuſionem, unà cum Hippocrate ſtatuit. Complures vidimus, qui ex laxatis venarum arteriarumque oſculis oborta immodica ſanguinis hæmorrhagia, vel continuò interiere, vel paulo poſt, hydropici facti. Porrò ſanitatis definitio, à Methodicis tradita (quæ eſt meatuum corporis adſtrictionis diffuſioniſque moderatus ſtatus) ab iis, quæ diximus maxime erit confirmata. Atque non minus prima ipſorum Communitas, quæ eſt, quod omnes affectus ad adſtrictuum & ad laxum reducantur. Neque eſt, quod Dogmatici ſimilarium partium ſanitatem non ſolum in meatuum, ſed quinetiam in quatuor qualitatum, a quibus humorum ſymmetria, conſtituerint, atque partium quoque organicarum in ſimilarium compoſitione, numero, magnitudine & figura. Quando Methodicis fuerit perſuaſum, quatuor qualitatum, quatuorque humorum ſymmetriam mutari, turbarique à receſſu moderationis meatuum, ſcilicet adſtrictionis ac diffuſionis, atque ab iiſdem non minus ſanitatem organicarum. Quæ res (ſi per morbos, febres, inflammationes, phlegmones, tumores, dolores, convulſiones, paraliſes, ſurditates, cæcitates, icterícias, tremores, palpitationes, tuſſes, diſpnæas & alios ſimiles affectus intelligemus) non videbitur à veritate aliena, cum ab adſtrictionis ſive clauſionis meatuum occaſione commotis humori-

In 2. de ſympt. cauſ. cap. 8. in Meth. med. c. 5. In 6. epid. ſect. 5. com. 9.

Gal. in 1. de ſanit. tuen. cap. 5.

moribus, ac ipſorum turbata ſymmetria prædicti affectus atque alii ſimiles fiant. Veluti à diffuſionis ſive eorundem ampliationis non moderato ſtatu, oborto immoderato, cum ſanguinis, tum excrementorum profluvio, uti hæmorrhagiæ, lienteriæ diarrheæ, dyſenteriæ, refrigerationes, ſiccationes, convulſiones, hydropes & ſimiles alii affectus oboriuntur. Etenim humores quieti in ſuis locis manentes, habenteſque quotidie ſolitas exhalationes evacuationeſque (niſi clauſis meatibus ceſſarit ipſorum evacuatio, eventatio ſive diflatio) minime morbos excitabunt. Adſtrictis vero (ut dictum eſt) corporis meatibus, humores quaſi ab extra intro compulſis, turbantur, commoventur, atque idcirco ad varias partes corporis confluunt, incalſiunt, putreſcunt, variaque morborum genera concitant, quippe obſtructiones, putredines, febres, phlegmones, & ſimiles alios morbos. Unde merito Gal. ſcribit, in autumno plures morbos fieri (quos Hippocrates in aphoriſmis recenſuit) ob aëris ambientis frigiditatem, quod humores ex partibus extimis retrudantur, atque ad interiora membra impellantur. Qua ratione hyeme hos fieri affectus Hippocrates ita meminit: *Hyeme vero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, gravedines, atque raucedines, tuſſes, dolores, pectoris & laterum, atque lumborum, & capitis dolores, vertigines & apoplexiæ ex frigiditate ambientis, adſtrictis meatibus*, & maxime in capite (quoniam hæc pars minus à frigore defendi queat) humores & in ipſum cerebrum, & ad alias partes defluentes prædictos affectus facere ſolent. Hinc in Ægypto, Arabia & in aliis locis calidioribus pleuritides, peripneumoniæ, anginæ ac aliæ internæ phlegmones haud ita graſſari ſolent. Qui affectus in Ægypto nonnunquam in prima æſtate maxime inæquali, ſumme ſcilicet calida & frigida (in qua interrupti venti campſin vocati ſumme calidi ſpirant, & aquilonares ſumme frigidi) una cum aliis morbis ſumme exitialibus graſſari ſolent, de quibus nos in libris de medicina Ægyptiorum abunde ſcripſimus. Humores vero clauſis meatibus cutaneis turbati ac exinde, uti diximus, commoti, ad viſceraque confluxi, ea multis obſtructionibus replent, a quibus febres, phlegmones, putredines, apoplexiæ, epylepſiæ,

ſiæ, ſurditates, icteritiæ, viſcerum tumores, cachechſiæ, hydropes, ileos & alia ſimilia oboriuntur. Veluti iiſdem meatibus immodice laxatis, immoderatæ excretiones, vel ſanguinis è naribus, ore, ventre, renibus, hæmorrhoidibus, atque ex utero in mulieribus, vel excrementorum, uti ſunt immoderati ſudores, vomitus, alvi fluxus, diabetes, & innati caloris reſolutiones fiunt. Unde calido effluvio copioſius (valde rarefactis, ſive fuſis cutis meatibus) tranſpirante, inſenſibiliterque exhalante, corpora refrigeſcunt, prælanguent, atque contabeſcunt. Ex his igitur liquido conſtare videtur, quatuor qualitates, quatuorque humores, licet maxime faciant, ad corporis ſanitatem (quæ in ipſorum ſymmetria quadam conſiſtit, veluti morbus in ametria) conſervandam, & vitiandam, attamen certum eſt, cum qualitatum tum humorum ſymmetriam, ſive ſtatum quietum ac naturalem incolumen ſervari, quoad adſtrictionis, diffuſioniſque meatuum ſymmetria naturalis ſervatur. Quo Galen. merito dixit: multa corpora alioquin multo humido & excrementis ſcatentia (quia meatuum ſymmetriam naturalem ſervarunt) ideo magnum numerum annorum ſana vixiſſe. Itaque humorum ſymmetriam, æqualitatem ac quietem, non ex quantitate ipſorum vel qualitate, vel alia cauſa ab ipſis mutari, at à meatuum clauſione diffuſioneque cutis turbari, ad faciendoſque morbos commoveri, atque concitari. Quare his maxime videtur dogma illud Methodicorum firmatum, quod eſt, quod omnes affectus reducantur aut ad adſtrictum, aut ad laxum. A quo non abhorere etiam illud Dogmaticorum placitum, apud quoſque receptum, videtur, quod eſt, medicinam in ſubtractione & adjectione conſiſtere, ſive eſſe ſubtractionem atque adjectionem, quoniam laxum, indicat adjectionem, adſtrictum ſubtractionem. In laxis namque evacuatione ſubtrahitur ſubſtantia, in adſtrictis (quod prohibeatur excrementorum per cutim evacuatio) replentur corpora & proinde morbis adſtrictis fiunt obnoxia. Unum addam ex Galeno antequam huic capiti finem imponam, atque hoc erit, Galenum, qui perpetuo acerrimus Methodicorum hoſtis viſus eſt, in libro de differentiis morborum, ne verbum quidem de hoc præcipuo Methodico-

Gal. 11. meth. cap. 12.

rum dogmate feciſſe, cum tamen ex illorum ſententia accuratiſſime hos duos communes morbos & proſecutus fuerit, & omnes differentias horum affectuum, quippe meatuum adſtrictionis atque ampliationis exactiſſime docuerit: ita enim ſcripſit. *Sunt autem duæ primæ paſſiones, altera ampliatio meatuum, altera anguſtatio. Nam ſi prima elementa ſupponantur impaſſibilia, nullæ erunt aliæ præterquam in compoſitione paſſiones. Sola autem compoſitio, ea, quæ nuper diximus, diſcrimina recipit. Quare neceſſe eſt ſimilarium quamlibet partium, tunc ſuum habere robur, cum meatuum moderationem obtinet, qua moderatione corrupta, a naturali diſpoſitione digrediatur oportet. Sed quoniam unaquæque mediocritas duplicem patitur corruptionem, alteram exuperantiam, alteram defectum, liquet quod primæ paſſiones corporum ſimplicium duplices erunt, quarum alteræ ex ampliatione alteræ ex anguſtatione meatuum conſiſtunt.* Hæc Galenus & longe plura & clariora ad adſtrictos morbos & laxos facientia in hoc libro expreſſit: & mirum eſt, ipſum tantum ſcribendi laborem tuliſſe, ut morborum differentias ad Methodicam ſectam (quam alibi in multis locis & plurimum damnavit, atque pro nihilo fore habendam cenſuit) attinentes ita prolixo ſermone atque accurate ſcribere voluerit. At ſi quis dixerit, Galenum affectus in meatuum vitio ſecundum ſectam quorundam Dogmaticorum, quorum præcipuus fuit Aſclepiades, & non ſecundum Methodicorum ſuppoſitionem ſcripſiſſe, reſpondebitur, quod ſi hoc verum eſt, augeri dogmatis Methodicorum auctoritatem, quoniam etiam Dogmaticorum non pauci conſtituerint in meatuum adſtrictione & diffuſione morbos. Atque ex iis dogma Methodicorum præcipuum multis medicorum ſatis perſuaſum eſſe haud injuria videbitur.

In cap. 4.

CAP. VII.

Quomodo Methodici affectus communes adſtrictos & laxos vocatos, generales morbos eſſe voluerint.

UNum ex præcipuis, maximiſque medicinæ Methodicæ dogmatibus fuiſſe diximus, affectus omnes ad adſtrictum & fluidum

dum ſive fluxum ſive laxum reduci, ac idcirco eoſdem aut adſtrictos aut fluxos laxoſve (quoniam omnes ex meatuum corporis adſtrictione, aut diffuſione præternaturali concitantur) fuiſſe nuncupatos: A Dogmaticis Methodici differunt, quod hos tantum affectus eſſe voluerint, negantes quidem dari illos, qui in partium vitiata intemperie conſtituuntur. Quos Galen. ſcribit dari ſecundum ſectam, quæ & elementa patibilia ſuppoſuit, atque ea eſſe calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Itaque hoſce morbos in partium temperaturis à Dogmaticis medicis conſtitutos, exiſtere negarunt Methodici, quos ſi forte fiant, omnes ad adſtrictum & fluidum reduxerunt, atque propterea ad curationem inſtituendam illos ſuperfluos eſſe atque inutiles. Conſtat enim cum calidum tum frigidum morbum adſtrictum eſſe, atque utrumque medicamento laxante ſanari. An non corpora, & calefacta & refrigerata balneis actu calidis juvantur? non ne partem, corporis calfactam oleo aliquo ex temperatis actu calido juvamus, atque eodem auxilio etiam refrigeratam? Quod & Galenus in 7. lib. aphoriſm. Hippocratis, aphor. 42. affirmaſſe viſus eſt, cum dixerit. Aquæ calidæ lotione febres & ab æſtu & à frigore excitatas levari: ſicci vero morbi omnes cum ſuapte natura ſint adſtricti, itidem laxantibus tolluntur. Humidos vero, quandoque adſtrictum, & quandoque fluidum ſive laxum morbum facere deprehenſum eſt, ideoque aliquando egent laxantibus, & aliquando adſtringentibus. Quare affectus in partium vitiata intemperie (quos morbos ſimpliciſſimos Dogmatici vocant) conſtitutos non habere ad curationem exequendam indicationem, Methodici voluerunt, eoſque proinde ſi fiant (putarunt enim non dari hoſce morbos, ſimpliceſque elementorum qualitates morbos non facere, de qua re nos poſtea accuratius) vel ad adſtrictos vel ad fluidos eſſe referendos. Hos itaque affectus, ſive haſce cauſas communes ſive genericas, totius artis medicæ communitates nuncuparunt. Quo fortaſſe modo Galenus dixit, Methodicos cauſarum loco affectus hos habuiſſe, quos itidem morbos eſſe voluerunt, non ſecus quam Galenus obſtructiones viſcerum morbos eſſe aliquando, modo lædant actiones, affirmavit (quos affectus ſub adſtricto compre-

Gal. in li. de ſuc. bonit. & vitio cap. 2. 1. de ſani. tuend. cap. 1. In libro de diff. morb. c. 4. & 5.

In lib. de opt. ſect. ad Tra. ſyb. c. 23. In lib. de cauſ. morb. cap. 1. & in libro de diff. morb. cap. 4.

hendi poſtea demonſtrabimus.) Neque eſt, quod meatuum adſtrictio & diffuſio præternaturalis cauſæ morborum eſſe videantur, cum quandoque morbus morbum faciat, vel (ut Galenus eſt auctor) ex morbo quod alter ſæpius morbus fiat, ut ex obſtructione febris quandoque vel inflammatio ſuccedit; vel melius dicendum, Methodicos adſtrictos atque fluidos morbos, licet cauſæ ſint, vocaſſe, ac conſtituiſſe, quod ab ipſis veræ indicationes curativæ depromerentur, illiſque conſultius videretur, à quibus indicationes curationis deſumuntur, morbos dici quam cauſas, quia ſcilicet ſtatuerint morbos eſſe qui indicant, & non cauſas, neque mirum ſi hæc atque alia diverſo modo quam Dogmatici, nominarint atque conſtituerint, quod ita fore, illis, pro ſua brevi curandi morbos methodo conſtituenda videretur, abhorrebat enim illorum Methodi medendi brevitas tot cauſarum, ſymptomatum, morborumque diviſiones, totque ac tantas circa hæc diſtinctiones differentiaſque à Dogmaticis proſecutas. Quare haſce cauſas morbos dixerunt, quod iis lædantur membrorum operationes, immoderata namque cutis pororum raritas ita vires reſolvit, ac dejicit, ut corporis actiones exinde maxime lædat, atque ita aliquando, ut non paucos extinguat, quod multis à nimio gaudio eveniſſe legimus, non ſecus faciunt ſanguinis atque excrementorum immoderata profluvia. Permagnæ item obſtructiones viſcus aliquod comprimentes, meatuum itidem validæ clauſiones ſive adſtrictiones ita lædunt, ut exinde ſuffocatione aliquando corpora interimant. Ex iis itaque Methodici adſtrictum atque fluidum ſive laxum morbos eſſe voluerunt; quos genericos & communes quoque vel ex eo fecerunt, quod de pluribus particularibus dicerentur. Febres quidem, phlegmones, tumores ac alios ſimiles affectus adſtrictos, quod adſtrictio meatuum, vel in toto corpore facta, vel in parte aliqua eos foveat, appellarunt, ſicuti diarrhœa, lienteria, dyſenteria, menſtruum profluvium, diabetes & ſimiles alii affectus fluidi ab ipſis dicebantur. Verum enimvero cum Dogmaticis vere ſentiendum dixerim, hos ſcilicet affectus (quos morbos Methodici vocant) cauſas quidem eſſe, & non morbos, cum exempli cauſa à meatuum denſatione

ne adſtrictioneve morbi fiant, ſcilicet, febres, phlegmones, tumores, convulſiones, reſolutiones, & alii complures affectus, veluti ab immodica meatuum diffuſione, refrigerationes, ſyncopes, cachechſiæ, hydropes, & alii ſimiles. At ſæpius fit, ut ex fluido affectu morbi adſtricti, & ab adſtricto laxi fiant. Nam ab immodica pororum diffuſione immoderatius exeunte exhalantevè calore, fiunt refrigerationes, cachechſiæ, hydropes & alii, qui affectus adſtricti ſunt, atque ex immodica meatuum adſtrictione non raro multitudo humorum oſcula venarum laxat, aperit, profluviumque facit, & hæc de illo primo Methodicorum dogmate dicta ſint, & quomodo illi adſtrictos atque laxos affectus morbos, & quidam communes eſſe voluerint. Nunc utile erit, ut quid ſit adſtrictum, & fluidum, & quot modis intelligatur, dicamus.

CAP. VIII.

Quid adſtrictum & fluidum ſive laxum ſit, & quot modis intelligatur.

ITaque Methodici per adſtrictos morbos intellexerunt, quos meatuum adſtrictio perinde ac cauſa continens fovet, uti in febre putrida, calorem igneum intro adſtrictum adeſſe, atque foveri à retentis fuliginibus ob meatuum adſtrictionem intro preſſis obſervamus, & in phrenitide, ſeu in quocunque phlegmone calidum humorem intropreſſum vel perſtrictum, ut Aurelianus expreſſit; veluti & laxos dixerunt, qui foventur, à meatuum diffuſione, cujuſmodi eſt ſyncope ex immoderato ſanguinis vel excrementorum profluvio, aut ex immodico repentino gaudio, oborta virium languore, diſſolutoque immoderatius calore per cutis meatus profluente. Hos itaque affectus curationem indicare meritò conſtituerunt, nam febrem putridam vel ephemeram à pororum cutis adſtrictione (qui nihil aliud eſt, quam calor igneus intus adſtrictus, laxatis apertiſve meatibus, atque ita igneo calore, qui intus adſtrictus fuerat, exhalante, tolli obſervamus, & ſyncopem, viriumque reſolutionem

nem à laxatis meatibus ortam, ſi eoſdem laxos meatus clauſerimus. Ceterum, ut adſtricti & laxi cognitio incepta perficiatur, iterum hanc rem parcius magis perſtringentes dicimus per adſtrictum, ſeu denſum, ſeu præſſum, ſeu arctum, ſeu tumens, affectum eos intellexiſſe, in quo conſuetæ, (quas corpus, ubi recte valebat, habuit) evacuationes atque purgationes præter naturam cohibitæ ſunt, cujuſmodi ſunt per poros cutis fuliginoſæ tranſpirationes interceptæ, ſudores itidem conſueti, hamorragiæ, hæmorrhoides, menſtruæ purgationes, alvi dejectiones, urinaque intercepta, atque quæcunque alia fuerit evacuatio vel purgatio ſanitatis tempore conſueta, ac juvans. Per fluidum vero, fluxum, laxum, profluens, diffuſum, amplum rarumque, corporis immodicam quoviſmodo factam meatuum rarefactionem, ſive ad omnem partem corporis extenſionem, ſeu meatuum expanſionem intelligebant, ſeu uti Galeno placuit, eorum quæ manere debuerant excretionem, aut affectum in quo vel naturales conſuetæque vacuationes, purgationeſque inmoderatius auctæ ſunt, vel de novo factæ, uti ſunt menſes immodice auctæ vel hæmorrhagia ſanguinis inſolita, aut ex ore ſanguis immoderatius profluens, vel ex ventre vel ex utero vel ex hæmorrhoidibus, vel ex veſica eodem itidem modo lienteria, diarrhæa, dyſenteria atque diabetes. Porro per fluxum humorum, aut vaporum profluvium, aut humores vel vapores, ſeu fuligines extra corporis meatus ſenſibiles vel inſenſibiles immoderate fluentes, intelligimus, veluti per adſtrictum, denſum, tumens ſeu tumidum, arctum, præſſum, denſum, obſtructumque eoſdem profecto humores, vel exhalationes, & fuligines, quæ determinato ſanitatis tempore vacuari ſolebant, ſuppreſſas, atque cohibitas; vel in aliqua parte adſtrictas, preſſas, tumentes, ſive membra diſtendendo tumentia, ut ait Aurelianus, reddentes. De his Hippocrates in epidemiis ita habet: *Dilatare, conſtringere, alia quidem, alia vero non.* & Galenus in commento: *Dilatare denſata oportet: denſare autem, quæ ultra decens ampliata ſunt.* Et poſtea: *Arctantur autem & dilatantur ultra naturalem modum interdum vaſculorum quorundam aut membrorum ſenſibilia oſcula: plerumque vero & ratione*

Gal. in libro de diff. morb. cap. 5. In lib. de optim. ſect. ad Traſyb. cap. 28.

In 6. epid. ſect. 2. tex. 1.

ratione viſibilia tam in cute, quam in profundo corpore poſita: atque denſata aperire & rarefacere mediocriter calefaciendo, patentia vero cogere adſtringendo ac refrigerando. Igitur affectum adſtrictum & corporis meatuum, oſculorum ſcilicet ac venarum immodicam quoviſmodo factam denſationem, ſive adſtrictionem, ſive obſtructionem vel humorum, vaporumque qui excerni debent cohibitionem, ſeu ſuppreſſionem, eſſe Methodici ſtatuerunt; ex qua humorum vaporumque uti dictum eſt, fluxio ad aliquam corporis partem fit, quæ collectiones, phlegmones, febres, dolores, & alia tumentia ab ipſis vocata, concitat; ac nonnunquam exinde vaſorum oſculorum ora diſtenduntur & aperiuntur, unde affectus contrarius morbo adſtricto, fluidus ſcilicet & laxus dictus, oboritur. Per fluxum vero, profluens, rarum, laxum, diffuſum, fluidum, apertumvè immoderatam rarefactionem, ſive diffuſionem vaſorum meatuum oſculorum, ſive viarum rarefactionem ſeu ampliationem ſeu apertionem quoviſmodo factam, intelligimus. Ceterum priuſquam ulterius ad aſtricti & laxi cognitionem procedamus, unum præmittemus, quod videtur ſcitu neceſſarium, quod erit perſcrutari an in via Methodicorum, meatuum corporis adſtrictio & ampliatio laxatiove, tantummodo de cutis meatibus, qui ſunt viſui incomperti, & inſenſibiles, vel de omnibus aliis viſcerum internorum meatibus, intelligatur. Gal. hoc diſtinguit, dicens: ſectam, quæ ſupponit prima elementa impatibilia tantummodo inſenſiles, & ſenſui incompertos poros cutis intellexiſſe, in eorumque ſolummodo adſtrictione diffuſioneque ſanitatem, & morbum, conſtituiſſe, & Dogmaticos amplos ac ſenſui manifeſtos meatus omnes. Eſto, quod aliquis dicat Galenum non Methodicorum ſectam, ſed eorum Dogmaticorum, qui corpora prima impatibilia poſuerunt, quales, fuerunt Democritus, Anaxagoras, Diodorus Cronus, Epicurus, Aſclepiadesque, qui inter præclaros medicos ab omnibus adnumeratus eſt, intellexiſſe; iſti enim atomos atque in corporibus vacuum dari voluerunt, atque ea ratione ex meatuum vitio morbos excitari. Ab his vero non fuiſſe differentes Methodicos vel etiam ex Galeni Apologia adverſus Julianum Methodicum colligitur, in

In libro de diff. morborum cap. 7.

in qua ſcripſit, poſitionem morbi adſtricti & fluxi iis convenire, qui vacuum poſuerunt; addo ex nuper demonſtratis conſtare Methodicorum ſectam, cujus Temiſon fuit inventor, ab Aſclepiade cæpiſſe, ſcilicet ab ipſius opinione, quæ fuerat, morbos in exiguorum meatuum vitio conſiſtere; verumtamen Methodicos non tantum in exiguorum meatuum ſed etiam in magnorum ac manifeſtorum naturali vitiatoque ſtatu, ſanitatem, & morbum poſuiſſe unico argumento cognoſcitur, quippe qui Methodici internas phlegmones, febres, tumores jecoris, lienis, ictericiam & alios hujuſmodi affectus inter morbos adſtrictos repoſuerint, quæ res cuique vel etiam leviter in Aureliani libris verſato, erit aperta. Etenim in internis phlegmonibus & tumoribus, laxantibus medicamentis non tantum in extimis partibus, cutis meatus reſpicientibus, utuntur, ſed quinimo etiam in internis, quæ poros exhibebant, ut etiam internis meatibus adſtrictis auxilio ſint. Non enim eos latuit non ſolum morbos concitari externis meatibus, ſenſui immanifeſtis, patientibus, ſed quinetiam internis, unde phrenitim Aurelianus ſtricturam, lethargum preſſuram vocat. Ex quo dantur morbi adſtricti & laxi communes, quippè à totius meatuum cutis vitio obortos, ac particulares à quadam parte habente meatuum ſtatum vitiatum, atque hi tum externi, tum interni, externi ſunt immodicæ vacuationes cum ſenſibiles quippè per ſudorem, tum halituum ſeu vaporum, quæ nobis incompertæ ſunt, immodicæ adſtrictiones, quas febres ſequuntur, putredines, & quatenus impedito propter meatuum adſtrictionem humorum, vaporumque ad extra motu, effluvioque interius commoti ad aliquam partem præcipitant, eamque obortam inflammatione vel tumore tumentem atque adſtrictam reddunt, vel alio affectu ejus cavitates ſeu meatus vitiant, quod Galenus etiam hiſce verbis expreſſiſſe viſus eſt, dicens: *Jam vero cavitatum omnium, quæ partibus debentur, tum magnitudo tum multitudo niſi ſervetur, neceſſario earum occaſione lædetur actio. Multæ vero hujuſmodi ægritudines, nonnullæ coalitu quodam, nonnullæ vero lentorum ac craſſorum humorum obſtructu conſiſtunt, aliæ vero ipſis corporibus nimium exſiccatis; aut ab aliquo ex circumſtan-*

In libro de diff. cap. 7.

tibus

tibus ingruenti ac comprimenti anguſtioribus effectis adveniunt: ipſorum quoque corporum, quæ tales meatus ſortita ſunt, ſubſtantia eſt aliquando indurata, vel inflammata, vel ſyderata, vel ſuppurata, aut quocunque modo aliam adjunctam atque adventitiam adepta magnitudinem, ac deinceps ad interiores cavernas tumorem refundens, cauſa eſt ut obſtruantur meatus. Quare ex iis deprehenditur; Methodicos non ſolum meatuum cutaneorum, ſed aliorum omnium, in cute, in carne, in venis, arteriis atque aliis membris organicis exiſtentium vitium, pro adſtricto & laxo morbis conſtituendis intellexiſſe.

CAP. IX.

Quomodo adſtrictum & laxum ſive fluidum cognoſcatur.

CEterum dubium eſt quomodo adſtrictum atque fluidum cognoſcatur, quibuſve ſignis ita innoteſcat, ut ſit evidens atque manifeſtum, uti Methodici voluiſſe viſi ſunt, cum fluidum ſeu laxum, fluxumve adſtricto longe notius, non habeat ut cognoſcatur judicium facile, eo quia ſi loquamur de excretionibus manifeſtis, non omnes, licet copioſius profluant, appareantve, fluxus affectus dici poſſunt, ſed ſolummodo, quæ ita exeuntes corpus maxime lædunt, quæque morbi exiſtunt. Has colliquationes Eraſiſtratum, medicum olim inter antiquos ferè Hippocraticæ auctoritatis, appellaſſe, Galenus eſt auctor, atque illas non moleſtas neque cohibendas: vel uti eſt quædam ſalutaris purgatio per hæmorrhoidas, menſes in mulieribus ſingulis menſibus, ab anno decimo quarto ad quinquageſimum profluentes, in puerperiſque menſtruæ purgationes, etiamſi per multos dies (quandoque ad quadrageſimum uſque diem protrahuntur) copioſe fluxerint, ita hamorrhagiæ, vomitus bilioſi, ſudores, urinæ copioſæ, alvique dejectiones ſponte à natura in recte valentibus excretæ, cum in morbis acutis in die aliquo ex decretoriis critice appareant. Profecto quibus ſignis eæ evacuationes, quæ Methodicorum laxi morbi dicuntur, nobis innoteſcent? Hippocrates duobus ſanè notis eas

In li. de opt. ſect. ad Trasyb.

cognoſci docuit, quippe corporis difficili tollerantia, atque nullo ſubſequente juvamento. Etenim fluxus morbus comitem habet malam tollerantiam: Corpora ab hiſce fluxibus, licet nullam moleſtiam ſentire videantur, ut pote neque dolorem, neque febrem, attamen reſolvuntur, vigiles redduntur, ciborum appetitu non valent, ſitiunt, color vitiatur, ac veluti colliquatione contabeſcunt, pulſuſque debiliores, inæqualiores atque inordinatiores obſervantur; ex quo liquido conſtabit excretiones quidem omnes, cum ſanguinis, tum excrementorum, quas corpora leviter ferunt, & ex ipſis vel manifeſte juvantur, vel nihil lædunter, neque vires exolvuntur at exinde corpora potius robur accipiunt, atque leviora evadunt, non eſſe morbos laxos. Idem in morbo acuto vexatis obſervantur, quippe quod criticæ excretiones, quæ ob id laxi affectus non ſunt, eo argumento dignoſcuntur, quod ab ægrotis leviter ac ſine moleſtia ferantur, & quia juvant, atque nihil lædunt; addamus has evacuationes plerumque concocto morbo apparere & in aliquo dierum indicatoriorum, qua ſi febris vel dolor adſit, aut omnino tollunt, aut magna ex parte levant, atque proinde ægroti in melius mutantur. Pulſus fiunt vehementiores, æqualioreſque, ſi quis accuratius ſigna hæc optimarum, ac malarum excretionum, quæ fluxus Methodicorum ſunt, perſpecta habere cupiat, legat noſtros libros de vita & morte ægrotantium præſagienda evulgatos: in quibus nos longe plura & accuratiora ad iſtam rem facientia proſecuti fuimus. Itaque fluxus meatuum ſenſibilium hiſce prædictis ſignis medicis innoteſcent: Inſenſibilium vero fluxus; quippe in iis, quorum corpora ob inſenſibilem perſpirationem immoderatius effluentem reſolvuntur, quibusnam notis à nobis dignoſcentur? Methodicorum ſectatores dicent, hoſce etiam fluxus conjecturis quibuſdam poſſe intelligi, ſcilicet, quod illa corpora, quæ immodice diffuſis meatibus diſſolvuntur, cutem mollem habeant, atque effeminatam, quæ ita duplici de cauſa fit, primo ab extenuatione partium carnoſarum ſubter cutem poſitarum, atque etiam, quoniam in iis madores, ſeu exiles ſudores, cujuſmodi in ſyncope fit, per cutem exeunt, quibus cutis emolleſcit; accedit idem

In 1. aphor. 2.

In lib. 7.

Gal. in li. de opt. ſecta ad Trafyb. cap. 29.

idem facere fumidos vapores copioſius expirantes, ſive effluentes, qui aliquando in his corporibus perinde ac fumi ſenſibiliter exire conſpiciuntur. Hæc prædicta ſigna Methodicorum, quibus fluxus, qui vere tales ſunt deprehenduntur, quippe à molli cute deſumpta, Hippocrates in epidemiis confirmaſſe viſus eſt, cum ſcripſerit: *Omnis extenuatio laxat cutim, deinde diſtenditur.* Quod ſignum in iis non perpetuo erit attendendum, ſed illo ſolummodo tempore, quo fluxus, ſeu conſumptio in carnoſas partes ſubter cutem poſitas agit, nondum quidem in cutis ſubſtantiam conſumptione deducta: tunc temporis cutis illorum corporum erit mollis ac effeminata, quæ poſtea fluxu perſeverante, tenſa ac dura evadit, ſcilicet exinde etiam cutis ſubſtantia conſumpta. Quam rem Galen. in Hippoc. commento perbelle ita expreſſit, dicens: *Antequam igitur ad ipſam cutis propriam ſubſtantiam exhauſtio pervenerit, perinde atque evacuati utres & ſacci, & veſicæ, cutis laxior redditur, inanitione autem perdurante talis efficitur, qualis aridæ veſicæ, atque coria, quæ præ duritie extendi non poſſunt, tales vero & in utribus, & veſicis cutis affecta, videtur, cum exſiccata admodum fuerit, at uſque dum humida ſit, & mollis etiam interno cavo aliquid ſuſcipit, itemque dimittit, ſuſcipiens quidem cum ſatis expleta fuerit, diſtenditur, cum inanitur autem, relaxatur.* Quare ex iis colligimus, quod cutis mollis, laxa, atque effeminata in principio exhauſtionis erit, pro cognoſcendo fluxu eorum corporum, quæ inſenſibili profluvio laborant, ſatis firma nota: at diu eodem profluvio perſeverante, ipſa cutis non mollis, ſed tenſa, duraque obſervabitur, quæque primo in ipſa facie animadvertetur, ſignumque erit ad fluxum inſenſibilem cognoſcendum. De quibus Hippoc. in prognoſticis ita dixit: *Fuerit autem ejuſmodi naſus acutus, cavi oculi, tempora adſtricta, aures frigidæ contractæque & fibræ earum verſæ, & item cutis circa frontem dura, intenta, arida & color totius viridis aut niger.* At videndum erit, ne hæc cutis contracta, dura & arida fiat, aut alimenti inopia, aut ex vigilia, aut cogitatione aut ex quapiam animi paſſione, vel à dolore, vel ex morbo colliquante, ac diſcutiente, exitialique, aut denique ex aliqua ſenſibili vacuatione vel ſanguinis, vel ex-

In 6. epid. ſect. 3. tex. 27.

In epid. ſect. 3. comm. 29.

In 1. prot. tex. 7.

crementorum. Quibus omnibus liquido videtur, fluxum primo cognoſci à cute molli effeminataque, at ſi non mollis, ſed dura ſit, atque diſtenta, non perpetuo erit ſignum fluxus, ut in febribus acutis, exitialibuſque phlegmonibus, primis ſtatim diebus tenſa, duraque & exſiccata cutis auctore Hippocrate apparet, at in longis febribus erit ſignum colliquationis, & fluxus. Quare mollis, & effeminata cutis erit attendenda pro cognoſcendo fluxu, cui ſigno ſi alia adjunxerimus, certum judicium haberi poterit, quippe virium languorem ita ut vix loquantur, pulſus humiles, prælanguidos rarosque: & ſyncopem, ut in iis qui gaudio repentino immodicoque laxatis meatibus reſolvuntur. Addo corpora ſuapte natura rari atque diffuſi habitus, & cauſas antegreſſas, quibus laxari meatus poſſunt, hiſceque ſignis propoſitis fluxus Methodicorum dignoſcentur. At de adſtricto loquamur, demonſtremuſque & ipſum quadantenus notum eſſe. Etenim ſenſibilium meatuum adſtrictum, affectum conſuetarum in corpore evacuationum recordatione ſive memoria quiſque facile comprehendet, quippe ſi menſtruæ purgationes fuerint omnino ſuppreſſæ, cohibitæque vel hæmorrhoides, vel conſueta hæmorrhagia ſanguinis; vel intercepta urina, vel alvus itidem adſtricta: At quid de latentium meatuum externorum adſtricto dicemus? Hujuſmodi affectum, aut laſſitudinibus; aut febre oborta conjici, quando denſatis meatibus externis neceſſario febres accendi vel etiam Galenus non negaverit. In corporibus vitioſis ſuccis refertis, adſtrictis cutis meatibus (quod prohibeatur tranſpiratio, & humorum eventatio) putredines fiunt, ſi loquamur de internis viis adſtrictis, dicemus itidem adſtrictum affectum innoteſcere à propriis partium paſſionibus. Exempli gratia apoplexia, epylepſiaque adſtrictum in cerebro denotat, paralyſis in nervis, cæcitates ſurditatesque itidem in nervis, & in meatibus propriorum inſtrumentorum: Ileon in inteſtino ejuſdem nominis, icteritia in hepatis regione, affectus hypochondriacus in hypochondriis, maximeque in ſiniſtro, at an in dextro vel in ſiniſtro adſtrictus ſit affectus, facile & viſu & tactu cognoſcetur. Quare ex iis adſtrictum & fluxum non eſſe ignotos affectus intelligitur. Unde

In lib. de cauſ. morborum c. 3.

de neque mixtus vocatus affectus erit ignotus, quippe ex adſtricto & laxo ut pote cum in febre hæmorrhagia, vel alia excretio immodica adfuerit, mixtus enim hic erit affectus, cum febris adſtrictum, hæmorrhagia fluxum morbum notet; eodemmodo cholera, cardiaglia, ſyncope, mixti morbi dicuntur, de qua re poſterius nos accurate ſcibemus. Ceterum priuſquam huic negotio finem imponamus, unum aliud nos ſcire oportebit, quippe laxum & adſtrictum fuiſſe dictum principium evidens, ac per ſe notum à Methodicis, quo haud ſignis opus habebit, quibus demonſtretur, ac cognoſcatur. Quod tamen abſque ſignis adſtrictum & laxum morbum non poſſe diſtincte cognoſci, oſtendimus cum non omnis evacuatio (uti dictum eſt) fluxus dicatur, ſed tantum illa, qua corpus graviter læditur, & ita non omnis cohibita purgatio vel evacuatio adſtrictum faciet, ſed quæ itidem gravi cum noxa fit. Verum credendum eſt Methodicis, adſtrictum & laxum per ſe notum eſſe, atque evidens ea ratione, quod nemo negare queat adſtrictum & fluxum affectum fieri in corporibus, (quando neque Dogmatici hoc unquam negarint) ac vel etiam, quod ab iis duobus affectibus omnis curatio, indicetur, quando adſtrictum affectum laxando tolli, & laxum adſtringendo neminem alicujus ſectæ (quæ per contraria indicationes ſumit) latuerit.

CAP. X.

Cur adſtrictum & laxum vel fluidum Methodici in ſpecies non diviſerint.

DIximus Methodicos per adſtrictum intellexiſſe denſum, durum, ſiccum, præſſum, arctatum, ſtrictum, clauſum, tumens, conſtipatum: & per fluidum profluens, laxum, diffuſum, ampliatum, auctum, rarum, fluxum atque humidum. Hæcque fuiſſe nomina pertinentia ad adſtrictum & laxum, Methodicis familiaria, conſtat. Julianus vero (ut auctor eſt Galenus) Methodicus viſus fuit, adſtrictum & fluidum triplici differentia dixtinxiſſe, ita enim habet: *Iſti porro mediocritati* In Apolog. contra Julian. cap. 3.

cum insidiæ à morbis tenduntur, necessario fit, ut patiantur corpora contracta, ac dura, sicciorave, aut diffusa, molliaque facta, atque humida. Ceterum Methodici neque (ut apud ipsos observatum est) in hasce species etiam adstrictum & laxum distingui voluerunt, at contractum, vel arctum, durum, atque siccum, ad adstrictum, referri, & diffusum, molle atque humidum, ad laxum. Quod minime ipsorum brevi medendi Methodo conveniret, ex quo ne dicam omnes species, at neque illas tres tantum prosequi voluisse conjicitur; sed omnes confundentes (uti dictum est) ad adstrictum atque ad fluidum reducebant, ut commode ab his tantum curatio in morbis indicaretur, siquidem corpore quovis modo adstricto laxandum esse, judicarunt, ac proinde utendum medicamentis laxantibus, quæ temperate calida & humida, tenuisque essentiæ, constituerunt: vel ipsum adstrictum, contractum, vel durum, vel siccum sit, quod medicamentum temperate calidum & humidum (quæ laxantium natura esse videtur) & aperiat corpus constrictum, & emolliat induratum, & humectet siccatum: contra, corpore quoque quovis modo diffuso, aut emollito, aut humefacto, adstringendum putarunt, atque ob id adstringentibus vocatis medicamentis esse perpetuo utendum, quæ frigida, & sicca, crassæque essentiæ, quippe terrenæ esse, voluerunt, vel diffusum sit, vel molle, vel humidum redditum, quod medicamentum scilicet adstringens, frigidum, siccum, & terrenum, meatus claudat, emollitum induret, atque humectatum siccet. Hæc medicamenta Græci στύγνοτικα & Latini ob id claudentia dixerunt. Quæ Methodicis familiaria fuerunt, ad fluxum in corporibus quovismodo tollendum, quo nomine etiam illa medicamenta comprehenderunt; quæ Dogmatici cutem densantia appellarunt. Veluti ad adstrictum tollendum familiaria, (uti dictum est) habuerunt, quæ sunt calida, humida ac tenuis essentiæ. Quæque Galenus distinxit, in emollientia, laxantia, atque rarefacientia. Usum vero anastomoticorum quippe ex Dogmaticis per se aperientium Methodici omnino ad adstrictum tollendum omiserunt, quod hæc fortasse acria sint, mordacia, crassæque essentiæ. Unde Aurelianus merito dixit, tumentiam

In 5. simpl.

hæc

hæc augere. Non eſſe autem neceſſariam ad illam Methodum medendi conſtituendam, eam adſtricti & fluxi diſtinctionem, hoc quidem argumento putarunt, quippe quod cum inſtitutum ſit ad adſtrictum, meatus aperire, & ad fluxum, eoſdem adſtringere, ſat erit ad fluxum meatus quoviſmodo adſtringere, & ad adſtrictum, quovis modo illos aperire. Quod medicamentis calidis & humidis (uti etiam dictum eſt) præſtari poſſe, voluerunt; cujuſmodi eſt aqua dulcis calida, hydrelæum calidum, oleum dulce tenue, aut decoctum, aut ſuccus expreſſus, ex malva, ibiſco, fænugreco, lino, meliloto, & ſimilibus in aqua percoctis. Hæc emolliunt, rarefaciunt, aperiunt, digerunt, atque humectant, idcirco emollientia, laxantia, rarefacientia. humectantia, fluxum facientia, aperientia, humectantiaque nullo inter ipſa poſito diſcrimine, totque hiſce nominibus dicta, unum idemque ex Methodicis ſit medicamentum, una eademque facultas. Exempli gratia decoctum altheæ, ſeminum lini, fænugreci, vel hydrelæum calidum, vocant uti diximus medicamentum mollitorium, laxatorium, rarefaciens, aperiens, atque (ut uno verbo dicam) ad adſtrictum morbum tollendum faciens. At ne dum hæc Methodici ex facultatum varietate (quando ex Dogmaticis facultas emollitoria differat à laxatoria, à rarefactoria, atque ab aperiente Græcis anaſtomotica dicta) deſtincta conſiderarunt, neque cujuſque prædictarum facultatum differentias, cum emollientium medicamentorum quædam ſint humectantia, quippe induratis à ſiccatione, quæ auxiliantur, quædam calefacientia, ſcilicet congelatas ſeu concretas à frigore partes, atque ita induratas ſolventia, & quædam evacuantia, tenſis quippe ac induratis partibus à repletione, quæ ſunt auxilio. Quæ aliis multis non minus differentiis itidem diſtinguuntur, ſcilicet quod evacuantium medicamentorum, quædam ſint digerentia, diſcutientiavé, humores atque flatus, quibus partes corporis plenæ tenduntur, quædam detergentia, quædam humores purgantia. Unde etiam ex Galeno emollientium, quædam calida & humida, quædam calida & ſicca eſſe obſervantur. De laxantibus itidem, quædam immodice humectantia,

In 14. meth. med. cap. 5. 2. ad Glauc. c. 5. in 5. ſimpl. cap. 3. & 7. & 8. & 11.

ſtantia, quædam digerentia, ac humidum exhaurientia ſubſtantiæ muſculorum ſubter cutem poſitorum. De hac Gal. *Quamobrem non ſimpliciter una eſt ſpecies laxantium remediorum, ut puta cum alia humectando, alia calfaciendo, alia vero emolliendo, quædam vacuando, nonnulla tumores præter naturam detrahendo, alia etiam per conjugationem horum quampiam agentia, laxare ſolent.* Ita quoque de rarefacientibus, aperientibus anaſtomoticis, & deobſtruentibus. Unde Galenus merito Methodicos reprehendens (ſcilicet quod haſce facultates in ſpecies non diſtinxerint) dixit, appellationes ſimul cum rebus confundere, quicquid obvium eſt, citra ullam examinationem confundentes; at ne hos ſolummodo, ſed Dioſcoridem quoque Anazarbeum, qui de materia medica ſex libros doctiſſimos ſcripſit, in iiſdem Galenus damnavit, nonnunquam medicamentum facultatis aperientis dicentem, quod per ſe laxat, aut emollit, aut humectat, aut phlegmonem ſolvit. Quod utique verum eſt, quippe (licet Methodicus non fuerit) ita ſenſiſſe: Nam, ut complures locos omittam, decoctum ex radice iridis oſcula venarum uteri aperire ſcripſit. At quis queſo non fateatur noſtrum Dioſcoridem recte de ſimplicium medicamentorum cum facultatibus tum uſibus ad medicinam faciendam, ſcripſiſſe? licet aliquando cuipiam medicamento quampiam ineſſe facultatem dixerit, quæ per ſe illud non præſtat at ex accidenti. Dixit ſane; uti dictum eſt iridis decoctum oſcula venarum aperire, quod anaſtomoticorum id eſt per ſe aperientium proprium eſſe videtur, ac non minus calida medicamenta cum febribus multis tum aliis morbis calidis mederi, & frigida frigidis eodem modo cognitum eſt. Haud enim tenebatur Dioſc. in libris de materia medica medicamentorum ſolummodo facultates per ſe in morbos agentes referre, at quaſvis alias idem præſtantes. Neque eſt, quod nos perpetuo morbis mederi debeamus medicamentis facultate per ſe contrariis, ſed quoviſmodo contrariis, Rhabarbarum, enim ſcamonium, agrimonium, apium, chamædrim, medicamenta calida morbis calidis ac bilioſis multis auxilio ſunt, non tamen facultate per ſe morbo contraria, cum ex Dogmaticis calidis morbis refrigerantia medicamenta con-

In 1. lib de materia med.

conveniant, ſæpe fluxu fluxum, vomitu vomitum, & hæmorrhagiam ſanguinis vacuatione medici tollunt; nonnunquam etiam medici frigida aqua large affuſa, malis frigidis, & calida calidis medentur. Hinc balnea frigida in hecticis, & calida in febribus putridis olim uſum habuerunt. De uſu aquæ frigidæ in morbis frigidis Hippocrates ita ſcripſit: *Eſt autem ubi in diſtentione ſine ulceratione, juvene bene carnoſo æſtate media frigidæ aquæ maltæ perfuſio revocationem caloris facit, calor autem hæc ſolvit*, & poſtea: *Tumores articulorum atque dolores abſque ulcere & podagricos quoque atque convulſa, horum plurima, frigida aqua large affuſa levat.* Quæ omnia Galenus multis in locis confirmavit. Quare Dioſcorides nobis ſimplicium medicamentorum vires, uſusque medicos prænarraturus, cur ſolummodo vires per ſe morbis occurrentes, & non quoviſmodo iiſdem contrarias complecti debuit? Sane dixit multa decocta, atque ex ipſis inſeſſiones vel parata fomenta ex medicamentis moderate calidis, & humidis emollientibus, laxantibus, rarefacientibuſve oſcula venarum, cum in podice tum in utero, non minuſque etiam cutaneos meatus adſtrictos aperire, an non aperiunt? certe quidem, quod ſi aperiunt, licet non ſint acria mordaciaque & craſſæ eſſentiæ, quæ Græci anaſtomotica id eſt vere aperientia dicunt, quid ad medendum erroris fit? cum optatum aſſequatur. Non enim Dioſcorides veluti Galenus in primis libris ſimplicium, de ſimplicium ſane medicamentorum facultatibus agens, tenebatur ſingulas facultates diſtincte nobis perſpectas facere. Unde conſtabit Dioſcoridem immerito in iis fuiſſe à Galeno damnatum. Quibus profecto perſuaſionibus Methodicis fuit perſuaſum, ipſos à vera medendi Methodo non errare, ſi ad adſtrictum corpus, medicamentis moderate calidis & humidis utantur, cujuſmodi ſunt olea dulcia calida, hydrelæum, aqua calida, & decocta parata ex althea, malva, fænugreco, lino & ſimilibus. Hæc extrinſecus calida adhibita ad cutis meatus aperiendos utilia eſſe primo medici omnes ſciunt, at quinetiam oſcula venarum (quod Dioſcoridem tradidiſſe ſcimus) laxare atque aperire. Quod ſi verum eſt, hæc inquam ipſa aperire, quid tot, tantiſque aperientium differentiis eſt opus? Addo Me-

In 5. aphor. 21.

In aphor. 25. In 1. ſimpl. c. 4. in 3. de temp. c. 4. & c. ultimo.

thodicos recte quidem se ad adstrictum hisce medicamentis, (quippe calidis humidis, scilicet ex hydrelæo calido, dulcibus oleis substantiæ tenuis, & ex decoctis nuperrime præscriptis) uti oportere hoc ipso argumento judicarunt, quod etiam ex Dogmaticis medicamenta emollientia, laxantia & rarefacientia unius ejusdemque esse essentiæ videantur, etenim (Gal. auctore) emollientia sunt calida & humida, laxantia itidem cutim humectantia, non minus & rarefacientia calida itidem atque humida, tenuisque substantiæ, quibus una eademque ferme natura sive essentia in his omnibus constituitur; licet illa habeant, quasdam differentias, quibus secundum magis & minus interstingui posse videantur. Veruntamen prædicta Methodicorum emollientia omnia id habent, ut meatus laxent, rarefaciant, aperiant, aperiunt inquam laxando & rarefaciendo. Eadem quoque dicemus de fluido sive laxo corpore adstringendo, scilicet Methodicos usos fuisse densantibus, stegnoticis constipantibus seu claudentibus dictis, cujusmodi est aqua frigida, aizoum, portulaca, lenticula palustris, polygonum, myrtus, acacia, hypocistis, rubus & alia similia. Neque ad indicandam curationem meatus apertos adstringentia, distinxerunt Dogmaticorum modo in indurantia, tendentia, atque in densantia, & merito cum vel hæc etiam parum inter se natura differant, at potius quia quædam remissius, & quædam efficacius agant. Undè hæc ad oscula venarum claudenda exercent, atque illa quod debilius adstringant, ad meatus cutaneos adstringendos. Accedit etiam quod (Galeno auctore) indurantia medicamenta sunt frigida & humida vel modice sicca, cujusmodi est sempervivum, portulaca, lenticula palustris, solanum, quorum essentiam Dogmatici fecerunt mixtam ex aqua terrea substantia, & medicamenta tendentia, cum & siccantia, & refrigerantia itidem sint, atque non minus etiam densantia refrigerent & siccent. Galenus ait, *acerbam qualitatem cutem densare, atque densitatem à frigore agi, quod nimirum frigus denset*: In libris vero simplicium expressit, *densantia medicamenta esse sempervivum, portulacam, lenticulam palustrem*, quæ paulo ante dixerat quoque cutem indurare,

Gal in 5. simpl.

In lib. 5. simpl. cap. 9. 10. 11. 14.

In lib. 3. de crisib. cap. 13.
In 5. aphor. 62.
In 7. Meth. med. cap. 8.
In libro 5. simpl. cap. 14.

rare, indurantiaque esse medicamenta. Ita si ex Galeno medicamenta prædicta indurantia itidem densantia sint, à quibus complura quoque tendentium non videntur diversa, ut pote, quæ congelando & siccando cutem tensam reddant, quæ necessario frigida & sicca itidem esse debent. Quare hæc omnia medicamenta scilicet indurantia, densantia, atque tendentia, & idem præstare poterunt, quippe cutis meatus densare, vel id fiat indouratione cutis, vel tensione. Merito itaque Methodici ea in species distinguere nonluerunt, atque non minus hæc à stegnoticis, stipantibus sive claudentibus vocatis medicamentis, quod hæc omnia adstrictum faciant. At densantia (uti dictum est) minus efficaciter quam stegnotica agunt, idcirco hæc ad ampliores meatus adstringendos usum habuerunt; scilicet venarum arteriarumque osculorum ad nares, ad intestina, ad uterum, atque ad podicem desinentium, & illa ad exiles cutis meatus, qui laxati facilius adstringuntur. Itaque propter prædictas causas Methodici adstrictum & laxum in species dividere noluerunt.

CAP. XI.

An ab adstricto atque laxo fluidove curatio indicetur.

UNum olim dogma apud Methodicos fuit maximi momenti, scilet an adstrictus & laxus affectus vere curationem indicarent, porro certum est, eas duos communitates sive duos morbos idcirco à Methodicis fuisse inventos, ut ab ipsis qualisnam utilis profutura curatio sit, indicaretur, unde ab adstricto atque laxo curationem indicari præcipuum dogma istius sectæ constitutum est, ita ut merito ab adstricto laxandum, & à laxo adstringendum omnino præindicaretur: De quo Dogmate auctor libri de optima secta ad Trasybulum ita habet: *At vero indicatione ejus, quod conferat, laxitatem in adstrictis esse; in fluentibus vero compressionem*: Nam si genu verbi gratia inflammatione laboret, relaxare (aiunt) oportere, si fluat alvus, alvum cohibere. Quod vero adstrictum & laxum vere indicent cu-

rationem, facile, ſi præſidia, quibus morbi cum adſtricti tum laxi tolluntur, perſpecta habuerimus, intelligemus. Exempli gratia ex adſtrictis affectibus ſunt febres, phlegmones, tumoreſque; atqui quis medicorum eſt quem lateat febres balneis calidis ex dulci aqua, inunctionibus, fomentis atque aliis laxantibus præſidiis tolli? Non minus quam internæ phlegmones. Hippocrates in 7. aphoriſ. 42. dixit: *febres multas multa aqua calida capiti ſuperfuſa ſolvi*, quis quæſo ignorat, in pleuritide, & peripneumonia exterius balnea calida, fotus laxantes inunctioneſque vel etiam à Dogmaticis adhiberi, & intus decocta, vel aquæ ex laxantibus medicamentis paratæ, ſcilicet, chamomelo, malva, althea, fænugreco, lino & ſimilibus? quis itidem ignorat in pleuriticis utiliſſime propinari oleum aliquod dulce calidum laxativum, ex ſeminibus lini expreſſum pro ſecreto ad deſperatos quoſdam pleuricos dari ſolet. Quid de tumoribus duris an non & ipſos emollientibus ſanari, Galenus de medicamentis ad lienis tumorem emolliendum ſcribens expreſſum reliquit? Vere ita adſtrictum laxandum indicare intelligatur, & laxum adſtringendum indicare ex humoribus vel ſanguine ex parte aliqua corporis immoderatius profluente apertius dignoſcetur, quis quæſo etiam ignorat, ſanguine immoderatius vel è naribus, vel ex ore, vel ex ventre, vel ex utero, vel denique hæmorrhoidibus profluente, omnes medicos ad adſtringentia confugere, ut oſcula venarum arteriarumque claudant, in diarrhœis, lienteriis, dyſenteriiſque an non curatio medicamentis adſtringentibus fit? Certe quidem, quod ſi ita eſt, reprehendere Methodicos audebit, qui haſce duas communitates pro curatione indicanda conſtituerint, quippe adſtrictum atque laxum: Hi affectus quandoque in toto corpore & quandoque in parte corporis fiunt, totius adſtrictum affectus eſt, ubi totum corpus adſtrictum patiatur, quo affectu ſæpius animalia ſuffocata pereunt: partis vero adſtrictum exempli cauſa eſt, ut ſi phlegmone pars quæpiam laboret. Ita laxum totius eſt, ubi in toto corpore rarefactis meatibus vires exhalant. Quod ex nimio gaudio aliquando fit. Partis demum laxum dicitur, ubi per partem aliquam immodice diffuſam humores immoderatius fluunt,

In lib. 5. ſimpl.

fluunt, cujuſmodi eſt ſanguinis profluvium è naribus vel ex ore, aut ex ventre, aut ex utero, aut hæmorrhoidibus, aut ex veſica, vel vomitus, vel denique alvi fluxus. Uterque vero affectus tum partis tum totius ex Methodicis curationem indicare poteſt. Neque immerito, quando totius corporis meatuum deffuſio ſive fluxus adſtringendum neceſſario indicet, & adſtrictum laxandum, ita & partis, nam uti dictum eſt, exempli gratia genu inflammatione vexato, ut humor in ea parte adſtrictus digeratur, laxandum eſſe merito voluerunt. Contra fluxum præternaturalem vel uteri, vel ventris, vel hæmorrhoidarum, vel alterius quidem partis indicare cohibentia medicamenta; adſtringentiaque. Neque eſt, quod Methodicis objiciatur, veram tantummodo illam dici indicationem, quæ medicamenta quibus affectus tollitur, detegit, unde adſtrictum & laxum vere curationem non indicare, intelligi, ſed ſolummodo affectuum ſublationem, ſcilicet adſtrictum laxandum, & laxum adſtringendum, quod nihil profecto erit, quam utrumque ſui ablationem indicare, quod cum omnibus vel etiam plebeis notum ſit, quippe morbum ſui ablationem indicare, nihil artificii videtur hæc Methodus habere, veluti etiam in chyrurgia cum dicunt, calculum, qui in veſica eſt, propter quod toto genere ſit præternaturam, ablationem ſui indicare, idem & verrucas, myrmecias, atheromata, ſteathomata, melicerides, & inteſtinum, quod jam in ſcrotum decidit, & luxata omnia, quod loco ipſa præter naturam ſe habeant, reduci in artus debere, alvum fluentem ſiſtendam, ulcus ad cicatricem ducendum. Quæ indicationes nihil artificii habent, ignariſque etiam medicinæ hominibus notæ ſunt. At medici eruditi, ea ſcire debent, per quæ languores pelluntur, & vitiata ſanitas reſtituitur, proinde illis indicationibus opus eſſe, quæ particulatim remedia indicant, quibus morbi tolluntur, ex quibus adſtrictum & laxum vere curationem haud indicare deprehenditur. At quid iſtuc eſt, quod Methodicis objicitur? An non Dogmatici etiam ab affectibus curationem eodem modo (licet præcipue indicatio cauſarum ſit) deſumunt? An non dicunt febrem ſui ablationem indicare, quæ cum ſit intempe-

Gal. in libro de opt. ſect. ad Traſyb. cap. 24.

ries calida & ſicca ideo refrigerantibus humectantibuſque tolli, non ſecus quam Methodici dicunt, adſtrictum laxantibus medicamentis tollendum, atque laxum adſtringentibus. Haſque idcirco indicationes omnibus vel etiam plebeis eſſe notas nihilque artificii habere, non ſecus quam omnes (ait Galenus) ab ipſa rei natura ducti, ſciunt refrigeratos calfaciendos, calfactos refrigerandos, ſiccatos humectandos atque humectatos ſiccandos eſſe, non minus atque omnes ſcire ulcus cavum carne impleri, ſordidum purgari debere, æquabile cicatrice induci, non tamen norunt, quid carne implcat, quid detergat, quid cicatrice claudat, ſic ſane etiam ſi muſculum habeant durum aut tenſum laxumve, quod duro quidem emollientibus ſit opus, tenſo autem laxantibus, laxo vero contendentibus, id ſatis perſpiciunt, ſed quænam medicamenta laxent, tendant, emolliant, prorſus plebei ignorant. Ita & omnes ſciunt corpus adſtrictum eſſe laxandum, laxum adſtringendum, ignorant tamen medicamenta quæ adſtringunt, atque quæ laxant, Medicis Methodicis cognita, qui ſciunt quibus medicamentis adſtrictum tollitur, atque laxum, & in hoc à plebeis differunt. Quare non inconvenienter Methodicos dixiſſe adſtrictum atque laxum tanquam affectus utique curationem indicare. Neque eſt etiam quod dicatur: auxilia non affectis ſed facientibus opponi, veluti evacutio multitudini contraria dicitur, morbo vero nullo, quoniam evacuatio quidem per ſe multitudini eſt contraria, ex evidenti vero etiam cuipiam morbo, veluti phlegmoni, quatenus tollit humorem, quo fovetur, & ſi rurſum objiciant aliqui, affectus haud poſſe indicare curationem, ſed cauſas, eo quia varii affectus unicam cauſam habentes, non varia indicent auxilia, at unum ſolummodo ex illorum cauſa indicari: Etenim icteritia atque cholera, quorum affectuum alter adſtrictio eſt, ſcilicet icteritia, alterque fluxus, quippe choleram non duo indicant auxilia, at unum ſolummodo ab unica ipſorum cauſa, quæ eſt bilis abundantia, ſcilicet evacuatio, quod tamen nobis non videtur perſuaſum, cum cholera affectus laxus, evacuatione non tollatur. Neque etiam ſi dixerint, unicum affectum à diverſa cauſa profectum, unum auxilium

In ſimpl. cap. 2.

xilium indicare, at ejus cauſa varia, diverſa auxilia, uti ſuppreſſio urinæ, quæ à calculo fit incidentia medicamenta expoſtulat, & quæ fit à phlegmone laxantia, & cuti adſtrictæ ab igne (ut in uſta ab igne cute fit) cataplaſmata cruſtas ſeparantia conveniunt, & adſtrictæ à frigiditate, calfacientia: Quibus dicetur, non idcirco hæc argumenta demonſtrare, ab affectibus curationem non indicari, quando in ſuppreſſa urina cum à calculo, tum à phlegmone tenſæ viſicæ laxantia medicamenta maxime conveniant: Ad calculos renum Galenus præcipit vias eſſe dilatandas, renes laxandos, morſuſque mitigandos, ad quem affectum particulatim laudavit, oleum anethinum calidum, adipem gallinaceum recentem, phaſiani, butyrum, fænugrecum, altheæ ſemina radiceſque, quæ ſingula laxantium genere comprehenduntur. Quibus medici omnes etiam utuntur familiarius ad ſuppreſſam urinam, cum exterius admotis ex iiſdem paratis balneis, fomentis, cataplaſmatis, inunctionibuſque; ubi vero cathere urina educitur, id fit efficaciori præſidio, ex iis, quæ Methodici fortaſſe laxantium quoque genere comprehendunt, at hoc ad chyrurgiam ſpectat, quæ non reduxit ſuos affectus ad adſtrictum atque laxum. Ad cutem vero cum ab ignis actione tum à frigore denſata, laxantia convenire, quis dubitabit, cum ad igni uſtos nihil utilius, quam oleo dulci tepido ne dum partes uſtas illinire, at ſi fieri poteſt, per horas in oleo obrutas detinere, quo auxilio qui uti poſſunt, aliis ad inuſtas partes ſanandas non egent. Mel, butyrum & alia medicamenta calida uſtis auxilio eſſe, omnibus practicis notum eſt. Ex quibus apparet, ab adſtricto atque a laxo affectibus curationem indicari, quod ſi Methodicis adhuc objicitur, ad cutem cum ab igne tum à frigore denſatam laxandam, nos errare, ſi auxilia permutaverimus, quandoquidem non pauci, aliqua parte corporis uſti, non oleo, ſed alio præſidio utuntur ad ipſam partem ſanandam, quam ſane ignis flamma proprius uſtæ parti admota, ignem tollit, quippe quoad ignem in parte uſta ſuſceptum, flamma meatus laxando, ipſumque ad ſe trahendo digerat, eodem modo uſti parti medentur. Accedit demum, ut ab affectibus curationem non indicari, dignoſcamus, in variis itidem

In libro de ren. affect. dign. & curat. cap. 4.

dem affectibus ab unica causa proficiscentibus, ipsos quidem affectus non indicare, pro exemplo acceperunt, plenitudinem alias phlegmonem facientem, & alias hæmorrhagiam: hæc fluxus dicitur, atque phlegmone adstrictum, qui affectus, evacuatione (non affectibus sed causæ quippe plenitudini contraria) auferuntur. At hæmorrhagiam à plenitudine profectam non esse affectum laxum dicimus: nisi ita profluа corpus graviter lædat, ideoque non esse cohibendam. Etenim si absque plenitudine immoderatius sanguis profluxerit, exindeque corpus male se habuerit, laxus utique affectus diceretur, indicans cohibendum. Addimus laxantia medicamenta neque omni adstricto affectui satisfacere, si adstrictum præsertim foveatur humore crasso ac lento parti carnosæ pertinaciter inhærescente, quod ipse humor vel etiam maxime diffusis laxatisque meatibus non facile effluat, ad quod dicimus, humoris crassitiem, atque lentorem balneo aquæ dulcis, vel hydrelæo, vel malvæ altheæque decocto diminui, unde à meatibus effluet; humorum etenim substantiam crassam atque viscidam humiditate accedente corrigi, neminem medicorum latet, quemadmodum siccitate humores crassescunt, & viscidiores redduntur. Quare humor meatibus adhærescens, lotionibus laxantibus effluet, unde Mulieres quibus capitis cutanei meatus sæpius ab immunditie infarciuntur, atque ea causa dolorem capitis vel aliquod aliud symptoma pati solent, lixiviis laxantibus utentes meatus capitis ab infarctu liberant. Quod vero multæ visciditatis humor pertinaciterque adhærescens non sine multo labore vel etiam laxatis meatibus (uti dixit Galenus) educatur, dubium non est, quando hic humor aliquando neque valide incidentibus, atque detergentibus medicamentis facile cedat. Intus vero meatus infarcitos, uti in ictericia & in obstructis fit, medicamentis incidentibus, detergentibusque (laxantium quoque genere à Methodicis comprehensis, ut posterius demonstrabimus) referant, unde in ictericia succum absinthii, intybi agrestis, item decoctum asparagorum, dauci, fœniculi & similium, quæ sunt incidentia, detergentiaque adhibere Methodici soliti fuerunt. Si vero humores sint tenues non crassi, neque viscidi, necessario

Gal. in apolog. contra Julia c. 7.

C. Aurel. in cap. de ictericia.

apertis

apertis laxatisve meatibus effluent: Quo, meatuum cutis raritatem Galenus inter causas sudorem recensuit, desudationemque quam Græci ἐφιδρωσὶν vocant, in acutis, exitialibusque morbis, vel ex eo quod sit laxatis à prælanguente virtute meatibus, dici pernicioſum statuit. Quare adstrictum & laxum curationem indicare merito Methodici voluerunt. Galenus itidem curationem ab affectibus indicari sæpius annuisse visus est. Etenim hujusmodi affectus cum causæ quoque sint, maxime indicare. Quis ignorat humorem quovismodo in aliqua parte corporis adstrictum laxationem indicare, quod & ut Dogmatici faciant, mittunt sanguinem, purgant humores, & postea admotis partæ affectæ medicamentis digerentibus laxantium genere comprehensis humorem digerunt, atque resolvunt, longe clarius patet, vel sanguinem, vel humores immoderatius profluentes, cum corporis damno adstringentia cohibentiave remedia indicare, quod ut fiat, medici medicamenta adstringentia partibus sive meatibus diffusis admovent. Itaque merito adstrictum laxandum, & laxum adstringendum in curatione indicabit, atque mixtum ex adstricto & laxo, utrumque faciendum, si in diversis partibus fiant, vel ut aiunt, si in eadem parte cum adstrictum tum laxum sit, urgentiori erit incumbendum, altero non neglecto.

In 9. Meth. med. cap. 14. 10. Meth. med. cap. 17. 11. Meth. cap. 7. 12. Meth. med. cap. 7. In 2. de comp. med. secundum loca cap. 6.

CAPUT XII.

Quomodo Methodici voluerint, tempora quoque morborum curationem indicare.

METhodici non tantum illos duos generales affectus, de quibus hactenus, differuimus, sed tempora quoque ipsorum curationem quadantenus indicare voluerunt. Hi cum triplicis differentiæ, prædictas communitates fecerint, quatenus vel passivas vocaverunt, ut adstrictum atque fluens, vel curativas, ut resolvere & retinere, vel denique temporales, quæ sunt quatuor tempora quippe principium, augmentum, statum seu vigorem atque declinationem. Verum ubi demonstratum est ex

Methodicorum ſententia eos affectus curationem indicare, ſcilicet aſtrictum laxandum, laxum adſtringendum (quod nihil aliud eſt, quam adſtrictum reſolvere, atque laxum retinere) atque effectum mixtum utrumque indicare, at illud ex his, quod erit magis urgens. Quare nunc merito cognoſcendum erit, an non etiam eæ communitates temporales curationem indicent. Methodicis viſum fuit, ipſas indicare cum auxilia, tum victus rationem, & particulatim cibum ejuſque qualitatem non minus. Qua ratione eadem eſſe tempora auxiliorum atque morbi voluerunt, quod ſane dogma ſeu principium ſi recte intelligatur non abhorrens à mendendi Methodo videtur. Siquidem morborum tempora ſint quædam differentiæ, vel varii differenteſque ſtatus, qui in toto quidem morborum ſcilicet tempore, à principio ad finem uſque, obſervantur. Quæ tempora ex quadam morbi cauſæ motione intelliguntur, ſcilicet motionis cauſæ initium, incrementum, vigor, atque declinatio. Ceterum hæc quidem morborum tempora à naturæ ſive coctionis temporibus diſtinguuntur, atque ita aliquando, ut quandoque principium naturæ ſeu coctionis dictum, prima duo tempora morbi & quandoque tria, & quandoque quatuor comprehendat, ſcilicet principium morbi, augmentum, ſtatum & nonnunquam etiam (uti dictum eſt,) declinationem, ſiquidem quandoque contingit, ut morbus ad augmentum, ad ſtatum (& uti dictum eſt) nonnunquam ad declinationem perveniat, priuſquam finitum ſit naturæ ſeu coctionis principium, ſcilicet antequam in morbo aliquod ſignum coctionis illuxerit (totum enim hoc tempus morbi, in quo excrementa omnino cruda apparent, nullumque coctionis ſignum conſpicitur, medici principium naturæ ſeu coctionis eſſe volunt) Quibus præmiſſis dicimus, Methodicos æſtimaviſſe auxiliorum tempora eſſe, non naturæ, quæ in humorum coctione & cruditate conſtit, ut morbis, ſcilicet initium, augmentum, ſtatum atque decrementum. Itaque Methodicis ideo perperſuaſum fuit dari haſce temporales vocatas communitates, à quibus curatio indicetur, licet non ſit ab ipſis propria indicatio, cum docuerint ipſam à morbi eſſentia depromi: Veruntamen

Gal. in li. de opt. ſect. ad Traſyb. cap. 37.

men indicare varia auxilia, quatenus denotant varios morbi ſtatus, in quibus omnibus non eadem auxilia, at varia exerceri oportet. Quod in externis phlegmonibus maxime fit conſpicuum. An non (auctore Galeno) omnes etiam medici dogmatici in variis phlegmonum temporibus varia medicamenta adhibent? in principio ipſarum, ſanguinis evacuationem, ventriſque per medicamenta purgatoria laxantiave inſtituunt, quæ in ſtatu profecto non uſu veniunt; præterea derivatoriis, revulſoriisque medicamentis tunc temporis incumbunt, à quibus abſtinent in aliis temporibus: quid de topicis medicamentis? in principio quidem repellentibus, in augmento mixtis ex repellentibus atque ex laxantibus ſeu digerentibus, & in ſtatu (quo tempore totus humor ad partem inflammatam fluxit) digerentibus, vel maturantibus, & adhuc magis in declinatione reſolventibus. Quid an non hæc varia tempora varia auxilia indicare, intelligimus? quo mirum eſt, quamobrem Galenus contra Theſſalum negaverit, à tempore morbi curationem indicari, & in hoc ipſum reprehenderit, qui ob id ulcus antiquum ad facilitandam curationem, innovandum eſſe, cenſuit; quippe labia dura, malique coloris & calloſa excidendo, atque ſanguinem educendo, cum tamen vel etiam Hippocrates idem affirmaſſe viſus (auctore eodem Galeno) fuerit, cum ſcripſerit: *& ab inveteratis ulceribus confert id agere, ut ſanguis crebro effluat, quantum videtur opportunum eſſe.* Nonne etiam Galenus apertiſſime dixit, principium morbi ad præſidia ferenda mirum in modum conducere? Quam rem etiam clarius expreſſit hiſce verbis, dicens: *Simili modo in oculorum vitiis, pleuritide & omni inflammatione, & in aliis morbis ſingulis generalia tempora ſenſu extimata diverſorum auxiliorum uſum ſignificant.* Unde merito Galenus, ut hoc dogma confirmaret, Hippocratis auctoritate utebatur, in aphoriſmis ſcribentis: *Incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur, move: conſiſtentibus vero præſtat conquieſcere*, quinetiam de purgantibus ait: *concocta purgare convenit & movere, non cruda neque in principio, ni ſtimulaverint.* Adhæc: *in morbis acutis raro & in principiis utendum purgationibus.* Quæ Dogmatici medici ad unguem medendo obſervant;

In 2. ad Glauc. in 15. Meth. c. 2. in 3. art. med. cap. 2.

In lib. 4. Meth. med. cap. 4.

In lib. de ulcerib.

In lib. de totius morb. temp. lib. 2. cap. 4.

In lilbro de tot. morb. temp. c. 2.

In 2. aphor. 9.

In 1. aphor. 27.

quippe ſi quid videatur movendum, in principio eſſe faciendum: & in ſtatu à medicamentis quieſcendum; quod tunc temporis medici conſultius à medicamentis cum purgantibus tum evacuationibus abſtineant, ſcilicet quoniam circa initia & fines morborum omnia imbecilliora ſunt, ægrotantiumque natura haud multum morbis conflictatur, unde ægroti vim medicamentorum facile ferunt, & circa vigores omnia fiunt fortiora; atque tunc ægroti, plurimum à vi morborum conflictati difficilius medicamenta ferre poſſunt. Hoc inquam tempore non convenire medicamenta convenit, ne natura in pugna contra morbum (ut Galenus quoque expreſſit) atque ad concoctionem humorum maxime occupata, diſtrahatur: atque etiam, quia in ſtatu vires fortes non ſunt, plurimum quidem in pugna morbi reſolutæ, in principio vero ægroti viribus non carent, ut & evacuationes ſanguinis fiant, & humorum purgationes, ſine noxa perferre valeant. Ceterum ubi in ſtatu, Galenus à medicamentis (ne a concoctione natura ægrotantium diſtrahatur) abſtinendum eſſe dixit, ſtatum naturæ concoctioniſve intellexit. Quod & in ſtatu morbi eſt intelligendum, cum ægroti itidem à vehementia ſive à pugna morbi tunc maxime agitentur, debilitenturque ita, ut commode medicamenta perferre amplius nequeant. Quod dogma cujuſvis ſectæ medici inſecuti ſunt, ita, ut in morborum, naturæque ſtatibus ab evacuantibus, atque purgantibus præſidiis omnino abſtineant. Quæ in principio facile admittunt. Complures vero ſunt, qui in acutis morbis tranſacta die quarta mittere ſanguinem non audent, neque minus aliquod expurgatorii exhibere. Ex iis mirum non videtur, ſi Methodici tempora morborum quadantenus indicare voluerint; nimirum (quod & ipſi ſenſerunt) in principio & in augmento evacuationes opportunas eſſe moliendas, & in ſtatu ab ipſis fore abſtinendum, iiſque ſolummodo utendum: quæ nihil ægrotos debilitare atque exagitare valent. In multis morbis, hoc dogma uſui medicinæ quadrare videtur, at omnium maxime in phlegmonibus, externis tumoribus inflammationibuſque, quoniam in principiis repellentium adſtringentiumque uſus (exceptis locis quæ ut ſcribimus

pro-

proxima ſunt, quando affectu exiſtente poſt aures, aut ſub axillis, aut in inguine omnino à repellentibus ſit abſtinendum) convenit. In augmentis vero mixtorum ex repellentibus & laxantibus uſus conducet, ſed urgentiori tamen eſſe incumbendum, & in ſtatu nudis laxantibus, digerentibuſve. Quare non ab re à Methodicis fuit pronunciatum, tempora morborum curationem quadantenus indicare. Eodem itidem modo voluerunt hæc eadem morborum tempora non parum ad indicandam victus rationem facere, qui perpetuo in principio ſubtractionem in morbo adſtricto faciebant, ob idque à multis Methodicorum diatritum fuit inſtitutum, quod fuit jejunium ſive à cibo abſtinentia per tres integros dies, quod quandoque ab ipſis & bis, & ter inſtituebatur, ubi ſane corpus multis humoribus abundaret, ita ut, ſi morbus adſtrictus (quod maxime in chronicis obſervabant) inſtituto diatrito non diminuebatur, iterum per alios tres dies jubebant aliqui Methodicorum ægrotos à cibo abſtinere, & aliquando tertia vice idem repetebant. Quam dietam ita exquiſitam Ægyptii Methodici hac ætate etiam in acutis morbis ad unguem ſervare videntur, cum in febribus continuis, & internis phlegmonibus, ægrotis præter ſyrupos aqua dilutos nullum cibum uſque poſt ſeptimam diem concedant, aliquibus exceptis, qui exhibebant juſculum ex aqua triticea, ſi furfures fuerint lotæ, cum aqua roſacea & ſaccharo candido, vel hujus loco lac concedebant è ſeminibus melonum, aliarumque herbarum facultate frigidarum cum aqua expreſſum, vel alium ex iis familiaribus cibis, qui vel nihil vel parum nutriunt, quos omnes ſi quis accurate ſcire deſiderat, legat noſtros libros de medicina Ægyptiorum ſecunda editione evulgandos. At ad Methodicos redeo, qui in morbis acutis tenuiſſima dieta utuntur, quam augent etiam in morbi ſtatu, quod tunc temporis morbus adſtrictus membra valde tumentia augeat, atque hoc ordine morbo declinante (quod minor adſtrictio expugnanda ſuperſit) melius nutriunt. In quo inſtitu- In 1. aph. 7. & 8.
tuto ab Hippocrate non diſceſſiſſe viſi ſunt, cum ipſe quoque idem hiſce verbis nobis præſcripſerit: *Ubi igitur morbus peracutus eſt, ſtatim & extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo*

victu est utendum, ubi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior: paulo post: *Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo utendum est.*

CAP. XIII.

In quibus Methodici cum aliis medicinæ sectis convenerint.

NOn erit inutile, priusquam ulterius in secta Methodica illustranda procedamus, ut perspecta habeamus dogmata, quibus Methodici cum aliis medicorum sectis convenerunt, & quod primum est, in quo (Galeno auctore) convenerant, fuit, evidentia præcepta utilia esse, analogismum, observationem, historiam, transitum ad similia, modum applicandorum remediorum, & ex aliis alia deprehendi, atque iisdem præsentibus eadem esse facienda, adjectione ac subtractione sanitatem conservari, morbos depelli, & ad morbos tollendos nocentium usum esse fugiendum, & quod ad materiæ medicamentorum notitiam attinet, experientiam valere atque utilem esse, & quæ nutriunt, & non nutriunt, purgantia, mortiferaque omnia medicamenta experientia comperta fuisse. In quibus sane placitis ab omni secta admissis, illud animadverti debet, non æque medicos Rationales, empiricos atque Methodicos se habuisse, at diversimode ab hisce sectis fuisse accepta, atque in iis primo, scilicet, quod evidentia utilia sint, analogismus, observatio, historia, & transitus ad similia, hæc enim diverso modo ad usum medicinæ receperunt. Dogmatici seu rationales, empirici atque Methodici; non minus & in eo præcepto, quod iisdem præsentibus malis eadem remedia conveniant. Quando Dogmatici iisdem etiam existentibus malis, in variis tamen corporis partibus factis, non eadem remedia adhibeant. In aliis vero singulis æque omnes conveniisse visi sunt, in eoque maxime dogmate, quod adjectionibus, & subtractionibus sanitatem servari, ac morbos fugari præcipitur, quando istud æque omnes medici re-

In lib. de opt. sect. ad Trasyb. c. 7.

receperint. Unde apud omnes receptum eſt, medicinam eſſe adjectionem & detractionem, adjectionem quidem deficientium, & ſubtractionem redundantium. Quo morbi in humorum exuperantia, ſive plenitudine, atque defectu ſeu inopia conſiſtunt. Quod placitum facile Methodici acceperunt, quum per adſtrictum, tumens, plenum, & plenitudinem intelligant, & per fluidum, laxum, deficiens, atque defectum: ſiquidem, & uti Dogmatici dixerunt, cohibitis vacuationibus (quem affectum adſtrictum vocant) humorum plenitudo fiat, atque iiſdem immoderatius humoribus effluentibus, defectus, evacuatio, atque inanitio ſuccedat. Quibus eorum ſententia conſtabit, copiam ſeu plenitudinem tollere evacuationem, & defectum appoſitionem. Ad medicamentorum vero notitiæ experientiam eſſe utilem, neque Methodici, neque Dogmatici unquam negarunt. Cum ii omnes receperint medicamentorum facultates ab antiquioribus medicis inventas, atque cognitas: Dogmatici itidem complures medicamentorum facultates, omniumque maxime, quæ à tota ſubſtantia proficiſcuntur (quas occultas Medici appellant) experientia tantummodo cognitas eſſe atque cognoſci poſſe, itidem compertum habuerunt. Galenus Methodo ab experientia deprompta, docuit quomodo poſſimus facultates ſimplicium medicamentorum qualitativas vocatas, cognoſcere. Atque illas (uti dictum eſt) quæ ex tota medicamentorum ſubſtantia prodeunt, nobis ſola experientia, minimeque ratione innoteſcere multis in locis affirmavit. Unde mirum non eſt, ſi ne dum ipſi medici, at quinimio etiam Dogmatici intellexerint, ac cognoverint, ex medicamentis, quæ nutriunt, quæ non nutriunt, purgantia, atque mortifera ſive venenoſa innotuiſſe ſola experientia, quod hæc omnia facultate ex tota (ut ajunt) ipſorum ſubſtantia (quam vim occultam medici vocant) ſympathia aut antipathia adverſus nos agant; atque hæc ſunt, quæ circa communitates primas Methodicorum à nobis fuerant ſcribenda, nunc eas quoque conſideremus, quæ itidem in medicina cum chyrurgica, tum prophylatica ab iiſdem fuere obſervatæ.

Gal. in libro 11. meth. med c. 12.

Galen. 2. Meth. med. c. 6.

Gal. in 10. ſimpl. c. de cancris fluviatilibus 6. ſimpl. cap. d. Aliſſ.

In 1. de comp. med. ſecundum gratia. c. 11.

CAP.

CAP. XIV.

De communitatibus, quas Methodici in medicina chyrurgica obſervarunt atque in prophylatica.

Cum univerſa Methodica medendi ſecta in tres partes fuerit diviſa, quippe primum in eam, quæ olim medicamentis operabatur, & in illam, quæ manu (quam chyrurgicem medici nominant) exercebatur, atque demum in prophylacticem dictam, ideſt præſervatoriam. De prima ſatis ſuperque ſcripſerimus, reſtat modo, ut de his quoque duabus agamus; ſcilicet de chyrurgica & prophylactica, & ut à chyrurgica exordiamur, dicimus Methodicis à rei natura primum hanc communitatem ſatis fuiſſe, quippe alienum, ſui ablationem indicare, unde quodcumque, quod alienum ſit, indicare ſui ablationem conſtat, ut exempli gratia ulcus æquale cicatrice claudendum, cavum carne replendum & ſic de aliis. Duplex vero ii alienum conſtituerunt, quod inquam indicat ſui ablationem, unum extrinſecum dictum, atque alterum intrinſecum vocatum. Alienum vero extrinſecum eſſe dicunt, quod extrinſecus corporibus infligitur, ut eſt ſpiculum, telum, & reliqua ſimilia, quæ omnia perfectam ſui ablationem indicant. Alienum vero in corpore intrinſecum vocatum triplex quoque Methodici fecerunt, ſcilicet, alienum loco, alienum magnitudine, atque alienum defectu. Quod loco alienum dicitur, primam indicationem habet, quia indicat ſui reſtitutionem, ſcilicet, in naturalem locum, uti fractio, & laxatio, & inteſtinum, quod in ſcrotum deſcendit, quæ reſtitutionem, ſive (ut ait Gal.) reponenda ſe hac in ſuo loco docent. Alienum vero magnitudine vocant, ut abſceſſus omnes ſunt, ſcroti tumores, acrochordones, id eſt penſiles verrucæ, phymata, condylomata, quorum quædam indicant ſolum diviſionem, ut abſceſſus, quædam omnimodam ſuperfluorum præciſionem, ut verrucæ, phymata, & condylomata. Demum alienum defectu vocarunt, quando partes, vel affectus ex defectu repletionem deſiderant, uti ſunt primum mutila & curtata omnia, ac vel etiam fiſtulæ, ulce-

ulcera profunda hypophora Græcis dicta, ſinus, ulceraque alia. Hæc enim ex defectu repletionem indicant. Quas communitates ex natura rei curationem indicare, voluerunt. Neque eſt quod aliquis dicat, propterea has nihil artificii habere, atque ob id plebeis itidem notas eſſe, ſcilicet quia membrum laxatum & ii ſentiunt in artus reduci, verrucam tollendam, atque ulcus cicatrice claudendum. Dogmatici quoque morbos indicare ſui ablationem dicunt, æque ac Methodici dixerunt, omne alienum ſui ablationem indicare; quod ſi artis etiam ignaris notum videatur, non tamen ipſis ſunt nota præſidia medica, quibus alienum tollitur. Etenim ulcus à rei natura cicatrice claudendum indicat, quæ cicatrix non inducitur ulceri cavo minimeque deterſo, ideo, quæ ulceri cicatrice claudendo ſunt impedimento, primum indicabunt ſui ipſorum ablationem, quibus ſublatis ulcus ad cicatricem venit. Quare quæ aliena ſunt loco, indicant vel reſtitutionem, vel repoſitionem, veluti oſſa fracta & luxata. Quæ magnitudine ſunt aliena, vel perfectam præciſionem, ut verrucæ, phymata condylomataque, vel unam tantum inciſionem, ut abſceſſus, qui facta inciſione expurgantur, & diminuuntur. Quæ vero defectu itidem ſunt aliena repletione reſtituuntur, uti ſunt ulcera, fiſtulæ, hypophora ſinuſque, atque hæc de communitatibus chyrurgicis ex Methodicorum mente dicta ſint. Contra quos, quæ fuerint à Dogmaticis ſcripta, non erit inutile, ut nos & audiamus, & ſedulo conſideremus, & ſi quis hac in re rectus judex fieri cupiat, ſciat oportebit Galenum Theſſali alioquin viſum fuiſſe apertiſſimum hoſtem, ut propterea plerumque non contra rem ſed contra hunc hominem diſputare videatur, at unde tantam adverſus illum inimicitiam contraxerit, ignoro, ni forte dicatur ex invidia illud eveniſſe, quod Theſſalus in ſuo monumento Jatronicen, id eſt medicorum victorem ſe inſcripſerit, atque eam in arte medica gloriam poſteris relinquere ita ſtuduerit, quam famam & nomen Galenus gloriæ cupidus ſe ſolo poſteritati tradi in optatis habuerat.

Gal. in 5. ſimpl. cap. 1.

CAP. XV.

De aliquibus, quæ Methodicis objiciuntur in communitatibus chyrurgicis.

COmplura ſunt, quæ Methodicis de chyrurgicis communitatibus objiciuntur, & præcipua hæc fuerunt, primum, quod eorum Methodus in curandis ulceribus, tumoribus, fracturis, luxationibus, & curandis itidem veſicæ calculis, nihil habeat artificii, etenim etiam plebei non ignorant, quod alienum, & præter naturam eſt, ſui ablationem indicare, ſcilicet, ut ſuperiori capite dictum eſt, membrum luxatum & fractum eſſe reſtituendum, ulcus cicatrice claudendum, verrucas tollendas, ſecundo ulcus quoque cavum carne replendum eſſe æque plebei ac Methodici ſciunt, ac forte etiam ſarcotico medicamento illud agendum. Tertio, in curandis diuturnis ulceribus, quod à tempore indicatio neutiquam deſumi queat, & quod ulcus non ſit ſemper incidendum, ac novandum, & quod Theſſalus in horum ulcerum curatione meminerit, labia dura & mali coloris eſſe excidenda, cum longe plura ſint impedimento quominus ulcus glutinetur, ac non minus reprehenditur, qui ea nominarit ulcera diuturna & non cacoetes, & quod confuſam diuturni ulceris curationem tradiderit, ampliuſque non eſſe verum, quod ulcus innovatum, ut cruentum curari debeat, quando ulcus cruentum ſit cavum & propterea ſarcoticis prius opus habeat, & ut cruſtam glutinantibus. Non minus etiam damnatur, quod ad ſananda illa ulcera cataplaſma ex ſinapi circumponendum laudaverit, & præcipue cum prius ſinapiſmo, & poſtea purgatione corporis utendum, dixerit, quando medicamenta localia maximeque calida non niſi prius corpore purgato adhiberi debant. Accedit etiam, quod Theſſalus voluit ulceris malignitatem curationem indicare, non minuſque & diuturnitatem, cum tamen indicare potius videatur diſpoſitionem partis.

Gal. in 3. Meth. med. 1.

Gal. in 4. Meth. med. cap. 4.

Præ-

Præterea, quod Methodici (qui & ipſi dixerunt ulcus planum cicatrice claudendum eſſe, cavum carne implendum, cruentumque conglutinandum) medicamenta epulotica, ſarcotica & colletica antiquis cognita receperint, neque in illis componendis idcirco eſſe laborandum putarunt. Amplius quia curandis ulceribus Methodici non ſumunt indicationem à parte affecta, neque à ſubſtantia, neque à figura, neque à ſitu; quæ omnia neceſſario eſſe conſideranda pro recta ulcerum curatione molienda Dogmatici voluerunt. Damnantur itidem Methodici in nervorum vulneratorum curatione, & præſertim ad illorum inflammationem tollendam. Atque hæc ſunt, quæ ipſis in medicina chyrurgica objiciuntur. Quæ ſi accuratius conſiderentur, haud illi ita, ut aliquibus Dogmaticis viſum eſt, erunt damnandi, & de illo quod primo illis obiicitur, eorum ſcilicet Methodum nihil habere artificii, alias dictum eſt; idem hoc propemodum ſignificare videtur, quod Dogmaticorum, in curandis febribus, indicandi ratio habet, quando & ipſi dicant, ipſas, ut cauſas indicare ſui ablationem: exempli gratia membrum laxum erit tendendum, tenſum laxandum, induratum emolliendum, & emollitum indurandum, atque ſic de multis aliis faciendum quæ, ut ait Galenus, ex natura rei ne dum medici, at plebei etiam æque noverunt, & quod inter hos facit differentiam eſt, quoniam non æque omnes ſciunt, qualibus præſidiis hæc tollantur, quæ tantum medicis nota ſunt, ita & Methodici dicent, omne quod eſt alienum, ſui ablationem indicare, quibuſque etiam medicamentis tollatur, ſeipſos ſcire, & in hoc à plebeis, qui hæc ignorant, differre: At ſi dicatur, etiam plebeos non ignorare, ulcus, exempli gratia cavum carne eſſe replendum, atque fortaſſe non minus quoque medicamentis id faciendum eſſe ſarcoticis vocatis, id eſt generantibus carnem, quæ ab antiquis fuere compoſita, & poſteritati tradita, ac proinde æque ac plebei Methodici non diſtinguant, qualibus ſarcoticis illud ſit faciendum, cum non æque omnia ſarcotica ab antiquis compoſita, & inventa, omnibus ulceribus cavis conveniant, quandoque enim tus ulceris cavitatem replet, quandoque iris, vel ervi farina, quandoque ariſtolochia; unde

In 5. Meth. cap. 10.

In 5. ſimpl. cap. 1.

in hoc ipſi maxime erraſſe viſi ſunt, qui communibus compoſitis ſarcoticis ab antiquis inventis perinde atque plebei cava ulcera in omnibus ſufficienter curari poſſe voluerint, cum tamen hæc non æque in omnibus carnem generent, ut propterea neceſſario diſtinguenda ſint ſarcotica, & cognoſcenda, quæ particularibus ulceribus conveniant, & quæ non. Ad quæ Methodici facile reſpondebunt, ſarcoticorum quadam communi diſtinctione propoſita, quippe, quod quædam efficacius, & quædam debilius agant, ad gignendam carnem, proinde ubi debiliter agentia non valeant carnem generare, ad efficacioremuſum confugiendum eſſe. Quam medicamentorum ſarcoticorum differentiam ex ulcerum natura magis quam ex natura partis eſſe capiendam Methodici duxerunt; unde in ulcere humidiori, validiori ſarcotico, & in minus humido, debiliori, opus eſſe affirmabunt. De indicatione à tempore alias à nobis actum eſt, ac non minus demonſtratum etiam ex Dogmaticorum ſententia, morborum varia tempora, varia præſidia indicare: verum quod in antiquo ulcere ad cicatricem non veniente utile ſit, uti Theſſalus ſentiit, labia ſcarificari, & ulcus renovari, etiam opiliones, ut recte Galenus ait, cognoverunt; neque immerito, cum pravo eo ſanguine evacuato, ac ſublatis calloſis labiis, & mali coloris in ulcere corrigatur prava (ſi cum Dogmaticis loquamur) intemperies, vel adſtrictus morbus, quippe tumor tollatur, ulceriſque meatus adſtricti aperiantur, & idcirco calor illiuſce partis eventillatur, tranſpiratque. Quam rem ita ſentiiſſe quoque viſus fuit Hippocrates, quum dixerit; (quod Gal. non negavit) *& ab inveteratis ulceribus confert, id agere, ut ſanguis crebro effluat.* Neque, ut opinor, recte à Galeno ad hoc fuit reſponſum. Quam curationem cum Avicenna, tum alii recentiorum maxime commendarunt. Ait Avicenna; *quando corrumpitur, quod eſt in circuitu ulceris, & virideſcit, & nigreſcit, cura id ſcalpellatione, & ſanguinis extractione, nec non cucurbitulis.* Quare non ita damnandus fuerat Theſſalus, qui dixit antiqua ulcera eſſe novanda, ac idcirco labia dura, calloſa, maleque colorata exſcindenda. Quod hæc præcipue ſint impedimento, ne ulcus coaleſcat. Dixit itaque antiquum ulcus, ut recens cruentumque curandum, quan-

In lib. de ulceribus.
In lib. 4. Meth. cap. 4.
Guid. de Cauliero in tract. 4. doct. 1. cap. 1.

quando multa recentia ulcera etiam cava ſint, in quibus primo cavitas carne replenda eſt, & poſtea conglutinatio enæmis medicamentis procuranda; unde Theſſalus quoque ſuppoſuit, recentia cava ulcera prius carne eſſe replenda, quam, ut cruenta conglutinentur. Omnia, quæ Theſſalo Galenus objecit, proſequi noluimus, quod ex iis quiſque intelligere forte queat potius contra hominem quam contra rem Galenum diſputaſſe. Quid mirum? ſi ulcera cacoetia diuturna appellarit, cum cacoetia ulcera perpetuo diuturna reddat, quæ tardiſſime ad cicatricem veniunt. Neque etiam confuſam curationem illorum ulcerum (etſi ſingula particularia ad eam curationem facientia proſequi noluerit) egiſſe viſus eſt, cum præcipua, & quæ certam curationem faciunt, tantummodo fuerit proſequutus. Neque etiam ita reprehendendus fuiſſe videtur, qui cum diuturnitatem tum malignitatem in diuturnis ulceribus curationem indicare affirmaverit: De primo nuper egimus, demonſtrantes etiam Dogmaticorum medicorum dogmatibus tempus in morbis curationem indicare; quod & curationi ulcerum diuturnorum maxime quadrare videtur, nam quemadmodum in horum ulcerum principio & augmento uſum habuerunt medicamenta, quæ quoviſmodo vel fluxionem ulcus facientem prohibebant, vel humorum acutam qualitatem ulcerantem corrigere valebant, vel quæ partis temperiem vitiatam, humores corrumpentem emendare, atque tollere potuerunt; nunc eadem ulcera in ſtatu & vigore conſtituta, vel quadatenus a ſuo vigore etiam declinantia, diſcuſſoriis atque evacuatoriis præſidiis egere Theſſalus docuit, unde ille labiorum facta exciſione ſanguinis in ipſis ulceribus evacuationem commendavit, atque non minus medicamenta metaſyncritica vocata, & præcipue quæ emplaſtro ex ſinapi confecto agebantur, quippe, ut partis (ſecundum Dogmaticos) cacoethia, quæ in vitiata temperie conſiſtit, qua humores vitiantur, tollatur, ejuſque partis imbecillitas reparetur, ſeu, uti Methodicis videbatur, ut meatuum partis adſtrictum, à quo, & cacochymia, & debilitas procedit, removeatur. Quæ tamen præſidia Gal. aperte (ut Theſſalo officeret) reprehendit; & particulatim illa, quæ ex ſinapi fiunt; quoniam hæc, quod vehe-

menter ſint calida & ſicca, incidendo, & erodendo, potius ulcus augere apta nata ſint, atque non minus quod augeant fluxionem humorum ulcus foventium, quoniam attractoria quoque vi polleant: & demum quoniam primum Theſſalus topica hæc præſidia adhibenda, tentandaque eſſe voluerit, poſt hæc (ut ulcus in melius mutetur, & ſanari videatur) purgationem catharticis, ſive eductoriis medicamentis eſſe moliendam. Quæ quidem ſi ita fiant, profecto medendi ordo pervertitur, quando in ulceribus ſanandis, primum locum (omnibus medicis conſentientibus) medicamenta purgatoria habeant, ad purgandos humores ex toto corpore foventes ipſum ulcus, & poſtea ea, quæ ulceratæ parti adhibentur. Verum, etſi hæc vera videantur, tamen non video Theſſalum ita ut ſit à Galeno, reprehendi debere: Etenim ipſe non adhibuit ſinapiſmum ſupra ipſum ulcus, ſed circa id ipſum, ac prope unde ulcus augere poſſe, intelligatur. Præterea totius corporis curam habuiſſe non ſemper, ſed in eo tantummodo, ſi ſinapiſmus non profuiſſet. Nam ſi forte hoc medicamento ulcus melius habuiſſe ipſi fuerit obſervatum, non eſt credendum alia remedia fuiſſe aggreſſurum. Hæc vero medicamina ex ſinapi ad hæc ulcera eſſe utilia, eo quidem fortaſſe nobis perſuadebitur, quod ulcera cacoëthia foveantur à prava partis affectæ intemperie humores affluentes, corrumpente; quæ nihil aliud eſt, quam partis cachexia, cum hæc autem ſinapiſmo corrigatur (mutatur. n. illiuſque partis intemperies à medicamenti iſtius digerente, rubefacienteque facultate) cur reprehendemus Theſſalum, qui tale præſidium propoſuerit? Neque dicendum eſt, morbi cacoëthiam non conſiſtere in vitiata partis intemperie, at in humoribus pravis ab intemperie genitis. Quoniam intemperies, quæ cachexia illius partis eſt, præcipua cauſa ad ulcus faciendum, exiſtit; ſublata enim cachexia, humores non corrumperentur, atque ita incorrupti ulcus non facerent cachoëtes. Si vero ſinapiſmus augeat humoris fluxionem, quod non negarent Methodici, tamen pravam partis intemperiem, qua humores corrumpuntur, & ulcus fovent, corrigit, quod longe utilius eſt ad ſanandum ulcus cacoëthias. Verum quia hæc ulcera diuturna, quæ cacoëthia ſunt, à partis cachexia po-

potiſſimum conſervantur, quippe humores affluentes corrumpente, aptoſque ea qualitate ex corruptione adepta ad exulcerandum ipſos faciente. Neque etiam nobis Theſſalus reprehenſione dignus viſus eſt, in eo quod primo dixerit utendum ſinapiſmo, & poſtea purgandum eductoriis pharmacis: Quando non in omnibus ulceribus ſinapiſmo atque purgatione uti oportere ſenſerit. Etenim in iis, quæ ab evacuato ſanguine per labiorum exciſionem, melius ſe habent, ac ſanitati reſtituuntur, neque ſinapiſmo neque purgatione opus eſſe ulla intellexit, ubi vero à ſanguinis vacuatione ulcera in melius non mutantur, ſinapiſmum eſſe adjungendum, atque demum ſi neque ſinapiſmo ſanentur, etiam purgatione larga eſſe opus, quæ fiat elleboro, vel aliis ſimilibus medicamentis valenter purgatoriis. Hujus vero curationis talis forte ratio erit, quod hæc ulcera aliquando ſolummodo foveantur ab imbecillitate partis ob vitiatam temperiem, quæ cachexia eſt humores corrumpens; & aliquando & ab ea cauſa, & ab humoribus corruptis ex toto corpore fluentibus ad partem ulceratam; ad ulcera, quæ primo modo fiant, ſat erit ſinapiſmus, tollens ipſam partis cachexiam; quæ vero utramque cauſam habebunt, præter ſinapiſmum etiam purgatio erit neceſſaria. At dicunt, ordinem perverti, quando prius purgatio locum habeat, & mox localia medicamenta. Hoc eſſet verum, ſi omnia ulcera diuturna cacoëthia ab utraque cauſa fierent, ſcilicet à partis vitiata intemperie, quæ cachexia eſt, humores corrumpente, atque à corruptis humoribus ex toto corpore, vel ex aliqua parte ad ulceratam partem confluentibus; at quia plærumque hæc ulcera fiunt ab affectu ſolummodo partis, qui ipſam reddit cachecticam, debilemque, atque humores, qui ulcus faciunt, corrumpit abſque ullo humorum ex corpore affluxu. Atque in talibus ulceribus curandis merito Methodici à medicamentis purgatoriis abſtinuerunt, tantummodo affectui partis, ut ipſum tollant, incumbentes, cum nulla purgatione ſit opus, neque utile ſit redundantes humores medicamentis catharcticis commoveri; commoti enim poſſunt, & ad ulceratam partem decurrere, ulcus augere, & ad alias quoque corporis partes commoti, poſſunt varios affectus,

& quandoque graviſſimos concitare: addo etiam eductoriorum medicamentorum uſum, vires debilitare, & præſertim naturales, ſtomachum vero privatim labefactare, appetentiam tollere, ac vitiare, nec non humores corrumpere, & viſcerum probam intemperiem vitiare. Neque injuria Methodici plerumque ab uſu purgantium ob haſce prædictas cauſas abhorruerunt, & non niſi magna neceſſitate coacti illorum uſum admiſerunt. Quid? non ne etiam Dogmatici uſum purgantium timuerunt? cum omnibus eductoriis medicamentis vim quandam ineſſe deleteriam, qua naturæ humanæ adverſantur, cognoverint. Quare neque Theſſalus in ulceribus cacoëthis à partis affectu, nullo humorum affluxu concurrente, ſinapiſmum ſufficere putavit. Ubi vero hæc à ſinapiſmo melius non ſe habeant (quod indicium ſit, adjunctum quoque affectui partis eſſe humorum ex corpore affluxum) etiam purgatione eſſe utendum. Neque eſt, quod aliquis contra Theſſalum dicat, conſultius eſſe ulcus præter partis cachexiam etiam humorum affluxum cauſam habere prius medicum dignoſcere oportuiſſe, atque ita primo purgationem fore præmittendam, & poſt ipſam ſinapiſmum inſtituere oportere. Verum ita reſpondere poſſent, non facile eſſe, ut medicus cognoſcat, partis affectui ulcus facienti humorum ex toto corpore, aut ex aliqua parte affluxum conjunctum eſſe, quod ars cognoſcitiva conjecturis ſæpe fallacibus exerceatur. Quamobrem Methodici utilius dixerunt, ſinapiſmum adhibendum & ipſius utilitatem eſſe prius experiendam, quam ad medicamentorum purgantium (quæ perpetuo prædictis cauſis multum timuerunt) uſum deventum eſſet. Namque certius æſtimarunt, poſſe intelligi, an humorum fluxio ulcus cacoëtes foveat, ex adhibitis medicamentis ad affectam partem metaſyncriticis vi tollendi vitia tam intemperiem (quem ipſi adſtrictum morbum faciunt) præditis. Si enim ulcus non foveatur affluxu humorum, profecto neceſſario ab uſu prædictorum medicamentorum melius ſe habebit, quod niſi in melius mutetur, ſignum erit, fluxionem humorum impedimento etiam eſſe, ne ulcus coaleſcat, atque tunc deprehendi, medicamentis quoque eductoriis, ad purgandos, & revellendos humores à parte exul-

ce-

cerata, opus esse. Objicitur præterea Thessalo à Galeno, quod ulceris quoque malignitatem curationem indicare, dixerit. In qua re non video Thessalios solummodo esse reprehendendos, sed plures etiam Dogmaticorum, qui malignitatem in morbis curationem indicare voluerunt: quid enim? An non Dogmatici in peste pestiferisque febribus, atque in vulneribus venenatis sumpta indicatione privatim à malignitate, alexipharmacis agunt? Cujusmodi est terra sigillata, terra samia, bolus armenus, lapidesque alii, & terræ bezoarticæ. Non ne etiam in vulneribus & morsibus venenatis theriaca, mithridatio aliisque alexiteriis Chyrurgi uti solent? Præsentis vero occasionis non est, ut de hac re, scilicet an morborum malignitas curationem indicet, hic longius agatur, idcirco ad aliud, quod Galenus Thessaliis medicis in nervorum curatione objecit, transeamus; & dicamus non constare nobis, qualem Thessalus curationem particularem ad nervos vulneratos instituerit. Quod fortasse neque Galeno fuisse notum ea conjectura, facile dubitatur, quia Thessali verba de ea curatione non recitaverit, quemadmodum fecit ubi de diuturnorum ulcerum curatione egit. Errores vero quos in curatione nervorum vulneratorum se animadvertisse dixit, non à Thessalo, sed à quibusdam ex Thessali sectatoribus, qui an recte Methodicam medicinam calluerint, haud plane constat, prodierunt. Sed hæc omittamus, & ad ea, quæ Thessaliis in curatione nervorum vulneratorum objiciuntur, veniamus. Primo ii redarguuntur, quod in punctis nervis iisdem medicamentis usi fuerint, quibus uti consueverant in maximis vulneribus, quippe enæmis; idest conglutinantibus; quæ curatio est summe periculosa, quando potius vulnus sit augendum, ut per ipsum humores effluant, quam claudendum, ne exinde dolores, inflammationes & convulsiones pertimeantur, ad phlegmonesque in iisdem concitatos nervis cum præcavendos tum sanandos utendum sit juxta communitatem illorum præcipuam medicamentis laxantibus, scilicet quod inflammatio quælibet sit morbus adstrictus. Ad primum dicimus, Methodicos voluisse omnia quidem vulnera enæmis curari, attamen servatis (ut ajunt) servandis; quando neque constet illos ulcus cavum iti-

In lib 4. Meth. cap. 4.

dem ſtatim coglutinatoriis coaleſcendum ſtatuiſſe, ſed poſtquam cavitas carne fuerit repleta, neque ſordidum, priuſquam fuerit probe deterſum: proinde in nervorum itidem punctionibus non ſtatim ad vulnus conglutinandum ipſos feſtinaſſe, neque minus etiam in omnibus vulneribus, morſibus atque ictibus venenoſis, idem eſſe faciendum; ſiquidem virus primum per vulnus extrahendum fore ducebant, iis, quæ laxant, quod virus in partem vulneratam ſuſceptum, morbum adſtrictum faciat. Unde locum etiam non habebit, quod ab auctore libri de ſectis ad eos, qui introducuntur Galeno tributi, (quem Galeni non fuiſſe auderemus affirmare) Theſſaliis quibuſdam objicitur; ſcilicet eos non poſſe (exempli gratia) recte mederi morſibus à cane rabido inflictis, cum primis diebus nullo ſigno à morſibus, qui à cane non rabido fiunt, interſtinguant? quare illos iiſdem enæmis morſus curaſſe, quibus & illos à cane non rabido factos ſanabant, ſcilicet ſtatim vulnus conglutinantes; unde ex hac prava curatione, clauſo intus veneno, minimeque per vulnus expurgato, quoſdam periiſſe. Nunquam credere potuimus viros alioquin doctiſſimos (quod ex quibuſdam ipſorum fragmentis conjicitur) ſcilicet Methodicos celebriores tam ſtupidos fuiſſe, qui vulnera venenata à communi curatione non exceperint, aliaque via ea curare non voluerint. Eodem itidem modo, & in punctis nervis, eos ſtatim ad conglutinationem veniſſe non conſtat litterarum monumentis, vel à Themiſone, vel à Theſſalo, vel ab aliis, qui in ſecta Methodica claruerunt, poſteritati traditis, licet ſcripſerit Gal. medicum Theſſalium quendam primo enæmis medicamentis in nervo vulnerato adhibitis, & poſtea oborta inflammatione appoſito emplaſtro ex tritico, (quod olim antiqui parabant ex farina triticea oleo atque aqua, & idcirco triapharmacum appellarunt) putredine concitata, interemiſſe. Hic fortaſſe medicus Methodicus non recte Methodicæ ſectæ hypotheſes tenebat, quod eo argumento conjicitur, quoniam ille ad inflammationem in puncto nervo obortam, uſus fuerit ex farina triticea emplaſtro putrefactorio. Quis quæſo Methodicorum fuit, qui unquam docuerit in inflammatione, quæ eſt morbus adſtrictus, perpetuo ſuppurantia convenire, cum

In 6. Meth. med. cap 2.

eum primum illorum dogma fuiſſe demonſtraverimus, in adſtricto affectu laxantia medicamenta convenire, & non ſuppurantia. Theſſalus iis certe uſus non fuiſſet, ſed ſolis laxantibus, cujuſmodi uſum quoque fuiſſe Galenum in nervorum puncturis ad prohibendam inflammationem conſtat; cujuſmodi eſt oleum temperate calidum, antiquum, Sabinumque primum locum habuiſſe ſtatuit, quo uſum fuiſſe ſcribit, cum in nervis punctis, tum circum punctura ipſorum. An non ipſum eſt medicamentum ſecundum Methodicos laxans, quinimo ipſum laxare Galenus in multis locis docuit. Etenim de nervis vulneratis cum dolore ait: Bis ac ter in die, & in nocte ſolitum fuiſſe adhibere fomentum ex oleo calido, quid an non etiam ab eodem oleum è ſeminibus lini expreſſum commendatur? quod itidem nemo negabit eſſe unum ex uſualibus laxatoriis, quæ fuere apud Methodicos in uſu ad morbos adſtrictos: Quare ii non videntur ita graviter reprehendendi, qui nervos vulneratos, maximeque punctos curant laxantibus, & anodinis ratione doloris & inflammationis, quæ in ipſis magno cum timore fieri ſolent. ad quas inflammationes compeſcendas, vel prohibendas etiam in vulnerato capite cum oſſis fractura, ſublato oſſe duræ membranæ affundendum ſanguinem columbi atque roſaceum temperate calidum, voluit, complureſque oleo ſolummodo roſaceo affuſo calido nullum periculum incurriſſe & ſanantos fuiſſe Galenus itidem ſcripſit. Igitur neque in nervorum, nervoſarumque partium vulneratarum curatione Theſſali methodus tanta reprehenſione digna videtur. Veluti Methodici putarunt, magna quoque ventris vulnera enæmis præſidiis eſſe conglutinanda, ſervatis tamen ſervandis, ſcilicet in primis aliarum internarum pratium prius habita accurata conſideratione. Neque enim ita ſtupidos fuiſſe medicos Methodicos, qui ſpacio quatuor centum fere annorum ſuper omnes alias ſectas (uti ſuperius à nobis demonſtratum eſt) in medicina claruerunt, cenſendum eſt, ut ventris magnum vulnus ſtatim nulla partium internarum habita conſideratione claudendum enæmis voluerint, ſed poſt accuratam internarum partium curationem credendum eſt voluiſſe hanc indicationem locum habere, ita ut quæ prima in mente illorum

In 6. Meth. med. cap. 7. In 1. de comp. med. ſecundum loc. cap. 8.

In lib. 10. ſimpl. cap. de ſanguine columbino in 7. de comp. med. ſecundum loc. de plaga capitis à percuſſore.

fuerit indicatio, poſtremum locum in executione habuerit.

In 5. Meth. med. cap. 15. Eodem itidem modo Galenus Methodum Methodicorum damnavit, ex eo quod in ſputo ſanguinis ex ulcere pulmonis mittant ſanguinem, quod nihil aliud ſit, quam in morbo laxo uti medicamento laxante, ſanguinis enim vacuatio (auctore ipſo Galeno) medicamentum calaſticum, id eſt laxans eſt. Ad quod, non inconvenire aliquando dicimus ex accidenti morbum laxum præſidio laxante tolli, perinde ac Dogmatici etiam dicunt, fluxum ſæpius tolli. At conſultius quoque Methodici reſponderent, non omne ſanguinis ſputum laxum morbum dici, ſed illud ſolummodo, quod fit, ubi ſanguis immoderatius ita effluit, ut in corpore magnam noxam inducat. At eſto etiam quod ob eam cauſam immoderatius ſanguis effluat, ita ut ſit morbus laxus, non inconveniet revulſionis & diverſionis gratia ad ſiſtendum illum fluxum modicum ſanguinis, ut poſterius clare demonſtrabitur, vena ſecta, vel alio modo educi, Quomodo ſæpius Dogmatici hæmorrhagias, menſes immoderatius profluentes, vel hæmorrhoidas ſiſtere conſueverunt. Atque hæc ſunt, in quibus Medicina Methodica à Dogmaticis damnatur.

CAP. XVI.

Methodicis objicitur, quod non exerceant medicinam ad homines particulares, ſed ad hominem communem, & genericum.

In 3. Meth. med. cap. 7. STupidiſſimos Methodicos vocat Galenus, eoſque extremæ dementiæ dixit, communem eſſe omnium hominum curationem putantes, quando non homo communis & genericus ſit curandus, at particulares homines, natura, ætate, ſexu, conſuetudine atque ſtudio inter ſe diſtincti: Si itaque inter ſe homines hiſce de cauſis ſunt differentes, etiam quemque illorum differentem curationem, quæ ad ipſum curandum aliquid veluti proprii habeat, habere eſt opus. Unde Theſſalus, quod inſtituerit Methodum medendi, qua non particulares homines cu-

curantur; ſed communis & generalis homo maximè damnandus videtur. Verum (ut verum aperte fateamur) non ita fuiſſe ab omnibus judicatam hanc ſectam ea ratione intelligitur, quia ceteris omnibus ſectis medicinæ (dico Empiricæ & Dogmaticæ ſeu rationali) tot annis, uti alias dictum eſt, ita prævaluit, ut non ruſticos & plebeos, ſed viros doctos, philoſophos, nobiles, magnates, principes, atque Imperatores ſibi ipſi maxime addictos habuerit. Neque medici eam ſectam in villis, in oppidis, & in aliis locis vilibus exercuerunt, in medendique arte ipſi tantum claruerunt, at quinimo in maximis celeberrimiſque civitatibus, cujuſmodi fuit olim magna Roma, in eoque præſertim tempore, quo ipſa imperatoribus maximis floruit, creditaque merito eſt, omnium civitatum regina, & metropolis. Cur itaque iſtius ſectæ, illis temporibus admodum celebris ejus ſectatores fuerunt ita ſtupidi, & dementes judicandi? certe Galenus contra Theſſalios magis contumeliis, quam argumentis agere multis videbitur, qui accurate omnia, quæ Galenus adverſus hunc unum Theſſalum, cujus fuit hoſtis acerrimus, ſcripſit, animadverterint. At rem aggredior, ut oſtendam curationem illam generalem & communem quam homini communi tantum, & non particulari convenire Dogmatici ſtatuunt, haud videri ita inutilem, & pernicioſam, licet ipſis primo objiciatur, uti dictum eſt, non homines particulares eo medendi modo curari, ſed hominem genericum & communem, quæ opinio vel unico hoc argumento à veritate abhorrere, videtur, quod ſingulis particularibus non una curatio propter ipſorum differentem naturam, ætatem, ſexum, conſuetudinem atque ſtudium, convenire poſſit. Etenim quis medicorum eſt quem lateat, in calidiori corpore exempli gratia minus laborandum ad tollendam febrem, quam in frigidiori? idque propter majorem, & minorem à naturali ſtatu receſſum, atque ita etiam in ſicciori corpore ulcerato validiora ſiccantia convenire, & humidiori, minus efficacia. Ex quo cognitum eſt, agreſtioribus, atque robuſtioribus corporibus valentiora medicamina convenire, & mitiora imbecillioribus. Huc accedit etiam, quod alia medicamenta

Gal. in 3. Meth. med. cap. 7. In 2. ad Glauc. cap. 3. In 6. Meth. med. cap. 3. In 6. de comp. loc. med. c. ult. In 2. de comp. ſecundum natur. cap. 11. & in 3. cap. 3.

pueris, alia juvenibus, alia adultis, atque alia ſenibus convenire quotidiana experientia cognovit, pueri quidem neque vacuationes inſignes, neque purgationes ferunt, ut Juvenes & adulti faciunt. Quare iſtis rationibus Methodicorum generica curatio à Dogmaticis eſt exploſa. Quæ fortaſſe, ut defendatur haud multis quoque rationibus indigna a quoquam eſtimabitur: Siquidem omnium teſtimonio & confeſſione conſtet, corpora omnium particularium hominum, ex iiſdem conflata eſſe principiis, ſcilicet ab iiſdem elementis, humoribus, atque partibus, à quibus unica ab iis natura fluxit, quam eandem ſingulis ineſſe cognoſcimus: neque enim individua ſpecie differunt, ſed quibuſdam accidentibus, quorum varietate in ſingulis curandis, medicamenta non natura, ſed potius efficaciori vi, & minus efficaci diſtincta conveniunt; unde hæc ipſa ad ſingulares homines curandos varia inter ſe erunt (ut aiunt) ſecundum magis & minus, id eſt ſecundum majorem & minorem vim, qua donata ſunt, atque hac ſolummodo differentia curatio generica, à particularium hominum curatione interſtinguet, quoniam ad particulares homines, natura, ætate, ſexu, ſtudio, conſuetudine diſtinctos, perſanandos, ea quidem cognita eſſe debent medicamenta, quæ efficaciter agunt, atque illa non minus quæ blande: Medicos ſiquidem omnes haud latet, pueros, eunuchos mulieresque molles, non ferre prævalida evacuantia, atque purgantia; & viros adultos, robuſtos, agreſtes prævalidis juvari: quod in curandis quoque affectibus maxime animadvertitur. Nam pueri febre, vel phlegmone vexati, neque ſanguinis vacuationem, neque purgantia valida æque, ut viri iiſdem malis laborantibus, ferrent, neque ulcera in iiſdem æque ſiccantibus medicamentis tollentur, in his efficaciora ſiccantia, atque in illis debiliora, requiruntur. Itaque ex iis facile intelligimus, non ita damnandam eſſe genericam Methodicorum curationem, qua ne dum homini generico, at quinetiam particularibus hominibus differentibus temperamento, ætate, ſexu, ſtudio, conſuetudine & quibuslibet aliis differentiis diſtinctis, mederi poſſe, adnotatis in medicamentis quibuſdam pauculis differentiis, quæ penes ipſorum majorem & minorem agendi vim,

vim, animadvertuntur. Quo non mirum eſt, ſi medicamenta, convenientia homini communi, etiam particularibus hominibus probe convenire ea cautione videantur. Quæ res facile nobis innoteſcet, præmiſſis quibuſdam, & primo, quod ſolæ animalium ſpecies & non particularia individua proprios ac diſtinctos habuerint cum cibos, tum medicamenta; atque ita, ut in ipſis diſtinctiſſima obſerventur. Unde Gal. merito facultates medicaminum experientia cognoſcendas ad hominum uſum docens; dixit: *In primis quidem ac maxime ſumendum eſt judicandæ facultatis experimentum ab ea re ad quam dicitur, ſiquidem non protinus ſi hominem refrigeret cicuta, & ſturnum refrigerabit: aut ſi ſturnum nutriat, nutriet & hominem, eadem ratione, neque ſi hominem purget veratrum continuo purgabit & coturnices.* Quod tamen in individuis non ſervatur. Etenim veratrum omnibus coturnicibus eſt cibus, ſingulæque coturnices eo cibo nutriuntur, veluti eo cibo omnes homines purgantur, idem quoque eſſe de medicamentis à multis traditum eſt neque immerito, cum, ut quædam ex innumeris perſtringam, experientia cognitum ſit dictamnum exempli gratia non uni cervo at ſingulis cervis vulneratis remedio eſſe, & veneno ſingulis cervis infectis cancros fluviatiles cinaramque adverſari, & adverſus morſus venenatos muſtellæ cuilibet rutam dovoratam eſſe auxilio, & ciconiæ origanum, urſo formicas; cunilam teſtudini, apro hederam, oleaſtrum elephanti, corvo laurum, lactucamque ſylveſtrem draconi. Non enim uni tantum bruto, ſed cunctis & ſingulis hæc medicamenta prodeſſe, cognitum eſt, longus quidem & nimius labor naturæ fuiſſet: ſi ſingulis ejuſdem ſpeciei brutis, ſingula monſtraſſet medicamenta, compertum enim eſt, quod uni ejuſdem ſpeciei animali ad medendum convenit, ſingulis omnibus ſuæ ſpeciei convenire. Ad purgandum quoque eodem modo natura in ſingulis animalium ſpeciebus ſe habuiſſe conſtat, ut quædam medicamenta purgantia illas ipſa docuerit, quæ omnibus brutis ejuſdem ſpeciei ad corpus excrementis exonerandum, conducant; non ne feles commanſis graminis radicibus vomitione purgantur? an non canes lauro? accipitreſque voratis ſuis ipſorum pennis? palumbes vero, graculas, merulas,

las, lauri itidem folio annuum faſtidium purgare, & columbas, turtures gallinaſque helxine, anateſque, anſeres, atque ceteras aquaticas aves ſyderiti herba, & grues paluſtri junco, Plinius teſtatum reliquit? Quid itaque non ne verum eſt? naturam diverſis animalium ſpeciebus quædam monſtraſſe præſidia, quibus ad morbos particularia animalia uti queant? certe quidem, namque (uti dictum eſt) eodem modo ſe habent animalium ſpecies ad medicamenta, quo ſe habent ad nutrimenta. An non hordeum, avena, zea, fagopyrum, fœnum cibus eſt omnibus equis, muliſque; veluti triticum omnibus hominibus? non enim equorum mulorumque aliqui licet temperamento, ætate ſexuque quodammodo differant, hunc cibum reſpuunt, vel ipſum aliqui illorum non ferunt. Panis etiam è tritico paratus ita ſingulis hominibus eſt opportunus cibus, ut nullus ipſum reſpuat, neque ullus ipſius uſu ledatur; non enim Socrati convenit, & Platoni (quod à Socrate ipſe temperamento diſtinguatur) nequaquam: neque ſolis pueris, at ſingulis cum pueris, tum juvenibus, tum aliis alterius ætatis hominibus cibus eſt opportunus, non ſecus & viris & mulieribus, & ruſticis, & urbanis conducit, plebeis, philoſophis atque aliis ſtudio differentibus. Quare eodem modo de medicamentis erit ſentiendum, quippe quod uni homini conducit, ceteris aliis omnibus conducere; neque varia corporum temperamenta, ſexus, ætates, ſtudia, medicamenti eſſentiam ſive naturam unquam evariant, ſed quantitatem ſolummodo, & ipſorum medicaminum agendi efficaciam, cum ex iis quidam homines minus efficacia ferant, & quidam etiam valde efficacia exoptent, ipſiſque juventur. At rem hanc exemplis quibuſdam illuſtremus, & confirmemus, quid, an non cognitum eſt, unico medicamento innumeros fere homines ab eodem affectu, perſanatos fuiſſe? non ne Æſculapius Romam peſtilentia infectam ſolo Theriacæ uſu ſanavit? quid non ne omnibus hominibus, calidi, frigidi, humidi ſiccique temperamenti, cujuſvis ætatis, ſexus ſtudiique peſte infectis Theriaca fuit utilis? Quid etiam, non ne Galenus expreſſum reliquit, in quadam peſtilentia, omnes homines cujuſvis temperamenti, ætatis, ſexus, uſu boli ar-

armenii (quem fuiſſe terram ſinopicam Dioſcoridis putamus) per os devorati fuiſſe juvatos? Quid etiam de lapide bezoartico dicemus? an non omnibus utiliter datur, ad venenum devoratum, & ad febres peſtilentes? certe quidem. Si vero de medicamentis quoque venenoſis loquamur, non ne cicuta, opium, cantharis, bupreſtis, ſalamandra, taxus & alia ſimilia omnes homines cujuslibet temperamenti, ætatis, ſexus, ſtudii, graviter lædunt? Neque eſt, ut quis diçat, quoddam venenum devoratum non eoſdem particulares homines æque lædere, quinimo quibuſdam devoratum nihil læſiſſe; quod etſi quandoque contingat, non ideo fit, quia in hominibus temperamento, ætate, ſexu aliquo pacto invicem diſtinctis diverſe agat, ita, ut quoſdam lædat, & interimat, & quoſdam non, at aliam in cauſam varia à veneno devorato operatio erit referenda, quæ erit in quibuſdam venenum gravem noxam non inducere, aut quod ejus quantitas nimis exilis fuerit adeo, ut priuſquam cœperit agere, fuerit ab expultrice natura, vel per alvum, vel per ſudorem, vel per urinam, vel per vomitum excreta; aut quia venenum antidotum invenit in ſtomacho, cujus vi impeditum agere non poteſt, quando cibus pinguis ac unctuoſus in ſtomacho exiſtens, vim veneni hebetet, ac retardet, quoad una cum excrementis excernatur. Quare illa varia veneni in variis hominibus operatio, non à differentia naturæ, vel ætatis, vel ſexus, vel alterius conditionis provenit, ſed à cauſis prædictis. Eodem modo ſi loquamur de alexipharmacis, & alexiteriis, idem verum eſſe comprehendemus, quando & hæc omnibus particularibus hominibus vel veneno infectis, vel à fera venenata demorſis, medicamenta ſint, neque varie agant ratione varii temperamenti, ætatis, ſexus, ſtudiique, ſed quinimo ſingulis remedio ſint. Scribit Galenus de Theriaca, eam eſſe optimam, quæ omnes homines à viperis demorſos ſanat; quinimo dixit, neminem ex demorſis à viperis, qui theriacam devoraverit, interiiſſe. Si itaque omnes demorſi à viperis Theriaca ſanantur, quomodo verum erit rationalium medicorum dogma, quod medicamenta in corporibus temperamento, vel ætate, vel ſexu, vel ſtudio, diverſis ac variis, non eadem, ſed varia quoque eſſe debeant? Accedit,

quod ſi non eadem medicamenta, particularibus hominibus natura, vel ſexu, vel ætate, vel ſtudio, differentibus convenirent, ergo in variis hominibus à viperis exempli gratia demorſis varia medicamenta alexiteria convenirent, neque unicum omnibus conduceret alexiterium, quod tamen omnes falſum intellexerunt, quoniam ſola Theriaca (Galeno auctore) ſanat omnes à viperis demorſos: adde quod ſi hoc eſſet, non tantum ratione variorum hominum demorſorum, at quinimo etiam ratione ſingularum viperarum mordentium, natura, ætate ſexuque diverſarum, alexiteria varia eſſe debuiſſent, quod ſi fieret, medicamenta ferme innumera eſſe deberent alexiteria, cum tamen pauca ſint, quæ omnibus à quibuſvis ſerpentibus vipereis demorſis efficaciter medentur. Quid etiam an non Galenus affirmavit? omnibus hominibus à cane rabido demorſis antidotum ex cinere cancrorum fluviatilium uſtorum ita conducere, ut hæc antidotus multis diebus per os aſſumpta quoslibet demorſos à cane rabido ab hydrophobia ſive à rabie ita præſervaverit, ut ne unus quidem ex iis, qui antidotum devorarunt, rabie fuerit tentatus. Item de alyſſo ad rabiem ſcripſit. Ceterum ſi de purgatoriis etiam ſermo habeatur, quid an non omnes purgant? Veratrum devoratum omnes quidem homines cujuſvis conditionis purgabit, idem ſcammonium, colocynthis, elaterium & ſi quibuſdam non conveniat veratrum, vel ſcamonium vel aliud ex medicamentis eductoriis, hoc non fit, quod propter differentem vel naturam, vel ætatem, vel ſexum, vel ſtudium diverſum, non purget, at quod vel nimis purgat & agitat, vel minus quam ſit opus. Quapropter cum ſingulis hominibus, licet differant, natura, vel ætate, vel ſexu, vel ſtudio, eadem medicamenta convenire hactenus demonſtraverimus, quis quæſo non intelliget, Galenum contra Theſſalum conviciis potius, quam rationibus egiſſe? neque enim ſtupidi & extremæ dementiæ erunt dicendi, qui conſtituta generica curatione (quibuſdam & pauculis exceptionibus animadverſis) particularibus hominibus mederi poſſe, exiſtimarint: quod Methodici fecerunt, qui hypotheſi generica conſtituta (quod omnes morbi vel ad adſtrictum vel ad laxum reducantur) in omnibus corporibus, cu-

cujuſvis naturæ, ætatis, ſexus, temperamenti, ſtudiique, morbo adſtricto vexatis, laxantibus medicamentis eſſe utendum, & in laxo, adſtringentibus voluerunt. atque hæc pauca nobis de hac re ſufficiant.

CAP. XVII.

De parte prophylacticae, quam Methodici cognoverunt.

Demum addimus communitates partis medicinæ prophylacticæ, id eſt præſervatoriæ: De quibus auctor libri medici vocati ita habet: *Jam vero præter quatuor chyrurgorum communitates eſt & ſpecies, quam προφυλακτικὴν id eſt præſervatricem appellant. Apponitur autem & ipſa, ut communitas, in deleteriis & toxicis, beſtiiſque omnibus, quæ virus inſpuunt, tum venenoſis volatilibus, & terreſtribus aquatilibuſque. Nam commune omnium genus, ut ſint exitialia, non tamen ad adſtrictum & fluens.* Cap. 3. Ex his apparet Methodicos habuiſſe ſive exercuiſſe partem hanc medicinæ præſervatoriam ſolummodo in deleteriis medicamentis, ſive venenis, quæ devorata interimunt, & in morſibus, & ictibus beſtiarum venenoſarum. In hiſque communitas eſt, quod hæc ſcilicet venena, & morſus, ictuſque venenati ſint exitialia, idcircoque ab ipſis indicari medicamenta cum alexipharmaca tum alexiteria, quæ noſtri antidota, & Theriacalia vocant. Quorum quidem medicamentorum uſu homines cum à venenis præſervantur, tum à morſibus, ictibuſque venoſarum ferarum. Unum adnotamus, quippe illam præſervatoriam communitatem Methodicos ſolummodo in venenis, morſibuſque, & ictibus venenatis cognoviſſe, neutiquamque in alia parte medicinæ, quæ etiam ab aliis affectibus in quos homines, & ob pravam victus rationem, atque ob alias cauſas delabuntur præſervare docet: Idque fortaſſe, ut putamus, ita erat, quia olim medici forte non omnium malorum præſervationi dabant operam, ſed ſolummodo (uti dictum eſt) venenorum, quæ per os aſſumuntur, aut venenoſorum animalium morſu vel ictu corporibus communicantur, prophylacticæ; ob eamque fortaſſe cauſam, quod

hæc exitialia atque mortifera ſint, & ab ipſis clam poſſint homines extingui: ex quo hujuſmodi præſervatio ſingulis hominibus cujuslibet conditionis utilis fuit æſtimata, maximeque omnium, Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Magnatibus, atque divitibus utiliſſima ab omnibus ipſa fuit exiſtimata. Idcircoque olim apud antiquos hæc præſervatio in magna exiſtimatione eſt habita, atque ob id accurate exculta, ne veneno Reges, Principes, aliique perpetua formidine tenerentur, atque ſæpius interimerentur; cui & illam, quæ pertinet ad morſus, & ictus beſtiarum venenoſarum; (quod eodem modo ab ipſis veneno itidem homines infecti periculum repentinæ mortis ſubeant) Methodici forſitan adjunxerunt, in ipſiſque cum venenis, tum morſibus ictibuſque animalium venenoſorum præcipuam medicinæ partem prophylacticem conſiſtere ii exiſtimarunt, aliorum affectuum, (quia omnes mortiferi non ſunt) non admodum formidatorum ab hominibus, præſervationem methodo curativa complexi. Unum ſcitu dignum eſt, quamobrem hanc communitatem prophylacticem ad adſtrictum & laxum non retulerint. Namque videbatur hæc commode ad adſtrictum morbum poſſe reduci; etenim venenum devoratum quod inflammat, putredinem concitat, dolores & alia ſimilia inducit, adſtrictum affectum facit, quod profluvium ſanguinis vel excrementorum inducit, idem affectum laxum efficit, veluti virus ab ictibus, & morſibus ſerpentum, ac aliorum animalium venenoſorum in partem vulneratam ſuſceptum, & poſtea in totum corpus diffuſum, morbum profecto adſtrictum concitat. Hæmorrhous vero ſerpens excipitur, qui morſu primo etſi adſtrictum morbum faciat, quippe corpori virus per partem demorſam affundens, tamen hoc virus proprietate quadam meatus corporis immodice laxando immoderate ſanguinis profluvio demorſos homines interimit. Plerique vero morbum adſtrictum facere videntur, unde mirum non eſt, ſi Dioſcorides, Nicander, & alii omnes primo ad venena devorata laxantia medicamenta (uti olea dulcia ſunt, adipes, decocta meliloti, ſeminum lini, fænugræci, altheæ atque ſimilium) maximis laudibus commendaverint: & ad morſus venenatos ictuſque, ſcari-

rificationes, circinationes, inuſtiones, putrefacientia, & ulcus dilatantia, ſordidumque facientia; quinetiam ad partem demorſam cucurbitulas, ſanguiniſque quinetiam per venam ſectam evacuationem, atque purgationem quæ ſit medicamentis laxatoriis, in familiari uſu omnes habuerint: quæ omnia laxantium præſidiorum genere comprehendantur. Non retulerunt tamen (uti dictum eſt) venenum, morſus, ictuſque venenatos ad adſtrictum vel laxum, ea forſitan de cauſa, quod hoc pertineret ad methodum curativam, nequaquam vero ad prophylacticem. Hæc ſolis alexipharmacis, atque alexiteriis medicamentis (quæ cum venenis, tum ſerpentibus, aliiſque feris venenatis à tota (ut medici ajunt) ſubſtantia maxime adverſantur) perficitur. Quorum uſus non tenebatur ſervare, neque laxi, neque adſtricti rationem. Si vero iis medicamentis, quæ non occulta vi à tota ipſorum ſubſtantia proficiſcente, ſed manifeſtis qualitatibus, agunt, ad venenatos quidem uti voluerimus, curatio à laxo & adſtricto recte poterit indicari; quando virus, aut in vulnus à virulentis vel beſtiis, vel telis profectum, ſuſceptumque, aut per os devoratum adſtricti affectus rationem quadantenus habeat. cum intra corpus ſit, vel in partem à beſtia, aut à telo venenato ſauciatam, ſuſceptum, morbum adſtrictum faciat; ac proinde laxandum indicet. Unde eſt, quod in vulnere venenato vulnus non ſit continuo cicatrice claudendum, ſed per plures dies apertum ſervari debeat, ac vel etiam quandoque ampliandum, cum adſtricti affectus rationem habeat. etenim intra corpus virus deliteſcens, vel inflammationem concitat, vel putredinem accendit, vel dolores ſævos, vel ſyncopem, vel alium affectum ſimilem creat, ex quo ſane conſtat, dignum reprehenſione fuiſſe illum medicum Methodicum, qui vulnus, à morſu canis rabidi inflictum ſtatim clauſit, cicatriceque ipſum obduxit, unde hydrophobia ſive rabies, qua homo interiit, fuit ſubſecuta. Cum ex Methodicorum dogmatis vulnus cicatrice claudi haud debuerit, ſed potius augeri, & diu apertum ſervari (ut virus adſtrictum educeretur) ipſum oportuiſſet. Non ſecus etiam de epoto veneno obſervandum, dicimus ſcilicet, ipſum habere morbi adſtricti rationem, quare laxandum eſſe.

Gal. in libro de ſect. ad eos quod introd.

Quod dogma Dioſcorides Anazarbeus ſcribens de venenatorum curatione in communi, dixit: quam primum in ipſis venenum fore per vomitum educendum, laxantibus medicamentis copioſius epotis, atque poſtea per ventrem clyſteribus itidem laxantibus injectis. Methodici itidem, quod etiam à Dogmaticis medendo obſervatur, quandoque ſanguinem vel ſecta vena, vel alio modo evacuant, eductoriiſque medicamentis purgationem moliuntur, ſudorificis, atque diureticis itidem evacuant. quæ præſidia calefactorum, id eſt laxantium genere, omnia quidem comprehenduntur, atque hæc nobis ſufficiant, de communitatibus medicinæ partis prophylaticæ Methodicis cognitis. Fortaſſe poſterius de hac parte prophylaticæ ex Methodicorum mente accuratius ſcribemus, ut de omnium affectuum præſervatione Methodica via diligens ratio à nobis habeatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

PROSPE-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

In quibus Methodici à Dogmaticis dissentiant.

METhodici in multis à Dogmaticis dissenserunt, & primo quod ii omnes morbos ad adstrictum vel ad laxum reduxerint, quoniam ipsi voluerunt, in meatuum homini corporis symmetria, sanitatem, & in ametria, morbum consistere: Dogmatici vero tametsi & ipsi non negarint, morbum dari in meatuum vitio, etiam morbos simplices dari, quos in intemperie constituunt, voluerint, scilicet, calidos, frigidos, atque siccos; & hos aliquando in nuda qualitate constitutas, & aliquando in qualitate cum materia. Præterea & in organicis partibus morbos complures fieri didicerunt, quos ipsi aut in naturali mutata conformatione constituunt, aut in vitiato partium organicarum numero, aut in magnitudine vitiata, aut in mala compositione, aut denique in soluta earum partium unitate, qui morbus communis est & similaribus & organicis partibus. Et quod pertinet etiam ad meatuum morbos, Dogmatici quoque ab ipsis differunt, etenim (uti auctor est Galenus) Methodici morbos præsertim in meatuum occultorum, insensibiliumque vitio constituisse visi sunt, cujusmodi sunt meatus cutis, quos Græci poros appellant; Dogma-

In libro de diff. morb. cap. 5.

gmatici vero non tantum inſenſibilium atque occultorum, at quinimo omnium aliorum, qui ſenſibus manifeſti ſunt, quales venarum, arteriarum, inteſtinorum, aliorumque partium ſimilium. Non recte tamen intelligimus, quomodo verum eſſe potuerit Methodicos conſideraſſe tantummodo vitium meatuum cutis, non autem aliarum partium; cum Methodici febres putridas, phlegmones internos, tumores, obſtructiones, morbos adſtrictos fecerint; de qua re alias accuratius tractabitur, nunc reliqua proſequimur, in quibus Methodici à Dogmaticis diſſentiunt. Itaque (uti dictum eſt) non conceſſerunt morbos à ſolis primis qualitatibus immoderatius auctis fieri, quod elementa haud ipſis qualitatibus primis, ſed ſecundis mutuo alterentur, generentur, corrumpanturque, quippe vel rarefaciendo, vel denſando. Non enim aqua in aerem mutatur ignis caliditate, tanquam immediata cauſa in ipſam agente, ſed ipſam extenuando rarefaciendoque, rarefacta enim aqua fit aer, atque ex aere denſato a frigiditate rurſus fit aqua; præterea negant etiam humores in corporibus exuperantes per ſe ſolos morbos facere poſſe, etenim ni ipſi humores ab alia cauſa moveantur, profecto morbos concitare non putarunt. Alias (vidimus) Galenum ſcripſiſſe quoſdam multos annos (licet humoribus multis abundaverint) ſanos vixiſſe, quoniam eo toto tempore, meatuum corporis ſtatum commoderatum habuerunt. Tertio ad indicandum curationem, non eſſe tempus conterendum, putarunt, in variis corporum naturis, temperamentisque animadvertendis, non minuſque inutilem eſſe exiſtimarunt, cognitionem variarum ætatum, ſexuum, conſuetudinum, ſtudiorum, cœli, regionum, annique temporum, atque etiam variarum partium affectarum, in omnibus vero phlegmonibus nudis laxantibus utendum eſſe, nullis adſtringentibus ad robur viſcerum admiſtis, voluerunt.

CAPUT II.

Primas qualitates morbos non facere, ac proinde ab ipſis veram curationem ex Methodicorum dogmatis, non indicari.

METhodici neque ſimplices qualitates, neque humores morborum cauſas præcipuas, ita ut ab ipſis curatio indicari queat, eſſe voluerunt. Primas quidem qualitates quippe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, atque ſiccitatem, per ſeipſas morbos non facere eo argumento forte opinati fuerunt, quod hæ non immediate, ſed mediis ſecundis qualitatibus morbos facere obſerventur. Non negarent medici (quod Galenus demonſtravit) corpus totum, atque partem etiam corporis morbo calido affici, ex caliditate utique poſſe, cum certo certius illiud verum eſſe apud omnes conſtet; eodem itidem modo a frigiditate, humiditate, ſiccitateque partes corporis morbis frigidis, humidis atque ſiccis affici. Quod vero pertinet ad morbum calidum, compertiſſimum eſt, à calore ſolis, vel ignis, vel ab alia cauſa calida febrem corporibus induci, parteſque reddi uſque adeo calidas, ut ipſarum partium actiones lædantur, verum caliditatem immediate morbum calidum facere ii dubitaſſe viſi ſunt, quod mediante quidem rarefactione à caliditate ſpiritus, atque humores accendantur; veluti aqua ignis caliditate rarefacta ferveſcit, ita corpus refrigeratur, à frigore poros denſante, caloremque à corpore calido compellente, quia enim à frigiditate ſpiritus, & ſanguis intus compellitur, ideo pars frigeſcit, quæ à caliditate rarefaciente, evocanteque ſanguinem & ſpiritus itidem recaleſcit. Idem de humiditate atque ſiccitate deque morbis humidis & ſiccis dicendum videtur: Namque humiditas quoque rarefaciendo in ſicco corpore humidam qualitatem inducit, quod quisque intelliget, ſi terram in hyeme aquilonia à gelu ſiccatam, pluvia ſuperveniente humefieri animadverterit, eodemque etiam modo terram humefactam ſuperveniente ſiccitate ipſam denſante

In libro de diff. morbo.

Gal. in 3. de temp. cap. 4.

ſiccam reddi, obſervamus. Quare ea ratione caliditas rarefaciendo ſpiritus, & humores, morbum calidum inducit, frigiditas cogendo calorem nativum intus, ipſumque à parte vivente repellendo, ita refrigerat quandoque ut pars ſuffocato calore in gangrenam provehatur. Siccum quoque morbum patitur, corpus, uti in atrophia fit, ſiccatione meatibus ita denſatis, ut ſanguis nequeat deferri ad nutritionem faciendam, atque demum humiditas humidum quoque morbum facit. Humiditatem enim immodicam laxare rarefacereque ex eo quiſque cognoſcet, qui terram omnium elementorum denſiſſimum elementum affuſa aqua liqueſcere animadvertit. Itaque qualitates elementorum primæ non propriam inducendo, ſed vel rarefaciendo corpora alterare, ii forte voluerunt, illos quidem philoſophos ſecuti, qui raritatem & denſitatem rerum principia eſſe putarunt. Atque hinc generatio & corruptio videtur hiſce duobus principiis foveri, ac perfici, cum eodem modo ſe habeat generatio, atque corruptio in mixtis, quo in elementis: in elementis vero alteratio nulla alia eſt, quam rarefactio & denſatio: Etenim terram omnium elementorum denſiſſimum in aquam mutari, rarefactione, ſuperius dictum eſt, aqua itidem in aerem mutata rarior redditur, & omnium maxime aer, ubi in ignem fuerit itidem mutatus. Non enim elementorum generationem & corruptionem primis ſolummodo fieri qualitatibus, obſervamus, quippe calorem à frigore, & frigus à calore pati, & humidum à ſicco, atque ſiccum ab humido: potius qualitates primæ activæ a paſſivis pati videntur, caliditatem enim a frigiditate non corrumpi, & mutari in frigiditatem, forte eo argumento deprehendimus, quod in materia combuſtibili accenſus ignis, æque ab aqua cum frigida tum calida extinguatur, ſi enim caliditas à frigiditate extingueretur, recte nobis perſuaderetur, haſce duas primas activas qualitates mutuo agere & pati, ſed cum (uti dictum eſt) exempli gratia, carbones igniti affuſa aqua cum frigida tum ferventi æque extinguantur, neceſſario innoteſcit nobis, caliditatem vel ab humiditate tanquam à contrario pati, vel ab aquæ denſiori ſubſtantia ignem ſuffocante, ſive extinguente raram ipſius ſubſtantiam.

tiam. Quare elementa cum non à primis, ſed à ſecundis qualitatibus mutuo agere & pati videantur, particulatimque à rarefactatione & denſatione, ergo etiam caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas mediantibus ſecundis qualitatibus ſcilicet rarefactione & denſatione morbos ſimplices facient. Pars quidem corporis ab ignis caliditate (uti nuper dictum eſt) rarefacta incaleſcit, quo ad ipſam fertur copioſus ſpiritus & ſanguis, qui itidem à calore rarefacti, ſunt in cauſa, ut adhuc copia major ſubſtantiæ calidæ attrahatur, unde partem morbo calido affici eſt neceſſarium, & ita ab intenſa frigiditate extima pars corporis intenſe refrigeratur, ita, ut frigido morbo laboret, quoniam intenſa frigiditas in partibus debilibus denſando meatus, repellit intus ſpiritus atque ſanguinem, ſeu melius innatum calorem, qui per poros cutis eventatur, atque idcirco pars cum exanguis a frigiditate repellente reddatur, merito frigeſcit. In corporibus robuſtioribus, partes refrigeratæ ab intenſo frigore poſtea recaleſcunt. In debilioribus vero, calor denſatis meatibus ſuffocatione extinguitur, unde tum inſignis partis corruptio ſubſequi ſolet, à qua gangrenæ fiunt. Hoc exemplum ſcilicet aquæ inſigniter frigidæ large alicui parti affuſæ, demonſtrat nobis, à frigiditate ſtipata, clauſaque ſumma facie corporis, fieri repercuſſum & refractum ejus caloris, qui à profundo aſcendit: qui quidem propter difflatus inopiam intro acervatus, ſimul itidem propter frigidi circunſtantis violentiam in altum recedit, & ex ſuccis illic exiſtentibus enutritur, deincepsque intro ipſo collecto auctoque ad ſumma corporis violentius ruente fieri ejuſdem caloris repercuſſum conſtat. Quare in robuſtis partes refrigeratæ poſtea denuo recaleſcunt, & in debilibus nunquam recaleſcunt. Unde Galenus merito dixit: *Nam aquæ frigidæ occurſus aut vincit nativum calorem, aut colligit: vincit quidem cum debilis fuerit, colligit autem cum fortis, ipſum continens ac difflari prohibens.* Aliis etiam multis rationibus Methodicis fuit perſuaſum primas qualitates non facere morbos per ſe ipſas, ſed mediantibus quidem ſecundis, quam rem vel etiam Hippocrates in libro de veteri medicina, accurate diſputavit, de qua quidem longius ex Methodicis

Hipp. in 5. aphor. 22. & 25. & Gal. in comp.

Gal. in 5. de temp. cap. 5.

In 5. aphor. Hipp. comm. 21.

Gal. in lib. de diff. morb. cap.

dicis amplius non agam. At eſto quod iſti morbi in intemperie ſimplices dentur, ut recte à Dogmaticis fuit demonſtratum: tamen Methodicis, qui ſtuduerunt brevem methodum medendi conſtituere, qua nobis vera omnium morborum curandi indicatio monſtraretur, non recte fieri, viſum fuit, ſiquidem tot variæ, innumeræque indicationes, (quas Dogmatici à morbis in intemperie (quos ſexdecim numero conſtituerunt) & in conformatione, & in magnitudine atque in ſoluta unitate & non minus à partium læſarum naturis variis variisque temperamentis, habitibus, ætatibus, conſuetudinibus, ſtudiis, atque cœli conſtitutionibus, regionibus, annorumque temporibus, deſumendas voluerunt) artem medendi nimis longam, prolixam ac etiam confuſam reddere viderentur. Unde methodi breviſſimæ medendi conſtituendæ principium à Methodicis cœptum eſt. Et ut ad primos morbos, qui in primis quatuor qualitatibus à dogmaticis conſtituti fuerunt, redeam, dico, ex Methodicis nondum compertum fuiſſe, curatione m per ſe ab ipſis primis qualitatibus, ut Dogmaticis fuit perſuaſum, indicari. At de primo loquamur: Conſtat ſanè apud Dogmaticos hujuſmodi affectus ſimplices à contrariis ſuas indicationes habere, quod (ut aiunt) contrariis contraria curentur. Itaque ajunt morbum calidum medicamentum refrigerans indicare, contra calfactorium, frigidum, & humidum ſiccans, atque humectans ſiccum, unde in curandis febribus dicunt, ipſam febrem medicamentum refrigerans indicare. An non hoc verum eſt? profecto in nullis febribus (exceptis ardentiſſimis & ſynochis illis, in quibus ægrotis largus algidæ aquæ potus conceditur, atque hecticis tabidis) medendo Dogmatici huic ſatisfaciunt curationi. Quis etenim illorum unquam ad illas febres perſanandas medicamentum refrigerans commendavit? Galenus nullis aliis præſidiis, quam calaſticis febres (prædictis exceptis) ſanare viſus eſt, atque iiſdem fere quibus Methodici utendum eſſe præceperunt; Ephemeris enim omnibus balnea ex dulci aqua calida parata utiliſſima eſſe Galenus ſtatuit, non minuſque inunctiones ex calido oleo, quid? an non hæc medicamenta ſunt laxantia? Quid de tertianis:

nis bilioſis? nonne eadem medicamenta ipſis opportuniſſima eſſe ſcripſit? nonne etiam evacuationes per alvum, per urinam per vomitum, per ſudorem itidem utiliſſimas eſſe ſtatuit? ad quas movendas decoctum ex apio, petroſelino, pulegio atque ex aliis diureticis commendavit, an hæc ſunt medicamenta refrigerantia, quæ à febre tanquam à calido morbo indicantur? Quid de quotidianis & de quartanis febribus dicemus? In his multo minus eam indicationem à febre petitam locum habere, cum in ipſis itidem medicamenta extenuantia, concoquentia, detergentia, aperientia, evacuantiaque calaſticorum genere comprehenſa, uſum habeant: neque eſt, ut Dogmatici dicant, in hiſce febribus eam indicationem febrilem, quæ prima eſt in mente, poſtremum locum habere in executione, ſcilicet illam (licet primo tempore locum non habeat) tamen poſtea exequi, quippe ſublatis cauſis, à quibus eæ foventur febres, quippe vacuatis ſcilicet craſſis & viſcidis humoribus, atque ſublatis itidem obſtructionibus, poſtea commodum tempus habere. Quid dices? ſublatis illarum febrium cauſis, eſſe refrigerandum? quamobrem hoc faciendum? ſi ſublatis cauſis continuo febres tollantur, cur nulla exiſtente febre refrigerandum? à quo refrigerans præſidium tunc indicabitur? ſi nullus morbus calidus, cum ſublata ſit febris, hominem teneat. Quis quæſo aliquis ita ſtupidus fuit qui auſus ſit uſum refrigerantium in prædictis febribus laudare? Idem & in continuis febribus (ardentiſſimis, & æſtuoſiſſimis ſynochis, atque tabidis exceptis) obſervatur, ſcilicet ut nullus refrigerantium uſus exerceatur. Etenim Dogmatici etiam frigidorum in iis medicamentorum uſum damnant, & merito ſane, cum frigida medicamentorum qualitas interius ſuſcepta humorum coctionem impediat, ipſos craſſiores & crudiores reddat, atque obſtructa foveat. Et exterius quoque frigida partibus febre vexatis, admota, meatus cutis denſando, intuſque febrilem calorem cogendo compellendoque (cum febrilis caloris reſolutionem impediant) tum ipſum magis augeant febremque exinde prolixiorem efficiant, hinc recte practici medici aſtantibus jubere ſolent febricitantes ſtragulis bene coopertos decumbere, ab aequeque

reque frigido, à flabellis, à potuque frigido omnino abſtinere, quo Aurelianus non injuria in thorace admodum calore vexato prohibuit, ne roſaceum frigidum vel alia frigida adhibeantur, quod hæc meatus denſando incendium calori augeant. Quare dicere febrem, quatenus febris id eſt calidus morbus eſt, indicare medicamentum refrigerans, quippiam logicum videtur. Addimus non perpetuo frigida medicamenta refrigerare, at plerumque (uti ex Hippocrate & Galeno nuper demonſtratum eſt) calefacere, unde Hippocrates ſcripſit: *dolores frigidos, tumores, convulſioneſque frigidam aquam large affuſam ſanare*: Itaque ſi vera eſt indicatio morbi calidi, cur Dogmatici in curandis (exceptis uti ſuperius, dictum eſt, ardentiſſimis, ſynochis æſtuoſis, atque tabidis de quibus poſterius accurate agemus) nuſquam medicamenta actu frigida meminerunt? ſi dixerint, ptiſſanam hordeaceam, decoctum oxalidis, ſunci, endiviæ, portulacæ & ſimilium, quæ facultatis frigidæ ſunt, apud omnes medicos eſſe ad febres curandas familiariſſima, item ſyrupos refrigerantes, ſuccos, atque aquas refrigeratorias: Methodicorum ſectatores reſponderent, hæc decocta facultate frigida prædita, ſcilicet ſyrupos, ſuccos, atque aquas, ægrotantibus non actu frigidas ſed calidas exhiberi. Non enim ab aliquo Dogmatico hæc actu frigida febre vexatis exhibentur. Quid igitur? nonne medicamentum ad febrem tollendam non actu, ſed poteſtate frigidum ab ipſis exhibetur? certe quidem. Quod tamen non ſic ex Dogmaticorum placitis convenire creditur, ſiquidem contrariis (ut omnes ajunt) contraria curari debeant. Profecto morbus actu calidus, medicamentum indicabit, quod non poteſtate ſed actu frigidum ſit, etenim medicamentum quod poteſtate eſt frigidum, per ſe non opponitur morbo actu calido, veluti morbus itidem actu frigidus medicamentum actu calidum indicabit. Neque eſt, quod Dogmatici dicant, medicamentum, quod poteſtate eſt frigidum, non agere ad corrigendum calorem, quoad fuerit in corpore actuatum. Actuatumque adverſus febrem agere, ejuſque caliditati per ſe opponi, atque ita conſtare, morbum actu calidum, cujuſmodi febris eſt, tolli à medicamento, quod actu eſt frigidum.

1. Acutor. cap. 16.

In 5. aphor. 21. & 25.

dum. Etenim (exempli gratia) decoctum aliquod refrigeratorium, actu calidum epotum, priuſquam in corpore actuatum ſit, adverſus febrem non aget, ſolummodo poſteaquam à calore noſtro actuatum fit, id eſt ipſius facultas refrigerans fuerit actu talis reddita: atque ita verum quidem eſſe Dogmaticorum placitum dicent, ſcilicet febrem, quatenus eſt morbus calidus, medicamentum frigidum indicare. Quæ reſponſio non videtur plane huic dubio ſatisfacere, cum nullum medicamentum poteſtate refrigeratorium (excipio narcotica mortifera, uti eſt cicuta, mandragora & ſimilia, quæ ob id homines, qui ipſa devorarunt, interimunt, quia à calore, qui eſt debilis, nequeunt actu calida in corpore ſervari, ideoque refrigeſcunt, & actu frigida redduntur) epotum, & actuatum, in corpore refrigeſcat, neque actu frigidum fiat: perpetuo namque in corpore à calore noſtro excalefactum (exceptis mortiferis refrigeratoriis) calidum ſervatur, quinimo etiam, quæ actu frigida per os aſſumuntur, à calore corporis calfiunt, & quoad vel reſolvantur vel excernantur calida actu ſervantur. Aqua (exempli gratia) quæ omnium conſenſu facultate frigida eſt, epota, à calore ventris incalefacta, diu adſcititium calorem nacta, manet calida, à nativo calore ita incalefacta præſentiaque ejuſdem calidi adjuta, nunquam in corpore refrigeſcit, ſed perpetuo actu calida manet, ex quibus cuique noſtrum liquido conſtabit, medicamentum actu calidum in corpore aſſumptum (licet ſit ex poteſtate refrigeratoriis) nunquam ibi refrigeſcere: ſi vero non refrigeſcat, quomodo actuatum actu, (ut ajunt) frigidum erit? Quæ cum vera ſint, quomodo decocta refrigeratoria actu calida epota, febre vexatos (quod eſt apud omnes medicos compertiſſimum) juvabunt? Methodici dicent nulla alia ratione id facere poſſe, quod (licet frigida ſint) à calore innato, ac etiam à febrili incalefacta, reddantur temperate calida, atque ita ut vere facultate laxantia dici queant, quæ ob id febrem, quæ morbus eſt adſtrictus, tollunt. Eodem profecto modo, quo aquæ dulcis balneum temperate calidum febres itidem ſolvit, reſolvitur enim illa qualitas febrilis medicamenti vi laxatoria, digerenteve. Redeo ad id, à quo diverteram,

ram, & colligo calidum, atque frigidum morbum Methodicos non conceſſiſſe ad medendum, quia hi morbi ſimplices non habent indicationes ad curationem inſtituendam neceſſarias; quod nos de calido morbo ſimplici, (febris exemplo) hactenus demonſtravimus: ſcilicet etiam à Dogmaticis non ſervari illam indicationem, quæ à calido morbo deſumitur. quæ eſt quod febris (exempli gratia) quatenus calidus eſt morbus, indicet medicamentum refrigerans: nam oſtendimus febrem, quod actu calidus morbus ſit, propterea medicamentum actu frigidum indicare debere; quo medicamento actu frigido nulli Dogmaticorum unquam uſi ſunt, quoniam actu frigida etiam aliquando calefaciant; ſed omnes in uſu habuerunt, decocta ex frigidis facultate (ut ajunt) medicamentis parata, actu calida febricitantibus exhibere, ſuccoſque itidem atque aquas ſtillatitias ex frigidis herbis paratas, itidem igne incalefactas propinare. Quid eſt hoc? an non eſt ad tollendas febres medicamentum actu calidum exhibere, quomodo igitur febris, ut morbus calidus indicat refrigerans? cur, ſi hoc verum eſt, non exhibent medicamenta (quod quandoque faciunt in ardentibus ſynochis, tabidiſque febribus) actu frigida? quoniam hæc non conveniunt, cum calefaciant calorem intro cogendo atque pellendo; ut in altero capite demonſtrabimus. Neque verum eſt, quod aliqui reſpondent, ſcilicet Dogmaticos ad febrem tollendam exhibere medicamenta poteſtate frigida, eaque propinare ægrotis actu calida, ut citius ipſorum refrigeratoria facultas à calore in corpore actuetur, actuataque febrilem calorem corrigat, & extinguat. Nos vero demonſtravimus, nunquam hæc medicamenta ita actuari in corpore, ut actualem nanciſcantur frigiditatem, qua morbo actu calido per ſe adverſari valeant; perpetuo ſiquidem hæc (exceptis mortiferis) in corpore adſcititium calorem habent & conſervant, hæc enim prius igne incalefacta, actu calida aſſumuntur intra corpus, & poſtea à calore cum nativo tum febrili rurſus incalefiunt, quoad concoquantur; quare intra corpus aſſumpta antequam concoquantur à natura & mutentur in nutrimentum, perpetuo actualem caliditatem habent, ita, ut actu calida (licet modice quidem, cum

ſua-

ſuapte natura nequeant à calore noſtro intenſe calida fieri veluti quæ natura calida ſunt, intenſius intra corpus à calore noſtro incalefiunt) merito dicantur. Mutata etiam, poſtquam concreta ſunt, in nutrimentum, calida itidem calidæ ſubſtantiæ acceſſione eſſe Galenus aliquando aperte demonſtravit. Quare veriſſimum erit nunquam in corpore hæc medicamenta actu frigida fieri: exceptis mortiferis medicamentis frigidis, quæ, cum tota ſubſtantia naturæ adverſentur, calorem ita debilitant, ut ab ipſo debiliter incalefacta poſtea in corpore refrigeſcant, qua refrigeratione in parte principe facta, ſtatim calor nativus extinguitur. Medicamenta vero, quæ deleteria non ſunt, à naturaque noſtra concoquuntur, intra corpus calida aſſumpta nunquam refrigeſcunt, quare non dum actu frigida fiunt, & ut talia nunquam actu calido morbo erunt contraria. Et ſi denuo petunt, quomodo ipſa cum actu frigida non ſint, refrigerent? Compertum cognitumque eſt ptiſſanam, portulacam, ſonchum, lactucam, endiviam, lenticulam paluſtrem, nympheam, violam, & alia ſimilia per os aſſumpta etiam calida intra corpus refrigerare; quomodo itaque refrigerant, cum nunquam actualem frigiditatem nanciſcantur in corpore? Refrigerant ſane, quoniam ab ipſorum frigida eſſentia concoquenda in nutrimentumque commutanda calor nativus repatitur, ac proinde ſanguis minus calidus ea coctione gignatur. Quæ enim calida ſunt, propter ſimilitudinem quam cum calore nativo habent, facilius & minus cum labore alterantur vel in nutrimentum vertuntur, & quod in horum abſolvenda coctione calor minus patiatur, idcirco ſanguis calidior generatur. In febricitantibus vero hujuſmodi medicamenta refrigerant, & ob hanc cauſam, atque etiam, uti ſuperius dictum eſt, quod hæc calida epota naturam laxantium medicamentorum, quæ temperate calida & humida eſt, aſſequantur, etenim ab adſcititio calore ignis, cum hæc prius incalefacta propinentur, & poſtea à calore quoque interno incalefiant, reddantur temperate calida & humida, quæ laxantium medicamentorum facultas eſt. Itaque hæc merito febri tanquam morbo adſtricto, in quo laxantibus utendum eſt, mederi dicentur Quare merito Methodici

In lib. 3. de temperamentis.

voluerunt, morborum calidorum & frigidorum cognitionem ad inſtituendam curationem eſſe inutilem. Neque eſt etiam, quod dicant, ut ejus utilitatem Dogmatici perſuadeant, aquam frigidam eryſipelati mederi, & aquam marinam ſulphureamque ipſum calidum morbum augere. Quæ cum vera ſint, videtur verum dogma eſſe, ſcilicet calidorum morborum frigida oportere eſſe remedia: ad quod reſpondetur, non aquam actu frigidam, ſed tepidam quidem eryſipelati convenire, niſi repellere humorem in principio fuerit conſilium, aqua vero marina non convenit, & quod adſtringat, & quod, ut calida & ſicca, morbum aſtrictum foveat; ita quoque & ſulphurea, & ſimiles aliæ. & hæc de ſimplici affectu calido. Idem de frigido dicimus fore ſentiendum, quippe non habere, quatenus frigidus eſt morbus certam indicationem: Neque eſt quod calidum medicamentum à morbo frigido indicatum, corpori refrigerato recte medeatur, quoniam non quatenus calidum, ſed quatenus etiam meatus laxat, convenit. Ita quoque de paſſivis qualitatibus obſervatur: ſiccitas namque ab humiditate quatenus laxat, & humiditas à ſiccitate quatenus denſat, corrigitur. Siccitas quippe eſt adſtricti affectus ſpecies, quæ quandoque fit ab humido evacuato ſeu reſoluto. quod à validis exercitiis, ſole ferventi, ingenti inedia, atque ab immoderata aliqua evacuatione evenire ſolet, vel denique à medicamentis ſiccantibus, aut refrigerantibus. A ſicco vero affectu Methodici merito laxans medicamentum indicari ajunt, quod, ut recte quoque Dogmatici cognoverunt, ſit temperate calidum; quando adſtrictum affectum ſiccum maxime valeat emendare, atque corrigere; etenim ſi ab humiditate evacuata illa ſiccitas fuerit oborta, aut à medicamento ſiccante, medicamenti humiditate tollitur; ſi à frigiditate ſiccitas fiat, à laxantis medicaminis caliditate itidem emendatur. Eodem quoque modo ſe habet laxus affectus humidus, qui denſante ſive adſtringente medicamento itidem corrigitur. Namque adſtringens medicamentum cum frigidum & ſiccum ſit, utraque qualitate humiditatem tollit, ſcilicet frigiditate repellendo ac veluti comprimendo, & ſiccitate cogendo & indurando; qua ratione hyeme ab intenſa aeris frigiditate, ex-

extimæ cutis partes, terræ item ſuperficies hùmida, ſiccari ſolet. Atque ita nobis ex Methodicis eſto perſuaſum, qualitates primas, primoſque affectus ſimplices parum facere ad curationem inſtituendam, atque ipſorum cognitionem ſcitu haud eſſe neceſſariam. Quæ opinio etiam alio argumento confirmatur, ſcilicet quia medici tollunt cum morbos calidos tum frigidos medicamentis laxantibus, an non ab itinere vel à ſole incalefactos balneis modice calidis, atque inuctione olei tepidi juvamus? iiſdemque etiam refrigeratos ſanamus? Nonne igne uſtas aliquas corporis partes affuſo copioſo oleo tepido ſanamus? an non corpora cum incalefacta, tum refrigerata tepidis balneis, fomentis, atque inunctionibus juvari aperte experientia docuit? Quare cum uterque morbus cum calidus tum frigidus laxantibus medicamentis tollatur, ergo neceſſario uterque aliquando adſtrictus erit affectus, atque ita de qualitatibus primis ſimplices morbos in intemperie conſtituentibus, rem hanc Methodicos ſentiiſſe, credendum eſt.

CAP. III.

Quamobrem Methodi in aliquibus morbis adſtrictis aliquando frigidis medicamentis utantur.

Cum dixerimus morbos calidos, cujuſmodi ſunt febres, eſſe adſtrictos, ac proinde medicamenta indicare laxantia, quorum natura eſt temperate calida, atque humida, Idcircoque decocta medicamentorum facultate frigidorum, ſuccos, aquas ſtillatitias febricitantibus non actu frigidas, ſed calidas propinari, quoniam hæc cum humida ſint, & in corpore adſcititiam caliditatem quoque nanciſcantur, fiunt naturæ laxantium medicamentorum, quæ per ſe febribus, inquantum morbi ſunt adſtricti, medentur. Cum inquam conſtet hæc vera eſſe, ac proinde non eſſe verum, quod à Dogmaticis traditum eſt, ſcilicet febres, quatenus morbi ſunt calidi, refrigerantia indicare: quoniam ſi hoc eſſet, medici ad curandas febres medicamentis actu frigidis uterentur, at cum ipſi non utantur actu frigidis in multis febribus, ſcilicet in diariis, in putridis, & in hecticis,

ſed actu calidis, licet poteſtate frigida ſint, eos febribus æque ac Methodici laxantibus mederi, quippe actu calidis atque humidis liquido apparet. Hinc omnes cum in diariis, tum in hecticis ſeu potius ſcheticis, id eſt, quæ in principio ſunt, tum in bilioſis quoque putridis, non admodum æſtuoſis, commendarunt balnea aquæ dulcis temperate calida, inunctiones tepidorum oleorum, fomenta, epithemataque. Verum cum omnes medici in omnibus febribus jam dictis exhibeant medicamenta laxantia, id eſt actu calida, cur in vehementer calidis, colliquativis (cujuſmodi ſunt ardentes, & ſynochæ vehementer æſtuoſæ, atque hecticæ tabidæ) medicamenta actu frigida exhibent? uti eſt aqua ſimplex frigida, ac complures refrigeratoriæ potiones actu frigidæ, & ſimilia; hæc enim actu frigida, omnes cum Dogmaticæ, tum Methodicæ ſectæ medici, ad prædictas febres maxime æſtuoſas ſanandas perpetuo in uſu habuerint. Verum quamobrem Dogmatici frigidis actu medicamentis ad morbos calidos utendum conſueverint, mirum non eſt, cum ab ipſis ſancitum fuerit, morbos contrariis tolli, quippe frigidos calidis, calidos frigidis, ſiccos humidis atque humidos ſiccis. At Methodicos hæc medicamenta actu frigida itidem laudaſſe, mirum eſt, cum febres omnes morbos adſtrictos in iiſdem febribus fecerint, ac proinde laxantibus contrariis, quæ actu calida ſunt, merito tollendas quoque ſtatuerint. Cur itaque actu frigidorum in iiſdem, uſum admiſerunt, & inter multa tantopere in cauſone, & in ſynocho maxime æſtuoſis algidæ aquæ potum commendarunt? Cur in tabidis, potiones actu frigidas, atque balnea itidem frigida ſummis laudibus omnes medici extulerunt? Etſi de hac eadem re nos itidem poſtea acturi ſimus, ſcilicet cum de febrium continentium curatione ſermonem habuerimus, nihilominus, ut omnis ab iis, quæ ſtatuimus, tollatur ambiguitas, pauca de iiſdem in præſentia fore præmittenda duximus; atque ut ad rem veniamus, eamque dubitationem tollamus, quæ eſt, quamobrem Methodici etiam in continuis febribus atque in tabidis uſum actu frigidorum probaverint, cum febres omnes morbos adſtrictos eſſe voluerint, & omnia actu frigida, per ipſos dicantur medicamenta adſtringen-

gen-

gentia: pro qua re exacte cognoſcenda illud primo ex Methodicis erit ſupponendum, dari quidem morbos præter adſtrictos & fluidos, etiam mixtos ex fluido & ex adſtricto. Secundo aliud quoque in morbo mixto ex fluido & ex adſtricto curando, itidem ſupponi opportebit; ſcilicet urgentiori eſſe incumbendum. Quid itaque, an non febres continentes vehementer æſtuoſæ omnes, ac vel etiam tabidæ, ſunt morbi miſti ex adſtricto & fluido? Primum eſſe morbos adſtrictos non eſt dubitandum, quod de continentibus putridis, quæ ab obſtructis meatibus foventer, vel etiam ex Dogmaticorum placitis intelligitur. Hecticas quoque primo habere igneam caliditatem in ſolidis partibus adſtrictam, quam Dogmatici etiam, ut tollant, balneorum tepidorum, inunctionum atque aliorum ipſum flammeum calorem digerentium medicamentorum (quæ itidem laxantia ſunt) uſum complectuntur. Porro continentes febres, atque hecticæ in primo (ut ajunt) gradu conſtitutæ, morbi adſtricti ſunt. Ceterum ubi in his flammeo calore in principio haud digeſto, colliquatio in corporibus evidentior apparuerit, ita, ut humiditates partium & ſolidarum profluant abſumanturque, alter morbus, qui fluxus laxusve dicitur, primum ſubſequitur. Eodem itidem modo, continentes febres, quæ admodum æſtuoſæ ſunt, laxum morbum contrahunt, quoniam ingens caliditas febrilis interna, eundem affectum parit, quem externa in partibus extimis; hæc vero aperit meatus cutaneos, laxatque, ut exinde calor innatus copioſius effluat, exhalet, atque reſolvatur: illa vero, quippe interna caliditas immoderata, oſcula venenarum, arteriarumque immoderatius laxans, facit morbum itidem laxum, fluxumve dictum, à quo cito naturalis calor immoderatius effluens, & exhalans reſolvitur, diſſipaturque; unde ni cito laxus hic morbus tollatur, inevitabile exitium ſubſequitur. Quare cum in iis febribus vehementer æſtuoſis ſit ſane primo morbus adſtrictus, & ſecundo laxus, primum affectum ſubſequutus, atque hic magis quidem (quod ab ipſo cito calore innato evacuato fluxoque, mors imminet) urgeat, idcirco, cum Methodici ſemper in miſto affectu, urgentiori ſore incumbendum docuerint in talibus febribus valde æſtuoſis,

in quibus periculum eſt caloris nativi reſolutionis, medicamentorum actu frigidorum uſum ſecuti ſunt. Hinc in continentibus febribus vehementer æſtuoſis, ob eam profecto cauſam algidæ aquæ largum potum omnes quidem medici exhibere conſueverunt: quod laxo morbo valide adverſetur, caloriſque nativi fluxum cohibeat: Etenim aqua frigida ſua frigiditate denſando meatus internos inſigni caliditate diffuſos, ampliatoſque, cogit, caloremque ad ſuum fontem valide compellit, unde partes juxta ventriculum & proximæ, calore ab ipſis ad cor compulſo, primum refrigerantur, denſanturque ſtatimque ſitis exinde & calor ceſſat. Calor vero nativus ab immodico calore rarefactis meatibus per totum corpus diffuſus, ab aquæ frigiditate intro ad cordis quippe regionem, tanquam ad fontem caloris repulſus, unitus, atque ab humiditatibus iſtic exiſtentibus enutritus, ac poſtea auctus roboratuſque ad univerſas partes corporis rurſus erumpens, aquam epotam atque humores putridos incalefacit, digerit, atque reſolvit. Plerumque largiſſimos ſudores frigidæ aquæ potus, per antiperiſtaſim (uti dictum eſt) concitat, nonnunquam vomitus bilioſi fiunt, & aliquando per alvum copioſi humores profluunt. Quare ex his liquido appareret Methodicos medicamentis adſtringentibus vocatis, non morbo quidem aſtricto, ſed fluxo, ſcilicet meatibus internis præ æſtuoſo calore febrili immoderatius laxatis atque diffuſis, per quos nativus copioſius effluens, cito diſſipatur, mederi; ut proinde nedum reprehenſione at potius magna laude digni viſi ſint. Hoc quidem præſidio adſtrictorio in hiſce febribus vehementer æſtuoſis, habentibus conjunctum morbum laxum, (qui urgentior cum ſit, quod eo innatus calor cito reſolvatur, merito actu frigidum medicamentum, quod denſat meatus, cogit calorem intus, ipſumque ad fontem caloris reprimit, expoſtulat) utendum ii voluerint, quippe aquam frigidam large epotam concedentes. Mirabile dictu eſt, quomodo tale præſidium expugnet haſce febres, quæ affectum duplicem habent, ſcilicet, adſtrictum atque laxum; dico vehementer æſtuoſas, in quibus ſolummodo conveniunt medicamenta actu frigida, non (ut Dogmatici putarunt) quia morbus actu calidus iis actu frigidis me-

Gal. in 3. de temp. cap. 5.

medicamentis tollatur: ſed, ut calorem nativum propter inſignem caliditatem immoderatius, fuſis meatibus, collabentem colligant, uniant, atque ita augeant, ut eo febres denique tollantur, quas non refrigeratione, ſed calefactione quidem tolli, liquido conſtabit, quod eæ febres diſſolvantur aut ſudore copioſo, aut vomitu bilioſo, aut dejectione bilioſa, vel copioſa urina, quæ evacuationes à potu aquæ frigidæ erumpunt, atque ita haſce febres finiunt, quare neque in hiſce febribus actu frigida medicamenta indicantur, cum hæ non frigiditate, ſed caliditate potius (uti demonſtratum eſt) tollantur. Superius oſtendimus actu frigida actu calidum morbum non tollere, at quinimo ipſum aliquando augere, cum denſando meatus prohibeant ipſius reſolutionem, ſed tollit morbum calidum caliditas, ob validam refrigerationem in robuſto corpore ſubſequuta, ſcilicet facta revocatione caloris; quomodo Hippocrates docuit dolores, tumores, convulſiones affuſa large frigida aqua in robuſto corpore, reſolvi. Quare Methodici recte calidis morbis laxantibus, quæ ſunt calida medicamenta, medentur. Et, ſi in hiſce febribus ſumme æſtuoſis ipſi quoque exhibeant aquam frigidam, non propterea utuntur medicamento adſtricto in morbo adſtricto per ſe, at quatenus alteri morbo laxo ei conjuncto ob æſtuoſiſſimum calorem meatus internos immoderatius diffundentem, & reſolventem innatum calidum, convenit: namque primo occurrunt patentibus meatibus actu frigidis medicamentis meatus denſantibus, & poſtea calefactione, aqua ſcilicet hauſta incalefacta, intusque naturam laxantem (quæ febri tanquam morbo adſtricto medetur) adepta, febrem reſolvit. Mirum remedium, quo Methodici medentur morbo mixto ex adſtricto atque laxo, laxo tanquam urgentiori frigiditate inſigni aqua occurrit, febri vero tanquam affectui adſtricto (quod minus urgeat) poſtea eadem aqua incalefacta intus ab aucto calore, tanquam medicamentum laxans, ſcilicet calidum, atque fumidum febrilem caliditatem digerens, auxilio quoque eſt, perinde atque balneum tepidum ad eaſdem febres ab omnibus medicis commendatum, interius agit. In hecticis quoque tabidis, quæ itidem fluxum laxumve morbum habent conjunctum,

In 5. aphor. 21. & 25.

quippe

quippe febrilem calorem poſtea ſubſequutum, balnea actu frigida commendantur, non quia febri tanquam morbo adſtricto medeantur, ſed, ut collabentem calorem innatum, qui perpetuo per poros cutis nimium diffuſos immoderatius effluit, colligatur, uniatur atque roboretur. Quare hi non medentur morbis adſtrictis, licet utendum voluerint medicamentis actu frigidis, adſtringentibus vocatis, at profecto laxis. Ceterum quomodo medicamenta actu frigida in prædictis febribus conveniant, & in quibus etiam non, poſterius (cum de illorum febrium curatione ſcribetur) accurate conſiderabimus, atque etiam in ultimo libro in quo de morbis mixtis ex adſtricto atque ex laxo acturi ſumus.

CAPUT IV.

Humores exuperantes in corporibus ſecundum Methodicos non eſſe cauſas morborum, quae indicant curationem.

ITaque qualitates primas non eſſe præcipuas morborum cauſas ex Methodicis oſtendimus, atque idcirco, eſſe ad indicandam curationem inutiles. Nunc vero videamus etiam, quibus rationibus illis fuerit perſuaſum, quatuor humores itidem non eſſe cauſas morborum, neque ab ipſis itidem humoribus curationem indicari. Non indicare quidem humores, quatenus humores ſunt, curationem ipſi voluerunt, at ſi indicabunt, ſane quatenus faciunt morbum adſtrictum vel laxum indicabunt. Humores non eſſe morborum cauſas, nihilque ad curationis indicationem facere, illis eo præſertim argumento fuit perſuaſum, quod apparente copioſa fluxione vel per alvum, vel per ſudorem, vel per vomitum, vel denique per urinam, complures morbi (quorum Dogmatici putant homores eſſe cauſas) non tollantur. Neque etiam ſi principio morbi exhibeatur purgans valentiſſimum, haud ſemper cedat purgationi morbus. Hydrops etiam non ſanatur à copioſa aquei humoris eductione, at aliis quidem, ut tollatur, opus eſt medicamentis,

non

non purgantibus. Neque eos latet, humorem quandoque in parte quapiam facientem plenitudinem, morbum concitare, qui tamen mirum eſt quamobrem a diarrhœa copioſa, aut ab urina copioſa, vel a ſudore, vel à copioſo vomitu, vel ab alvi dejectione, valido medicamento etiam procurata, non ſemper tollatur, cum communes evacuationes inſignes conſumere aliquando particulares plenitudines medicis non ſit ignotum: Unde praxim facientes ſæpius particularem affectum communi, eaque inſigni vacuatione facta curare ſolent, eaque fortaſſe ratione, quod communes evacuationes humores ab affecta parte divertant, ita ut non amplius confluant, affectumque foveant, vel augeant. At non recte reſpondiſſe ad hoc argumentum viſi ſunt, qui dixerunt, communem evacuationem inſignem neceſſario quemcunque morbum à communi totius corporis plenitudine factum, tollere; non autem neceſſario affectum, quem particularis humoris plenitudo facit, ſanare. Quod ſi verum ſit, cur Dogmatici arthriticum, coxendicumque morbum, convulſionem, paralyſim, tremorem, febrem diuturnam, atque alios complures affectus ſingulares, quos plenitudo particularis creat, communi, inſignique (quam medici medicamentis cum vacuatoriis, tum purgatoriis moliuntur) vacuatione, tollere ſtudent? Hi ſane affectus particulares, cum morbi adſtricti ſint, à copioſis evacuationibus, quæ præſidia laxantia ſunt, tolli aliquando ſolent, ſi plenitudo fuerit ad vaſa, cui dubium, apparente copioſa vacuatione eam tolli oportere, non minuſque etiam, ſi ad virtutem ſit, quando evacuato humore, cujus præſentia vires maxime languidæ redduntur, virium ſublevatio neceſſario ſuccedat. Itaque Juliani, vel Aſclepiadis argumentum, quod humorum plenitudo non ſit cauſa morborum, eo, quia inſigni facta vel à natura vel ab arte evacuatione, uti dictum eſt, morbi non tollantur, in ſuo robore manere videtur. Cum communi inſigni vacuatione non ſolum plenitudinem communem, ſed vel etiam particularem minui debere, ratio perſuadeat, hanc quidem juvaret, non ab ipſa parte (licet non nulli voluerint, quædam purgantia particulatim humores à particularibus affectis partibus, attrahere, e-

Gal. in ſapologia contra Julianum.

ducereque, atque ita tolli particularem plenitudinem insigni quidem evacuatione posse) humorem educendo, vacuandoque; at divertendo, vel revellendo communis vacuatio prohibebit, firmata humoris fluxione, quo minus affectus augeatur, illa vero ipsum humorem facientem plenitudinem minuendo. Cur itaque si plenitudo humoris morborum est causa, copiosa apparente evacuatione morbi non diminuuntur? Compertissimum quidem est, sæpius copiosam alvi dejectionem, vel urinam, vel sudorem, ac vel etiam hæmorrhagiam, febre vel alio morbo vexatis nedum profuisse, at quinimo plurimum læsisse, aut ab ipsa ægrotos in pejus ita mutatos fuisse, ut tandem eo morbo interierint. Hincque haud tuto in principio morborum exerceri usum medicamentorum valide purgantium, intelligitur; quoniam, ut dictum est, hisce purgationibus morbi plerumque non cedant. Ceterum si dicatur etsi morbi ab humoribus fiant (qui si possent statim educi, prefecto imminuerentur, tollerenturque) tamen, quod sint crassi scilicet & admodum viscidi, quo pertinaciter adstricti alicui parti adhæreant, propterea educi non possunt; quod dogma in omni morborum principio accuratius servatur, quo tempore nullæ evacuationes, licet insignes sint, utiles æstimantur, qua ratione etiam purgantia medicamenta ab eruditis medicis ex Hippocratis sententia omnino in morborum principio prohibentur, nimirum, *quod concocta medicari, & non cruda oporteat, nisi humores turgeant.* Principio vero morborum humores omnes crudi sunt, turgentes tamen (quod non firmi, neque parti cuipiam adhærentes, at segregati per corpus moveantur) licere tunc medicamento educi: Unde merio Hippocrates dixit: *in acutis morbis raro & per initia medicamento purgante uti oportet, & hoc ipsum cum præmeditatione*: Quod in libro de humoribus ita quoque expressit, dicens: *Alias facta coctione humores aut intro, aut foras urgere, aut aliam in partem in quam oportet.* Si hæc vera sunt, qui fieri potest, ut in complurimum morborum principio excretiones appareant? siquidem morbus crudus est, & humores nondum concocti, nondum segregati, idcircoque ad purgandum inepti sint. In statu vero ac declinatione, quoniam

In 1. aphor. 22.

In 1. aphor. 24.

niam tunc humores probam concoctionem ſunt aſſecuti, facile & tuto ipſos educi excernique poſſe, affirmant, ac idcirco apparere bonas humorum excretiones (quas criticas medici vocant) purgationeſque; & medicamentis etiam eoſdem educi poſſe Dogmaticorum plures putarunt. Quo tempore, ſolummodo purgantia exhibere ægrotis poſſunt. At cur quæſo hunc ægrotis corporibus etiam laborem injungere debebimus? ſi jam naturæ victoria ſuper morbum innotuit, atque morbum jam natura ſuperavit? Ex quibus illud unum notatu dignum obiter animadvertitur, ſcilicet purgandos tantummodo fore humores medicamentis attractoriis in ſalutaribus morbis, atque nunquam in exitialibus. In his humores perpetuo crudi ſunt, quod nondum natura ipſis prævaluerit, eoſque concoxerit. In ſalutaribus vero ſolummodo (quod ipſis natura prævaleat, ipſosque concoquat) purgationes uſum habebunt. De his Methodici haud immerito dubitaſſe viſi ſunt, quod non tantum in morborum vigore declinationeque, ſed quinetiam in principiis, atque augmentis exitialum morborum copioſæ evacuationes non raro appareant, à quibus morbi complures ne dum minuuntur, at ſæpius quidem augentur, ab ipſiſque ægroti in deterius abeunt. De quibus Hippocrates in epidemiis ait: *Alvi turbatæ erant, biliosis, paucis, meris, tenuibus mordacibuſque*, & poſtea: *Quæ infeſtabant hæc erant: lienteriæ, dyſenteriæ, teneſmi, alvi fluxiones biliosæ, tenues, mordaces, multæ, crudæ*, & de ſudoribus: *Sudores multi, his tantum aberat, ut recrearent, ut etiam contra læderent.* De Critone ait: *Dejectiones crebræ biliosæ, periit poſtridie quam ægrotare cœperat.* Quæſo ſi humores ſunt cauſæ morborum, cur in morbo bilioſo acuto diarrhœa copioſa, bilioſa, ſudoreſque copioſi exeuntes etiam in morbi principio, ægrotos perpetuo non juvabunt? præſertimque quod iidem humores, quos morbi alicujus bilioſi cauſas faciunt, copioſius excernantur. An non neceſſario aut humor febrem (exempli cauſa) ardentem faciens, ex toto educetur? aut ſaltem à loco putredinis avelletur, diverteturque, quo morbi cauſam minui ſit neceſſarium? Cur in ardentiſſimis inquam febribus, in quibus exuperant humores bilioſi, acres, uſti, & retorridi, dam-

In 1. epid. 1.

nantur in principio excretiones bilioſæ? & in febre melancholica nigræ, ſi ab ipſis ſuccis febres foveantur? ſi dicatur nigras dejectiones quandoque in morbi vigore vel declinatione non improbari, tamen hoc raro fit. De qua excretione Hipp. ait: *Morbis quibuslibet incipientibus ſi bilis atra vel ſupra vel infra exierit, lethale eſt*, & poſtea: *Quibus ex morbis acutis aut ex longis, aut ex vulneribus aut quovis alio modo extenuatis bilis atra, aut qualis ſanguis niger deſcenderit, poſtridie moriuntur.* Quæ igitur ratio eſt, quæ nobis perſuadeat, fluentibus per alvum, vel per alium locum humoribus & copioſis quidem, morbos, quos ipſi fovent, nedum minui, ſed plerumque ita augeri, ut ægrotos interimant. Etenim ſublata cauſa tollitur morbus, ſi itaque humores ſunt cauſæ morborum, cur ipſis vacuatis ſive per corpus excretis morbi non tolluntur? Nos ſæpius vidimus complures ardentibus febribus vexatos à principio uſque ad exitium habuiſſe largas excretiones bilioſas. Marina Theupola juvenis nunquam ſatis ob ejus præclaras animi dotes laudata, Mattheo Mauroceno juveni clariſſimo nupta (de qua in libris de præſag. vita & morte ægrotantium meminimus) ex abortu in ardentem febrem incidit, cum ſæviſſimis ſymptomatibus; ſudavit enim large & ſæpe, vomuit multa virulenta, & per alvum itidem crebras habuit excretiones bilioſas, quibus æſtimabatur aliquantulum ſublevata, tamen nunquam à febre immunis evaſit, habuitque per duos menſes diarrhœam bilioſam, & aliquando ſudores copioſos, quibus tamen crebris evacuationibus nunquam febris ſublata fuit, ſed tandem ipſa extincta eo morbo eſt. Guadagnina de Guadagninis mihi olim uxor nunquam ſatis laudata, ex ardente itidem febre ſeptendecim diebus, diarrhœa bilioſa, copioſa & crebra meo magno cum dolore & damno mortem obiit. Atque hiſce rationibus Methodicis fuit perſuaſum, humores non eſſe cauſas morborum. Addunt, ut hanc ipſorum opinionem magis confirment, compertum eſſe (quod à Galeno etiam expreſſum fuit) complures homines, licet corpora ipſorum homoribus valde abundaverint, quoad in ipſis corporibus tranſpiratio fuerit ſervata incolumis, magnum numerum annorum ſanos vixiſſe, quod non aliam ob

In lib. 4. aph. 22.

Aphor. 25.

cau-

cauſam evenit, quam quod humorum copia, ſi meatus corporis ſuam naturalem conformationem ſervaverint, morbos non faciat. Compertiſſimumque eſt, humores quoad quieti in corpore maneant, nunquam morbos facere: qui ſi aliquam ob cauſam ad motum cieantur, ſtatim morbos invehere, quatenus ad partes commoti, vel adſtrictum morbum vel laxum faciant; adſtrictum, ubi ad viſcus internum delati, ipſum vel obſtruant, putredinemque initio concitent, febremque vel phlegmonem; Laxum, quatenus ad oſcula meatuum corporis fluxi, immoderatius evacuantur. Quod vero humorem abundantia in corporibus quieta manens, minimeque commota, & turgens, morbos, non faciat, exemplo epilepticorum, per conſenſum ab inferna aliqua parte, qui eo malo corripiuntur, facile innoteſcit. Conſtat quidem humorem vel vaporem maleficum, quoad quietus in parte à qua ſublevatur, maneat, nunquam epilepſiam inducere; qui ſtatim quavis de cauſa commotus, aſcendens ad cerebrum, illud ſymptoma continuo concitat. At non ſolum maleficus humor, ſi ad cerebrum aſcenderit, epilepſiam, at quinetiam apoplexiam, acutiſſimamque phrenitidem. Quam affectus generationem Gal. non potuit non vehementer admirari, ſcilicet quamobrem ſit, quod humor venenoſus in corpore tandiu latuerit, abſque quod gravem noxam induxerit, & repente exitialem phrenitidem concitaverit. Quales phrenitides Ægyptiis in quibuſdam anni temporibus, & conſtitutionibus ſolent eſſe admodum familiares, quæ repente eos invadunt, pauciſſimiſque horis apoplecticorum modo homines interimunt. Quem morbum (de quo nos in libris de medicina Ægyptiorum ſcripſimus) Ægyptii Dem el muja appellant. At mirum eſt, quamobrem copioſi ſudores & vomitus itidem copioſi (ſi humores bilioſi tenuiſſimi virulentique morbum illum concitarunt) non multos juverint. Namque de phrenitico, qui tertia die obiit, Hippocrates ita habet; *Phreniticus primo, quo decubuit die, virulenta vomuit, & multa & tenuia: febris horrida, copioſus ſudor aſſiduus, toto corpore*, ex quibus ſane mirum non eſt, ſi Methodici perſuaſi humores non eſſe cauſas morborum, eoſque per ſe curationem non indicare voluerint: niſi quatenus

In 3. epid. ſect. 3. com. 75.

morbum vel adſtrictum vel laxum faciant, veruntamen cum non omnino purgantia medicamenta (licet à frequenti ipſorum uſu cavendum ſenſerint) ipſi ſuſtulerint, & quandoque ipſorum uſum atque prævalidorum etiam complexi ſint, merito humores morborum eos eſſe materiam voluiſſe, credendum eſt; neque omnino denegaſſe morbos ab humoribus fieri, ſed tamen non ita eſſe cauſas morborum intellexerunt, ut ab ipſis primo curatio indicetur, at ipſos quidem indicare ſane, non quatenus humores ſint, at quatenus affectus adſtrictos vel fluxos laxoſve factos denotant, ac proinde humores negarunt eſſe morborum cauſas, prout adſtrictum & laxum (quos morbos fecerunt) non ab humoribus, ſed ad adſtrictis vel diffuſis meatibus corporis fiant. Quandoque tamen non negare ipſos potuiſſe ab humoribus adſtrictos morbos atque laxos utique fieri: Adſtrictos, ubi commoti in corpore a quavis cauſa humores ad quampiam partem corporis fluxi, eam inflammarint, vel alium affectum ex adſtrictis concitarint: laxos vero, ſi itidem vel ad uteri oſcula, vel ad hæmorrhoidas, vel ad veſicam, vel ad ventrem, aut ad cutis poros immoderatius profluxerint. Ceterum (ut dictum eſt) cum ipſi non quatenus humores, ſed quatenus adſtrictum vel laxum morbum faciunt, curationem indicare videantur, eatenus morborum cauſas haud dicendos, putarunt.

CAPUT V.

Dogmaticos medicos in multis morbis curandis non differre à Methodicis.

NOn conſtat, Dogmaticos medicos in morborum curatione molienda à Methodicis multum fuiſſe differentes, quandoquidem Dogmatici (qui poſt methodicos in medicina magis claruerunt, quique Galeni doctrinam præcipue inſectati fuerunt) iiſdem præſidiorum materiis in medicina facienda, quæ fuerunt Methodicis familiaria, uſi ſunt, atque nunc etiam utuntur, ſi de chyrurgicis præſidiis loquamur, quale nam eorum, quæ apud Methodicos fuerunt in uſu, medicum præſidium

dium Dogmaticos, rationalesve medicos latuit; Nonne sanguinis vacuationem, & quæ secta vena, & quæ scarrificatione fit, omnes quidem in morbis curandis complexi sunt, familiaremque habuerunt? Nonne etiam æque, ac Methodici scarrificatione utebantur, usi sunt, atque utuntur? Nonne cucurbitularum usum non minus quam Methodici, Dogmatici æque semper plurimi fecerunt? Eodem modo & clysteres, frictiones, ligaturæ, inunctiones, fomenta, atque hujusce generis similia præsidia minime eos latuerunt omniaque ad pharmaceuticam pertinentia non minus atque Methodici in usu habuerunt, hoc uno excepto, quod nonnulli Methodicorum minus quam Dogmatici purgantium medicamentorum usu fuerint delectati, quinimo ab ipsis quo magis possit (quod à purgantium hominis natura abhorreat, atque ab ipsis lædatur) fore abstinendum putarunt. De quibus Aurelianus ita habet: *Sed vitandam probamus frequentem & variam medicaminum potationem, quæ fella educere promittuntur, sive ventrifluia; sive urinalia: Etenim sitis extenditur, & solidioris cibi fastidium duplicatur, & corporis fortitudo minuitur, atque cibi accepti corrumpuntur, & omnis corporis materia adulterio medicaminum deterior fit.* Non tamen usum plane purgantium sustulerunt, at illis non nisi magna urgente necessitate utendum præceperunt, à quorum sententia Hippocrates atque alii qui ejus doctrinam secuti sunt, non plane differentes fuisse visi sunt, cum raro, & in febribus, & in phlegmonis, & in aliis morbis similibus caute (quod corpora lædant) à medicis purgantibus utendum statuerint; neque immerito, etenim purgantia propter vim molestam, qua ventriculum ejusque os maxime lædunt, medici inter venena adnumerarunt. Quare Methodici à frequenti usu medicamentorum purgantium non secus ac Dogmatici abstinendum voluerunt. Veruntamen in hoc quidem à Dogmaticis dissentientes fuerunt, quod noluerint purgantia dari, quæ particularem ab occulta quidem facultate ex totius substantiæ similitudine ut Dogmatici ajunt, profecta, humorem educant, at quodcunque purgans valida vi purgatoria præditum omnes superfluentes humores (quæ quorundam quoque dogmaticorum fuit opinio) posse purgare, illis

In lib. 3. chronicor. cap. 5. de ictet.

Gal. in lib. de iis quos purg. oportet. & in 2. de vict. rat. in acut. com. 15. In 6. epid.

illis fuit perſuaſum. Unde utrumque helleborum, & alia, quæ & per alvum & per vomitum purgant, & quæ per os, & per nares itidem purgant, Græcis apoplegmatiſmata atque errhina dicta, ad purgandum in uſu habuerunt. Quid etiam, nonne veteres Dogmatici medici Methodicorum præſidiis perpetuo ad medendum uſi ſunt? & quod magis eſt, Methodicorum modo. Quæ præſidia juniores etiam ad hanc uſque ætatem in frequenti uſu habere ſolent. An non ſi de morbis adſtrictis loquamur (quorum genere comprehenduntur febres, ephemeræ, putridæ, inflammationes, phlegmones præſertimque anginæ dictæ, pleuritides, peripneumoniæ, & qui in hepate, renibuſque concitantur, dolores, cardiagliæ & ſimiles alii) cogimur fateri hoſce affectus Methodicorum præſidiis laxatoriis Dogmaticos etiam tollere? nonne in iis omnibus cum Hippoc. tum Gal. tum alii omnes commendarunt fomentorum laxantium uſum? qualia parantur, ex decocto chamomeli, meliloti, altheæ, ſeminum lini, fænugreci, & ſimilium. Certe quidem, non minuſque inunctiones ex oleis, adipibusque laxatoriis; cujuſmodi ſunt, quæ ex oleo chamomelino, amygdalino, irino, lilino, è ſeminibus lini, è ſeminibus fænugreci, è radiceque cucumeris ſylveſtris parantur. Quid de balneis aquæ dulcis calidis laxantibus? nonne Galenus omnes ephemeras febres balneis tollendas præcepit? non minus, & putridas continuas, atque intermittentes, potiſſimumque tertianas vocatas. Quis eſt medicorum, qui neſciat in anginoſis, pleuriticis, peripneumonicis affectibus, per exterius laxatorias inunctiones, fomenta, atque balnea convenire? & non minus omnes quoque ad eoſdem affectus per os propinant, vel decocta laxantia, vel olea, vel hydrelæa: præſertimque in pleuritide, peripneumonia, cardiaglia, atque in acutis doloribus. Quod de Chyrurgicis præſidiis dicemus? an non ſingulis, quæ Methodicis fuere in uſu ad medendum (ut etiam dictum eſt) Dogmatici quoque uſi ſunt, atque utuntur? Cujuſmodi eſt venæ ſectio, ſcarrificatio, cucurbitulæ, ſectiones, frictiones, ligaturæ, clyſteres, balani, inuſtiones, peſſarii, & ſimilia. Quare in hiſce præſidiis, neque in modo quo iis utuntur, Methodici à Dogma-

gmaticis non videntur plurimum differre. Eodem item modo conveniſſe viſi ſunt in uſu præſidiorum, quibus uti ſolent, ad hæmorrhagias ſiſtendas, ad menſium, hæmorrhoidumque profluvium, ad diarrhœas, dyſenterias, lienterias atque ad ſudores immoderatius profluentes, etenim ambabus ſectis familiaria fuerunt vehementer ſiccantia, atque adſtringentia medicamenta, de quibus nos poſterius accuratius ſermonem habebimus. Demum, ex Dogmaticis Eraſiſtratus diatritum (quod pertinet ad victus rationem in ægrotis) non minus quam Methodici laudavit; omnes vero in omnibus morbis adſtrictis, tenuem ac parciſſimum victum laudarunt, & vini abſtinentiam: Quibus quidem cuique conſtabit, Methodicos à Dogmaticis in curatione complurium affectuum haud plurimum differentes fuiſſe: Quinimo, ut in progreſſu iſtius operis comprehendetur, parum aut nihil in quamplurimis morbis curandis, licet in methodo curativa differant, à Methodicis diſcreparunt.

CAPUT VI.

De dogmatibus, quae à Methodicis in medendo non admittebantur, & primum, quod non ſit neceſſaria cognitio, ad indicandam curationem laeſarum partium, naturae, cauſarum, cœli, anni temporis, aetatis, ſtudii atque ſimilium.

METhodici in multis à Dogmaticis diſſenſerunt, cum Dogmatici plura ad morborum curationem inſtituendam neceſſario obſervanda voluerint, ſcilicet, corporis naturam, ætatem, ſexum, conſuetudinem, vitæ ſtudium, partes læſas, morborum cauſas, internas quippe qualitates, atque humores morbos facientes, anni tempus, regionem, cœlum particulare, morborumque cauſas effectrices, ſcilicet frigora, æſtus, ebrietates, cruditates, ſatietates, famem, ſitim, exercitium, otium, & ſimiles alias cauſas. Methodici contra horum cognitionem atque obſervationem pro indicanda curatione ſcitu minime neceſſariam inutilemque eſſe mordicus tenuerunt. At-

que non minus prædictorum eam ſingulorum obſervationem, medicis magnam potius confuſionem in medendo parere, medicoſque ad deliberandam curationem valde hæſitantes reddi, ipſis creditum eſt; Quæ dogmata in medendo minime à medicis obſervanda, idcircoque ſuperflua eſſe, eo quidem præcipuo argumento ii exiſtimarunt: quod eſſentia morborum per ſe indicans curationem una eademque ſit in omnibus corporibus, natura, ætate, ſexu conſuetudine, ſtudio aliiſque differentibus. Etenim febris (exempli gratia) & in naturis corporum temperatis, & in intemperatis eſſentia cum ſit ex omnium Dogmaticorum placitis morbus calidus & ſiccus, neceſſario in illis omnibus temperamento, ſexu, ætate aliiſque differentibus eſſet refrigerandum atque humectandum, in aliquibus tamen plus, & in aliquibus minus. Eodem itidem modo Methodici non injuria dicunt, in febre, quæ morbus adſtrictus eſt, in omnibus cum natura, tum ſexu, tum ætate, tum conſuetudine, tum aliis differentibus, perpetuo eſſe laxandum. præſidiaque laxantia ad inſtituendam curationem, vel ex ipſorum etiam dogmaticorum placitis uſu venire, ſiquidem medicamenta omnia quibus hi febres curari docent, ſunt laxantia, ſcilicet vacuationes, purgationes, balnea, inunctiones, frictiones, & ſimilia, quæ Dogmaticis fuerunt perpetuo ad ſanandas febres familiaria. Neque eſt, quod objiciatur, hoſce medicos ſua methodo non particulares homines, ſed hominem genericum & communem (de qua re alias accurate egimus) curare. Quæ curandi methodus à ratione vel hac unica ratione abhorrere creditur, quoniam particularibus hominibus, propter ipſorum naturæ, ætatis, ſexus, conſuetudinis, ſtudii atque ſimilium differentiam, unica curatio minime convenire poteſt. Namque quis quæſo eſt, cui ignotum ſit, in corpore calidioris temperamenti febre vexato minus eſſe refrigerandum, quam in eo quod frigidioris ſit naturæ, ob majoremque à naturali temperamento receſſum, non ſecus quam in ſicciori corpore ulcerato efficaciora ſiccantia, & in humidiori debilioria convenire, omnes norunt. Unde cognitum eſt, agreſtioribus, atque robuſtioribus corporibus valentiora medicamenta convenire, atque mitiora imbecillioribus.

Galcl. 3. meth. med. cap. 7. 2. ad Glauc. cap. 3. in 6. meth. med. c. 8. In 6. comp. loc. cap. ult.

Quæ

Quæ non ſolum Methodici, ſed vel etiam medicæ artis ignari fatebuntur vera eſſe: Etenim ſi de purgationibus ſermo habeatur, in debilibus, quales (exempli cauſa) ſunt pueri, atque ſenes, pharmaca debiliora convenient. Robuſtis vero, ſcilicet agreſtioribus, & ætatis conſiſtentis, validiora. Quod Methodici hac ipſa de cauſa fieri fortaſſe dicerent, quia hæc corpora ſcilicet robuſtiora ad adſtrictum affectum inclinant, vel aliquid affectus adſtricti habent, puerorum vero quippe imbecilliorum corpora aliquid in ſe laxi itidem continent, unde hæc ipſa (quod ſuapte natura habeant propter habitum laxum, unde evacuentur) mitiori vacuatione atque illa efficaciori erunt laxanda. Non ſecus etiam de aliis corporum differentiis, penes temperamentum varium, ætatem, ſexum, conſuetudinem atque ſtudium conſideratis, præſidiorum differentia conſpicua elucebit, ſcilicet quod propter has differentias medicamenta æque omnibus particularibus hominibus haud conveniunt. Nihil enim, ut Methodicis viſum eſt, intereſt, ad danda cuique medicamenta, quod unus homo ſit calidior, alter frigidior, unus ſiccior, alterque humidior, cum hæ differentiæ non mutent medicamentorum eſſentiam, ſed vel quantitatem, vel facultatis agendi in medicamentis efficaciam, quaſi dixeris ſecundum magis & minus ea medicamenta variari debere: Quod ſcilicet in mollioribus (exempli gratia) corporibus minus præſidii vel vacuantis, vel purgantis, vel quod minus efficax ſit, conveniat, & in robuſtioribus, aut quod validum ſit, aut plus validi habeat. Ex quibus Methodicis fuit perſuaſum illam corporum varietatem ſive differentiam penes varias corporum particularium naturas, ætates, ſexus, conſuetudines, vitæ ſtudia conſideratam, nihil ſane aliud varietatis ad indicandam curationem argumentari, quam illud quod penes magis (ut ajunt) & minus attenditur, ita ut medica præſidia ſingulis particularibus hominibus morbo quopiam conflictatis adſtricto, aut laxo, eſſentia eadem conveniant, etiam ſi, ea ipſorum natura ſexu, ætate & aliis ſimilibus differens ſit; haſceque differentias non mutare medicamentorum eſſentiam, ſed illorum efficaciam, ita ut quædam illarum differentiarum medicamenta laxantia in

In 2. comp. ſecundum gratia cap. 21. & 3. cap. 3.

adſtricto morbo, adſtringentia in laxo, efficaciora, & quædam minus efficacia expoſtulent, atque, ut rem exemplis recte comprehendamus, quis quæſo eſt (ut alias dictum eſt) quem lateat, ſi febris exempli gratia in corpore eucrato ſive temperato accendatur, ex naturæ ratione, minora refrigerantia convenire, atque in frigidiori natura ſeu temperamento, majora ſeu efficaciora: quod febris notet majorem caloris receſſum, veluti eadem ratione in corpore diſtemperate calido minus refrigerantia propter minorem receſſum à naturali temperamento requiruntur. Quid enim in medicamentis ex vario corporum temperamento, varietatis fit? id profecto ſolum, quod penes ſolum modum majorem atque minorem vim agendi, obſervatur; eodem modo ſi ulcus fiat in corpore ſicciori, medicamentum magis ſiccatorium, veluti in humidiori minus ſiccatorium conveniens erit. Idem à differentia ab ætate & ſexu obſervatur, quando pueri, ſenes & mulieres medicamentis blandioribus ſint tractandæ, efficacioribus vero viri ætatis conſiſtentis; & eodem modo a conſuetudine, atque à vitæ ſtudio: ita ut liquido conſtet, haſce differentias, non indicare pro curatione inſtituenda eſſentiam ſeu naturam præſidiorum, at ſolummodo mitiorem aut efficaciorem medicamentorum vim. Quod nobis ſuadet, medicamenta ex iſtis differentiis, quæ à corporum temperamento, ſexu, ætate, conſuetudine atque ſtudio conſiderantur, non mutari ſpecie atque eſſentia. Quamobrem recte dixiſſe viſi ſunt Methodici, eas differentias in ægrotis corporibus eſſe ad indicandam curationem ſuperfluas, atque parvæ utilitatis, cum non mutent eſſentiam medicamentorum. Namque (ut ajunt) perpetuo in morbo adſtricto, cum à ſolis affectibus per ſe curatio indicetur, uſum habebunt medicamenta laxantia, & in laxo adſtringentia. vel ſint calidi vel frigidi vel ſicci vel humidi temperamenti, vel cujuſuis ætatis, ſexus, & ſtudii. In febre enim vel phlegmone, qui affectus ex Methodicis ſunt adſtricti, perpetuo in omnibus cum pueris tum ſenibus tum ætatis conſiſtentis, tum in mulieribus, tum in viris in omnique vitæ ſtudio, cœlo, regione, anni temporibus, utendum erit laxantibus præſidiis,

quæ

quæ ſunt evacuationes, purgationeſque, quæ fiunt ſanguinis miſſione, vel laxatoriis pharmacis, vel ſudorificis, vel vomitoriis, vel inſenſibiliter evacuantibus, vel per urinam, vel alio modo. At ſi aliquis petierit, cur in pueris affectu adſtricto laborantibus, & in decrepitis ſenibus febre putrida, vel phlegmone itidem vexatis, qui ſunt morbi adſtricti, ſanguinis vacuationem medici non moliantur, vel purgationem, vel aliud efficax laxatorium, illis reſponderent Methodici, in illis propter habitum maxime laxum, validiori laxanti non eſſe opus, quod nimirum vires ea magna laxatoria auxilia in ipſis non ferant. Dogmatici itidem vocant hos debiles, vel virtutis debilis, propter quam debilitatem, haud aptos eſſe, ut inſigniter evacuentur dicunt. Si aliquis vero dubitaverit an ſenes habeant laxum habitum, quoniam ceteris aliis ætatibus ſenum corpora ſint ſicciora, & inſignis ſiccitas non laxi, ſed adſtricti ſit indicium, reſponderetur, ſenum corpora conſumptione humidi ſubſtantifici, laxa dici oportere, non ſecus quam tabem laxum morbum dicimus, quia in ipſo affectu humiditatum in corpore exiſtentium colliquatio conſumptione facta eſt. Unde merito ſenes non ferunt laxantia medicamenta; quare licet morbo adſtricto ſenes vexentur, non magna tamen laxantia admittunt, ſed ſolummodo debilia, & minora. Unde in pleuritide, morbo adſtricto, licet perpetuo ſit laxandum in omnibus cujuſvis ætatis corporibus, tamen Methodici in pueris atque in ſenibus eo affectu vexatis, aut non mittebant ſanguinem, aut parum quidem: quoniam (uti dictum nuper eſt) corpora cum puerorum tum ſenum laxo quadantenus affectu laborant, idcircoque in ipſis vires magnas vacuationes non ferunt, quamobrem Methodici viribus non permittentibus in iiſdem corporibus adſtricto etiam affectu magno laborantibus, à ſanguinis vacuatione, & à purgatione, tanquam à magnis laxatoriis præſidiis abſtinebant. Quam rem neque Dogmatici negabunt, cum & ipſi ſciant puerorum corpora, quod meatus cuti nimis laxos habeant, ob id facile reſolvantur. Quo cognitum ab omnibus eſt, illorum corpora quia propter eam laxitatem habent ſponte unde evacuentur, magnas ob id evacuationes non ferre. Qua de cauſa in juveni-

venibus, viriſque ætatis conſiſtentis, quoniam ipſorum corpora ſunt robuſtiora, vireſque robuſtas habent, largiori ſanguinis evacuatione medici uti ſolent. Itaque hujuſmodi corpora ſcilicet ſenum, & puerorum virium languore magna præſidia laxatoria non ferre deprehenditur. Aurelianus dixit: medicamenta ex affectus, & virium corporis magnitudine indicari. Quare ex illorum ſententia à medicis plurimum laborandum non eſt, ad morbos curandos, ut ipſi corporum affectorum naturam, ætatem, ſexum, conſuetudinem, atque vitæ ſtudium, cognoſcant, cum hiſce differentiis non mutetur medicamentorum eſſentia, ſed potius major ipſorum & minor agendi vis.

In 3. Chronicor. cap. 4.

CAPUT VII.

Quod partes affectae non indicent in morbis curationem.

IDem Methodici faciendum in cognitione partium affectarum, anni temporum, regionum, conſtitutionum cœli, particularis, cauſarumque morborum. Nimirum & hæc quod non faciant ad indicandam ſpeciem, & eſſentiam medicamentorum, at ad ipſorum potius vim agendi efficaciorem, atque debiliorem cognoſcendam, non eſſe animadvertenda voluerunt, idcircoque in illorum cognitionem, quod non mutent hæc (uti dictum eſt) curationis ſpeciem eſſentiamque, medicos incumbere debere. Itaque negarunt (ut à partibus læſis exordiamur) diverſarum partium varias differenteſque naturas, figuras, ſitus uſuſque, curationem indicare, proinde ab his non eſſe petendam morborum curationem: Etenim corporis partes cujuſcumque ſint naturæ, figuræ, ſitus, atque uſus, ſi morbo adſtricto vexentur, laxantia expoſcunt; contra, quæ laxum morbum patiuntur, adſtringentia. Itaque in omni parte (exempli gratia) inflammata, quod morbo adſtricto laboret, laxantium medicamentorum uſus conveniet. Quam rem Gal. in lib. ſimplicium confirmaſſe viſus eſt, cum ad omnes inflammationes lac

ca-

calidum (quod laxatorium eſt medicamentum) adhibitum commendaverit. Unde ipſius uſus ad omnes inflammationes in unaquaque parte corporis conciratas, omnibus medicis fuit valde familiare. Commendavit quoque Gal. ad oculos inflammatos fomenta ex decocto meliloti, fænugreci, & altheæ, quibus veteres medici ad omnes inflammatas partes familiarius uſi ferunt; quæ hac etiam ætate non minus uſu recepta ſunt, quis quæſo è medicis medicinam facientibus ille eſt, quem lateat prædictorum fomentorum uſus ad pleuritim, ad peripneumoniam, atque ad hypochondria inflammata? præſertimque ad lienis, hepatis uterique plegmonem tollendum? Galenus expreſſe in libris de compoſit. med. ſecundum locos commendavit fomenta eadem ex laxatoriis medicamentis parata ad oculos, ad aureſque inflammatas; non minuſque ad crurum, brachiorum, genuum, pedum, atque manuum phlegmones in lib. de ſectis ad eos, qui introducuntur, laudaverit eadem fomenta laxantia. Neque perfecto injuria, quando, ſi humor vel in oculos vel in aures vel in quamlibet aliam partem corporis defluxus phlegmonem fecerit, inſtitutum, & ſcopus præcipuus omnium quidem medicorum eſſe debeat, ut humor in parte ſuſceptus, imbibitus vel (ut ajunt Methodici) adſtrictus, phlegmonem fovens digeratur, & reſolvatur ad quam reſolutionem laxantia medicamenta maxime faciunt. Neque illis obiiciatur in principio quorundam phlegmonum uſum habere (omnium ſectarum medicis ita ſentientibus) adſtringentia: veluti in aliis temporibus, ſed maxime in ſtatu & in declinatione digerentia, Methodicis laxantia vocata, adhibentur. Itaque ſi in principio quarundam partium inflammatarum, qui affectus ſunt adſtricti, adſtringentia medicamenta conveniant, quomodo verum erit, in omni morbo adſtricto quamlibet partem obſidente, uſum habere medicamenta laxantia? & præſertim cum nedum Dogmatici, ſed quinimo etiam Methodici illud medendo obſervent, ſcilicet, ut in principio phlegmonis, qui eſt morbus adſtrictus, quaſdam corporis particulas obſidentis medicamenta adſtringentia (de qua re poſterius nos accuratius) debeant adhiberi, ergo non erit credendum,

In lib. 10. ſi mpl. cap. de lacte. In 4. de comp. med. loc.

In 3. lib. c. 1. & in 4. de comp. med. cap. 2.

in

in morbo adſtricto quamcunque partem tenente, perpetuo laxantia vocata medicamenta eſſe adhibenda. At Methodici non concedent, plegmonem, de quo præſertim dubitatio eſt, à principio, augmento, ſtatu atque declinatione adſtrictum morbum vocari debere, at ſolummodo toto humore faciente phlegmonem, ad partem inflammatam fluxo, & in ipſa imbibito, vel adſtricto, quem affectum adſtrictum ipſi vocarunt, in principio vero phlegmonis in quo nondum morbus adſtrictus factus eſt, ad prohibendum ne fiat, Methodici (auctore libri de optima ſecta ad Traſybulum docente) adſtringentibus partem firmabant ac roborabant, ut ab influxu humoris ſeipſam defendat, de quo argumento paulo poſt accurate agemus. Itaque veriſſimum erit ex Methodicis in morbo adſtricto quancumque partem corporis occupante, laxantibus, atque in laxo, adſtringentibus opus eſſe medicamentis, & proinde partem affectam per ſe non indicare curationem. Amplius Aurelianus probat medicamenta non indicari à partis affectæ ſpecie, argumento à partium ſenſu deprompto, ſcilicet, quod partium corporis quædam ſenſibiles ſive multi ſenſus ſunt, ut oculi, os ventriculi, aliæque partes, & quædam minus ſenſibiles ſeu hebetis ſenſus, ut pedis calcaneum atque ſolea extremæ partis pedis. Omnes quidem medici, inter alia, fatentur haſce partes non eadem medicamenta perferre & proinde diverſa ſpecie medicamenta indicare: quippe hebetis ſenſus quæ ſunt, validiora, efficacioraque expoſtulare; & acuti ſenſus mitiora, atque leviora: quod tamen experientia falſum eſſe Methodici dixerunt, namque pedis calcaneum & omnes partes ſuapte natura hebetis ſenſus (exempli gratia) fluxione vel inflammatione vexatæ, redduntur valde ſenſiles & doloroſæ, eodem modo omnes fortaſſe articulorum partes, quæ ſuapte natura hebetis ſunt ſenſus, fluxione, aut phlegmone vexatæ ſe habere videntur, maxime ſenſibiles ac doloroſæ evadentes, mitiora & leviora expoſcunt medicamenta, quæ ſuapte natura propter hebetem ſenſum validiora potius expoſcerent. Contra, quædam, quæ maximi ſenſus ſunt, ex fluxione, aut ex inſigni inflammatione quandoque ita obſtupeſcunt, ut pauciſſimi ſenſus evadant, quæ ob id non mitiora,

In lib. 3. Chronicor. cap. 4.

quæ

quæ ſuapte natura propter multum ſenſum expoſtulabant, ſed validiora quidem ſtupidi ſenſus à morbo redditæ indicabunt, ex quibus Aurelianus colligit, partes affectas non habere particularem indicationem, qua mutent, ſeu evarient medicamentorum eſſentiam. Quare ex his verum eſſe intelligunt, in adſtricto morbo, in quacumque corporis parte fiat, perpetuo eſſe laxandum, laxantiaque indicari medicamenta; & in laxo adſtringendum, adſtringentiaque convenire medicamenta; inutilem idcircoque eſſe indicationem, quæ à partis cum natura, tum figura, tum ſitu, deſumitur; etenim hæc partium varietas non mutat pro inſtituenda curatione medicamentorum ſpeciem ſeu naturam, ſed quædam alia quæ potius faciunt, non ad indicandam eſſentiam, ſed ad majorem & minorem in medicamentis agendi vim, vel ad commodiorem agendi modum. Quæ res maxime confirmabitur, ſi ulcerum curatio quomodo fiat, animadverterimus. Profecto Methodicorum ſententia confirmabitur, quod pars affecta non indicet curationem, neque habeat propriam indicationem. Apud omnes conſtat, partes ulceratas quaſcumque ſiccantibus ſanari medicamentis, etſi ulcus in crure exiſtens ab ulcere, quod pulmones vexat quadatenus differre videatur, veruntamen eſſentia ſeu natura ulceris, tum in crure, tum in pulmonibus facti cum una eademque ſit, eadem quoque medicamenta neceſſaria eſſe oportebit, ſcilicet ſiccantia; neque eſt, quod ad partes externas exulceratas omnia quidem medicamenta adhiberi queant, & ad internarum partium ulcera non quidem omnia admittantur, ſed quædam ſolummodo quæ etiam non niſi artificioſe indita illis medentur. Etenim compertum eſt, ad ulceratos pulmones, ſaccharum roſaceum, bolum armenium, terram lemniam, lapidem hæmatitem, acaciæ ſuccum, atque alia hujuſmodi ex ſucco plantaginis, centinodii ſeu polygoni ſumpta maxime convenire. Alexander Trallianus complura cum pulmonum tum aſperæ arteriæ ulcera ſolo hæmatite lapide tenuiſſime trito ex ſucco polygoni epoto omnino coaluiſſe, atque probe ſanata fuiſſe ſcriptum reliquit. Quæ ſingula medicamenta partium externarum ulceribus quoque prompte mederi, experientia cognitum eſt:

neque profecto id injuria, cum ipſorum natura omnibus ulceribus adprime conveniat, propter vim inſigniter ſiccantem. Verum hæc longe promptius, atque facilius externis partibus ulceratis auxilio ſunt, eo quia in externis ulceribus medicamenta viribus integris, nihilque refractis valenter agant. Ad internarum vero partium ulcera, & ad ea præſertim, ad quæ non niſi longo viarum tractu (uti ſunt pulmones) medicamentum pervenit (quoniam priuſquam ad ulceratas partes perveniant medicamenta, plurimum à calore patiantur, ipſorumque vires refranguntur, ideoque imbecillius agunt) non niſi longo tempore ulcera illa ſanare poſſunt. Quamobrem non ita evidenter videntur interna ulcera juvare. Itaque neque partes ulceratæ habent propriam indicationem, ſed quæ non niſi majorem minoremque, ſeu efficaciorem, atque mitiorem vim agendi in medicamentis denotet, nihilque evarians eſſentiam medicamentorum. Neque eſt, quod dicant, pulmones & partes corporis humidiores mitiora, & ſicciores durioreſque efficaciora expoſcere, tamen hæ partes ulceratæ, licet invicem vel temperamento humido ſiccoque, aut mollitie duritieque differant, non propterea indicabunt aliquid faciens ad eſſentiam medicamentorum. Siquidem eſſentiam ipſorum, quæ ſiccans eſt, ab illarum partium varietate indicatur magis vel minus ſiccans. Etenim cum ulceris eſſentia in humiditate conſiſtat, facultas ob id in medicamentis indicatur ſiccatoria; diverſæ vero partes non indicant diverſam eſſentiam medicamentorum facultatis, at minorem, vel majorem vim in ſiccando. Neque variæ partes varias diverſaſque medicamentorum facultates indicabunt, at eandem facultatem, aut efficaciorem aut mitiorem, uti diximus in ſiccando, hinc eſt, quod Gal. inquit: *Medicamentum ex cadmia, non curare ulcus in aure, maxime vero in crure poſitum*: Neque profecto injuria id fit, quoniam ex cadmia medicamentum, quod minus efficax ſiccans ſit, quam poſſit ulcus in aure, cujus ſubſtantia admodum ſicca atque dura eſt, quæ proinde medicamentum efficaciter ſiccans indicaret: poteſt vero idem ulcus in crure poſitum ſanare, quia ulceris ſubſtantia humidior molliorque eſt, ac idcirco indicatione à natura partis indicatur

In lib. 5. meth. med. cap. 10.

ſic-

ſiccans quidem medicamentum, at quod mitius ſiccet. Quare partes ulceratæ variæ non mutant eſſentiam medicamentorum, at certe potius, (uti dictum alias eſt) efficaciam in agendo. Poſſent quidem & Methodici eam differentiam in curandis diverſarum partium ulceribus obſervare, nimirum, ut in ulceratis partibus ſiccioribus durioribus, & in agreſtium coporum ulceribus medicamenta magis ſiccantia adhibeant, atque in humidioribus, mollioribus partibus corporis, & in mollioribus corporibus ulceratis, minus ſiccantia. At abſque hac etiam differentiæ partium obſervatione animadverſa, poſſunt promptius Methodici variarum diverſarumque partium ulceribus mederi, indicatione deſumpta ab affectus, ſcilicet ulcereris magnitudine, quandoquidem ubi ulcus in quacumque parte poſitum, fuerit maxime humidum, profecto medicamentis ſiccantioribus erit opus, atque ubi parum per ſe humidum ſit, mitioribus minusve ſiccantibus. Quod præceptum Galenus itidem in durandis oris ulceribus expreſſum feciſſe viſus eſt, cum dixerit: *in ulceribus, quæ multum humida ſunt, validioribus ſiccantibus utendum, atque in parum humidis moderate ſiccantibus.* Situs quoque partium exulceratarum non mutat curationem, at modum ſolummodo curandi, proinde neque medicamenta facultate diverſa. Nam etſi cogantur medici in ulceribus uteri, veſicæ, renum, ventris, inteſtinorum uti medicamentis actu humidis, quæ medicis inſtrumentis injiciuntur, non tamen poteſtate ſunt humida ſed ſicca. Neque etiam Methodici ignorabant, ad ulcera (exempli gratia) ſtomachi pectoris & pulmonum convenientius dari medicamenta, cum iis, quæ eduntur atque bibuntur, quæ ſingula medicamenta poteſtate ſiccantia ſunt, ex quo liquodo conſtat, varios partium ulceratarum ſitus non habere particularem indicationem, ſed potius diverſum modum curationis indicare; quando eadem medicamenta ſiccantia, actu ſicca in externarum partium ulcera indantur, in internarum vero actu etiam humida, & non niſi aliquo inſtrumento injiciantur. Ad ventris vero vulnera ſananda magnum difficileque omnibus medicis fieri negotium, neminem latet, neque ea ſanari poſſe, ni prius impedimenta tollantur,

quibus variis præſidiis ſublatis, medicamentis enæmis Græcis dictis, ſarcoticis atque epuloticis ea ulcera ſanari, non eſt medicorum, qui neſciat. Idem de figura partium eſt dicendum, quando neque varia partium læſarum figura mutet eſſentiam ſeu ſpeciem medicamentorum, at ſolummodo curationis modum, vel medicamentorum vim ſecundum magis & minus. Ex his itaque patet, partes corporis læſas non indicare per ſe curationem, ſed vel medicamentorum vim intenſiorem aut mitiorem, vel varios modos, quibus eadem medicamenta comparari apponique ſolent, non mutata ipſorum facultate indicata ab eſſentia ſeu à natura morbi: quæ ſi laxa ſit, perpetuo adſtringentibus; & quæ adſtricta, laxantibus præſidiis erit opus, atque ita Methodicis fuit perſuaſum, nedum corporis naturam, ætatem, ſexum, conſuetudinem vitæ ſtudium, & ſimilia, indicare per ſe curationem, at quinimo etiam neque varias corporis partes læſas propriam habere indicationem. Sed quid de nervis dicemus? An non propria medicamenta, quibus ulcerati ſanantur, expoſtulant? Certe quidem videtur, verum ſi rem hanc accuratius medici animadvertant, intelligent etiam nervos ulceratos non indicare medicamenta ſpecie ab iis, quæ aliis partibus ulceratis medentur, diſtincta, ſed potius quædam alia, quæ ut in diverſis aliis partibus dictum eſt, vel plus vel minus ſiccant, de qua re poſterius accurate erit agendum. C. Celſus Methodicis & ipſe (quod cauſarum, ex quibus fiunt morbi, cognitio aliquando pro curatione inſtituenda ſit neceſſaria) objiciens, hæc contra ipſos ſcripſit: *Ergo etiam ingenioſiſſimus ſæculi noſtri medicus, quem nuper vidimus, Caſſius febricitanti cuidam, & magna ſiti affecto, cum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe, cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit, qua ille epota cum vini vim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit, quod auxilium opportune providit, non ex eo quod aut adſtrictum corpus erat, aut fluebat ſed ex cauſa quæ ante præceſſerat.* Hoc eventu in febre ex ebrietate, quod ex potu nimirum aquæ febris fuit diſcuſſa, putavit cauſas quoque in morbis curandis cum Dogmaticis indicare. At pace tanti viri dixerim ipſummet fuiſſe confeſſum febrem diariam illam ex ebrietate ſudore fuiſſe diſcuſ-

ſcuſſam: quid an non aqua epota ſudorem quo ſublata eſt febris, promovit? certe quidem, eo quidem modo quo aquam frigidam large epotam in ardentiſſimis ſummeque æſtuoſis febribus & ſudorem movere, atque eas febres ſolvere & diximus, & poſterius dicemus. Atque hæc ſunt, quibus Methodicis fuit perſuaſum, ad inſtituendam in ægrotis curationem, corporis naturæ, ætatis, ſexus, conſuetudinis, ſtudii, partiumque læſarum obſervationem ſcitu non eſſe neceſſariam. Non minuſque neque cauſarum procatarticarum, varii cœli, anni, temporis, regionum & ſimilium, quoniam perpetuo in morbo adſtricto ſit laxandum, in omnibus inquam cum corporibus cujuſque naturæ ſint, ætatis, ſexus, conſuetudinis, vitæ, ſtudii, tum partibus affectis cujuſque naturæ, figuræ, atque ſitus itidem ſint, atque in morbo laxo in iiſdem omnibus corporibus tum partibus læſis perpetuo eſſe adſtringendum.

CAPUT VIII.

Cur adſtringentia medicamenta in phlegmonem, quæ morbi ſunt adſtricti, principio conveniant.

METhodicorum dogma ſatis famoſum fuit, in plegmonum principiis adſtringentibus eſſe utendum, ſcilicet ad fluxionem, incrementumque phlegmones prohibendum, a quo placito Dogmatici abhorruerunt; etenim Gal. ſcripſit, apocruſtica in principiis inflammationum, quod vim habeant adſtringendo repellendi, utilia eſſe: ſiquidem hæc adſtrictione robur partibus inflammatis indunt, unde minus prompte fluxionem admittunt, & eorum humorum, qui in iis jam contenti ſunt, tenuiſſimum extrorſum exprimunt; ex quo loco non levi conjectura deprehenditur, librum de optima ſecta ad Traſybulum, Galeno tributum, Galeni quidem non fuiſſe, cum de hoc ipſo dogmate contra Methodicos in eo libro mordicus multa ſcribat, ſed præſertim, quia ipſi idem, quod ipſe expreſſerat, in multis dixerunt utilia in phlegmonum principiis eſſe adſtringentia, quia partem affectam robore firmant, &

Lib. 11. Meth. med. cap. 15.

prohibent incrementum phlegmones. Certe ea argumenta, quibus contra Methodicos in ejuſdem libri capite 49. ad finem uſque auctor illius libri uſus eſt, cum ex toto Galenicam doctrinam oppugnent, aperte demonſtrant, eorum librum à Galeno non fuiſſe ſcriptum. Itaque cum in principiis phlegmonum, medicamenta laxantia (quod tunc temporis, humores fluentes, nondum affectum adſtrictum fecerint) non conveniant, quæ poſtea in aliis temporibus maxime uſu veniunt, præſertimque in ſtatu atque in declinatione, ergo recte uſus adſtringentium medicamentorum opportunus erit; & hæc eſt vera etiam Dogmaticorum medendi methodus, quam in curandis phlegmonis omnes obſervant; ſiquidem & ipſi in horum affectuum principio adſtringentibus medicamentis humorem repellunt, affectamque partem robore firmant. Galenus uſum adſtringentium eſſe maxime utilem tradidit ad oculos, ad aures, tonſillas, columellam, antiadem, guttur, ſedem, atque ad complures alias partes inflammatas. Quare in hoc videntur convenire cum Dogmaticis Methodici. Veruntamen ſæpius dubitavimus, an hoc dogma fuerit à Methodicis conſtitutum, eo quod hi quamcumque inflammationem, phlegmonemque morbum adſtrictum eſſe fecerint, quod ex Aureliano de omnibus phlegmonis in libris acutorum ſcribente apertiſſime conſtat. Conſtat quidem ipſum nunquam in curanda aliqua inflammatione ex propria ſententia ſcribentem, adſtringentium uſum commendaſſe, quinimo ea medicamenta ex aliorum ſententia cum in principio phrenitidis & aliarum phlegmonum, laudata, perpetuo damnavit, quod ut ait, preſſuram ſive adſtrictum morbum augeant, præterea cum Methodici omnes fateantur eos affectus eſſe ex toto adſtrictos, debuerunt, non niſi laxantia medicamenta admittere. At cum in principio iſtorum affectuum humor nondum in parte affecta ex toto adſtrictus ſit, haud injuria adſtringentium uſum admittere potuerunt. Ceterum quæ nobis de hoc dubitationem fecerunt, duo ſunt. Quorum unum eſt, quod conſtet medicos omnes etiam Dogmaticos in phlegmonis internis etiam initio uſos fuiſſe medicamentis laxatoriis, an non Hippocrates in 4. de vict. rat.

rat. in acutis in pleuritide ſtatim exordiendum ab uſu medicamentorum laxantium eſſe tradidit; eumque uſum Galenus in commento confirmavit? certe quidem. Accedit etiam, quod alterum erat conſiderandum, in parotidibus, bubonibus atque in aliis axillarum phlegmonis, neque in principio medicos uti adſtringentibus, neque etiam in principio phlegmonum malignarum, in quacunque corporis parte oborientium, admitti ullo pacto uſum adſtrictoriorum, ad repellendum humorem. Cum itaque hæc vera ſint quid de uſu adſtringentium in phlegmonum principiis dicemus? Methodicos adſtringentium repellentiumve uſum complexos fuiſſe in principio earum phlegmonum quæ fiunt in partibus externis, atque ignobilibus. Contra interdici ipſorum medicamentorum uſum in phlegmonis cum internis, tum etiam in iis quæ occupant partes externas, ſed quæ proximæ ſunt viſceribus nobilibus. Demum in omnibus quoque phlegmonis malignis uſus adſtringentium (quod nullo pacto humor malignus ſit à cute repellendus) reprobatur. Quæ dogmata non injuria, ut alias quoque viſum eſt, cum Methodici tum Dogmatici medendo obſervarunt. Dogmatici, quoniam ad prohibendum inflammationis augmentum incrementumve coguntur repellere à parte affecta humorem, ne morbus quidem plurimum augeatur, Methodici vero quia eodem fere modo, quod inflammationem, non quæ fit, ſed quæ facta eſt morbum adſtrictum vocent, principium inflammationis non eſſe affectum adſtrictum æſtimarint, quod ſi verum eſt, affectibus inflammatoriis in principio medicamenta adſtringentia erunt accommodata. Quibus medicamentis adſtrictoriis Aurelianus uſus eſt in principio arthriticorum dolorum, ut ex lib. quinto Chronicor. cap. 2. conſtat. At non levis hinc difficultas à Dogmatis excitari poterit, ut verum eſſe nequeat, quod Methodici unquam vel etiam in phlegmonum externarum principiis uſus adſtringentium commendarint, cum æſtimandum ſit, eos minime latuiſſe, in malignis peſtilentibuſque phlegmonis, tumoribuſque nunquam adſtringentia, quia humorem intus pellunt, uſum habere potuiſſe: neque etiam ſi non malignæ ſint, ubi tamen in inguinibus, in axillis, & in

ade-

adenibus & in retro aures poſitis partibus oriantur, etenim in prædictis partibus inflammatis, humorem intus repelli, maxime periculoſum eſt. Proinde neque in harum partium inflammatarum principio ex Methodicis adſtringentia, quod repellant, unquam ad medendum uſum habuiſſe, putandum erit. Quod ea fortaſſe de cauſa ab iis factum fuit, cum perpetuo in omni inflammata parte, vel interna, vel internæ proxima (quod morbo adſtricto laboret) utendum laxantibus, ii ſtatuerint. Quæ difficultas ex ſuperius dictis reſoluta eſſe videtur, nimirum quod uſus adſtringentium in phlegmonum principiis ſolummodo conveniant, ubi phlegmonæ fuerint in partibus extimis ignobilibus atque expertes cujuſvis malignitatis. A quibus ſane argumentum ſatis validum colligitur contra Methodicos, partem quippe affectam per ſe curationem (quod ſuperius ex illorum ſententia damnatum eſt) indicare: Nonne verum eſt, in adenibus, inguinibus, axillis inflammatis nunquam repellentium uſum utilem eſſe? & quandoque in partibus remotis ignobilibuſque adſtringentia admitti? ſcilicet in principio inflammationis, ad repellendum humorem intus ne augeatur inflammatio, ex quo verum videbitur partes affectas medicamentorum eſſentiam mutare: nonne partes remotæ inflammatæ, in principio adſtringentia expoſcunt, & inguina, axillæ, adeneſque aurium laxantia? An non hoc eſt, partes diverſas mutare curationem? Quid itaque ad propoſitam difficultatem dicemus? Illud ſolummodo, ut Methodicorum partem tueamur, de tumoribus, phlegmonis, & aliis excretionibus, quæ malignæ non ſunt, eſſe intelligendum: ſcilicet quod illorum affectuum principio adſtringentia conveniant: nequaquam vero in malignis ſeu peſtilentibus, quos affectus Methodicos non intellexiſſe, cum ipſos, ut ſuperiori libro oſtendimus, inter venenatos affectus comprehenderint, quos Methodici non reduxerunt ad adſtrictum & ad laxum, at ad alias communitates. Verum eſto, quod malignus morbus etiam ad laxum & ad adſtrictum referatur, nihilominus etſi tumores phlegmoneſque maligni nunquam admittant uſum repellentium, ne vel etiam in ipſorum initio, tamen non ob id ſequitur partes affectas habere pro-

propriam indicationem, neque enim pars affecta indicat medicamenta laxantia, at pars non affecta ſed affectæ proxima indicare videtur ne adſtringentia adhibeantur, ne viſcus ſubiacens parti extimæ inflammatæ lædatur, ſcilicet ab affecta parte ad ipſum humore protruſo. Itaque & ſi hæc vera ſunt, quod partes viſceribus paroximæ laxantia indicent medicamenta, etiam per phlegmonum initia, & remotæ à viſceribus per id temporis adſtringentia, tamen partes ipſæ affectæ, ut dictum eſt, non idcirco indicabunt varia medicamenta. Varia enim medicamenta indicat morbus malignus & non malignus, atque partes non phlegmone affectæ, ſed internæ ipſis proximæ. Unde viſcera nobilia illis proxima prohibent uſum adſtringentium.

CAPUT IX.

An in omnibus adſtrictis morbis nuda laxantia conveniant, vel adſtringentibus commiſta eſſe debeant.

METhodici itidem in omnibus morbis adſtrictis voluerunt, eſſe utendum nudis laxantibus: Exceptis phlegmonum principiis, in quibus quomodo adſtringentia uſum habeant, nuperrime viſum eſt. Quod placitum Dogmatici mordicus damnaverunt, ipſumque ad medendum maxime pernicioſum eſſe ſtatuerunt; quippe quod viſcera interna à nudis laxantibus & debilitentur, & exinde non minus phlegmone augeatur veluti adſtringentibus roboratur. Quamobrem Galenus Attalum medicum Romanum ſummopere redarguit, qui ad hepar inflammatum nudis laxantibus utebatur, neque aliquod medicamentum facultatis adſtringentis laxantibus miſcere voluerit. Ceterum unde ſit, quod hepar cujus ſubſtantia carnea eſt, atque mollis, temperamentumque itidem ejus eſt calidum, & humidum, medicamentis adſtringentibus, quæ frigidi, ſiccique temperamenti, atque terrenæ ſubſtantiæ exiſtunt, ejuſdem viſceris ſubſtantiæ plane contrariis, roborari queat, non eſſe omnibus conſpicuum, putamus. Siquidem, ut & Gal. multis in locis expreſſit: illud quod ſecundum naturam eſt, à ſimili-

In lib. 13. meth. cap. 15.

Id 3. aphor. 18.

In 3. Meth. med. cap. 3.

In 8. meth. c. 9.

bus roboratur, atque à contrariis patitur, debilitaturque. Quis quæso, hepatis ſubſtantiæ parenchymati vocatæ, carneæ atque molli, calidi humidique temperamenti, adſtringentia medicamenta, quæ ſubſtantiæ terrenæ, craſſæ, frigidæ atque ſiccæ, temperamentique frigidi & ſicci ſunt, ſimilia eſſe affirmabit? Quinimo hæc hepati cum ſubſtantia tum temperamento contraria erunt judicanda. Quo pacto igitur hæc poterunt hepatis ſubſtantiam per ſe roborare, ſi roboratio conſenſu omnium à ſimilibus fit? Augent difficultatem ea, quæ Galen. in libro de optima ſecta ad Traſyb. contra Methodicos ſcripſit, ſcilicet adſtringentia medicamenta viſcera minime roborare. Qui locus facit, ut librum hunc Galeni quidem non fuiſſe, merito crediderimus, atque etiam quod in aliis libris non ſpuriis oppoſitum ab ipſo traditum, demonſtratumque ſit; utpote membra adſtringentibus roborari, reddique firmiora; promptius ſic roborata ab humorum defluxu tueri. In ſtomacho, diaphragmate, utero, in ceteriſque partibus, quæ ſicca duraque ſubſtantia conſtant, non dubium eſt, quin à modice adſtringentibus roborentur, veluti non parum dubitatur de iis partibus, quæ humidam, mollem, laxamve ſubſtantiam habent, cujuſmodi eſt jecoris, lienis, cerebri, medullæ ſpinalis caro, ſeu ſubſtantia humida atque mollis, in his quidem (quod à ſimilibus fiat facultatis ſubſtantiæque roboratio) laxantia medicamenta ſubſtantia, ac temperamento ſimilia, videantur poſſe vim atque robur augere. Niſi una cum Diocle (ut Galenus eſt auctor) dixerimus, ſimilia non à ſimilibus, ſed à contrariis conſervari, & à ſimilibus lædi, ita, ut in morboſam conſtitutionem labantur, quod fortaſſe corpora calidiora lædantur à calidis, atque frigidiora à frigidis: & hæc à calidis, illaque à frigidis juventur, ac roborentur. Verum hoc diſtincte intelligi oportet, quando, ut Gal. docuit, illud temperamentum, quod ſecundum naturam ſe habet, à ſimilibus juvetur, roboreturque, & quod præter naturam eſt, à contrariis: unde corpora temperata ſimilibus & intemperata contrariis conſervari ſæpe Gal. demonſtravit: Temperatum ſecundum naturam eſſe, & diſtemperatum preter naturam, omnibus liquido conſtat.

In 2. aphor. 34.

In 3. Meth. med. c. 3. & 8. & in 8. meth. c. 9.

In 1. de alim. facult. cap. 1.

In 2. de alim. facult. cap. 12. & in lib. 3. cap. 42.

Qua-

Quamobrem ſi in homine hepar eſt temperatum, quomodo medicamentis adſtringentibus (quæ ſunt ſubſtantiæ, naturæque diſtemperatæ, atque ut nuper viſum eſt, ipſius viſceris ſubſtantiæ molli, atque laxæ planè contraria) juvabitur, atque ab ipſis robur accipiet? Addunt, non videri hepati inflammato laxantia adſtringentibus ſimul permiſta, ſive melius adſtringentia laxantibus miſta conducere, convenireque poſſe: eaque præſertim ratione, quod adſtringentia impediant hùmoris foventis inflammationem, digeſtionem, reſolutionem, ſive evacuationem, quæ fit per poros cutis, ſiquidem etiam leviter adſtringentia cutis meatus claudere Galenus in libro quinto ſimplicium ſatis docte demonſtravit. Quod ſi verum eſt, quo pacto per eoſdem meatus cutis inflammatio hepatis digeſtione, ſive evacuatione reſolvetur? Docet Gal. meatus infarcitos, & obſtructos, medicamenta detergentia & ab infarctu liberantia, niſi ſint cujuſvis adſtrictionis expertia, non poſſe detergere atque ab infarctu obſtructos meatus liberare, quod vel etiam (ut Galenus expreſſit) à leviſſima adſtrictione meatus cutis claudantur, qua clauſione, cum medicamenti facultas deterſoria intro nequeat penetrare, pervenireque, haud detergere eoſdem meatus ab infarctu poteſt. Cui dubium? clauſis cutis meatibus impediri humoris phlegmonem foventis reſolutionem, utpote, quæ fiat per meatuum cutaneorum inſenſibilem evacuationem. Accedit etiam hepatis regionem ipſiuſque carneam ſubſtantiam, adſtrictis in ea parte meatibus per quos etiam ejuſdem viſceribus calor nativus tranſpirare ſolet, juvari ac roborari poſſe, non eſſe credendum. Itaque cum præcipuus ſcopus in jecore inflammato, eſſe debeat, ut adſtrictus in ea parte humor digeratur, evacueturque, quis medicorum erit, qui uſum moderate laxantium, quæ leviter digerentia ſunt, damnare audeat? præſertimque cum hepati & ſubſtantia, & temperamento ſimilia ſint. Ceterum aliquis forſitan ex Methodicis concedet, in ea parte hepatis, atque in qualibet alia carnea, & molli inflammata, laxantia ad digerendam inflammationem, debere non eſſe expertia alicujus adſtrictionis, quia hepatis caro parenchyma dicta, quæ mollis eſt atque humida, aliquid laxitatis

In lib. 5. ſimpl. cap. 12.

tis habere videtur, mitioraque idcirco laxantia expoſtulet. Quamobrem cuique conſtabit fortaſſe laxantia aliquid adſtrictæ facultatis mixtum habere, ne nuda laxatione viſceris ſubſtantia laxa lædatur, oportere. Addimus etiam venarum complurium atque arteriarum, quibus illud viſcus eſt refertiſſimum, ſubſtantiam membranoſam, ac duram medicamenta laxantia ſeu digerentia non admodum humida, ſed paululum ſicca indicare, expoſtulareque, qualia forſitan Galen. ad lienis duritiem emol-
In 5. ſimpl. liendam laudavit. At quod illa etiam adſtringentia eſſe debeant, Methodici non admiſerunt, quoniam in partibus extimis ſcilicet cutis, adſtrictio omnes claudat meatus, atque exinde impedimento ſit, quominus materia ſeu humor inflammationem faciens per cutis poros digeratur, & reſolvatur.

CAP. X.

De morborum generibus ſecundum Methodicos, & quales ad adſtrictum & quales ad laxum reducantur, & in quibus morbis locum habeat adſtrictum & laxum.

Duo fuiſſe morborum ſimplicium genera, ſcilicet, adſtrictum, laxum, atque unum compoſitorum ex laxo & ex adſtricto, ſatis à nobis ſuperius ex Methodicis demonſtratum eſt; quando ii omnes affectus corpora noſtra affligentes ad tria illa genera reduxerint. Ab iis vero excipiuntur omnes affectus, qui ad chyrurgiam pertinent, atque ii etiam, qui à venenis, atque à morſibus venenatis fiunt. In his enim aliis Communitatibus ad curationem inſtituendam Methodici uſi fuerunt. Itaque morbi ſunt vel adſtricti, vel laxi, vel mixti: per adſtrictos autem ii intellexerunt illos, quorum cauſa immediata, quæ morbum facit, adſtricta ſit, atque hæc erit vel communis, utpote quando omnes meatus corporis, vel ii majori ex parte, denſantur, clauduntur, ſive adſtringuntur. Cujuſmodi ex febribus ſynochæ ſunt à meatum cutis conſtipatione excitatæ, quas Galenus ab uſu balneorum aluminoſorum, & aquæ calchantidis obor-

obortas ſæpius obſervavit. Aut erit cauſa adſtricta particularis, utpote in venis quibuſdam aut in liene exempli gratia inflammato adſtrictionis vitium eſt. Adſtrictum quoque morbum Methodici appellarunt, ubi ipſius cauſa immediata ipſum fovens (vel hæc ſit phlogoſis ſive flammeus calor vel humor putrefactus, vel etiam non putrefactus, qui tamen ſit in aliqua parte corporis, imbibitus, adſtrictuſque, quo pars affecta reſtricta ſive preſſa, ſive concluſa, ſive quoviſmodo impedita, aut eo humore infarcta, quæ preſſura in quovis phlegmone obſervatur) ſit quoviſmodo in qualibet parte corporis imbibita, ſive concluſa, ſive quoviſmodo infarcta, preſſa, vel reſtricta. Aurelianus phlegmonem preſſuram vocare ſolet, quaſi morbum dicat preſſum, ſive adſtrictum. Genere vero adſtrictorum morborum comprehenduntur, phlogoſes, ſive inflammationes, phlegmones, febres, tumores, abſceſſus, dolores, convulſiones, & ex particularibus morbis, paralyſes, apoplexiæ, inſaniæ, vertigines, epilepſiæ, ſurditates, aurium tinnitus, cæcitates oculorum, ophthalmiæ, rigores, tremores, palpitationes, torpores, ſtupores, comæ, appetitus canini, inappetentiæ, quæ non à virium reſolutione fiunt, ſiccitates, cruditates, inflationes, hydropes, icteritiæ, ſuppreſſiones alvi, urinæ, menſium, hæmorrhoidarum, ſuppreſſæ evacuationes, quæ per aures, per nares & per os fieri ſolent, cordis morſus, palpitationes, tremores, diſpnœæ, orthopnœæ, arthritides, podagræ, iſchiadicæ affectiones, uteri ſtrangulatus, atque alii omnes affectus, quorum cauſæ ſunt in aliqua parte veluti adſtrictæ, aut imbibitæ, aut quoviſmodo preſſæ, ſeu concluſæ. Per laxos vero morbos contra intelligunt eos, quorum cauſa immediata faciens morbum, ſit ampliatio meatuum, diffuſio, laxatio; ſeu eos laxos fluidoſve morbos eſſe voluerunt, qui corporis meatibus immoderatius laxatis, ſeu diffuſis, ſeu ampliatis, excitantur. Cujuſmodi eſt ſyncope, quæ morbus laxus eſt ſive vires reſolvantur apertis cutis meatibus, ſcilicet immoderatius cum calore nativo, tum humido utili exeunte, ſive alio modo. Qua ratione immoderati ſudores exeuntes, hæmorrhagia immoderata è naribus, quippe ſanguine immoderatius profluente, vel ex ore,

tuſſi aut vomitu, vel excretione, aut per ventrem, unde hepatica fluxio vulgo vocata dyſenterica erit ex morbis laxis, non minus & menſtruorum in mulieribus atque in viris hæmorrhoidarum profluvium, & per urinam itidem immodica ſanguinis excretio. Si vero de excrementorum excretionibus loquamur, ad laxos morbos referentur, diabetes, gonorrhœa, vomitus immodicus, lienteria atque diarrhœa. Mixti vero affectus ſunt, qui ex adſtricto atque ex laxo componuntur, proinde compoſitos quoque appellarunt, in his enim affectibus mixta affectio fit ex adſtricto & ex laxo; ad quod morborum genus reducuntur omnes qui uno eodemque tempore utroque affectu laborant, ſcilicet, adſtricto & laxo; cujuſmodi eſt febris cum hæmorrhagia, aut cum diarrhœa, vel dyſenteria. Nam febris adſtrictus morbus eſt, & diarrhœa, vel dyſenteria laxus. eodem modo, febris cum ſyncope, & ſyncope ſtomachica aut febris cum profluvio vel ſanguinis, vel excrementorum. Non minuſque febres ſynochæ, ardentes, maxime æſtuoſæ. Cum ingens æſtuatio caloris venarum, atque arteriarum oſcula nimis aperiat, ſeu laxet, ſitque cauſa immediata, ut effluvium caloris augeatur, & diſſipetur.

CAPUT. XI.

De morbis adſtrictis, atque an omnes adſtricti morbi ſint.

Dictum à nobis eſt morbos adſtrictos eſſe illos, quorum cauſa immediata eſt preſſa, denſata, clauſa, vel adſtricta; aut meatuum denſatio, adſtrictiove. Quamdoquidem ſi hæc cognitio ſit exemplis intelligenda, facile phlegmonem, quam eſſe adſtrictum morbum nulli contendunt, habere humorem ipſam immediate facientem, atque foventem, in parte imbibitum, preſſum, ac veluti adſtrictum ſeu in parte reſtrictum intelligemus, in qua neceſſario meatuum adſtrictio ſeu denſatio ſeu preſſio obſervatur, unde in omni morbo adſtricto adeſſe meatuum clauſionem, ſeu denſationem, ſeu obſtructionem, Methodici voluerunt, atque hanc eſſe præcipuam morborum cauſam per

ſe

ſe curationem indicantem, illis placitum eſt. Quo morborum genere, phlegmones, tumoreſque omnes, abſceſſus, atque alios particulares affectus, quos proximo capite ſigillatim expreſſos fecimus, comprehendi, nulli dubitarunt: cum in illis omnibus meatuum vitium in adſtrictione adeſſe, apertiſſime, conſtet. De febribus vero ſecus res apud multos ſe habere viſa eſt, nimirum quod non omnibus morbi adſtricti eſſe videantur. Quod & Galenus contendiſſe viſus eſt, qui adſtrictos morbos febres illas ſolummodo eſſe faſſus eſt, quæ à meatuum cutis denſatione oriuntur, ceteras vero alias adſtrictos affectus eſſe dubitavit. Neque id profecto injuria, cum plures à nulla meatuum obſtructione fiant, cujuſmodi videntur plures ephemeræ dictæ, quæ (exempli gratia) ab immodico vel ſolis, vel ignis calore, & quæ ab exercitiis, à vigiliis, à laboribus & à ſimilibus cauſis fiunt: in iis enim nullam ſubeſſe meatuum adſtrictionem apertiſſime conſtat. Eodem quoque modo hecticas adſtrictas eſſe plane videtur negandum. Quis quæſo in his meatuum clauſionem adſtrictionemve aliquam qua adſtricti morbi dicuntur, ſubeſſe affirmabit? Si itaque hæ febres nulla meatuum adſtrictione foventer, quomodo à nobis æſtimari poterit, morbos eſſe adſtrictos, ut Methodici affirmarunt. Idem quoque & de ſynochis, ardentibuſque maxime æſtuoſis, atque de hecticis dicendum erit, in his quidem fluida laxave affectio apertiſſime (quod continue in ipſis humidum nativum, humiditateſque aliæ præ igneo calore abſumantur) obſervatur, nullaque eas febres obſtructione, ſeu adſtrictione meatuum foveri neminem noſtrum latet. Atque in illis fluida potius, quam adſtricta affectio ſubeſſe videtur, quodque illo argumento deprehenditur, quia ſcilicet illas uſu aquæ frigidæ (exhibent enim omnes medici hiſce febribus vexatis aquam frigidam) medici tollant. Quid itaque dicendum? Galen. concedit, ephemeras, ſynochaſque, quæ à pororum cutis conſtipatione fiunt, adſtrictos utique morbos dici poſſe; at ſi de aliis etiam febribus, quæ ab aliis cauſis excitantur, judicium faciendum ſit, profecto haſce omnes quoque ex medicaminum, quibus medici etiam Dogmatici illis medentur, facultate laxatoria, fortaſſe fatebuntur omnes, eſſe mor-

morbos adſtrictos: Etenim cum Galeno(ſi de ephemeris loquamur) omnes alii medici Dogmatici balneum aquæ dulcis temperate calidum, & oleum dulce tepidum ad omnes partes corporis illitum, quæ vere laxantia ſunt, in illis febribus maxime commendarunt. Quæ inquam cum laxantia medicamenta ſint, & febrium illarum naturæ contraria plane eſſe debeant (ſi verum eſt, quod Dogmatici docuerunt, ſcilicet contraria contrariis tolli) neceſſario colligemus eas febres, cum laxatoriis tollantur medicamentis, neceſſario eſſe morbos adſtrictos. Qua ratione etiam ſynochas, ardentes & ſcheticas, cum iiſdem laxatoriis balneis aliiſque ſimilibus præſidiis ſanentur, ejuſdem generis eſſe, haud erit dubitandum. Porro ſi accuratius conſiderabitur, ex natura laxatoria eorum medicamentorum, quorum uſum ad perſanandas omnes febres (exceptis ſynochis, ardentibus maxime æſtuoſis, atque hecticis confirmatis) omnes medici ſequuntur, facile cognoſcetur omnes illas febres eſſe morbos adſtrictos. Addimus in hiſce omnibus febribus ſanandis omnes medicos cavere omnino ab uſu adſtringentium, cum illorum uſus febrilem caliditatem, omnium conſenſu augeat. At quamobrem fit, quod in maxime æſtuoſis ſynochis, atque in ardentibus medici omnes frigidam aquam, quæ à Methodicis adſtrictoriorum medicaminum genere comprehenditur, in potu exhibeant, paucis in præſentia cognoſcendum eſt, quod nulla alia ratione fieri cognoſcitur, quam quia ſynochæ, ardentesque maxime æſtuoſæ (ut ſuperius quoque demonſtratum eſt) ſunt morbi mixti ex adſtricto & ex laxo; ex adſtricto inquam quoniam non abſque meatuum clauſione fiunt; nulla quidem, ex Dogmaticis, putrida febris abſque interventu alicujus obſtructionis fieri poteſt, ex laxo etiam, quia propter calorem maxime æſtuoſum intus oſcula venarum, arteriarumque immoderatius laxentur, atque exinde nativus calor copioſius profluat, atque adeo reſolvatur, ut ni cito cohibeatur, arteriæque adſtringantur, planè, ut pereat, ſit neceſſe, itaque cum æſtuoſæ febres, habeant morbum mixtum ex adſtricto atque ex fluido, & fluidum magis urgeat, ideo merito actu frigida, quæ nullis aliis in febribus conceduntur, illis febribus

Galen. in 1. ad Glauc. cap. 3.

ve-

vexatis exhibentur. Non minus etiam hecticæ tabidæ, cum in ipsis magis urgeat fluidus laxusve affectus, actu frigida desiderant. Quare omnes febres (his exceptis) erunt morbi adstricti dicendæ. Neque est, quod dicatur, ephemeras multas atque hecticas incipientes absque ulla meatuum clausione vel pressura cum fiant, non esse morbos adstrictos æstimandos: siquidem, concedunt omnes calorem febrilem esse accensum in corde & ab eo diffundi per universum corpus, quasi dicamus esse adstrictum, imbibitum, ac clausum in corde: unde licet in externis meatibus cutis nulla subsit adstrictio, sive densatio, sive pressio, saltem aderit in illa parte, in qua primo calor accensus est, quod eo argumento, ita esse cognoscimus, quoniam laxantibus medicamentis caliditas febrilis exhalet & digeratur, atque adstringentibus augeatur. Namque esto, quod quis ex caliditate solis, vel ignis immodica in ephemeram incidat febrem, an hæc aliqua meatuum clausione fovebitur? certe quidem, quando (ut recte Gal. docuit) cutis a cujusvis molestæ qualitatis contactu adstringatur, quæmadmodum (ut ille ait) a contactu aquæ dulcis, quæ sit temperate calida (quod maxime jucundo eo contactu cutis oblectetur) rarefiat, laxeturve; ita à vehementer calidæ aquæ molestissimo contactu adstringitur, quis ignorat vehementis caliditatis, vel à sole vel ab igne qualitatem cuti fore maxime molestam, cujus contactu ipsa necessario corrugata adstringitur. Ex ira vero, quod copiosius spiritus inflammati ad cor ferantur, ideo ipsorum copia arteriis immodice oppletis, atque veluti obstructis calor intro clausus auctusque febrem inducit, tum etiam quod partes corporis à vehementi igneoque fervore siccescentes, ipsarum meatus densari sit necesse. Idem fortasse videtur dicendum de iis, quæ à vigilia immoderata, à jejunio atque ex amore maxime siccantibus, excitantur, quippe præ siccitate densatis meatibus introcludatur calor, atque ita augeatur, ut in igneum mutetur, atque exinde febris fiat. Quid de iis, quæ ex tristitia, moerore atque ex timore excitantur? an non meatibus adstrictis calor nativus in igneum, & febrilem mutatur? Quis dubitat, tristitiam, mœrorem atque timorem meatus claudere? Quare ex

In 6. Meth. med. cap. 7.

his liquido cuique conſtabit, febres omnes morbos adſtrictos merito Methodicos appellaſſe. Quod maxime confirmare videtur illud, quod nuper etiam meminimus, ſcilicet, quia omnes laxatoriis præſidiis tolluntur, quo in ephemeris atque in ſcheticis incipientibus intro clauſus febrilis calor opera balneorum laxantium atque inunctionum, & frictionum, & aliorum ſimilium exhalat, digeritur, & plane reſolvitur. Atque hæc de adſtrictis morbis, nunc ad laxos declinamus.

CAPUT XII.

De morbis laxis, & an omnes excretiones quoviſmodo appareant, laxum morbum faciant, & quomodo excretiones, quae ſunt morbi laxi, interſtinctae ab aliis dignoſcantur.

DIximus laxos morbos à Methodicis fuiſſe vocatos, eos omnes, qui meatibus immoderatius diffuſis, concitantur, foventurque. Neque profecto hoſce affectus immerito morbos appellarunt, cum ab ipſis, actiones omnes in corporibus læderentur, immoderatius per laxitatem meatuum nativo calido profluente, exhalanteque. Hujuſmodi vero excretionum, quas (ut dictum eſt) morbos laxos vocarunt, quædam ſenſibus conſpicuæ ſunt, quædam ſenſibus ignotæ. Hæ apparent in iis, qui aut ab immoderato gaudio, aut à re ſimili exoluti in ſyncopem labuntur. Atque illæ, quæ ſenſibiles vacuationes dictæ ſunt, in ſudoribus immoderatis, in alvi profluviis, in vomitibus, & in profluvio urinæ, in gonorrhœa, & in hæmorrhagia ſanguinis vel ex naribus, vel ex ore, vel ex veſica, vel ex alvo, vel ex utero, vel denique ab hæmorrhoidalibus venis conſiſtunt. Ceterum, ut exacte horum morborum rationem aſſequi poſſimus, duo à nobis accurate ſunt in præſentia cognoſcenda, quorum unum erit, an omnes excretiones quoviſmodo à qualibet parte corporis profluentes ſint laxi morbi, & ni omnes ſint, quales laxum morbum faciant; atque alterum, quibuſnam ſignis diſtenguemus excretiones, quæ ſunt morbi laxi,

ab

ab iis, quæ non ſunt morbi: Si Methodici voluiſſent omnes excretiones quovis modo factas laxum morbum facere, (ut Gal. & alii de ipſis æſtimaviſſe, viſi ſunt) profecto magnum mendacium affirmaſſent, cum excretio in pauca quantitate profluens, atque etiam largius, modo ſecundum naturam profluat, ut in recte valentibus mulieribus ſi menſtruæ purgationes, aut in morbis critice appareant, morbi laxi eſſe nequeunt, ſiquidem hæ evacuationes morbum non faciunt. Quare excretiones ſanguinis, vel excrementorum laxum morbum facientes ſunt eæ omnes, quæ (quod morbi eſt proprium) corpora adprime lædunt. Unde quæ in paucâ fiunt copia, & in morbis critice apparent, inque recte valentibus naturales, quia nullam offenſam pariunt, ideo non morboſæ dici debent, & proinde neque laxum morbum facient. Itaque per laxos morbos Methodici intellexerunt, evacuationes immoderatas, præternaturales graviter corpora lædentes, vel affectus, qui has immediate ſubſequuntur, eaſque præſertim, quæ aut per poros cutis fiunt, aut è naribus, aut ex ore, aut ex ventre, aut ex utero, aut ex renibus, aut ex veſica, aut denique à venis hæmorrhoidalibus preter naturam immoderatius erumpunt. Quæ cum laxos morbos faciant, nunc quibus indiciis à reliquis aliis evacuationibus interſtinguantur (quod ſane ad inſtituendam curationem ſcitu eſt neceſſarium) intelligi oportet. De qua re ſatis accurate in ſuperiori libro cum egerimus, hic pauca adnotabimus. Et primo, quod morbi laxi neceſſario immoderatas evacuationes, vel ſanguinis, vel excrementorum ſubſequuntur, & hæ ſunt aut ſenſibiles, id eſt, ſenſibus conſpicuæ, aut inſenſibiles, quæ minime ſenſibus patent, ſed per inſenſibiles intelligunt eas, quæ per cutis meatus fiunt. In harum vero cognitione ſolummodo laborandum videtur, quando, quæ ſenſibus manifeſtæ ſunt evacuationes, vel ſanguinis ſint, vel excrementorum, nulla perſcrutatione egere videantur. Cuilibet enim notum eſt, omnem ſanguinis hæmorrhagiam immoderatius apparentem, corpuſque graviter lædentem, vel ex naribus, vel ex ore, vel ex ventre, vel ex utero, vel ex renibus, vel ex veſica, vel ab hæmorrhoidibus emanantem eſſe morbum laxum, & ſimiliter, Cap. 9.

vel ſudorem, vel vomitum, vel alvi dejectionem, vel urinam, vel ſemen, vel ſimilem aliam evacuationem, quæ ejuſdem ſit conditionis, idem ſignificare. Verum evacuationes, quæ inſenſibiliter
Lib. cap. 9. fiunt, longe difficilius, & laborioſius cognoſcuntunt. Tamen cognoſci perfecto etiam poſſe ſuperius à nobis demonſtratum eſt, primo ex cauſis antecedentibus, cujuſmodi ſunt, gaudium immoderatum, vigiliæ, dolores aſſidui vehementeſque, ex his namque ſolent corpora inſenſibiliter exolvi, cognoſcemus hanc evacuationem per poros cutis factam, à cute ipſa, quæ in principio, in quo fit calidi innati effluvium, mollis & veluti humida apparet, quod & à tenuibus quidem humiditatibus, quæ quadantenus exudant, aut ſint fumi humidi, conſumptionem carnoſarum partium ſubter cutem poſitarum ſubſequentes, cutis emolleſcit, poſteaque perſeverante effluvio humidi nativi, & proinde conſumptione partium ex carnoſis partibus ad cutem ipſam etiam communicata, eadem cutis indureſcit, cujuſmodi obſervatur in febribus colliquativis vocatis, præterea (ut dictum eſt) apparere ſolent fumi quidam vaporoſi à cute exhalantes. Addamus pulſus humiles, raros, ac valde molles apparentes. Demum ſi habitus quoque rarus, & laxus fuerit, idem judicium, de laxo affectu, certius confirmabitur, atque hiſce ſignis non erit impoſſibile, ut laxi morbi, qui fiunt, propter meatuum cutis diffuſionem, & rarefactionem, comprehendantur.

CAPUT XIII.

De morbis mixtis ex adſtricto & laxo, & an dentur, & ſi dantur, quales ſint.

DUbitarunt ex Dogmaticis nonnulli, an morbi mixti ex adſtricto atque ex laxo, darentur, quæ res haud illis dubia videbitur, modo varios affectus varias corporis partes eodem tempore affligentes obſervaſſent: ſiquidem neminem latet, poſſe corpus idem juxta diverſas partes affectas, contrariis affectibus eodem quidem tempore vexari: quis ignorat febri putridæ, quæ

eſt

eſt morbus adſtrictus aliquando lienteriam, aliquando diarrhœam, & aliquando dyſenteriam, vel ſanguinis profluvium ex naribus, aut ex ventre, aut ex utero, aut ex hæmorrhoidibus exiens, conjungi? & aliquando ſyncopem, aut ſudorem immodicum, vel colliquationem, quæ morbi laxi ſunt, ſimul accedere? Sed dubium eſt, an in eadem parte affecta complicatum vitium ex adſtricto atque ex laxo detur, quod eodem tempore ejuſdem corporis partem teneat, atque affligat? Hoc non conceſſiſſe Methodicos (ſed illud ſolummo quod prius meminimus, utpote quod ratione variarum partium affectarum fit) ex Galeno conjicitur, qui in lib. de comp. med. ſecundum genera diſputans adverſus Methodicos, dixit, dari medicamenta compoſita, quæ in eadem parte, diverſis contrariiſque facultatibus, ſcilicet laxantibus, & roborantibus, uno eodemque tempore agerent: ſi itaque non concedebant dari medicamenta (ut auctor eſt Gal.) quæ ſimul, eodem tempore exempli gratia, laxarent, atque roborarent, neque affectus mixtos ex laxo & adſtricto dari illos voluiſſe rationi eſt conſentaneum. Credendum tamen duxerim, in hoc differre Methodicorum ſententiam à Dogmaticorum opinione, quoniam ii licet conceſſerint dari morbum ex adſtricto & ex laxo mixtum in eadem etiam parte corporis conſtitutum, tamen non habentem æqualem mixturam, qua æque mixtum medicamentum ex laxo & ex adſtricto ad curationem indicetur: nam hoc eſt, quod negarunt Methodici, ſcilicet non dari morbum tantum affectus laxi habentem, quantum adſtricti habet: quod idem eſt, ac ſi dixerint, non dari affectum æque adſtricti & laxi habentem, vel æqualem mixturam, naturamque ex laxo atque ex adſtricto, quæ opinio neque plane à ratione abhorrere videtur, cum corpora ſymmetra habentia æqualem mixturam in contrariis temperamentis aut non dentur, aut rariſſima quidem oſtendantur. Unde affectus quoque æque mixti ex adſtricto, & ex laxo, aut plane non reperiantur, aut rariſſime obſerventur; proinde neque conceſſere dari medicamenta æquæ laxæ, & adſtrictæ facultatis habentia, quæ ab eo mixto affectu indicentur. Illis itaque viſum eſt, dari quidem morbum eandem partem vexan-

tem affectu adſtricto ſimul, & laxo; ſed qui non æqualem habeat laxi, & adſtricti mixturam, at quinimo ita inclinet, vel ad adſtrictum, vel laxum, ut propterea prævalens in mixtura morbus vel adſtrictus vel laxus ſit, qui curationem indicet, unde non abs re in ſua methodo ſtatuerunt, in affectu mixto, ab urgentiori curationem indicari oportere, & ob id voluerunt, ubi affectus mixtus ad adſtrictum vergit, laxandum eſſe, atque adſtringendum, cum affectus ad laxum tendat. Idem ferè Dogmatici obſervare conſueverunt, in morbis in temperamentis conſtitutis, nam ſi pars corporis frigidior, calefaciens medi mentum indicat, & calidior facta, refrigerans indicabit, & ſic de aliis qualitatibus â ſymmetro recedentibus. Quare dari quidem mixtum morbum ex adſtricto, & ex laxo ii voluerunt, & in variis partibus corporis, & in eadem non minus parte poſitum, ſed qui non ſymmetrus, ſeu æquæ medius inter adſtrictum atque laxum ſit, ut propterea neque medicamentum æque mixtæ facultatis uſum habuiſſe in methodo Methodica conſtet, ſed in mixtura alterum prævalere, & prævalentem magis urgentem appellarunt, à quo per ſe curatio indicatur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

PROSPE-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De medicamentis laxantibus, adſtrictos morbos tollentibus.

CUm nos ex Methodicis duo ſolummodo morborum genera eſſe ſtatuerimus, ſcilicet adſtrictum atque laxum, duo quoque idcirco præſidiorum genera fuerunt merito conſtituta, quippe laxantia, ſeu adſtrictum tollentia, atque adſtringentia, quæ laxum affectum quoque adimunt. Præſidium vero laxatorium appellarunt Methodici, quod tumentiam in corpore factam quovis modo tollit, hoc autem duobus profecto modis fit, uno modo meatus corporis adſtrictos laxando, aperiendove, atque altero, quod intus eſt, vel humoris, vel vaporis, vel qualitatis alicujus, ſtricturam faciens, diminuendo. Ad illud agendum, omnia præſidia ſeu medicamenta erunt accommodata, quæ temperate ſunt calida, atque eſſentiæ quidem tenuioris, cujuſmodi ſunt balnea ex aqua dulci, lavacraque temperate calida, aër calidus & humidus, ſuffitus atque fomenta calida. Ad id vero, quod intus eſt (Methodici ſtricturam vocant) tollendum, ea accommodata ſunt, quæ quovis modo corpus evacuant,

cuant, purgantque. Cujuſmodi ſunt, ſanguinem quovis modo evacuatia, ſudorem, urinam, ſputumque moventia, non minus, & quæ ver vomitum, & per alvum, per os atque per nares evacuant, his adduntur, per inſenſibilem evacuationem (quæ per poros cutis fit) laxantia, digerentiave. Hinc laxatoriorum medicaminum genere comprehenduntur, phlebotomia, id eſt ſanguinis evacuatio, per venam aut arteriam ſectam, crurum ſcarrificatio, cucurbitulæ cum ſcarrificatione affixæ, & citra ſcarrificationem etiam, ſudorifica, diuretica, dejectoria, vomitoria, bechica, apophlegmatiſmata, & Errina dicta, quippe quæ per os, per pulmones, & per nares evacuant. De ſanguinis vacuatione, quæ fit per venæ ſectionem, quod ipſa ſit χαλαστικὸν, id eſt laxatorium præſidium Galenus multis in locis expreſſit (Methodici venæ ſectionem nedum laxatorium ſimpliciter, ſed magnum quidem laxatorium eſſe voluerunt) Scarrificationem vero, cucurbitulas cum ſcarrificatione & citra ſcarrificationem (quas Aurelianus cuphas appellat) & alia prædicta præſidia corpus laxare, eo quidem intelligitur argumento, quod hæc omnia evacuent, quandoquidem omnis evacuatio ex Methodicis corpus laxet. His adjunxerunt Methodici alia præſidia ad laxandum accommodata, ſcilicet aëris caliditatem (quo cœlum calidum, conſtitutio anni calida, tempus æſtivum, corpus laxare apta ſunt) cibi abſtinentiam (unde diatritum, ſcilicet tempus trium dierum, in quo ægroti ab omni cibo abſtinebant, fuit à Methodicis quibuſdam inventum) fames itidem corpus laxat: eodem quoque modo corporis exercitiorum omnia genera, animique laxationes quovis modo factæ, corpus digerere atque laxare aptæ, ſunt præſidia laxantia in communi, quorum quælibet utilia ſunt ad morbos adſtrictos tollendos, Quæ omnia Methodicis fuiſſe familiaria Celſus eſt auctor, qui de his ita ſcripſit: *Atque id quoque videndum eſt, quod quidam ſolum præcipiunt: an adſtrictum corpus ſit, an profluat, quorum alterum ſtrangulat quod continet: alterum digerit, nam ſi adſtrictum eſt, ducenda alvus eſt, movenda urina, eliciendus omni modo ſudor. In hoc genere morboſum ſanguinem etiam miſſiſſe, concuſſiſſe vehementibus geſtationibus; corpus in lumine habuiſſe, im-*

In 4. de vict. rat. in acut. com. 19.

In lib. 3. cap. 6.

imperaſſe famem, ſitim, vigiliam prodeſt, utile eſt etiam ducere in balneum, prius dimittere in ſolium: tum ungere, iterum ad ſolium redire, multaque aqua fovere inguina, interdum etiam oleum in ſolio cum aqua calida miſcere: uti cibo rarius & ſerius, tenui, ſimplici, molli, calido, exiguo, maximeque oleribus, qualia ſunt, lapatum, urtica, malva, vel jure etiam concharum, muſculorumve, aut locuſtarum, neque danda caro niſi elixa eſt. At potio debet eſſe magis liberalis, & ante cibum, & poſt hunc, & cum hoc ultra quam ſitis coget, poteritque à balneo etiam pingujus aut dulcius dari vinum, poterit ſemel aut bis interponi Græcum ſalſum. hactenus Celſus de præſidiis laxantibus apud medicos Methodicos uſitatis.

CAPUT II.

An genere laxantium medicamentorum Methodici comprehenderint medicamenta incidentia, detergentia, diaphoretica atque cathartica.

UNum non videtur tacendum, de quo Dogmatici maxime dubitaſſe viſi ſunt, an ſcilicet Methodici laxatoriorum genere comprehendi quoque voluerint illa medicamenta, quæ humores craſſos incidunt, comminuunt, extenuantque coptica Græcis dicta; & viſcidos detergunt, meatuſque ab infarctu liberant, quæ ecphratica, & eccathartica Galen. vocat. Atque non minus etiam diaphoreticas, id eſt diſcuſſorias, & cathartıcas ſive purgatorias facultates habentia. De incidentibus extenuantibuſque medicamentis, an laxatoriorum genere comprehendi debeant, res fortaſſe maxime dubia videbitur, ex Galeno ſcilicet, qui in libris methodi med. ſcribit, ultro Methodicos diffugere à diſquirendis facultatibus vim tenuandi, incidendique habentibus. Verumtamen oppoſitum fuiſſe à Methodicis fortaſſe obſervatum, maxime erit dubitandum, ex Cœlio præſertim Aureliano inter Methodicos non ſpernendæ auctoritatis medico: Conſtat enim ipſum ad icteritiam, commendaſſe præter aſparagum, daucum, fœniculum ex attenuantibus

In lib. 5. cap. 5.

In lib. Chron. c. de icter.

& incidentibus, etiam capparis radices, acetum in quo anchusa fuerit per aliquod tempus infusa, scillam itidem torridam & subassatam ex melle, & ad calculos in vesica comminuendos eodem modo medicamenta valde acria, quippe quæ attenuant, & incidunt valenter; cujusmodi, sunt radix lapati, capparis, struthii, polii herbæ itemque panacis. Quod apertissime colligitur ex lib. 2. Acutorum cap. 3. in quo de anginæ curatione agens, docet sputum crassefactum in gutture, esse attenuandum: inter quæ medicamenta laudat, moderate acria: quo loco etiam dixit dari laxantia mitiorum materiarum, at efficacia. longe manifestius apparet usum attenuantium medicamentorum Methodicis fuisse cognitum in lib. 5. Chron. c. 8. ex eodem Aureliano. Quid de detergentibus, atque ab infarctu liberantibus? an non in icteritia ex obstructione à crassis, lentisque humoribus facta exhibebat succum absinthii, intybi sylvestris, asparagi, fœniculi atque scillæ, quorum facultas est detersoria, hæc enim attenuant, incidunt, ac valenter detergunt. Eodem quoque modo de diaphoreticis ex eodem auctore illos medicos sentiisse, conjicitur, cum ipse in lib. 3. Acutorum dixerit: Cuminum, & origanum, quod sint acerrimæ facultatis fluentia, aliquando aperire. Ceterum videamus etiam an hæc esse laxatoria possit ratione intelligi (suppositio Aurelianum id quoque voluisse) si primo de iis medicamentis loquamur, quæ incidunt, & attenuant, quis quæso erit, qui id nenegare contendat? siquidem verum sit humoribus crassis incisis atque extenuatis, & lentis detersis corpora laxa fluidave reddi, viasque aperiri. Hippocrates in aphorissimis dicebat, corpora cum quis purgare voluerit, fluida in primis fieri oportere: & Galenus in commento (licet hoc Methodici de corporibus, ut expressit Hippoc. & non de humoribus faciendum putarint) ait: corpora fluida reddi humoribus crassis incisis & attenuatis, viscidisque detersis. Quo res satis in aperto esse apparet, ut, quæ humores crassos attenuant, & incidunt medicamenta, non minusque etiam & quæ viscidos detergunt, laxent, & idcirco, laxatoriorum genere comprehendantur? Addimus his etiam Metasyncritica, quæ sunt vehementer calida, scilicet rubefacientia,

Aure. in 5. Chro. cap. 4.

Cap. 21.

Au-

Aureliano recorporativa appellata, quibus uti conſueverunt, ad adſtrictos cutis meatus in morbo adſtricto aliis laxatoriis non juvantibus. Nam in articulari phlegmone, ſublata inflammatione adhibent affectæ cuti talia medicamenta quæ attrahendo humorem, quo meatus denſabantur, ad cutem, ipſumque digerendo, reſtituunt partem priſtino habitui, ac temperamento, quo illiuſce partis pori aperiuntur, atque priſtinum ſtatum naturalem accipiunt. Itaque prædicta omnia medicamenta cum humores attenuando, incidendo, ac detergendo, non minuſque etiam digerendo, quadantenus abſumant, atque evacuent, merito laxare corpora apta eſſe haud erit dubitandum. At quid de medicamentis purgatoriis, catharticis vocatis? An non & ipſa quoque purgando humores laxare dicuntur? certe quidem, licet ipſorum uſum frequentem ex Methodicis aliqui maxime damnarint, tum quia putarunt humores non eſſe morborum cauſas, niſi quatenus adſtrictum vel fluidum affectum faciunt, tum etiam, quod uſus ipſorum corporibus eſſet multis de cauſis incommodus. Quam rem Aurel. ita expreſſit: *ſed vitandam probamus frequentem & variam medicaminum potationem, qua fellea deducere promittuntur, ſive ventriſlua, ſive urinalia. Etenim ſitis extenditur, & ſolidioris cibi faſtidium duplicatur, & corporis fortitudo minuitur, atque cibi accepti corrumpuntur, & omnis corporis materia.* Quod neque Galenus etiam ex Dogmaticis contendit, cum multis in locis medicamenta purgantia, quæ naturam hominibus moleſtiſſimam habeant, & idcirco inter deleteria comprehenſa, ſtomachum graviter lædere, ipſiuſque os præſertim, coctionem ciborum turbare, cibos corrumpere, vires dejicere, atque humores optimos corrumpere nobis ſcriptum reliquit. Cujus quidem opinionis Hippocrates quoque fuiſſe viſus eſt, qui raro purgantibus utebatur, præſertimque in acutis morbis: Quo mirum non eſt, ſi ipſe in iis ægrotis, quos in epidemiis recenſuit, pauciſſimis, vel nullis purgantibus fuerit uſus, in quibus maxime ſuſpecta ſimilia medicamenta habuiſſe, conſtat; de qua re in libro de purgantibus, ita habet: *Quicumque igitur à fortibus febribus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dari non oportet, donec remiſerit febris; ſin mi-*

Lib. 5. Chron. c. de ictericia.

In 6. epid. In lib. de iis, quos purg. oportet.

nus, ſaltem non intra quatuordecim dies, carnes enim ipſorum & ventres, quum calidi ſint, medicamenta aſſumunt & nihil purgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii ſpeciem præ ſe ferunt, commota enim bile & non purgata non ſorbere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur & plerunque perit. Adde hæc concoctionibus maxime adverſari. Quam rem ipſum
Tex. 44. confirmaſſe conſtat etiam in lib. 4. de vict. rat. in acutis, ita ſcribentem. *Sed medicamenta purgantia in febribus non admovebis, nempe ſi ventrem moveris, urina non maturabitur, febriſque citra tum ſudorem, tum judicationem in longum protrahetur tempus. Accedit etiam quod humores in corpore quieſcentes purgantium occaſione commoveantur, & ad viſcera confluentes, morbos graves concitent, quos profecto à purgantibus non commoti non feciſſent.* Hinc non pauci à purgatorio medicamento commoti, in exitiales morbos, à quibus poſtea interempti ſunt, inciderunt. Quibus nobis plane conſtabit, vel etiam Dogmaticos frequentem purgantium medicamentorum uſum haud ita facile commendaſſe. Non tamen credendum erit hæc etiam ipſa, idcirco non laxatoria, cum humores purgando maxime laxent, unde à multis merito laxatoria dicta ſunt, nimirum, quod vi inſigniter laxatoria hæc valeant. Hæc vero propterea vel etiam Methodici & laxatoria eſſe voluerunt, & quandoque in morbis adſtrictis abigendis uſum habere non ſpernendum, quibus in morbis iiſdem ſanatu difficilimis Methodicos etiam olim conſtat fuiſſe uſos. Sed quid de vulgo (quod leniendo præſertim alvum ſubducant) lenientibus vocatis, dicemus? Nonne aperte alvum ſubducendo laxant? ita quidem apparet, quorum etiam uſus non temere in morbis tollendis erit immoderatius ſequendus, cum & horum non pauca hominis naturæ adverſentur, proinde frequens ipſorum uſus nou ſine multa moleſtia erit, minus vero moleſta hæc erunt, quam cathartica eſſe dixerimus. De hac eademque re poſterius, ubi ex profeſſo de purgatoriis medicamentis ſermonem inſtituerimus, rurſum accuratius agemus. Horum tamen complura ſi Methodici cognoviſſent, frequentius ad laxandum, ſecuriuſque uſi fuiſſent, cujuſmodi eſt, manna legitima ſcilicet maſtichina dicta, caſſia cathartica, tamarindus,

rindus, mirobalanus purgatorius, & ſimile aliud. Itaque ex iis aliquis amplius non dubitabit, medicamenta incidientia, attenuantia, detergentia, diaphoretica, metaſyncritica, atque purgantia corpora laxare, proindeque laxatoriorum genere comprehendi oportere.

CAPUT III.

De praeſidiis particularibus laxatoriis & primo de iis, quae in victus ratione obſervari debent.

Cum de præſidiis laxatoriis in communi ſcripſerimus, reliquum eſt, ut de iiſdem in particulari agamus. Itaque ſi ab aere exordiamur, dicemus, aerem cum ſubſtantia lucida, tum caliditate cutim ipſam laxare. Itaque aer lucidus ſerenuſque laxat, omniumque maxime qui calidus eſt, hunc enim diſſipando, diſpergendoque laxare docuit etiam Galenus in libro de cauſis morborum. ex quo merito de inflammatione vexatis Aurelianus locutus, ait: *De hinc ob obſcurationis proprietatem ſtrictura laborantes, in lucido atque tepido & amplo mediocriter locamus*: At dices Hippocratem ſcripſiſſe contrarium, cum in 4. de victus rat. in acutis de febribus gravibus atque implacidis ita dixerit: *Decumbere autem in conclavi obſcuro debent & lecto maxime molli.* Galen. in comm. ait non tanquam maturatorium, ſed potius tanquam implaciditatis inquietationiſque correctorium, nimirum quod in obſcuro facilius queiti maneant ægroti anxii. Aurelianus quoque cum in iis, tum maxime in phreneticis damnat aerem nimis lucidum: Inediam quoque laxare, cum humores abſumendo tumentiam tollat, omnes fatentur, veluti à copia cibi partes tument; unde plerique medicorum per morborum initia famem, ſitimque deſiderant. Methodicorumque aliqui propterea in ſanandis morbis diatritum, id eſt tridui inediam, in qua per tridum omnino à cibis abſtinere ægrotos cogebant, invenerunt: ex cibis vero atque ex potibus laudabant, qui temperate calidus atque humidus ſit. Hinc fortaſſe Hippocrates in aphoriſmis victum humidum omnibus febricitantibus

Cap. 3. 1 Acutor. c. 9.

Tex. 42.

laudando Methodicis favere visus est, qui perinde ac Dogmatici in calidis morbis, maximeque in febribus cibum actu calidum & humidum exhibere consuescunt. Quod non (ut aliquibus est visum) scilicet, quia humidus cibus febri quatenus morbus siccus existit, adversetur, intelligendum esse videtur: Quandoquidem si eo modo febribus omnibus humidum cibum Hippocrates convenire voluisset, frigidum quidem etiam cibum non omisisset, utpote qui frigiditate occurrit febrium caliditati, in qua præcipua febris essentia (quod Dogmatici omnes febrem esse voluerint igneum calorem, scilicet vehementer calidum & siccum) consistit. Itaque dixisset, victum frigidum atque humidum, febricitantibus esse utilem. At dixit humidum, quoniam febres sunt morbi adstricti, quibus opponitur cibus laxatorius, qui est temperate calidus atque humidus, quo omnes Medici in febribus familiarius uti solent. Simplex etiam, quam varius ad laxandum aptior, quia minus replet, atque etiam ille, qui attenuans est; somnus etiam, qui naturalis est, ut & Antyllus ait, remittit quæ tensa sunt, emollitque indurata, fundit cohærentia. Quare unum ex laxatoriis auxiliis esse solet, non raro etiam ubi corpora humiditatibus abundant, sudorem copiosum promovet; quandoque vero contrarium facit, isque omnis, qui naturalis non est, præsertimque si in principiis morborum, & accessionum prolixius fiat, hic enim adstrictum affectum auget, præsertimque (ut dictum est) si in febrium acutarum, atque inflammationum principiis, & in augmentis exerceatur. Vigilia quoque humores digerendo laxat, tumentiam tollit, quandoque vero ex accidenti adstrictum auget, eaque maxime quæ immoderatis in capitis affectibus calidis perseverat; à vigiliis quidem immoderatis solent sæpius homines in amentiam, & aliquando in phrenitim provehi, in quibus affectibus semper erit inutilis, veluti in frigidis humidisque cerebri affectibus semper est utilis, utpote, quæ humores digerendo tumentiam minuit; ex animi quoque perturbationibus gaudium, seu letitia corporum meatus laxat, hilarisque idcirco moderate redditus animus, plurimum utilitatis adfert ad morbos sanandos, tum quia calor innatus moderate calefacit, digerit tenues humo-

res,

res, concoquit crudos ſcilicet auctо calore: Immoderatum vero gaudium (quod meatus corporis immoderatius laxet, exindeque immoderatius cum humidum ſubſtantificum digerat, tum calidum itidem innatum exhalet) repente interimit. In quem modum Polycritam nobilem feminam, Philippidem comædiarum poetam, Diagoram alioſque multos obiiſſe Ariſtoteles, Galenus, Plinius atque alii poſteris tradiderunt. Contra vero timor, ira, mœſtitia, & ſimiles animi paſſiones, adſtringunt, adſtrictumque affectum faciunt. Motus itidem in corpore factus quemadmodum laxat, ita quies immodica tumentiam parit; veluti eodem modo cum excrementorum retentiones morbos adſtrictos faciant; ita evacuationes contrariorum affectuum ſunt cauſa. At de variis motibus primum, & poſtea de evacuationibus, tanquam de præſidiis maxime laxatoriis accuratius nunc eſt agendum.

CAPUT IV.

De praeſidiis laxatoriis, quæ ex variis exercitiorum generibus depromuntur.

Exercitationes omnes, cum ex evacuatoriis præſidiis ſint (etenim humores fundunt, digerunt, & abſumunt) corpora laxare aptæ ſunt, ideoque de ipſis merito nunc agimus. Hæ (ut omnes fatentur) motus in corporibus vehementes ſunt, quoad reſpiratio, ut Antyllus auctor eſt, frequentior reddatur, & ad corporis cum ruborem tum ad ſudorem incipientem continuandi, quorum profecto omnium illud eſt commune, quippe, ut ex ipſis in corpore calor augeatur, auctuſque meatus evacuet, vehementique ſpiritus impetu excrementa expellantur proindeque meatus laxant, tumentia tollunt, atque morbum adſtrictum emendant; quemadmodum etiam organica membra ad ipſorum obeundas actiones ſiccatione roborant atque firmant. Sed ne quis idcirco ambigat, an vere corpus laxent, laxare ſane certum eſt, cum obſtructorum membrorum, & cutis meatuum humorem quidem obſtruentem digerant, atque evacuent. Quam

la-

laxationem ſic Methodici intellexiſſe viſi ſunt. Exercitationes vero multis differentiis interſtinguuntur, hiſceque particulatim ex ipſarum motus varietate: quædam namque magnæ, vehementes, ſeu violentæ dicuntur, quædam parcæ, quædam celeres, & quædam tardæ: atque ex his, compoſitæ quædam ſunt, magnæ & celeres, ut curſus, pugna umbratilis, ludus parvæ pilæ. Quædam magnæ & lentæ, ut fodere, per loca montuoſa ambulare. Quædam contra ſunt parvæ, & celeres, ut equitare, vehi in lecticis & ſimiles aliæ. Quædam parvæ & lentæ ſunt, ut deambulatio, lentaque cum in lectica tum in curru vectatio, tardaque equitatio. Harum vero omnium quædam totum corpus reſpiciunt, ut ambulatio, curſus, ludus pilæ, & ſimiles aliæ. Quædam particulares dicuntur, quoniam non totum corpus, ſed partes quaſdam exercent, uti vociferatio, lectio, cantus. Hiſce differentiis præmiſſis, præſtabit nunc exercitationum utilitates nos perſpectas habere: plurimum hæc conferunt utilitatis primo ad ſanitatem conſervandam, unde omnia exercitationum genera ad artem Gymnaſticen facere apud omnes plane conſtat; quinimo Gymnaſticen eſſe quandam artem omnes fere definiunt, qua omnium exercitationum facultates hominibus gratia ſanitatis innoteſcunt. Hanc triplicem, ſcilicet cubiſticam, ſphæriſticam, atque Orcheſticam Gymnaſtæ fecerunt. Omnes itaque exercitationes pro tuenda valetudine utiles ſunt, harum vero quædam in quibuſdam morbis particularibus, maximeque chronicis uſum apud antiquos olim habuerunt, in calidis vero & acutis, vel nullum vel pauciſſimum uſum, præſertimque in febribus: licet ex antiquis aliqui ad febres quoque perſanandas exercitationes commendarint, quos tamen Hippocrates maxime reprehendit, cum in epidediis hæc de ipſis ſcripſerit: *Herodicus febrientes interficiebat, curſibus, luctationibus, motibus calidis.* Neque deſunt aliqui hac noſtra ætate, qui perſuaſi febrem validis exercitiis tolli poſſe, & ipſi febre vexati ſimilibus exercitiis uſi ſeipſos interemerunt. Quaſdam vero declinantibus febribus eſſe utiles neminem medicorum latet, cujuſmodi ſunt frictiones quædam. Maxime vero omnium exercitationes moderatæ uſum in ægrorum convaleſcentiis habere

6. epid. ſect. 3. tex. 32.

viden-

videntur, atque in compluribus non minus morbis diuturnis. His præmiſſis, nunc particulares exercitationes, quibus Gymnaſtæ, cum ad ſanitatis tutelam, tum ad morbos perſanandos olim familiarius utebantur, ſubjungamus; de quibus à nobis pro laxantium præſidiorum cognitione in preſentia eſt agendum: hujuſmodi ſunt, ambulatio, curſus, ſaltus, venatio, lucta, pugna umbratilis, jaculatio, pilæ ludus, pugilatus, pancretium, ceſtus, halteris, diſcus, ſpiritus cohibitio, vociferatio, lectio, cantus, riſus, atque fletus.

CAPUT. V.

De deambulatione, curſu, ſaltu, venatione, ludo pilae, pugna umbratili, lucta, geſtatione, vectione frictioneque praeſidiis laxatoriis.

Deambulatio inter omnes exercitationes, & ad tuendam valetudinem, & ad complures affectus perſanandos, eſt utiliſſima; de qua merito primo loco à nobis fuit agendum. Hæc vero cum multiplicis differentiæ ſit, & plurimi faciat ad ipſius facultates cognoſcendas ipſius cognitio, ideo accurate hanc rem pertractaturi, primum haſce omnes differentias adnotabimus; deinceps propriam cujuslibet differentiæ utilitatem; atque demum qualem hujuſmodi exercitatio terminum habere debeat, dicemus. Itaque deambulationes variæ ſunt, ex motu, ex loco, atque ex tempore. Ex motu quædam ſunt celeres, quædam tardæ, quædam vehementes, quædam lenes ſeu remiſſæ, quædam breves, quædam longæ, quædam rectæ, quædam curvæ, quædam æquales & quædam inæquales. Ex loco etiam variæ ſunt, quando ipſarum quædam fiunt ſub dio, in ſole, quædam in umbra, & quædam ſub tecto, & in locis ſubterraneis, quædam in locis planis fiunt, quædam in inæqualibus, ſcilicet montes vel ſcalas aſcendendo. Quædam etiam ex tempore mutuo diſtinguuntur, quarum quædam propterea dicuntur æſtivæ, hybernæ, vernæ, autumnales, quædam matutinæ, quædam veſpertinæ, quædam ante cibum, quædamque poſt ci-

bum, cum meridianum, tum veſpertinum. Diſtinguunt alii deambulationem, in eam, quæ auxilii cauſa fit, & in eam, quæ ad corporis præſervationem itidem uſum habet; ac vel etiam in apotherapueticam appellatam, quæ vel poſt graviores exercitationes, vel poſt purgationes quas medicamenta fecerint, vel poſt vomitiones locum habet. Hanc ajunt animum remittere, ſpiritum commutare & in ordinem adducere, diſtenta ſolvere, thoracem expurgare, & ſimilia facere. At his dimiſſis, de ea tantum, quæ præſidii cauſa adhibetur, agamus, cum ipſa ſolummodo ad morborum curationem locum habet. *Hæc vero* (auctore Antyllo) *& multa & contenta eſſe debet, tum crura impariter movenda, calcibuſque incidendum: tum pectoribus pedum cum poplitum contentione ambulandum: ac initio quidem quiete, deinceps vero vehementius: & rurſus viciſſim remittendum. Verum quæ recurandi cauſa initur, pauca & placide adminiſtrata, & quieta, animi corporis effuſioni conjuncta eſſe debet. ex quo fit, ut quietæ deambulationes imbecillioribus accommodatæ ſint, eædem quoque conveniunt, qui à cibo deambulationibus utuntur, itemque iis, qui nuper è ſomno ſunt experrecti; & qui ante majores exercitationes ad eas ineundas ſe deambulando præparant.* Hæc ex Antyllo de differentiis deambulationum. Nunc ipſarum vim atque facultatem indagemus. Itaque omnis deambulatio, qua exercitatio eſt, vim habet humiditates corporis abſumendi, ſiccandive, atque exinde tumentia tollendi, meatuſque idcirco ab humore adſtrictos, ac preſſos laxandi aperiendique. Debilius id præſtant, lenes, placidæ, quietæve, non veloces, longæ, rectæ, in umbra, vel ſub tecto, quæ fiunt per loca plana, æqualiaque, quæque in hyeme & autumno fiunt; & quæ poſt cœnam. Efficacius vehementes, veloces, breves, curvæ, ſub dio, adhuc magis in ſole, matutinæ ante cibum, quæ in vere & in æſtate per loca inæqualia, montuoſa aſcendendo, deſcendendoque moliuntur, & quæ cum crurum intentione aut calcibus incumbendo fiunt. Non minuſque etiam, quæ in loco clauſo ventis non perflato ineuntur. Hinc ad adſtrictum tollendum hæ ſunt efficaciores, illæ vero imbecilliores; commendantur vero ad capitis frigidos humidoſque affectus, atque etiam

Oribas. in 6. collect. c. 21. ex Antyllo.

ad

ad eoſdem in thorace atque in pulmonibus obortos, utiliſſimæ itidem ſunt ſtomacho humeſcenti, dolenti, & in quo cibus coaceſcit, atque corrumpitur. Seneca moderatam deambulationem deſtillationi apprime utilem eſſe cognovit. Aurelianus ad inſaniam & ad aſthma commendavit. Ad capitis dolorem, non minus velocem ad colicos affectus, ad polyſarchiam longam, & rectam ad epilepticos, & vehementem ad frigidos omnes affectus, & ad tumorem. Celſus ad ſpirandi difficultatem, ad ſacrum ignem atque ad elephantiaſim. Themiſon Methodicus atrophia laborantes xii ſtadiorum ſpacium greſſu conficere juſſit; at in quanam atrophia? non in ea, quæ tabidos concomitatur, ſed quæ vel venarum vel arteriarum adſtrictis ductibus fit, vel ex alicujus viſceris interni tumore. His addimus deambulationem ad omnes affectus, qui humiditatis copia foventur utilem eſſe; cum ſua vi digerente vel ſiccante (Hippocrate auctore) humores abſumat, exindeque & tumentia tollat, atque non minus morbos adſtrictos vocatos. Hinc ad podagricas inflammationes, ſi fiat per loca montuoſa inæqualia, & per multa ſpacia, ita utilis eſſe eſt deprehenſa, ut ſola obortam podagram non raro omnino eadem die reſolverit, quod mihi non ſemel contigit. Terminus vero cujuſque deambulationis erit, quo ad corpus intumeſcat, & rubrum ſeu floridum fiat, motuſque prompti, æquales & concinni edantur; modo fiat deambulatio tuendæ valetudinis cauſa, quando ad quoſdam affectus tollendos in deambulationibus alia menſura ſit opus, atque ita, ut quandoque Hippocrates ad eam faciendam ſtadiorum numerum à denario ſcilicet ad centenarium expreſſe præſcripſerit; illius vero deambulationis, quæ tuendæ valetudinis cauſa fit, terminus erit ex Galeno (ut nuper dictum eſt) quando corpus plenum atque rubrum redditur, æqualiterque atque numeroſe movetur plerumque, ut Celſus notavit, ſudor atque anhelitus difficultas, ſeu crebra anhelatio exercitationis perfectæ nobis indicio eſſe ſolet, quamquam neque perpetuo in ſudorem quieſcere debeat deambulatio, neque in anhelitus mutationem, cum ea, quæ per acclivem locum fit, atque brevis eſt utrumque excitare citiſſime apta ſit, etſi nondum corpus perfecte laxatum

Epiſt. 78.
1. Chron. c. 1.
4. Chron. c. 7.
4. Chron. c. 4.
In li. de internis affectibus.
In 2. de ſanit. tuen. cap. 12.
In lib. 1. cap. 2.

eſt. Itaque opportunam eſſe deambulationem conjiciemus, ubi (uti dictum eſt) corpus intumeſcat, rubeſcat, prompteque & æqualiter moveatur: nimiam vero eſſe, ubi color deterior evaſerit, membraque ingraveſcant, & laſſitudinem ſentiant, flaveſcereque incipiant. Atque hæc de deambulatione. Cum curſus ſit (Antyllo auctore) deambulatio vehemens & concitata, ideoque inter vehementes exercitationes adnumeretur, merito de ipſo poſt deambulationem agimus: Galenus tamen curſum inter celeres exercitationes, quæ citra violentiam obeuntur recenſuit. Hujus quidem exercitationis differentias hiſce verbis Oribaſius ex Antyllo complexus eſt: Eſt ergo curſus quidam, qui recta ad anteriora fit, alius in poſteriora, quem recurſum vocant, alius in orbem, quem circumcurſum nominant: omnis vero curſus, ut Galenus eſt auctor, corpus extenuat, humoreſque atque carnem minuit, proindeque merito partes corporis humiditatibus tumentes emendat, ac idcirco in multis morbis adſtrictis olim apud antiquos uſum habuiſſe conſtat. Aurelianus ad immodicam pinguedinem tollendam curſum maxime commendavit; non minuſque etiam colicum patientes curſu juvari: Hippocrates valde humidis corporibus utilem eſſe ſtatuit. Ad ſplenem ita eſſe utilem à multis eſt traditum, ut ſolis curſibus & deambulationibus quoſdam ſpleneticos ſanatos fuiſſe conſtet. Aetius ad hydropicos ipſum eſſe opportuniſſimum ſtatuit. Aurelianus ad capitis dolorem tollendum, veſtiti ut currant, magnopere laudavit. Antyllus vero (ſi Oribaſio credimus) in renum morbis & ſeminis profluvio, ait ipſe, ut aſſervatum quoddam auxilium, nos curſum adhibuimus; at ne quis dicat, non recte ſeminis profluvio, quod morbus profluens ſit, curſum convenire. At reſolutio eſt, quod gonorrhœa id eſt profluvium ſeminis, etſi ſit morbus laxus tamen fovetur à cauſa adſtricta, quæ urgentior eſt, idcirco laxatoriis præſidiis tollitur; unde moderatum in quo etiam non utile ſemen, ſed excrementitia humiditas ab univerſo corpore ad genitalia delabens excernitur, non laxi, ſed potius adſtricti morbi, cum univerſum corpus humiditatibus tumeat, qualitatem videtur habere, idcirco ad ipſum tollendum,

In 2. de ſanitate tuen. cap. 10. Libro. 6. collect. cap. 21.

In 2. de ſanitate tuen. cap. 10.

In lib. 4. Chron. cap. 4.

In 1. de dieta.

Theod. Priſc. in 2. ad Timot. cap. 25.

Orib. lib. 6. collect. cap. 22.

dum, curſus abſumendo humiditatem ut præſidium laxatorium, maxime conveniet. Hujuſmodi profluvio olim uxorem Boetii Senatoris Romani laboraſſe conſtat, quod Galenus medicamentis laxatoriis ademptum fuiſſe ſcripſit. At de hoc affectu accuratius in ultimo libro agemus, in quo ſcilicet de morbis mixtis ex adſtricto & laxo ſermo fiet. Ex Antyllo etiam curſus prodeſt iſchiaticis, in quibus in curſus initio vix moveri poſſunt, ſed ubi in curſu ſunt, ita properant, ut morbi propemodum obliti videantur; in iis vero, quorum viſcera torquentur, & qui fungos eſitarunt, & qui à ſcorpionibus icti ſunt, nos curſus profuiſſe obſervavimus. Qui vero tecto corpore currunt, plurimum ſudant, quo ſingulis morbis, qui ab humiditate fiunt, efficaciter, remedio ſunt. Facultate curſibus ſaltus videtur ſimilis, cum ſit vehemens exercitatio atque velox, modo diu ſine ulla intermiſſione continuetur, qua calor internus maxime augeſcit, unde plurimum excrementorum abſumit, quo fit, ut ad capitis dolorem, paralyſim, ſtuporem atque ad alios complures affectus à multis fuerit commendatus. His exercitationibus venatio non diſſimilis eſſe videtur, quinimo hujuſmodi eſt, quæ multas in ſe exercitationes continet, ſcilicet curſus, ambulationes, ſaltus & ſimiles alias. Cum hæc triplex ſit, quippe volatilium, aquatilium, atque terreſtrium, de ea, qua terreſtria homines venatione inſectantur, loquimur, tanquam ad ſanitatis cum tutelam, tum ad morbos abigendos, accommodatiori; hæc vero vel pedeſtris vel equeſtris dicitur, hæc illa minus valens eſt, pedeſtris itaque in montibus, quæ fit longe efficatior, quam quæ in planis; utraque vehemens & celer, inæqualis exercitatio eſt, qua plurimum incaleſiunt corpora, humoreſque efficaciter funduntur, liquantur, & in ſudorem provehuntur copioſius, unde in corporibus omnia tumentia atque adſtricta facile tolluntur; quo à multis morbis venatores ſeipſos præcavent, ab iiſque omnibus, qui à crudis humiditatibus foventur. Rhaſis ſcribit in quadam peſtilentia ſolos venatores incolumes ſervatos fuiſſe. Arthriticis morbis vexati venatione maxime juvantur, præſertimque antequam hi affectus antiquitatem contraxerint. Ad morbos quoque capitis à frigidis

In lib. de preſa. vita & morte.

In 3. com. tract. 13. cap. 2.

gidis humoribus obortas non parum utilis eſt. Venationi ſimilis eſt exercitatio pilæ, omniumque maxime parvæ, quando in hac etiam homines cogantur ambulare, currere, ſaltare ac variis motibus moveri. Varias vero habet differentias, ex varia pilarum magnitudine. Antyllus namque diſtinguit in parvam, atque in magnam, & parvam omnium eſſe parviſſimam, qua manibus ludunt, alteram paulo majorem, cum qua cubitos cubitis miſcentes ludunt, atque tertiam adhuc majorem eſſe. Et magnam iterum eſſe mediocriter, & plus juſto magnam, & quaſdam illarum plenas eſſe, atque aliquas inanes, quas folliculos idcirco appellant. Hujuſmodi exercitationes magnæ & celeres cum ſint, ideo facultate à venationibus parum differunt, eademque idcirco præſtabunt. His non diſſimilis erit, pugna umbratilis, lucta atque ſimiles aliæ exercitationes, vehementes atque celeres de quibus, qui plura deſiderant, legant ex antiquis præter alios Antyllum, & ex recentioribus Hieronymum Mercurialem atque alios, qui de ſingulis ex antiquorum ſententia accuratiſſime ſcripſerunt. At poſteaquam nos de exercitationibus iis, quæ cum vehementia celeritatem habent, egimus, jam de aliis, quæ neque vehementes, neque celeres ſunt, quæque tum habuerunt, ad plures morbos longos atque ad convaleſcentes, nos itidem agere, opportunum eſſe duximus. Inter quas eæ uſitatiores apud antiquos fuerunt, ſcilicet equitationes, variæque geſtationes, & vectiones, quibus antiquorum non pauci, ad quoſdam morbos finiendos uſi fuerunt. Hæ vero cum variis modis fiant, ſcilicet aut in equis, aut in curru, aut in lectica, aut in ſella, aut in lectis penſilibus, aut in cunis, aut in navibus, variis quoque differentiis diſtinguuntur, ac quadantenus etiam idcirco facultate, atque uſu differunt. In hoc tamen omnes ſimul videntur convenire, quoniam ſingulæ, quæ exercitationes ſunt parvæ, atque tardæ, inter debiles adnumerantur, ideoque non recte valentibus at ſolummodo valetudinariis ſenibuſque conveniunt. Hæ ſolent moderatam caloris auctionem facere, ſenſimque humorum reliquias, quibus morbi foventur, benigne calfaciendo, concoquendo, extenuando atque digerendo, reſolvere. At in his geſtationibus, quemadmodum

&

& in omnibus aliis, modus deſideratur, quandoquidem, qui vel febre longa vexantur, vel alio quovis morbo longo, debent prima die geſtari quoad prope incaluerint, quod fiet, ſi vectio ſeu geſtatio per horam proceſſerit, ita ut auctore Antyllo hoc tempore quinque ſtadia, qui vehitur, perfecerit; & poſtea aliis diebus ſingulis addunt ſtadia quinque; & hic ordo ſervari per plures debebit dies, præſertimque, quoad ad triginta ſtadia (quod ſpacium fere quatuor miliaribus Italicis perficitur) perventum ſit. Ad quem terminum cum pervenerint, debebunt proſequi vectionem geſtationemve, quoad ſanitati reſtituantur. Porro harum geſtationum & vectionum auctorem primum fuiſſe Aſclepiadem medicum Pruſienſem Plinius poſterorum memoriæ tradidit, ipſumque haſce blandas exercitationes inveniſſe ait, ut ægrotantium voluptatibus obſequens, apud homines magnam quidem gloriam, atque auctoritatem nanciſceretur. Neque abs re factum eſt, cum hæ blandæ exercitationes, ut etiam dictum eſt, poſſint in ægrotis corporibus calorem augere, ipſorumque torpeſcentes excitare, humoremque crudum concoquere, atque ipſius multitudinem comminuere. Hinc geſtationes, vectioneſque lentas plurimum conducere febribus diuturnis, melancholicis, arthriticis, aſthmaticis, hæmoptoicis, ſtomachicis, atrophia, atque coli doloribus vexatis, ſpleneticis, obſtructis, obeſis, ex antiquis Theodorus Priſcianus, Areteus, Aſclepiades, Aurelianus, Celſus & alii cognoverunt. Ceterum ſi de particularibus aliquid dicamus, equitationes ad plura non ſpernendas quotidiana nos experientia docuit, at eas intelligimus, quæ tarde & abſque ſuccuſſatione fiunt, quin hæc, licet in quibuſdam affectibus particularibus ſint utiles, tamen majori ex parte damnanda (quod internis viſceribus maxime officiant) jure merito videntur. Geſtationem vero in vehiculo factam (ait Antyllus) vim habere quandam amoliendi, commovendique morbos ſtabiles & permanentes: hanc ad bilem faucibus infixam diſcutiendam, atque ad ſpiritus denſitatem extenuandam ſibi plurimum profuiſſe Seneca nobis ſcriptum reliquit; & Aurelianus ad capitis dolorem privatim, ad paralyſin, vertiginem, epilepſiam, & ad gravem

In li. 26. cap. 3

In epiſt. 56.

In 1. Chron. 1. vem ophtalmiam, ad ſurditatem etiam homines per longam viam geſtari oportere voluit. In curru etiam geſtationem eſſe exercitationem efficaciorem ſtatuit, unde ipſam ad carnis multitudinem diminuendam maxime commendavit. In 4. Chron. Commotio vero illa, quæ in geſtatis in lectica fit, apta eſt, humores expulſioni aptos reddere. Demum ſi de navigatione loquamur in mari tranquillo, ex hac ipſa commotione calor augetur, concoctioque promptius fit, unde omnes fere dum navigant, famelici evadunt. In procelloſo magna fit in corporibus commotio, ita, ut homines complures ex ea in crebras, copioſaſque vomitiones ferantur, quibus corpora maxime purgantur, atque exinde à multis etiam ſanatu difficillimis morbis liberentur. Quod nobis in Ægyptum navigantibus contigit, qui cum multa bile abundaremus, perpetuum incendium ſentiebamus, ſitique immodica exardebamus perpetuo, linguaque cum reliquis oris partibus non minus aſpera fuerat quam in iis, qui febribus ardentibus vexantur; quamobrem ſtomachus maxime languebat, corpuſque nihil nutriebatur, perpetuo color fere ictericus. Quibus malis, poſteaquam navigando in mari procelloſo maxime turbati, incredibilem bilis amaræ & flavæ & vitellinæ copiam vomitibus crebris rejecimus, omnino liberati ſumus. De qua procelloſa maris tempeſtate, nos in præfatione ad libros de medicina Ægyptiorum accurate ſcripſimus. Atque ex motu corporis hæc laxare apta nata ſunt.

CAPUT IV.

De frictionibus laxotoriis, atque de venereis.

Ex laxatoriis frictionibus ſunt, molles, & multæ, omniumque maxime, quæ cum oleis laxatoriis moliuntur, illæ aut volis manuum aut mollibus linteis fiunt. Olea vero cum quibus adhibentur, ſunt omnia, quæ vim laxandi habent, cujuſmodi eſt, hydrelæum, & oleum commune dulce, amygdalinum cum dulce tum amarum, tum quod ex ſeminibus lini, fænugreci, ex radicibusque altheæ, cucumeris ſylveſtris, & ex ſimilibus paratur, tum etiam ex floribus chamomeli, melilotique. Hæ omnes

omnes utiles ſunt ad cutem adſtrictam, unde in omnibus febribus, quæ ab ea cauſa oriuntur, uſum habuerunt. Juvant omnes putridas febres (Oribaſio auctore) ea excepta, quæ ab interna fovetur inflammatione, hanc enim frictiones minime juvant, ad frigus & ad horrorem antiqui in uſu habuerunt ex calidis oleis frictiones ad omnes dorſi partes factas, qui uſus in periodicis maxime convenit, præſertimque in chronicis, ſcilicet diu durantibus: quæ difficilimo negotio reſolvuntur, cujuſmodi ſunt, tertianum chronicum, quotidianæ, & quartanæ; haſce ita antiqui curabant, quippe per duas horas antequam invadat acceſſio fricabant univerſum corpus, uti Galeno placuit, vel hypochondria atque omnes dorſi partes, ut aliis viſum fuit, linteo calido molli, & mox illinebant partes omnes fricatas oleo calido, ex iis, quæ facultatem habent diſcuſſoriam, cujuſmodi eſt, oleum chamomelinum, rutaceum, anethinum, de ſinapi, de euphorbio, de pipere, & hujuſmodi alia, datoque etiam per os calido medicamento diſcuſſorio, cujuſmodi ex compoſitis eſt Theriaca, Mitridatum, & ex ſimplicibus, chamædrys, chamomelum, agaricus, eupatorium, & ſimilia, ægrotoſque exinde ſtragulis probe contectos ſudare procurant. At de hoc præſidio medico longe accuratius (Deo favente) ſcribemus poſterius. At ad venerea venimus, quæ quod corpora laxent, Galenus (licet Epicurus dixerit venerearum rerum nullum uſum eſſe ſalubrem) exinde colligit, quoniam calorem venus auget, digeritque univerſum corpus, atque, quod magis concubitus eſt, proprium, plurimum ſeminis evacuando, contenta, maxime laxat: unde merito Galenus dixit, quoſdam, niſi venere utantur, aſſidue vexari capitis gravitate, cibos faſtidire, febribuſque reddi obnoxios, & vitiari ciborum concoctionem. Quoſdamque etiam noviſſe ait, qui cum antea à coitu abſtinentes melancholici evaſerint, liberos ad concubitum redeuntes, & ab eo, & ab aliis effectibus, quos patiebantur, evaſiſſe. Aliquoſque ab eo abſtinentes, cum antea venere familiarius uſi fuiſſent, torpidos, pigros, ſegneſque evaſiſſe, & melancholicos. Oribaſius ex Rufo ait: Ex rebus venereis hæc commoda ſunt, quod ſupervacuum eſt inaniunt, corpus agile reddunt,

In lib. 6. coluſt. cap. 20.

dunt, ad incrementum promovent, & magis virile efficiunt. Animo vero id præſtatur à venere, ut impeditam rationis vim explicet, iramque vehementem ſedet. Ideo fit, ut venus melancholicis, ſi quid aliud, accommodatiſſimum ſit remedium. Eadem integros ſenſus reddit eorum, quicunque alio inſaniæ genere laborant. Summe facit etiam ad morbos, qui ex pituita naſcuntur, alii ab inedia ad cibum facile ſumendum redierunt, alii à continuis pollutionibus, quæ in ſomnis fiebant, ſunt liberati.

CAPUT. VII.

De venarum & arteriarum ſectione pro molienda ſanguinis evacuatione, de crurum ſcarrificatione, de cucurbitulis, atque de hirudinibus.

SAnguinis evacuationem, quocumque modo fiat, aut ex natura, aut ex arte, corpus laxare, neminem medicorum (uno excepto Eraſiſtrato, atque ipſius ſectatoribus miſſionem ſanguinis damnantibus) latere deprehendimus. Venarum vero atque arteriarum ſectionem eſſe unum ex magnis laxatoriis Galenus multis in locis affirmavit. Apud Ægyptios, Arabes, atque aliorum complurium orientis locorum medicos, arteriarum non minus quam venarum ſectionem pro facienda miſſione ſanguinis in uſu eſſe familiariſſimo, nos in libris de medicina Ægyptiorum ſcripſimus. Methodici ſanguinis evacuationem indicari à morbo adſtricto magno, atque à virium robore voluerunt. A morbo inquam adſtricto tanquam laxatorium præſidium, & à morbo magno, quod ſit omnium laxatoriorum medicamentorum maximum præſidium, atque à virium robore, quoniam viribus non permittentibus non mittunt ſanguinem. Mirum certe eſt, quamobrem Galenus in 4. lib. meth. med. ſcripſerit Methodicos pro indicanda ſanguinis evacuatione morbi magnitudinem non conſideraſſe: cum C. Aurelianus Methodicus, ſæpe expreſſum fecerit, ſanguinis evacuationem indicari à morbo magno & viribus, à quo dogmate haud viſus eſt

In 4. vict. rat. com. 19.

eſt adhorrere divinus Hippocrates, cum in 4. de vict. ratione ita ſcripſerit: *In morbis acutis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, floruerit que ægrotanti ætas, & virium robur adfuerit*, duo ſcopi ſunt præcipui, ſcilicet morbus vehemens magnuſve, atque virium robur; quibus quidem obſervatis perpetuo erit ſanguis mittendus, atque hi ſcopi ſunt neceſſarii, quoniam niſi morbus magnus ſit, & adfuerit virium robur, non neceſſario ſanguinem vacuari oportebit. Ætas vero floreſcens eſt aptiſſima ad mittendum ſanguinem, tamen in acutis morbis exiſtente morbo magno, permittentibus viribus, vel etiam in aliis ætatibus erit mittendus ſanguis. Methodici vero ætatem ad mittendum ſanguinem ſcitu non eſſe neceſſariam putarunt, quoniam (ut nuper dictum eſt) etiam in aliis ætatibus mittitur ſanguis. At dicet aliquis: omiſſa indicatione ab ætate, quomodo cognoſcemus, in pueris atque in ſenibus an conveniat ſanguinis miſſio? Senes non aptos ſanguinis vacuationi eſſe cognoſcimus ex virium languore (cognitio ex iis ſingulis quibus nobis innoteſcit; præſertimque ex pulſibus non vehementibus, raris, tardiſque) In pueris vero, ſi virium robur adſit, morbo acuto vehementi vexatis, ſanguinem eſſe mittendum (præſertimque ſi habitus non laxus ſed denſus fuerit) omnes Arabes & Latini voluerunt. De qua re Celſus merito habet: *intereſt enim non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergo ſi juvenis imbecillis eſt, aut ſi mulier quæ gravida non eſt, parum valet, male ſanguis mittitur: emoritur enim vis, quæ his ſupererat & hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus ſenex & gravida mulier valens tuto curatur.* Utrum vero in pueris miſſio ſanguinis conveniat, & quomodo fieri in ipſis debeat, in libris de medic. Ægypt. à nobis ſatis accurate diſputatum olim fuit. Itaque etiam in puero denſi ac firmi habitus, ſi aliquando ipſe acuto magno morbo corripiatur ſanguinem ſecta vena mittere à ratione non abhorret, neque eſt, quod puerorum (ut ait Galenus, atque veritas ſuadet) ſubſtantia ſit valde humida & calida, unde facile exhalet, evaporetque; quoniam pueri (firmi habitus præſertim) omnes magno virium robore pollent, atque etiam, quod hi plurimo alimento alantur,

In tex. 3.

In lib. 2. cap. 5.

tur, cruditatibuſque idcirco abundent, quibus concoctis plurimum ſanguinis gignatur, atque hinc eſt, quod pueri morbis vexati aliquando per multos dies à cibo abſtinentes vivunt, atque morbos graves ſuperant; ex quo etiam apparet, quamobrem (quia magnis viribus valent) maximis morbis fortius aliarum ætatum hominibus reſiſtant; atque etiam non minus, eos facile, ac fortiter magnis morbis deprehenſos perferre largas ſanguinis eruptiones (quas recte quoque valentes, & creberrimas, & copiſiſſimas complures habere innoxie ſolent, aliquando ſolas, aliquandoque etiam una cum ſudoribus copioſis, & alvi fluxionibus) à quibus ſane evacuationibus, tantum abeſt, ipſos exolvi, & debilitari, ut robuſtiores magis adverſus morbum evadant. Unde merito aliquando ipſi pueri venæ ſectionem ferre poterunt (ob idque ſcribunt, Avenzoarem trimo ejus filio ab acuto morbo, ut liberaret, venam ſecuiſſe) quod præſidii genus in morbo ſolummodo qui acutus, atque vehemens ſit, locum habebit, longe tutius Ægyptii, Arabes atque alii aliarum nationum medici in pueris ex acuto morbo oppreſſis, ſcarrificatis cruribus mittere ſanguinem conſueſcunt. Verum enim vero non in omni adſtricto morbo Methodici ſecta vena ſanguinem mittebant, at in eo ſolummodo, qui magnus vehemensque ſit, ut propterea magno laxatorio præſidio egeat: neque etiam ſemper in robuſtis ſenibus eadem ratione ſanguinem mittebant, ſi morbo non magno laborabant, nimirum quia minori laxatorio quam ſit ſanguinis vacuatio, ſperent morbum ipſum non magnum ſuperari poſſe: atque hæc obiter de ſanguinis vacuatione per venam ſectam, tanquam de magno præſidio laxatorio, huic ſuccedit ſanguinis evacuatio, quæ molitur ſcarrificatis cruribus, hanc crurum ſcarrificationem (quam etiam malleolorum ſcarrificationem, quoniam crus ſcarrificantes à cruris parte, quam malleolum vocant incipiant, veteres medici appellarunt) proxime accedere ad venæ ſectionem, venæque ſectionis merito vicarium eſſe præſidium laxatorium nos olim in noſtris libris de medic. Ægyptiorum evulgatis ſatis ſuperque demonſtravimus: præſertimque quoniam malleolorum hæc ſcarrificatio æque eandem ſanguinis copiam educat, ac ve-

næ

næ ſectio, eamque faciat non confertim & violentia, ut cucurbitulæ cum ſcarrificatione appoſitæ faciunt, ſed ſenſim ac ſenſim: unde merito Galenus de hac ipſa in aphoriſmorum commentariis locutus, ita habet: *Evacuatio omnium humorum, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem, proxima autem huic illa eſt, quæ fit, per malleolorum ſcarrificationem.* Hinc eſt, quod omnibus à morbis adſtrictis præſertimque à febribus putridis, & ab inflammationibus cum externis, tum internis vexatis, hæc ſanguinis evacuatio utilis eſt, omniumque maxime in corporibus aliquid laxi habentibus, in quibus haud tuto venæ ſectio adhiberi poteſt, cujuſmodi ſunt pueri, mulieres, eunuchi atque ſenes, in quibus merito ſingulis, Ægyptios, Arabes, atque aliarum nationum medicos hanc ipſam familiarius exercere, in libris de medicina Ægyptiorum tradidimus; Galenus unum de hac ipſa notavit, ſcilicet malleolorum ſcarrificationem longe utilius exerceri in iis corporibus, qui ſanguine tenuiori abundant, cujuſmodi ſunt corpora puerorum, mulierum, & ſimilium. Dici ſatis non poteſt, quantopere utilis ſit, in pueris febribus putridis, malignis, peſtilentibuſque atque internis phlegmonis vexatis, quod nimirum per malleolorum ſcarrificationem quantum ſanguinis deſideratur jucunde evacuetur, maximeque à partibus ſupernis hæc evacuatio revellat, & quod à partibus remotis ſcilicet à cruribus fiat, vires haud multum reſolvat. Nos ſæpiſſime vidimus in multis, qui febre acuta, maligna vel peſtilenti conflictabantur, oborto delirio, vel ſurditate, vel vigilibus redditis ægrotis, vel inſigniter capite dolentibus, ſtatim ex malleolorum ſcarrificatione ſanguine multo evacuato, omnia hæc ſymptomata fuiſſe ſedata, utiliſſima eſt in variolis atque in morbillis, nec non etiam in malignis exanthematibus. Plures decepti fuerunt, putantes hanc ſanguinis evacuationem eſſe eandem cum ea, quæ fit ſcarrificatis cruribus cum adhibitis cucurbitulis, hocque facile judicarunt decepti verbis Avicennæ, quæ hæc ſunt: *Et ventoſæ quidem, quæ cruribus ſuperponuntur, ſunt minutioni propinquæ, & mundificant ſanguinem, provocant menſtrua*, & poſtea: *Et ei quidem, quæ ex mulieribus alba exiſtit, ac laxa, ſanguinem habens ſubtilem ven-*

In 2. aphor. 17.

In lib. 1. fen. 4. cap. 21.

toſæ in cruribus poſitæ ſunt meliores, quam phlebotomia, quæ fit in ſaphena. Interpres Avicennæ peſſime hæc loca fuit interpretatus, qui cum non cognoverit malleolorum ſcarrificationem, multo minuſque modum quo fieri debeat, putans ſanguinem non caliditatæ aquæ calidæ ſeu ejus calido balneo quo ad crura ſcarrificantes utuntur, educi, ſed cucurbitularum vi attractoria, non ſcarrificationem ſed ventoſas perperam vertit. Erravit ſane qui crediderit, evacuationem ſanguinis cucurbitulis cruribus cum ſcarrificatione affixis eandem eſſe, vel proximum ei quæ fit per venæ ſectionem: cum ab adhibitis cucurbitulis, cruribus, neque copia ſanguinis demetur ei, quæ per venam ſectam evacuatur, ſimilis, neque ſenſim ac ſenſim, ut in venæ ſectione fit, educitur, ſed vi attractoria, confertim ac non ſine violentia, per ſcarrificationem autem crurum eo modo quo Antiqui nobis præſcripſerunt, educitur æque fere, atque venæ ſectione fit, ea, vel proxima ſanguinis copia, ſenſim ac ſenſim, jucundeque nulla profecto violentia facta. Quare differunt hæ vacuationes, ſcilicet, quæ crurum vel malleolorum ſcarrificatione fiunt, ab iis, quæ affixis cucurbitulis moliuntur. Quo appareret deceptos fuiſſe, & decipi etiam hac ætate multos, qui æſtimarint, crurum ſcarrificationem, eſſe præſidium laxatorium evacuatoriumve, quod adhibitis cucurbitulis cum ſcarrificatione cruribus fit. Hic error ab Avicennæ interprete proceſſit, qui cum (ut diximus) malleolorum ſcarrificationem veteribus Græcis medicis quippe Galeno, Apollonio, Antyllo atque aliis familiarem non cognoviſſet, legit; ventoſas cruribus appoſitas minutioni eſſe proximas; & poſtea: ventoſas in cruribus poſitas in corporibus mulierum, quæ alba & laxa ſunt, idcircoque habentia ſanguinem ſubtilem, eſſe meliores ipſa venæ ſectione ex ſaphena. Cap. 11. Hæc Avicenna verbatim ex Galeno accepit, ita in libro de curat. per ſanguinis miſſionem, dicente: *Porro ex mulieribus quæ albidiores ſunt, ſanguinem tenuem acervare ſolent, quocirca adhibitis malleolorum ſcarrificationibus maxime vacuantur, atque quæ nigriores ſunt ſecta vena curato.* Com. 17. De qua evacuatione in 2. lib. aphoriſm. ita inquit: *Evacuationem æqualiter omnium humorum, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fieri per venæ ſe-*

ſectionem, & huic eſſe primam, quæ per malleolorum ſcarrificationem, & non dixit: & per cucurbitulas (ut Avicennæ interpres vertit) cruribus adhibitas. De hac vero ſcarrificatione malleolorum nos accuratiſſime ex veterum medicorum ſententia in libris de medicina Ægypt. ſcripſimus, ideoque qui plura de hoc præſidio ſcire deſiderat, legat librum tertium. Tertium locum habent inter prædicta præſidia laxantia, cucurbitulæ (quas perperam vicarium eſſe venæ ſectionis complures exiſtimarunt.) Hæ quidem evacuando laxant, neque inutilem aliquando in corporibus ſanguine ſubtiliori abundantibus præſtant ſanguinis vacuationem, potiſſimumque ſi præmiſſa univerſali ſanguinis vacuatione per venam ſectam, poſtea dorſi partibus vel cruribus adhibeantur: qua methodo adhibendas eſſe cucurbitulas voluiſſe Hippocratem, Galenus eſt auctor, ſcilicet ut nunquam admoveantur, niſi evacuatum ſit totum corpus prius. Ait enim: *Incipientes aut vigentes capitis gravitates, dolores à plenitudine per cucurbitulam in occipiti poſitam vel ſolam vel cum ſcarrificationibus juvat, verum totum corpus antea vacuatum eſſe oportet.* Hinc plures fortaſſe cucurbitulas inter topica medicamenta, quod eæ uſum quoque habeant, corpore evacuato non injuria comprehenderunt. Uſum etiam habent cucurbitulæ flammeæ tantummodo admotæ, ſine ſcarrificatione, nam hæ digerendo humorem, vel flatu, laxant. Huc accedit uſus hirudinum, quas vacuandi ſanguinis gratia ſæpe medici venis admovent, quandoque in pueris, ut ſanguinem evacuent, plerumque hæmorrhoidibus ad totum corpus evacuandum, qui uſus uſque adeo apud quoſdam medicos in curandis morbis invaluit, ut ſæpius omiſſa ſectione venæ non ſine magno errore ad mittendum ſanguinem ab hæmorrhoidibus feſtinant, quæ evacuatio aliquando in iis non eſt improbanda, qui habent eas venas magnas, innataſque, quique alias ſoliti ſunt habere largas ſanguinis evacuationes per hujuſmodi venas. Sed in aliis præſtabit, præmiſſa univerſali ſanguinis vacuatione per venæ ſectionem id facere.

In lib. de curat. per ſang. miſſ. cap. 19. In lib. de hirud. revulſ.

CAP.

CAPUT VIII.

De medicamentis laxatoriis, quae humores è corporibus educendo purgandoque variis modis id praeſtant.

QUod medicamenta quovis modo purgatoria corpus adſtrictum atque tumens laxent, neminem noſtrum cum ex iis, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, tum ex iis, quæ nunc dicentur, latere putamus: cum ſcilicet medicamenta Græcis Cathartica, Latinis eductoria, Methodiciſque ventriflua, atque promitoria dicta, vel ſint vere, aut non vere eductoria, humores, atque excrementa corpus tumens, ac adſtrictum reddentia, purgando excrementorumque multitudinem minuendo, laxent: eductoria vero per ſe dicta ſunt, quæ & Dogmaticorum ſententia attrahendo etiam ex partibus longinquis humores educunt, atque purgant, cujuſmodi eſt uterque helleborus, ſcammonium, colochynthis, coccognidium, agaricus & ſimilia. Et quæ non ſunt per ſe purgantia, dicuntur, quæ non attrahendo, ſed vel abluendo, vel detergendo, vel molliendo & laxando, vel expultricem movendo, vel denique comprimendo, humores per alvum, aut per vomitum educunt. Abluentia medicamenta ſunt, quæ ſtomachum, ventremque abluendo, laxant, ut aqua ſimplex largius epota, cujuſmodi eſt Ægyptia ex Nilo flumine, ex qua epota advenæ in ea regione ſolent omnes fere in diarrhœam, cum primum illa uti incæperint, incidere: ſerum itidem lactis clarefactum, aquæ itidem Thermales, in agro Patavino Beatæ Virginis dictæ, atque in agro Lucenſi Villenſis appellatæ. Detergendo vero ventrem laxant, aqua ſalſa, cujuſmodi eſt marina, Tectutianaque vulgo dicta, omnia etiam medicamenta, amara, acria & nitroſa detergendo purgant, ut aloë, abſinthium, manna vulgaris, piper, gingiber, ceteraque omnia vehementer acria: hujus generis ſunt, cæpe, allia, porra & ſimilia; braſſica etiam, & beta detergendo alvum movent, lubricando ſeu laxando

xando præſtant hoc idem vinum dulciſſimum, mulſa, pinguedines omnes, olea dulcia, juraque vel carnium vel piſcium pinguia, non minus quam lac ipſum caprillum, aſininum, equinum. Comprimendo vero tamarindi ſubſtantia epota, cum etiam Mirobalanus, pyra malaque cydonia præſertimque ab aſſumpto cibo. Certe mirum eſt, apud Aurelianum magnæ olim inter Methodicos auctoritatis medicum, nuſquam ipſum meminiſſe aliquod ex iis lenitoriis pharmacis laxatoriis, cum ea vere alvum ſubducendo laxent, tumentiaque atque adſtricta tollere queant. Multo minus mirari licet, cur & ipſe in totis libris, in quibus ſcripſit de morbis cum acutis tum chronicis, non meminerit, mannam, Caſſiam Ægyptiam, tamarindum, ſerum lactis, ſyrupum de roſis ſolventem, itemque è manna, & ex dulcibus granatis paratum, de quibus à nobis in libris de medicina Ægyptiorum ſcriptum eſt, & alia ſimilia, quæ ipſis ignota fuiſſe credendum eſt. At fortaſſe hæc eadem etſi noviſſent Methodici, non habuiſſent in uſu frequenti ad curandos morbos, tum quia ipſa humores potius movere, quam educere apta nata ſint, unde timendum ex ipſorum uſu ſit, ſæpius quieſcentes humores commotos minimeque præ ipſorum vi non efficaci eductos, poſſe ad varias partes corporis fluentes, varios morbos concitare, eoſque etiam non raro pernicioſos. Plures ſane fuerunt, qui cum recte valerent, purgationis gratia à devorato pharmaco lenitorio, commotis humoribus pravis abundantibus, in morbos inciderunt, complureſque ipſorum interierunt. Præterea dicunt, etiam à leniter eductoriis ſtomachum vexari, cibi appetitum vitiari, ſitim incendi, vireſque collabi. Veruntamen nos prædictorum purgantium uſum nedum damnamus, at quinimo utiliſſimum eſſe ſcimus, modo ea exhibeantur in ea virtutis vi, ut ſolummodo ea excrementa quæ in ſtomacho atque ventre ſunt, purgent, nulloque modo eos humores, qui in venis exiſtunt, commovere atque educere apta ſint, quando ad hujuſmodi humores educendos, opus ſit medicamentis non debiliter, ſed valide purgatoriis, hinc Methodicis ad morbos ſumme pervicaces ſanatuque difficilimos hellebori albi, & nigri uſus fuit familiaris. Hincque non recte

etiam faciunt ii, qui prædicta lenitoria, purgantia vel in majori, quam deceat, quantitate (qua à venis, primarum viarum excrementis eductis, humores quoque commovere ad eductionem poſſunt) exhibent; vel pharmacorum attrahentium permiſtione reddita (lenitoriis vocatis) efficaciora. Itaque ſi lenitoria pharmaca exhibeantur quantitate moderata, qua ſolummodo excrementa in primis viis contenta educant, haud fore ægrotis ad tollendos morbos inutilia, exiſtimamus. Quod vero hæc omnia ſtomachum vexent, appetentiam vitient, ſitim accendant, vires dejiciant, atque alias ægrotis incommoditates concitent, ipſis uſum clyſteriorum Methodici idcirco prætulerunt, eoſque merito in familiari uſu habuerunt; quandoquidem clyſteres poſſunt, & laxando, & detergendo, flatuſque digerendo, ac vel etiam purgando (ſi ex medicamentis laxatoriis, vel ex deterſoriis vel ex attractoriis parentur) ægrotis auxilio eſſe. Atque hæc hi nullo incommodo præſtant: neque enim ſtomachum ſubvertunt, neque ciborum appetitum tollunt, neque ſitim accendunt, neque ab ipſorum uſu vires patiuntur. Catharticorum vero lenientium vocatorum, quæ nuper meminimus, uſum in morbis ſanandis, velint, nolint, Methodici admittere debent, cum & hæc laxent, & ſæpe longe utilior ſit laxatio, & ipſius majus quod ſequitur commodum, quam incommodum, quo ventriculus afficitur. Ceterum denuo ad purgantia medicamenta redeamus, de quibus illud in primis firmemus, quippe omnino purgantium uſum eſſe ab omnibus medicis vel etiam Methodicis admittendum, cum medici evacuationis ſponte à natura recte operante factæ, atque purgationis ſint imitatores: hæc excrementa & humores reſpiciat, illa ſanguinem. Hinc purgationem definiunt medici Dogmatici, quod ſit eorum humorum qui ſola qualitate infeſtant, evacuatio. Galenus ſcribit Hippocratem conſueviſſe abſolute evacuationem appellare, ubi æque omnes humores ſimul evacuantur, atque purgationem in qua humores qui prava qualitate infecti ſunt, educuntur, unde etiam Gal. expreſſit: ubi æque omnes humores ſimul abundant, ſanguinis vacuatione opus eſſe, atque ubi unus, vel aliqui, purgatione. Itaque ſi omnes con-

Gal. in 2. aph. 27. In 1. lib. de humor. tex. 12.

In 7. aph. 8.

concedunt, medicos, naturam ſanguinem excernentem vacuantemque, ejuſdem ſanguinis miſſione vel vena ſecta, vel ſcarrificatis malleolis, vel adhibitis cucurbitulis, vel quovis alio modo imitari debere, cur eandem excrementa, aut per vomitum, aut per alvum, aut per aliam partem corporis excernentem, pharmacis laxatoriis haud imitandam Methodici dicent? Quæ ſi imitanda erit, profecto uſum purgantium concedere ii debebunt. Hoc viſo, cum ipſa pharmaca excrementa moveant, atque educant, hoc alterum cognoſcendum erit, quomodo, & qua vi, ea educant. In qua re non parum veteres philoſophi diſcordes fuerunt; Eraſiſtratus ejuſque ſectatores putarunt medicamenta evacuare æqualiter omne genus humoris, potiſſimumque valide purgantia, ſcilicet quæ & humores excrementios tenuiores, & craſſiores educunt: debilia vero ſolummodo humores tenuiores, neutiquamque craſſiores educere, à qua opinione fortaſſe Ariſtoteles non diſſenſiſſe viſus fuit, qui & ipſe omnes humores excrementitos pharmaca purgare voluit. Alii determinatos humores à medicamentis trahi voluerunt, ut Aſclepiades, Hippocrates, Galenus atque alii medici Dogmatici. Aſclepiades tamen in hoc ab aliis diſcrepavit, qui licet voluerit, cholagoga bilem attrahere, phlegmagoga pituitam, hydragoga aquam, & melonagoga melancholiam, quod etiam Dogmaticis placuit, tamen voluit, medicamenta non tales humores determinatos (quos trahant in corpore) invenire, ſed ex alteratione medicamenti aſſumpti eos generari, & poſtea educi: Hippoc. vero ſupponit eoſdem in corpore educendos genitos, taleſque medicamentis, quales ſunt, educi. Plerique Dogmaticorum putarunt hoſce humores à medicamentis proprietate totius ſubſtantiæ (Galeno auctore) trahi. Namque Hippocrates in libris de natura humana, ita habet: *In quem modum ſtirpes & ſemina poſteaquam in terram jacta fuerint, attrahit unumquodque, quicquid in terra reperit, quod ei naturali affinitate congruit (at vero terræ ineſt acidum, dulce, amarum, ſalſum & omnimodum) primum itaque illius plurimum attrahit, quod natura ſibi proximum eſt, ſubinde autem alia, ſic & medicamenta in corpore faciunt.* Ariſtoteles vero viſus eſt, non ſimili- In 1. de nat. hum. com. 39.

tudine quidem, ſed potius inimicitia, eam humorum eductionem fieri. De his ita ſcripſit: *Ubi enim ventrem adierunt, reſolutaque ſunt, ſtatim ad venas per eaſdem feruntur ſemitas, quibus permeat cibus, mox cum non concoqui potuerint, ſed victrice perſtiterunt potentia, relabuntur, & quæ ſibi obſiſtunt ſecum detrahunt, quæ res purgatio vocitatur.* Profecto ex his conſtare duo nobis videntur, unum, quod medicamenta naturæ noſtræ inimica ſint, quippe quæ nihil à calore nativo incalefacta concoquantur, & proinde per eoſdem meatus exeant, ſeu melius à venarum expultrice propulſentur ad ventrem, quæ aut per ſtomachum, aut per ventrem ab ipſorum moleſta qualitate expultrice commota, poſtea rejiciantur. Alterum, quod ad ventrem à venis relabentia, ſecum humores, quos offendunt ad ventrem itidem detrahant. Qui profecto humores vel ut Galeno placuit, familiaritate ſubſtantiæ, medicamenta ſecuti, vel una ab expultrice iidem medicamentorum vi commoti, cum ipſis medicamentis ad ventrem vel ad ſtomachum primum propellantur, & deinceps a ſtomacho ad ventrem propulſa educantur. Hujus opinionis fortaſſe Methodici fuiſſe viſi ſunt, eo præſertim argumento perſuaſi, quod hæc maxime corpora vexarent, ac læderent, quo perpetuo ab ipſis cavendum eſſe voluerunt, atque non niſi ex inſigni morborum pervicacia coacti atque in morbis ſanatu difficillimis ad purgantium medicamentorum uſum aliquando confugiebant, ad eorumque præſertim uſum, quæ, quod hominibus maxime moleſta (ut merito idcirco deleteria atque venenoſa ab omnibus fuerint dicta) ſint, prævalide purgant. Elleborus quidem uterque illis præter alia fuit maxime ad purgandum familiaris, qui fortaſſe vi deleteria efficaci intra ventrem aſſumptus, inſtar veneni magnas turbationes movendo efficaciter, omnes humores excrementitios purgat eo modo, quo ſæpius vidimus complures à pravorum fungorum eſu cum per vomitum tum per ventrem fuiſſe maxime purgatos. Itaque Methodici non omnium quidem purgantium uſum, ſed prævalidorum tantum in morbis ſanatu difficillimis aliquando amplexi fuerunt, quod hæc omnes humores, cum tenues tum craſſos efficaciter educendo magnam quidem laxationem

In 1. problem. 43

in

in corporibus facerent, quando debilia non craſſos viſcidoſque, ſed ſolummodo tenuiores educere queant. Atque hæc opinio eadem prorſus fuiſſe videtur, quam Eraſiſtratus olim magni nominis medicus fuit inſecutus, vel ab ipſo eandem methodicos mutuatos fuiſſe, haud immerito æſtimari poteſt. Ceterum priuſquam huic capiti finem imponamus, unum paucis adhuc ſupereſt dicendum, ſcilicet, quo tempore in morbis medicamenta purgatoria conveniant, an quocumque morbi tempore, ut quibuſdam viſum eſt, id faciendum? an in principio humoribus non turgentibus, an ſolummodo morbo concocto. Pleriſque eruditioribus Dogmaticis viſum eſt, numquam in principio niſi humores turgeant, poſſe (quod præ cruditate medicamentis humores non cedant) commode purgari, iiſdem vero turgentibus quocumque tempore adhibenda eſſe pharmaca, tentandamque eſſe ipſorum eductionem, quoniam humores turgentes ſint in motu, facileque huc illucque vi medicamenti purgatorii pellantur, attrahanturque. Non turgentibus vero, nunquam in principio, ſed perpetuo humoribus concoctis, quod tempus morbi medicis ſignificant urinæ ceteraque alia excrementa coctionem habentia. Methodicis autem non niſi poſt humorum factam concoctionem (cum demum in morbis purgantia exhibeant, poſteaquam aliis laxatoriis præſidiis multis pertentatis morbos non cedere viderint) exhibere conſueverunt. Atque hæc de tempore pharmaca utendi in morbis, atque de vere purgantibus medicamentis. De lenitoriis vero pharmacis aliter res ſe habebit, ſiquidem illa inſtar clyſteriorum alvum leniendo ſubducentia, quocumque morbi tempore exhiberi ægrotis poterunt.

Hipp. in 1. aph. 22. & 4. de vict. rat. in acut. 43.

Hipp. 2. aph. 29. in 2. de vict. rat. in acut. tex. 15.

CAPUT IX.

De medicamentis ſimplicibus, quæ corpora laxare apta ſunt.

SImplicium medicamentorum, quæ per ventrem purgant, ſane quædam lenientia dicuntur, quædam purgantia, quæ duplicis quoque eſſe differentiæ conſtat, quandoquidem horum

quædam laxant cum quadam roboratione, atque hæc à noſtris benedicta appellata fuerunt: & quædam laxantia ſolummodo ſunt. Itaque de ſingulis acturi à lenientibus vulgo vocatis & à benedictis exordientes, dicimus ex iis, ad uſum, medicinæ noſtris principaliora cognita eſſe caſſiam Ægyptiam vulgo cathartícam dictam, mannam maſtichinam, calabrem, tamarindum, roſarum infuſionem, aloe, Myrobalanum, ſerum lactis, ſuccus granatorum dulcium Ægyptiorum, rhabarbarum, mechoacam, agaricum, turpetum, polypodium, ſennam, epithymum, iridem. Vehementer vero laxantia ſunt; Scamonium ſive diagridium, elleborus albus, niger, colocynthis, coccognidion, timeleæ folia, mezereon Arabibus dicta, hermodactylus, ſuccus cucumeris ſylueſtris, quem elaterium Græci appellant, braſſica marina vulgo ſoldanella, piper montanum, ſcilicet grana daphnoidis ſive laureolæ, latyris & cataputia appellata, euphorbium, centaurum minus, ſquamma æris, & ſimilia. At de ſingulorum tantummodo facultate nunc paucis agemus, quando noſtrum hoc in loco non fuerit inſtitutum, pertinentia ad iſtorum medicamentorum cognitionem pertractare; qui hoc etiam ſcire deſiderant, plures cum ex antiquis, tum ex recentioribus commentarios habere poterunt, apud quos prædictorum omnium medicamentorum laxantium rationem aſſequentur. De caſſia vero Ægyptia, de manna, de tamarindo itemque de quibuſdam aliis, nos cum in libris de medicina Ægyptiorum, tum in libro de plantis Ægypti, ſatis accurate ſcripſimus. Caſſiæ vero pulpam quod ad primas facultates pertinet, calidam atque humidam ſecundo exceſſu eſſe medici ſtatuunt, emollientemque ex ſecundis, lenitoriam laxatoriamque atque digerentem facultatem habere; atque ex tertiis laxando flavam bilem atque pituitam clementer purgare. Quam facultatem laxatoriam non eſſe ex toto emollitoriam, at quinetiam non modicum eductoriæ facultatis ſimpliciter emollitoriæ mixtum habere, multis non injuria eſt viſum; quam rem ita eſſe, homines ab ejus eſu abhorrere, nobis argumento erit, facultatem vero eductoriam non multam quidem ei ineſſe mixtam, ea ratione intelligimus, quod facile à calore in multis

tis ita conquatur ut in nutrimentum abeant. Unde ſi copioſius exhibeatur, poteſt quidem etiam in venis humores commovere & turbare, neque tamen poteſt eos educere, unde ipſius uſus non erit in omnibus corporibus tutus, ſi (ut dictum eſt) copioſius exhibeatur, vel alicui eductorio pharmaco mixta, ſemunciam vero ipſius ac vel etiam unciam integram, & ad decem uſque & duodecim drachmas in adultis, atque in robuſtis corporibus eam exhibere tuto poterimus, at ex Methodicis ad unciam concedi poterit, utpote quæ clyſteriorum emollientium vicem gerat, ventremque ſatis emolliat. Manna optima, quæ vere manna eſt, id eſt mel roſcidum, ex ſubſtantiæ figura maſtichina vocata, habet facultatem temperate calidam atque humidam, lenitoriam, quæ leniendo, nihil eductoriæ catharticæque facultatis in ſe continet. Quo mirum non eſt, ſi homines libentiſſime eam ipſam in cibo etiam aſſumant, guſtu nihilo fere differentem ab optimo ſaccharo, hoc excepto, quod ſit ipſo dulcior, ſubſtantiæque tenuioris, & quæ facilius, quam ſaccharum digeritur, hanc Ægyptii habent optimam, apud ipſoſque ipſius uſus eſt admodum familiaris, præſertim in morbis acutis, pectoris & pulmonum, atque in febribus biliofis: ipſi vero exhibent ejus unciam vel geminas cum libris duabus aquæ Nili fluminis clarefactæ, vel ex jure pulli uſque ad tres uncias vel quatuor. Ab hac ipſa veluti diverſa eſt manna calabris vocata, utpote quæ in diverſa provincia, diverſo quoque modo proveniat, ita facultate à priori maxime differt, calida enim eſt ſupra primum uſque ad ſecundum exceſſum, ut ab ipſius manifeſta acrimonia, qua faucibus moleſta eſt, intelligitur: atque humida eodem itidem ordine eſt, detergit, emollit, laxat, digerit, ventremque ſubducit, cum leniendo, tum etiam propria vi laxatoria cujus etiam particeps videtur. Unde guſtui minime grata eſt. Hanc mannam antiquorum propterea non eſſe merito viri doctiſſimi exiſtimarunt, quinimo potius ſuccum quendam veluti bituminoſum, quem ornus in quadam Calabriæ parte certo anni tempore una cum nutrimento trahit, quique in ramis gummi modo reſudat, ac non minus in foliis, exſudat, quæ illa in ramis, ut guſtui ſuavior eſt,

ita

ita facultate purgantoria inferior, efficacius enim purgat, quæ ex truncis, minus quæ ex ramulis, omniumque minime, quæ in foliis colligitur. Medici Patavini eam ad quatuor & etiam ad quinque uncias familiarius exhibent ex decocto aliquo vel jure pulli, vel ex aqua aliqua ſtillatitia diſſolutam. Tamarindorum fructuum pulpa frigida & ſicca ſecundo, ac (ut aliis etiam viſum eſt) tertio exceſſu, viſa eſt, extenuat, incidit, laxat, aperit, per ventremque bilem flavam educit, ſitim tollit, fervorem ſanguinis compeſcit, ejus infuſum datur ad laxandum, eique ineſt facultas leniter laxatoria: datur ex aqua vel ex jure pulli vel ex decocto aliquo, doſiſque eſt ab unica ad quatuor uſque. Pulpa parum alvum ſubducit, daturque à drachmis duabus uſque ad quatuor. Eodem modo roſa licet refrigeret, & ſic ut adſtringat ac roboret, tamen clementer purgat bilem & pituitam, quod ejus ſuccus præſtat ex ſero lactis epotus, atque etiam ejus infuſum, ex quo paratur ſyrupus vulgo ſolutivus vocatus, quem ex jure vel ex aqua ſtillatitia exhibent ad uncias quatuor. Aloë eſt itidem calida ſecundo, ſicca tertio exceſſu, interius detergit, aperitque oſcula venarum ex ejus facultate anaſtomatica, medicamentum eſcoproticum, id eſt, ſtercoraceum eſt, ſuccum lavant, ſucco aliquo refrigerante ad commoderandam vim anaſtomaticam, qua incendit, oſcula venarum aperit, unde hæmorrhoidas movere ipſius uſum aſſiduum, longa experientia cognitum eſt, datur ab obolis duobus ad obulos octo. Iridis ſuccus laxatorius non minus quoque eſt, calidus ſiccus ſecundo exceſſu, extenuat, detergit, concoquit, digerit, laxat, purgatque per ventrem craſſam pituitam, atque bilem, non minuſque etiam, ut Arabibus viſum eſt, aqueum, ſeroſumve humorem, unde ad aſcitim hydropem ſuccus epotus, à drachmis quatuor, ad unciam uſque & ſemis ab omnibus commendatur. Sennæ folia & foliculi in uſu itidem ſunt ad purgandum, at differre plures folia à foliculis voluerunt, quod foliculi calidi ſint ordine ſecundo, ſicci primo, contra folia calida primo, atque ſicca ſecundo, detergunt, ab infarctu liberant, aperiunt, digerunt, clementerque purgant uſtam bilem atque pituitam, pulvis foliorum ex

jure

jure vel ex vino drachmæ pondere epotus alvum lubricam reddit, idemque facit infuſum, doſis eſt ut foliorum ſemuncia in decocto proportionato ferventi, vel in ſero lactis, vel in vino per noctem maceretur. Rhabarbarum Dogmatici vocant medicamentum benedictum, quod unum ex iis ſit catharticis, quæ laxando roborant, calidum & ſiccum ordine ſecundo faciunt, detergit, aperit, digerit, viſcera roborat, meatus ab infarctu liberat, purgat clementer bilem atque pituitam, vel ejus pulvis exhibeatur, vel ejus infuſum: doſis eſt a dragma uſque ad geminam. Mechoacam radix proximis annis ex occidentalibus Indiis ad nos perlata, calida primo, ſicca ſecundo, detergit, aperit, digerit, laxatque purgando clementer cum pituitam, tum ſeroſum humorem, datur à drachma uſque ad quatuor. Turbit calefacit, ſiccat tertio exceſſu, inflammat fauces, mordicat, ulcerat, atque pituitam craſſam atque melancholiam purgando laxat, quod efficacius, commodiuſque præſtabit ſi una cum modico gingiberis, & ſaccharo, ipſius geminæ drachmæ exhibeantur. Polypodium vero calidum ſecundo, & ſiccum tertio faciunt, extenuat, detergitque valenter, digerit, purgatque pituitam craſſam & melancholiam, datur ipſius decoctum in vino, jure carnis vel in decocto florum & fructuum cordialium, & datur à drachmis duabus uſque ad quatuor. Epithymum itidem calidum & ſiccum (Galeno auctore) eſt; detergit, aperit, purgatque ejus infuſum vel decoctum uſtos humores, ad infuſum parandum major quantitas erit quatuor drachmarum. Myrobalani frigidi & ſicci primo exceſſu exiſtunt, ipſorum ſubſtantia adſtringit, meatus claudit, ipſius vero decoctum, vel infuſum vi laxatoria præditum eſt, qua flavi (vulgo citrini vocati) purgant flavam bilem, nigri nigram, chebuli vocati, emblici atque belerici pituitam: decoctum paratur ex drachmis quinque. At jam deſcendimus ad majora ſeu efficaciora laxantia. Hujuſmodi eſt ſcammonium, quod calefacit & ſiccat ſupra tertium exceſſum, inflammat, mordicat, incidit, detergit, aperit, diſcutit, purgandoque flavam bilem laxat, datur à granis tribus uſque ad duodecim. Elleborus vero niger tertio quoque ordine calefacit, ſiccat, extenuat, detergit valenterque exedit,

educitque flavam bilem atque uſtam, datur à ſcriptulo ad duos. Colocinthis ejuſdem facultatis primæ videtur, proinde extenuat, ac detergit valenter, aperit, diſcutit, pituitam alioſque craſſos humores efficaciſſime ducit, datur itidem à ſcriptulo uſque ad geminum. Coccognidium, ſcilicet fructus Thymeleæ quarto exceſſu calefacit, ſiccat idcircoque urit, inflammat, ulcerat, bilemque & pituitam ſubducendo valide laxat, neque exhibebitur plus quam ponderis quindecim granorum. Ejuſdem plantæ folia eadem vi pollent laxatoria, qua valenter educunt etiam ſeroſum humorem, unde ad aſcitim hydropem apud multos uſum habuerunt. Hermodactilus, qui eſt radix cholchici Græcorum, in locis calidioribus, atque in vere ex terra effoſſa, eo præſertim tempore, quo hæc planta folia, caules, fructuſque tulit, & non niſi in locis montuoſis, ſolique plane expoſitis; hujuſmodi radix (optima quæ in Ægypto habetur, vulgari officinarum duplo minor eſt) calida eſt & ſicca ſecundo exceſſu, digerit, detergit, purgatque pituitam craſſam & lentam, pulvis aromatibus correctus datur a drachma, uſque ad duas; & in potione, uſque ſex drachmas, decoquunt, & robuſtis decoctum propinant. Succus cucumeris ſylveſtris Græci elatereon vocant, eſt ex iis, quæ calida ſicca ſunt ſecundi ordinis, quæque valenter incidit, extenuat, diſcutit, purgatque a granis duobus uſque ad quinque pituitam, atque aqueum humorem. Braſſica marina ejuſdem eſt temperamenti atque laxatoriæ facultatis. Fructus daphnoidis vocant piper montanum calidos ſiccoſque faciunt exceſſu tertio, inflammant, mordicant, ulcerant, liquant, lentamque pituitam educunt, ſi exhibeantur grana duodecim & uſque ad quindecim. Ejuſdem fere facultatis eſſe viſa eſt lathyris (catapucia vulgo vocata) cum & ipſa eodem modo calefaciat, ſiccet, inflammet, ulceret, aperiat, ſeminaque à ſemiſcriptulo ad ſcriptulum epota purgant valenter, bilem, pituitam atque ſeroſas humiditates. Euphorbium longe calidius eſt, atque ita, ut multum inflammet, ulceret, aperiat, fundet, liquet, pituitamque craſſam, lentam, & aqueum humorem valentiſſime purget, daturque a ſemiſcriptulo ad ſcriptulum. Centaurium minus calidum ſiccum ſecundo exceſſu eſſe ſta-

ſtatuunt, ſiccum tertio, ideoque valenter detergit deobſtruit, diſcutit, bilioſaque craſſa pituitoſa, ſeroſaque excrementa valenter ſubducit, pulvis datur à drachma ad duas, & infuſum, decoctumque paratur ex uncia una, & in robuſtis aliquando ex duabus unciis, atque hæc ſunt pharmaca per ventrem purgantia, laxantiaque.

CAPUT. X.

De medicamentis vomitoriis.

Methodici vomitum in morbis promovere familiarius quam alvum medicamentis conſueverunt, namque hac evacuatione corpora adſtricta atque tumentia maxime laxabant, itaque de vomitum cientibus, eoque modo laxantibus medicamentis fore, ut in præſentia agamus, utile duximus. Exordiemur vero à clementiſſimis, & tutiſſimis, quæ ſunt in primis aqua dulcis tepida, hoc quidem vomitorio conſtat Æſopum uſum fuiſſe, ut ab ipſius heri conſervis, devorati ficus rejicerentur, alii addunt modicum aceti, alii ſyrupum acetoſum, replent enim ſtomachum aqua tepida, & poſtea eam revomentes purgantur, Ægyptii bis in menſe tuendæ ſanitatis gratia in balneo vomunt ter quater, tantum aquæ in qua radix glizzirizæ ebullierit, & modicum ſeminum fœniculorum aſſumentes, quantum ſtomachus continere poteſt, poſtea aqua tota rejecta maxime vomitione purgantur. Nonnulli hydrelæo, alii decocto corticis radicum raphani, alii agarici decocto, alii mulſa dilutiori vomitionem movent. At hiſce vomitoriis omiſſis ad medicamenta violenter vomitum cientia deſcendam, quæ cum ſint duplicis differentiæ, ſcilicet, quod quædam ſolummodo per vomitum purgant, & quædam cum vomitu, tum alvi dejectione ſimul, hæc ſunt, ſtibium præparatum, aſari radix, glans unguentaria, gratiola, geniſtæ flores & ſemina, elleborus albus, cnicus, ſtaphidis agria. Elleborus albus inter medicamenta vomitoria perpetuo apud omnes gentes præcipuum locum obtinuit, fuitque in uſu elleboriſmus id eſt purgatio per elleborum album admodum familiaris apud antiquos, ad morbos ſanatu

difficillimos tollendos, cujus quidem uſu complures ab affectibus fere prorſus inſanabilibus ſanabantur, atque ita cito, & probe, ut eæ ſanationes miracula viderentur: unde olim antiquorum illorum medicorum laus inſigniter augebatur. Nunc vero non ſine ægrotantium damno, atque magno artis medicæ dedecore, ipſius uſus apud omnes fere medicos obſolevit, qui nunc neque audent, neque ſciunt, quomodo veratrum album exhibendum ſit, obſolevit inquam apud omnes fere cujuſvis nationis medicos, non tamen apud eos ſacerdotes qui ubique fere locorum hac ætate profitentur mederi malis fere omnibus ſanatu rebellibus (quæ omnia dicunt à maleficiis ortum habere, idcircoque, ſacris verbis ſacriſque inunctionibus, atque aliis medicamentis ab ipſis excogitatis ſanari). Iſti vero fingunt olea ſancta, quæ per os etiam exhibent, vel aquam aliquam itidem ſanctam ſtillatitiam, vel parviſſima quædam catapocia, quæ omnia fere, ut nos certificati ſumus, radices veratri albi recipiunt. Hæc mirifice etiam ad dæmonio actos iſti merito laudant, atque præſertim ad malos (ajunt) ſpiritus a corporibus profugandos: neque ipſi mentiuntur, quando hæc medicamenta non raro in corporibus multis, quæ per os aſſumpſerunt, ſpiritus vel etiam optimos reſolverint, vel ſuffocarint, ſubſecuta exinde illorum morte. Negandum tamen non eſt, quoſdam illis medicamentis probe ſanari, atque neque abſque multa illorum ſacerdotum laude. Itaque ſi elleborus albus recte exhibeatur, atque primum corporibus paratis, ſcilicet laxatis ſtomachi partibus cum internis tum externis, internis quidem laxatoriis vel ex juribus vel ex decoctis, vel ex oleis, vel ex hydrelæis: & externis ex fomentis, inunctionibus, laxatoriiſque, de quibus nos poſterius loquemur, atque hoc eſt, ut nos exiſtimavimus, quod Hippocrates divinus in aphoriſmis dixit: *corpora cum quis purgare voluerit, primum fluida facere oportet.* Quo non recte Gal. in commentario dixiſſe viſus eſt, corpora fluida fieri, humoribus quidem purgandis præparatis, quod non inquit Hippocrates, qui dixit, non humores, at corpora quidem reddi fluida, ut facilius atque ſine noxa medicamenti vim laxatoriam perferre poſſint, etenim periculum eſt, ne venæ, arteriæque niſi

prius

prius fuerint emollitæ, ab ea medicamenti vehementi agitatione, qua aſſiduæ partes violenter moventur, agitantur, & vexantur, rumpantur, atque etiam ne homines ſuffocentur, niſi partes ſtomachi laxatæ facile eductioni humorum copioſæ cedant. Merito itaque elleborus dandus ſolummodo eſt corporibus præparatis. Oribaſius ex Herodoto de elleboro ita habet: *Elleborus decoctus dari apud nos minimo periculo ſolet, ejus apparandi hæc eſt ratio. Ellebori libram ſemis aquæ heminis triduo maceratam lento igni decoquimus uſque dum tertia pars aquæ conſumpta ſit, deinde elleborum, tum mellis heminas duas decocto addimus, itemque decoquimus donec non inquinet, ex hoc damus iis, qui non admodum purgandi ſunt, cochlearia duo: robuſtis vero myſtri magnitudinem. Purgatio quæ per hujuſmodi fit, neque ſtrangulationis neque ullum aliud damnum quod nimia purgatio ſolet inducere, unquam nobis attulit.* Nonnulli ex recentioribus parant elleborum accipientes ʒ. i. s. vini dulcis, aromatici lib. 1. Turis ʒis, Hiperici ʒi. ſacchari ʒij., bulliant ad conſumptionem medietatis. Cujus decocti dant uncias tres. Aliqui religioſi ebulliunt elleborum in oleo, & oleum (vocantes ipſum benedictum) egrotis exhibent, quidam civis Baſſanenſis Patavium uxorem phreneticam conduxit, ſibi perſuaſus ipſam ex magnis continuiſque deliramentis obſervatis, dæmonibus vexari, ſacerdotem in hac re magni nominis accerſivit, cujus juſſu mulieri propinato oleo ſancto, ex vomituque concitato dictu incredibile eſt humorum variorum potiſſimumque bilioſorum quantum eductum fuerit, ſcilicet ad plures libras: à qua purgatione poſtridie mulier expiravit. Non negandum tamen poſſe hujuſmodi ellebori ex oleo præparationem, corpora facilius, & minus moleſte (quod oleum vim ellebori acrem, & catharticam & obtundat & ſimul una ſtomachi partes emolliat & laxet) ferre. Itaque albus elleborus præter vim purgatoriam, qua ver vomitum purgat violenter omnes humores, calefacit etiam ſiccatque fere ad tertium exceſſum, incidit, extenuat, craſſoſque humores detergit, liquat, & mordicat. Aſari radix, quæ ejuſdem eſt temperamenti cum elleboro, purgat ellebori quoque modo per vomitum (Dioſcoride auctore) bilem atque pituitam: datur ejus pulvis ex vino a drachma ad

In lib. 2. coll. 1. In p. 3.

duas; & ejus decoctum paratur ex geminis drachmis ad quatuor uſque aſcendendo. Decoctum vero ex drachma paratum cum apio purgat per urinam. Cnicus vero ſcilicet ſeminis pulpa expreſſa, ad ſemunciam devorata, per vomitum pituitam atque aqueum humorem purgat. Et pulpa glandis unguentariæ ejuſdem cum cnico naturæ ad drachmas duas ex mulſa epota, pituitam craſſam & lentam per vomitum itidem expellit, ſtaphydiſagria vera, calida ſicca tertio exceſſu eſt, extenuans, detergens, mordicanſque, ad drachmam ex mulſa aſſumpta craſſa craſſam itidem pituitam educit, ſtibium præparatum, cujus laxatoriam facultatem recentioribus ſolummodo notam eſſe prorſuſque veteribus ignotam, complures voluerunt, pondere quatuor granorum, ſed felicius vinum aromaticum in quo ſtibium per diem manſerit maceratum, probe percolatum, atque epotum vinum purgat per vomitum violenter omnes humores. Nonnullis præter vomitum etiam ventrem movere ſolet. Geniſtæ flores, atque ſemina vim purgatoriam habent, ſi ad drachmam exhibeantur, vel ſi decoctum ex ſemuncia aut ex uncia ſeminum vel florum paratum exhibeatur, purgabit cum per vomitum tum per ventrem pituitam craſſam. Gratiola demum quam aliqui eſſe centaurium minus antiquorum exiſtimarunt, ſi ad drachmam ex vino exhibeatur, purgat violenter per vomitum, & per alvum bilem, atque pitutam.

CAPUT XI.

De Errhinis, apophlegmatiſmis atque bechicis laxatoriis.

Medicamenta Græcis Errhina, noſtris naſalia, & caputpurgia, laxantium præſidiorum genere Methodici quoque comprehenderunt, quinimo ea in familiari uſu habuerunt. Neque injuria, ut putamus, cum hiſce medicamentis caput purgetur, ejuſque tumentia diminuatur. Horum vero, ut de catharticis etiam dictum eſt, quædam per ſe educendo aut attrahendo ex capite humorem ipſum purgant, quædam non per ſe, ſed vel laxando vel detergendo, vel expultricem movendo.

illa

Illa ſunt vere cathartica, de quibus in ſuperiori capite egimus, cujuſmodi eſt elleborus, ſcamonium, agaricus, & ſimile aliud ex vere laxatoriis. Hæc ſunt exempli gratia, ſuccus vel decoctum malvarum, Mercurialis, altheæ, hordei, lac, aqua dulcis tepida, & ſerum lactis, detergendo vero idem præſtant, betæ ſuccus, vel decoctum iridis, cyclaminis, anagallidis, foliorum hederæ, amaraci, cucumeris ſylveſtris, melanthii ſeminum, hyſſopique Arabum, atque ſalviæ, detergendo vero & expultricem movendo elleborus albus per nares purgat, ptarmica, origanum, marum, ſinapi, pyretrum, thymus, piper, & alia ſimilia, trita & in nares indita ſternutamenta, movendo purgant idcircoque ptarmica dicta ſunt, & quæ liquida, errhina. Ex his quandoque compoſita parantur, ut ſi exempli cauſa pararetur decoctum errhinum; vel caputpurgium liquidum, accipientes radicis pyretri ʒi. pulegii, origani, dictamni ana m. i. agarici Th. ʒii. amaraci p. i. hiſque omnibus in aquæ libra ebullitis, quoad pars tertia abſumatur, additiſque ſyrupi roſati laxativi & mellis roſ. laxativi ana. ʒiij. errhinum parabitur, ex ſimplicibus vero mitioribus in uſu familiari ſunt ſuccus malvarum, amarici, hederæ, cyclaminis, iridis, cucumeris ſylveſtris, bryoniæ & ſimilium. Atque hæc pauca de Errhinis, cum ſimplicibus, tum compoſitis nobis ſufficiant, de quibus plura dicenda haud putavimus, cum pene inumeri ſint ex dogmaticis, qui de ipſis medicamentis accuratiſſime ſcripſerunt, apud quos ſtudioſi caputpurgia omnia, quibus ad morbos tollendos erit opus, diſcere poterunt. Idem idcirco de apophlegmatiſmis, vulgo maſticatoriis appellatis, atque de bechicis faciendum duximus, ſatis quidem nobis erit, horum præſidiorum communia attigiſſe & permonſtraſſe, quando particularia omnia, quorum uſus eſt ad medendum, apud omnes, qui de praxi ſcripſerunt, poſſint cognoſci. Itaque medicamenta quæ Græci apophlegmatiſmata vocarunt, omnia fere fuerunt, ad caput pituitoſis excrementis purgandum, unde vel gargariſmata ex medicamentis vehementer calidis & acribus parantur, ſcilicet decoctum quod in ore gargarizant. Cujuſmodi eſſet, quod pararetur in aqua vel vino, ex ſinapi, pyretro, pipere, & ſimili-

milibus, hoc ſumme efficax erit ad pituitam purgandam. At ſolent hæc ſcilicet vehementer acria, ut pyretrum, piper, ſinapi, tenuiſſime trita ceræ maſtichique permiſcere, & ita maſſam parare, cujus modicum in ore continentes, dentibuſque tractantes plurimum ſalivæ educunt. Hocque vehementer calidorum & acrium proprium eſſe videtur, ut nimirum commanſa ſalivam multam attrahant in os. Unde de laſerpitio, quod fuerat ſuccus calidiſſimus & acerrimus, merito Dioſcoridem ſcripſiſſe, putamus: *Cyrenaicum ſi quis deguſtaverit, humorem toto corpore ciet.* longe melius Serapio legiſſe viſus eſt, qui dixit, *laſerpitium deguſtatum*, ſcilicet cyrenaicum (quod omnium ſit præſtantiſſimum) *ſalivam multam attrahere.* Accedunt quoque bechica Græcis dicta, id eſt, illa quæ per tuſſim excrementa educendo, ſeu purgando itidem laxant, hæc vero omnia ſunt, quæ emolliunt, incidunt, extenuant, atque detergunt. Galenus dixit hæc calida eſſe oportere, moderateque ſicca. Vehementer vero calida, vehementerque ſicca inepta ſunt, ut pectoris, pulmonumque partes purgare queant. Quare omnia dulcia erunt bechicis medicamentis accommodata, ut ſaccharum, mel, ſapa, melicratum ex fructibus jujaba, ſebeſten, ficus, ſiliqua dulcis: ex medicamentis radix iridis, helerici, glizzirhizæ, & tuſſilago, violæ adjunctum, hyſſopus Arabica, marrubium, & ſimilia, habentur complura bechia compoſita, cujuſmodi eſt ecclegma Græcis & loch Arabibus dictum, ut diacodion vocatum ſimplex Galeni, loch de pſyllio, de pino, ſanum vocatum & expertum, de pulmone vulpis, de papavere, de praſſio Pauli, de ſcilla, de carthamo, atque complura alia recentioribus medicis maxime cognita.

Lib. 3. de meth. med. cap. 76.

CAPUT XII.

De medicamentis per veſicam, atque per uterum evacuantibus.

Vretica medicamenta, Græcis dicta, & latinis urinalia, per renes atque per veſicam evacuando corpora laxare, neminem medicorum latet. Horum præcipua (auctore Galeno) ſunt

ſunt vehementer calida & ſicca, ut caſſia aromatica, cinnamomum, meum, iris, & ſimilia; quædam vero etiam frigida ſunt, tenuioris eſſentiæ, ut ſemina melonum, cucurbitæ, cucumeris, malvarum, & ſimilia. Quæ ex ſeminibus ſeu fructibus urinam movent, ſunt ſemina ammeos, fœniculi, apii, petroſelini, dauci cretici, ſileris montani, eryſimi, ſolatri veſicarii, baccæ juniperi, ſemina melonum, anguriæ, cucumeris, cucurbitæ, & ſimilium. Ex foliis & floribus evacuant per urinam cymæ calaminthæ, mentaſtri, pulegii, origani, croci, ſenecionis, ſabinæ, abrotani & ſimilium. Hæc enim dantur à drachma ad geminas drachmas tenuiſſime trita ex vino albo tenui, aut ex iiſdem in mortario contuſis: lac ex aqua fabacea, vel ex aqua ononidis, quæ ceteris præfertur ad movendam urinam, vel ex alia aqua diuretica exprimitur, & ad uncias quatuor exhibetur. Ex radicibus efficax eſt, caſſia aromatica, gingiber, cyperus, ruſci radix, fœniculi, aſparagi, rubiæ tinctorum, liquiritiæ, acori, aſari, mei, phu urtiuſque, ſpicæ celticæ, & ſchænanthi, hæc ſingula tenuiſſime trita ad drachmas geminas, epota ex aqua ſtillatitia diuretica, vel ex vino albo, movent efficacius urinam; vel ex iiſdem ipſis paratum in vino albo tenui decoctum. Apud plures decoctum quinque radicum in uſu eſt, ſcilicet petroſelini, ruſci, aſparagi, apii, & fœniculi, alii addunt modicum ſabinæ foliorum, ex qua decocti vis diuretica longe efficacior fit. Nonnulli accipiunt radicem cyperi rotundi un. ʒij. zinziberis ʒij. in libra vini albi tenuis ebulliunt, quoad tertia pars abſumatur, & reliquum calidum propinant, ex ſimplicibus vero diureticis aliqui pro ſecreto exhibent per os ſeminum eriſimi tritorum ex eodem vino ʒij. ſemper felici cum ſucceſſu: quidam non injuria ad idem comendant aquam ſtillatitiam ex radicibus ononidis, raphani, & eryngii marini, paſtinacæ itidem marinæ, acori itidem radicum, rubiæ tinctorum, alkekengi fructuum, ſabinæ foliorum, ſcolopendriæque. Ex iiſdem etiam medicamentis parant, cum olea, tum fomenta, tum emplaſtra, pubi & perineo calida adhibenda. Itaque ex oleis commendatur, rutaceum, anethinum, chamomelinum, amygdalinum, liliaceum,

irinum, de ſcorpionibus de keiri: ipſo calido inungunt pubem, & perineum, ex fomentis autem ea commendantur, quæ ex althea, fænugreco, perdicio, chamomelo, amaraco, artemiſia, origano, calamintha, ſiſimbrio, thymo, hyſſopo, parantur. Contuſas haſce herbas vel minutim inciſas frigunt in ſartagine cum oleo vel butyro calido, & adhibent, pubi atque perineo. Ad id vero cataplaſma maxime efficax eſt, quod recipit raphani contuſi, parietariæ, creſſionis an m. i. frigunt cum adipe ſuillo in ſartagine, atque adhibent calidum pubi & perineo, parantur quoque fomenta ex illorum decocto in vino albo tenui, & inſeſſiones non minus. Hæc de urinalibus nobis dixiſſe ſufficiet. Jam tempus ſuadet, ut ad ea, quæ uterum purgant, declinemus: ſane ea exiſtunt, quæ & ſanguinem ſeu menſes educunt, & per uterum excrementa quoque expurgant, ſanguinem ſeu menſes movent, quæ etiam urinam movere diximus, at menſes moventia urinalibus longe calidiora, efficacioraque eſſe debebunt, cum ſanguis ad uterum nulla ipſius viſceris propria attractione attrahatur; aqueus vero humor à renibus attrahitur, ex quo urinale evacuatorium longe fortius eo quod menſes movere debet, eſſe oportebit. Hinc movendi menſes provincia uſque adeo eſt difficilis, ut à medicamentis quidem per os devoratis neutiquam ſanguis aliquando profluat, ni etiam aliis ejuſdem facultatis in uterum inditis, ſanguinis eductio adiuvetur. Quamobrem res longe melius agetur ſi vel inceſſionibus vel fomentis, vel decoctis in ipſum uterum injectis, vel peſſis laxatoriis inditis ea purgatio procurabitur. Per os datur ſumma cum utilitate decoctum pulegii, calaminthæ, & adianti recentiſſimi, cum ſaccharo. Quod ſi parabitur in vino albo tenui, præſtabit magis. Aliqui pro ſecreto habent conſervam boraginis ex vino albo tenui diſſolutam per os aſſumptam, aliqui propinant decoctum ſabinæ, cum pulegio, & calamintha. Non pauci ſuffitus parant, ex medicamentis aromaticis, ſ. ex cinnamomo, caſſia aromatica, caryophyllis, croco, nuce miriſtica, calamo vulgari aromatico, acoro, & ſimilibus quidam lotiones pedum magis commendant, paratas ex pulegii, calaminthæ, ſabinæ, origani, mentaſtri & ſimilium deco-

decocto. Quidam magis peſſus, ex hydromele cum ſcammonio, vel elleboro, vel colocynthide, vel agarico, vel elaterio, vel cyclamine, vel ex fructibus contuſis cucumeris ſylveſtris & ex ſimilibus paratos inditoſque in uterum commendant.

CAPUT. XIII.

De præſidiis, quæ ſudorem movendo, laxant.

INter medicamenta laxatoria, ſudorifica appellata, primas partes habere videntur, quod copiam humorem in toto corporis habitu redundantium evacuent, atque idcirco in corporis partibus omnem tumentiam tollant, atque laxent. Hæc vero duplicis differentiæ ſunt, quippe quod quædam ſint interna, & quædam externa, nimirum quæ & per os interius aſſumuntur & quæ per exterius uſum habent. De internis ſudorificis antiqui nobis pauca ſcripta reliquerunt, quandoquidem omnes externa ſudorifica in uſu habuerunt. Interna ſunt calida & ſicca ſupra tertium exceſſum, tenuioris eſſentiæ. Qua facultate interius aſſumpta humores calefaciunt, extenuant, fundunt & liquant, atque aliquo externo calore coadiuvante, humorem ad cutem vehunt, & per ſudorem evacuant: hujuſmodi facultatis eſſe calamintham, chamomelum, nepetam, origanum, pulegium, ariſtolochiam, cyclamen, juniperum, lignum indum, guajacum, ſaſſafras, chinam, ſalſam parillam, ſmilacem aſperam, harundinem & ſimilia, medici experientia cognoverunt. Quorum ſane decoctum ipſi ad movendum ſudorem habent in uſu familiari ad complures affectus ſanandos. Verum non omnia quæ ſudorem movent, ſunt vehementer calida, quando & mediocriter calida ſufficiant ad eam faciendam evacuationem, ut radix chinæ, ſmilacis aſperæ, ſalſæ parillæ, harundiniſque & ſimilium. Namque aqua vel etiam ſimplex frigida, in corpore vehementius incalefacta, ſudorem movet, quod medici in iis, qui febre ſynocha, aut ardenti cum magno caloris æſtu vexantur, ab epota aqua multa vel etiam algida in æſtate aliquando obſervant, ſcilicet, quod & Galenus quoque fatetur, eos in largum ſudorem quandoque ab ea epota aqua

erumpere. Non raro etiam ptiſana hordeacea ſudorem movere ſolet. Ceterum etſi hæc vera ſint, non negandum tamen erit, ſudorifica omnia, & calida & vehementer calida eſſe debere, eadem ſane cauſa ſudoris effectrix, cum interna tum externa vehemens caliditas eſt, à calore enim omnis ſudor movetur, vel à natura moveatur vel ab arte. A natura (licet Galenus dicat ſudorem fieri aut humoris copia, aut tenuitate, aut corporis raritate) perpetuo ſudores à calore vel naturali vel præternaturali concitantur; hinc in febribus ſolent à calore erumpere copioſi ſudores, & copioſiores, quo calor febrilis ſit vehementior atque efficacior, ut in quartanis febribus fit, quarum calor cum ſit magis quam in aliis febribus efficax, in ipſarum ſtatu & declinatione (quo tempore humores craſſi ſunt maxime extenuati) copioſiſſimos ſudores fundit. Eodem quoque modo complures dormientes, quod ex ſomno corpora interius plurimum calefiunt, ſudant, cujus quidem cauſa eſt calor naturalis auctus. Excipiuntur à ſudoribus, madores & deſudationes vocatæ, quæ fiunt abſque ullo calore, cute nimis laxata, ut in moribundis fit, carnis (ut Galenus docet) retentrice extincta, ac ſublata, unde in ipſis non ſudores, ſed madores apparent. Addo, ex ſudorificis externis, certo deprehendi à calore ſudores fieri, cum omnibus notum ſit, homines vel in calido hypocauſto, vel in tina, quam olim latini & baptiſterium, & labrum appellarunt, vel igne indito, aut in eo ſuffitibus calidis, aut vaporibus calidis excitatis homines ſudare. Quare caliditas inſignis cum interna tum externa ſudorem movere apta eſt, vel cum ſiccitate, vel cum caliditate conjuncta exiſtat, unde ſudorifica omnia erunt vehementer calida: neque eſt, ut aliquis dicat, aquam vel etiam frigidam, decoctum chinæ, harundinis, & aliorum medicamentorum, quæ non ſunt facultate vel calida, vel non vehementer calida ſudorem ciere: hæc namque non quatenus frigida, ſed quatenus calida proprie ſudorifica dicentur. Etenim ex Galeno etiam aqua ſimplex, quæ frigida eſt, incalefacta calefacit. Itaque ex iis decocta parata cum actu calida exhibeantur, intuſque etiam calefiant, adjuvante calore externo, mirum non eſt, ſi ſudorifica evadant. An vero hæc ſint ſicca vel humida? profecto

In 3. de ſympt. cauſ. cap. 2.

In 1. lib. ſimpl.

fecto ſudorifica interna actu quæ humida ſunt, facilius ſudorem movent, quam ſicca, ſi vero actu humida, facultate etiam ſicca ſint, longe facilius itidem ſudorem movebunt, externa ſudorifica vehementer calida ſunt, quæ vel ſunt ſicca (quibus ii utuntur qui pro inveterata lue gallica ſudorem movere volunt) vel humida, ſcilicet quæ in mitioribus malis tollendis uſum habent, etiam in corporibus calidis ſiccis, habituſque gracilis, quibus cum ſicca nocua ſint, humida idcirco maxime utilia erunt. Hujuſmodique naturæ ſunt medicamenta ſudorifica. Quorum uſus erit, vel in hypocauſto vel in clibano, vel in tina ſeu in labro ligneo, ſeu in dolio oblongo. In quo vel ignitis carbonibus poſitis, vel ferreis laminis, vel lapidibus molaribus vel pyritis ignitis, aſperſiſque decocto herbarum vi diſcuſſoria præditarum aer ad ſudorem movendum incalefit: aut decocto itidem facultatis humectatoriæ, refrigeratoriæque, ut in corporibus gracilibus & ſiccis, atque in affectibus calidis atque ſiccis, cujuſmodi eſt impetigo, elephantiaſis & ſimiles alii affectus, unde in iis, ſuffitibus ex decocto malvarum, violarum, altheæ & ſimilium, paratis, loca in quibus ſudandum eſt, calefieri debent, atque hæc caliditas externa ſudorificum eſt, ſine quo ſudor non promovebitur, ſunt aliqui qui in lecto calido ſtragulis cooperti, ab epoto ſudorifico facile ſudant, ſudorifica vero ſunt ex ſimplicibus medicamentis, calamintha, chamomelum, pulegium, cyclamen, ariſtolochia, chamedrys, dictamnus, origanum, lignum indum, guajacum, origanum, ſaſſafras, juniperus, laurus, ſmilax aſpera, china, harundo, & ſimilia: parant in aqua decoctum, quod ad decem uncias calidum propinant, homineſque ſtragulis contegunt vel præunctis dorſo & omnibus partibus corporis ex oleo actu, facultateque calido cum levi frictione. Quo præſidio febres periodicæ ſanatu difficillimæ abiguntur, ſcilicet ab interno ſudorifico ante acceſſionem per duas horas calido exhibito, & præfricato præunctoque corpore, ut dictum eſt, ſudore copioſius provocato, ex compoſitis ſudorificis complura ſunt in uſu, cum interna, tum externa, ex internis, ſunt in uſu decocta ex calamintha, chamomelo & cyclamine parata: ut ſi (exempli gratia)

tale decoctum pararetur; quod recipit, cymarum, calaminthæ montanæ, chamomeli an. p ij. radicis cyclaminis ʒiij. vel florum cyclaminis itidem. p ij. bulliant in libra aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & decoctum percolatum calidum exhibeatur, & ſtragulis calidis in lectulo cooperiantur, poſt mediumque horæ calidum hypocauſtum, vel tinam, ſeu dolium calidum ingrediantur, vel accipe calaminthæ p ij. radicis harundinis ſiccæ minutim inciſæ ʒiiij. bulliant in libra aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & percolatum hoc decoctum iis calidum nos propinamus. Variæ etiam potiones ſudorificæ medicis hujus ætatis ſunt notiſſimæ, quæ parantur ex ligno indo, vel guajaco, vel ex ſalſa parilla, vel ex china radice, quæ potiones ad luem gallicam expugnandam maxime commendantur; quarum erit omnium efficaciſſima nimirum, quæ accipit ligni indi raſpati, ʒis. corticis ligni ʒij. ſalſæ parillæ minutim inciſæ ʒiiij. aquæ communis lib. iij. calaminthæ montanæ p. iij. macerentur ſpacio horarum XXIV. & lento igne ebulliant ad conſumptionem medietatis, & colentur: doſiſque erit ad ℥viij. Mitius ſudorificum erit, quod paratur ex radicis chinæ minutim inciſæ, radicis harundinis & ligni indi an. ʒiiij. in libris duabus aquæ decoquitur quoad tertia pars, vel medietas abſumatur. Nonnulli hujuſmodi ſudorificum calidum epotum plurimum commendant, quod recipit decocti milii ʒv. vini albi aromatici ʒij. calidum propinant, parant vero decoctum milii, decoquentes milium à corticibus mundatis ʒij, in libra aquæ, quoad ipſum milium aperiatur, & percolatum decoctum exhibent. Apud Gal. fuit ad ſudorem movendum olim antidotus Athanaſia appellata, quæ parabatur accipiendo croci, ſpicæ nardi, an. ʒij. cinamomi, caſſiæ ligneæ, myrrhæ, junci odorati, an ʒj. omnibus tritis, melleque exceptis electuarium parabatur, cujus quidem medici olim exhibebant ad fabæ magnitudinem, & hominem calidis ſtragulis cooperiebant, ut ſudaret, verum facilius ſuccedet ſi duplicata doſi exhibeatur, & ſuperbibatur decocti calidi calaminthæ ʒvi. hæc de internis ſufficiant. Raro antiqui internis ſudorificis utebantur, quod ſolis externis ſudores large & commode moveri

Gal. in s. comp. med. loc. cap. 7.

veri poſſent. Inter externa hoc Gal. commendaſſe viſus eſt ad finiendas febres cum ſudore: quod recipit olei cinnamomi, chamomeli, an. ʒij. fol. lauri, p. ii, nitri ʒiij. aceti ʒij. bulliant quoad acetum abſumatur, atque hoc calido cum levi frictione inungitur dorſum, & omnes partes corporis. Quidam ſuffitus parant, conſperſis vel lapidibus ignitis, vel ferreis laminibus itidem ignitiſve carbonibus accenſis pulveribus, qui ex aromatibus parantur, iiſque in tina doliari ſudorem movent. Alii ad luem gallicam ſudore expugnandam, hoc ſuffitu utuntur, quem parant accipientes cinnabaris mineralis ʒij. thuris maſculi ʒj. galliæ muſcatæ ʒj. omnibus contritis, carbonibuſque vel lapidibus ignitis conſperſis triduo ſuffiuntur. Indiæ Gomoræ gentes luem gallicam ſudore finiunt, ſuffitu ex folio Magney, vulgo herbariorum aloës feminæ, minutim inciſo atque in vaſe vitreato clauſo decocto parato, per oſque anguſtum ejus fumo ſuſcepto, in ſudorem ii largiſſimum quo ſanantur funduntur, ſudare vero homines aut in lectulo calidis ſtragulis contectos obſervamus, vel in hypocauſto undique concluſos, vel capite excluſo, vel in doliari vaporario, quod tinam, labrum & baptiſterium antiqui appellarunt. In hoc ipſo dolio qui ſudant, aut calore ignis utuntur, quem ignitis carbonibus intropoſitis faciunt, aut ſuffitu calido ex multa aqua calida, in dolium projecta, eo tamen artificio, ne ſudaturos tangat, vel ex lebete aquam ebullientem continente, quidam alii tinam ſtragulis coopertam calefaciunt, aſpergentes decocto ex herbis opportunis parato lapides ignitos aut ferreas laminas candentes. Quidam alii ſudare ægrotos ſtudent in capſa lignea, hominis longitudinis undique ſtragulis clauſa, in qua decumbit ægrotus undique (capite excepto, quod extra capſulam manet) ſtragulis clauſus. Quod vaporarium multi in capſæ extremo juxta pedes eorum, qui ut ſudent, decumbunt, igne repoſito calefaciunt. Nonnulli etiam in clibano extracto igne undique clauſi ſudant, cujus ſudationis meminit Aetius, ad virus rubetæ diſcutiendum: ſudare in multis morbis adſtrictis eſt utile, nimirum ad febres putridas, periodicaſque, ad tumores externos digerendos, ad convulſos, non ab exiccatis nervoſis partibus, ad hy-

hydropicos, ad articulares dolores, ad luem veneream atque ad alios affectus, de quibus posterius, cum de ipsorum curatione sermonem instituerimus, accuratius itidem agemus.

CAPUT XIV.

De balneis laxatoriis ad morbos adstrictos tollendos.

QUantopere balneorum laxantium usus ad quamplures adstrictos morbos tollendos utilis sit, non est, ut multis nobis persuadeatur, cum istuc omnibus medicis praxim facientibus sit manifestissimum. Per balneum intelligimus corpora in aquam demergi dulcem calidam, quæ erit temperate calida, Galenus distinxit, facultates aquæ ex vario temperamento, namque frigidam refrigerare ait, tepidam modice itidem refrigerare & humectare, temperate calidam moderate calefacere, humectare, & justo calidiorem ipsam multum calefacere, & non humectare. Balnea vero laxatoria moderata, calida sunt, quo temperamento corpora calefaciunt, humectant, aperiunt, attenuant, digerunt, urinam, alvum, sudoremque movent, dolores mitigant atque alia hujuscemodi opera faciunt. Unde mirum non est, si ad complures adstrictos morbos sint utilissima, atque apud antiquos fuerint in frequentissimo usu præsertimque ad febres tollendas, qui usus veteribus medicis notissimus in multis Italiæ locis nunc fere omnino obsolevit. Cleophantes Antiquissimus medicus non in omnibus balneo utebatur, At Asclepiades longe in balneorum usu fuit Cleophante audacior. Hoc unum verum erit, quod balnea dulcia temperate calida in multis morbis atque in multis symptomatibus utilissima sunt. Ad febres quidem diarias omnes, ad putridas bilioſas, cum intermittentes tum continuas, atque ad alias putridas, ubi aliquod non subsit viscus inflammatum, vel aliqua pars debilis atque (ut ajunt Dogmatici) non nisi etiam evacuato prius corpore apparentibusque in urinis signis concoctionis: atque ad hecticas non minus. Ad omnes itidem lassitudines cum tensivas, tum inflammatorias, tum ulcerosas, quod digerendo balnea tensionem laxent, atque inflammationem

nem non minus tollunt, & bilioſum, acutumque humorem ulceroſam laſſitudinem foventem digerunt, humiditateque acrimoniam humoris hebetant, conferunt itidem dulcia balnea præmiſſa corporis totius evacuatione, (ex Dogmaticorum ſententia) ad dolorem capitis, ad hemicraniam, ad phrenitimque; ſed utiliora ſunt tepida, quod digerant, atque humectent, qua ratione ipſis maxime juvatos vidimus plures melancholicos, maniacos, atque furioſos. In quibus morbis ſolent medici præter balneum, in quod (capite excepto) totum corpus immergunt, etiam ſtillicidium ſupra ſuturam capitis coronalem dictam ejuſdem tepidæ aquæ commendare; quod præſidium plurimum illis conferre, non eſt mirum, cum capitis partem læſam, ſcilicet cerebrum reſpiciat, atque maxime ipſam laxando, digerendoque in ipſo humorem contentum, vel vaporem juvet. Ad convulſiones à ſiccatione ortas, utiliſſimum eſt prædictum balneum, quod plurimum humectet, ad oculorum item dolores, (Hippocrate etiam auctore) atque ad tabem quoque. Ad anginam privatim poſt principium exterius ab Archigene commendabatur, multoſque Aetius ex ipſis balneis plurimum juvatos ſe vidiſſe ſcripſit. Ad icterum vero balnea prædicta ab omnibus medicis maxime commendantur, & ad calculos in renibus, ad ſuppreſſos menſes atque ad ſimiles alios affectus. Hactenus de laxatorio balneo, quod aqua dulci temperate calida paratur. Parantur vero quandoque ex hydrelæo, ex oleo, atque ex lacte. Ex arte factis compoſitiſque balneis, quædam ex aqua, in qua medicamenta emollientia decocta ſint, commendari ſolent, emollientia autem medicamenta ſunt althea, malva, chamomelum, fænugræcum, linum, cucumer ſilveſtris, melilotus, & ſimilia; quædam parantur ex decocto digerentium medicamentorum, cujuſmodi eſt, iridis radix, cyclaminis, acori, phu, fœniculi, apii, aſari, & ſimilium, & ex herbis, origanum, calamintha, mentaſtrum, ſtæchas, pulegium, dictamnum, thymus, anethum, ruta, thymbra, ſalvia & ſimiles aliæ. Semina etiam huic negotio accommodata, hæc erunt, ſcilicet apii, petroſelini, fœniculi, aniſi, ſileris montani, dauci, ammeos, cardamomi & ſimilium. Ad

hæc balnea pertinent quoque, fomenta cum emollientia, tum digerentia, epithemata, inſeſſiones, & ſimilia præſidia; inunctiones itidem ex oleis temperate calidis, vel diſcuſſoriis, laudantur, poſt balnea arte facta, reſtant naturalia, id eſt, quæ ex natura fiunt, quæque medici & mineralia, & thermalia vocant, hujuſmodi erunt bituminoſa atque ſulphurea, quæ vim habent emollientem, & digerentem; unde innumeris fere morbis adſtrictis utilia ſunt. At cum de his complures viri digniſſimi eruditiſſime ſcripſerint, nihil aliud ſcribam: ad eos ſane viros doctiſſimos, ſcilicet ad Falopium, ad Baccium atque ad alios lubens medicinæ ſtudioſos remittens.

CAPUT. XV.

De præſidiis Metaſyncriticis.

MEdicamenta Græcis Metaſyncritica vocata, ab Aureliano recorporativa vocata, apud plæroſque antiquorum in uſu fuerunt, ad omnes (ut Oribaſius eſt auctor) diutiſſime inveteratos morbos, cum cetera auxilia nihil profecerint, hæc quidem medicamenta emplaſtra fuerunt, ex valde calidis acribuſque medicamentis parata, cujuſmodi fuit ſinapiſmus, vel quod ex euphorbio, vel ex thapſia vel ex alio ſimili medicamento parabatur. Horum uſum Dogmatici quemadmodum in morbis frigidis atque humidis ſatis commendarunt, ita in calidis atque ſiccis plurimum damnarunt. Methodici vero cum in calidis ſicciſque tum in frigidis humidiſque morbis adſtrictis indiſcriminatim his medicamentis utebantur, quod hæc plurimum ad omnem antiquatam meatuum ſtricturam tollendam valerent, unde Theſſalus etiam in cute antiquo ulcere vexata ſinapiſmum (Galeno auctore) commendavit, ea fortaſſe de cauſa, quoniam & cutis, & caro fere indurata, livoreque ac duritie acta, inſignem in meatibus ſtricturam patiatur, qua caloris tranſpiratione prohibita, ejus ſanitas vitiatur. Dogmatici hunc morbum vitiatam intemperiem, qua pars cachexia laborat, vitiatoque habitu, dicunt. Quam intemperiem; & cachexiam cum metaſyncritica, id eſt medicamenta vehementer calida & acria,

Lib. 10. collect. medici. cap. 41.

acria, non ſolum ruborem inducentia, at quin etiam exulcerationem, abſumant, ſcilicet optimum ſanguinem attrahendo vitiatumque digerendo & vacuando, priſtinum cum temperamentum tum habitum illis partibus reſtituunt. Dogmatici (uti dictum etiam eſt) in morbis iiſdem, ſed à frigida humidaque cauſa, minime autem à calida atque ſicca obortis, Metaſyncriticorum medicamentorum uſum complexi fuerunt. Ceterum (ait Oribaſius) qui affectus dignoſcere non poſſunt, ad ejuſmodi medicamenta, veluti (ut ajunt) ad ſacram anchoram confugiunt, & ſæpe id quod opus eſt, efficiunt, quia pleroſque homines ejuſmodi affectiones, ob malam & vitiatam victus rationem infectant. Non cognoſcunt ſæpe hos affectus, quoniam apparet apertiſſime ſæpius in quapiam parte corporis loca ex aliqua cauſa inſignem meatuum ſtricturam patientia, non juvari neque medicamentis quibuslibet calidis, neque frigidis, neque ſiccis, neque humidis, vel tumorem adimentibus vel ulcus conſolidantibus. Cum vero metaſyncritica vehementi caliditate aperiendo, ac optimum ſanguinem apertis meatibus, quo pars læſa nutriatur, attrahendo, vitiatumque digerendo atque evacuando, partem ad optimum meatuum ſtatum reſtituunt, mirum non eſt, ſi prava illa intemperies, quæ malum habitum partis fovet, reſtituatur, unde Methodici iis in antiquatis affectibus, ſcilicet in dolore capitis antiquo, in convulſis, in tumentibus, in reſolutis, in membris atrophia & macie laborantibus & in aliis ſimilibus affectibus uti ſolebant, hæc medicamenta (ut dictum eſt) ex medicamentis acribus rubefacientibus, atque veſicam etiam concitantibus parantur. Antiqui, cum opus fuerat vehementi metaſyncritico, parabant ipſum, accipientes (exempli gratia) caricum pridie in calida aqua maceratarum, & expreſſarum ʒij. ſinapis optimi pulveriſati ʒiiij. contuſis in mortario caricibus, & miſto ſinapi maſſam parabant. Alii ex euphorbio, thapſia, piretro, clematide urente cum fermento eadem parare medicamenta ſolent, vel cum caricibus contuſis hæc permiſcentes parabant, itaque ſi vehemens metaſyncriticum deſideraretur, hoc profecto eſſet, quod recipit caricum in tepida aqua per diem maceratarum

(expreſſa ab ipſis aqua) exempli gratia ʒj. euphorbii pul. Thapſiæ radicis, vel ſucci an. ʒiiij. ſinapi itidem pulv. pyretri, an. ʒ. v. Contuſis caricibus ceteriſque tenuiſſime tritis, & exceptis ſimul maſſa paratur ad uſum. Adhibent hæc medicamenta cuti, & detinent aliqui quoad ipſa inflammetur, & rubefiat, vel quoad puſtulæ excitentur. Fugiant omnes à cantharidibus, quoniam etiam exterius adhibitæ ſolent in veſica inflammationem, ventris tormina atque ſanguinis profluvium inducere, etenim illarum deleteria à calore actuata facultas etiam ab extimis partibus ad veſicam, cui ex tota ſubſtantia adverſatur, fertur, eamque graviter lædit. Detracto medicamento ad leniendum partis dolorem, utebantur antiqui vel roſaceo, vel amygdalino oleo, vel ſucco foliorum malvarum. Hac ætate inungunt chyrurgi partem butyro recenti, folium braſſicæ ſuperponentes & hæc de metaſyncriticis.

CAPUT. XVI.

De praeſidiis adſtrictoriis in communi.

POſteaquam de laxatoriis præſidiis & in communi & in particulari egimus, reſtat, ut de adſtrictoriis quoque loquamur, ſiquidem & hæc ſcitu nobis ſunt neceſſaria ad laxos morbos tollendos. De his vero ſcribentes, ab aëris qualitate primum exordimur, qui aër erit frigidus, & obſcurus, meatus enim à frigido aere denſantur, conniventque, non minuſque etiam ab obſcuro, craſſo, hoc quidem ſpiritus & humores in corporibus incraſſantur, conſervanturque veluti à caliditate & celeritate aëris & digeruntur, & evacuantur. Cibus debet eſſe multus, multique nutrimenti, frigidus, ſiccus, ſubſtantiæ etiam non tenuis ſed craſſæ, facultatiſque adſtrictoriæ ſiccantis: unde panem toſtum in cibo Methodici, carnemque aſſam dabant; utrum vero ſimplex, vel compoſitus cibus variuſve conveniat, haud plane deliberatum fuiſſe conſtat, cum aliquibus viſum ſit, cibum varium replere magis & tumentia atque adſtricta fovere, quod eo appetentia plus excitata homines plus nutrimenti aſſumant, alii ſimplicem convenientiorem eſſe vo-

luc-

luerunt, cujus opinionis Celſus fuiſſe eſt viſus. Potus itidem debet eſſe multum nutriens, cujuſmodi eſt vinum nigrum, craſſæ ſubſtantiæ, atque auſterum. Quies vero & otium ad laxos affectus eſt accommodatiſſimum, veluti motus in corporibus, humores digerendo, & vapores reſolvendo, tumentia tollunt, ex animi quoque paſſionibus, timor, mærorque adſtrictum fovent, & ira, etſi per ſe non adſtringat, tamen fundendo, & movendo humores, plærumque morbum adſtrictum facere ſolet, quippe partibus corporis humorum fluxione tumentibus, atque in adſtrictum venientibus, ſi de ſomno loquamur, frequens & multus, non conſuetus & naturalis adſtrictum fovet; cutem adſtrictam balnea frigida, vel adſtringentia faciunt, & augent, quo Galenus merito quoſdam qui nataverant in aquis adſtringentibus, cujuſmodi eſt marina, aluminoſa, & Calchantodis, in febrem ſynocham incurriſſe ſcribit. Non ſemel & nos quoque multos, poſt natationem in marina aqua, febre correptos vidimus, eoſque præſertim, quorum corpora fuliginibus multis abundabant, hi quidem facillimi eſſe ſolent, ut ex quacunque cauſa adſtrictoria, meatibus cutis conniventibus, in febrem delabantur. Cujuſmodi olim fuiſſe Andream Auriam Juniorem Joan. Andreæ Auriæ Principis filium in pueritia, meminimus, quem ſynocha non putrida à natatione in mari, vexatum non ſemel præ manibus curandum Januæ habuimus, atque hæc ſunt præſidia adſtrictoria in victus ratione obſervata. Quæ Celſus perbelle ita expreſſit: *Contra vero ſi corpus profluet, ſudor coercendus: quies adhibenda erit, tenebris, ſomnoque quandocunque volet, utendum, non niſi levi geſtatione corpus agitandum, & pro genere mali ſubveniendum. Nam ſi venter fluit, aut ſi ſtomachus non continet, ubi febris decrevit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, & vomere cogere, niſi aut fauces aut præcordia, aut latus dolet, aut vetus morbus eſt, ſi vero ſudor exercet, duranda cutis eſt, vel nitro, vel ſale, quæ cum oleo miſcentur. At ſi levius id vitium eſt, oleo corpus inungendum eſt, ſi vehementius, roſa vel melino, vel myrteo, cui vinum auſterum ſit adjectum. Quiſquis autem fluore æger eſt, cum venit in balneum, prius ungendus, deinde in ſolium demittendus eſt, ſi in cute* In lib. 3. cap. 6.

vitium eſt, frigida quoque quam calida aqua melius utetur, ubi ad cibum ventum eſt, dari debet is valens, frigidus, ſiccus, ſimplex, qui quam minime corrumpi poſſit; panis toſtus, caro aſſa, vinum aſperum, vel ſubauſterum, ſi venter profluit, calidum, ſi ſudores nocent, vomituſque ſunt, frigidum. Ceterum his præmiſſis, ratio expoſtulat, ut ad ſingularia medicamenta quorum perpetuo fuit uſus ad aſtringendum, deſcendamus.

CAPUT XVII.

De medicamentis adſtrictoriis in particulari.

MEdicamenta adſtrictoria cum ex triplici materia depromantur, ſcilicet ex ſtirpibus, ex animalibus, atque ex foſſilibus. Ex ſtirpibus adſtringunt, roſa, abſinthium, myrti folia & fructus, acaciæ Ægyptiacæ flores, folia atque fructus, nec non ex ipſis ſuccus expreſſus, qui præcipue in uſu ſemper fuit ad affectus laxatorios, ex plantis vero plantago commendatur, verbaſcum, polygonum ſanguinellave dicta tantopere ab Alex. Tralliano ad ſputum ſanguinis concelebrata, equiſetum hippuris & cauda equina dictum, oleæ cum folia tum fructus immaturi, ciſtus, atque hypociſtus, licium, lentiſcus, myrtus, Oxianthæ Theophraſti fructus, cum etiam à Matthiolo creditæ fructus mirifice adſtringunt, pruni ſylveſtris fructus, pyra ſylveſtria, mala cydonia, mala granata acerba, ipſorum fructuum cortex, putamen & nuclei, balauſtia omnia cum orientalia tum Italica, liguſtri folia & fructus, phyllitis, rumex cruentus, ſanguis draconis officinarum, laurus thinus, folia ſcilicet atque fructus, alaterni folia, meſpili cum aroniæ tum ſetoniæ fructus atque ſemina, cornua immatura, œnanthe, id eſt, vitis ſylveſtris, uvarum ſemina racemique. Ex animalibus pauca ſunt ad uſum medicinæ adſtringentia cognita, ut coagulum, ungues, & pili præſertim leporini. Ex foſſilibus vero, plura ſunt: ex aquis enim omnes ſalſæ, calchantodes, aluminoſæ, ferreæ valenter adſtringunt, ex ſuccis vero concretis, calchantum, alumen, chalcitis, gipſum, ex terris, ſamia, ſelinuſia, lemnia, cretica, rubrica ſinopica, quam nos alias

alias demonſtravimus eſſe bolum armenum Galeni, rubrica fabrilis, creta & ſimiles aliæ. Totque ſunt medicamenta adſtrictoria quæ morbis laxis ſeu profluis remedio eſſe poſſunt. Nunc de medicamentis, quæ mixtam vim cum laxantem tum adſtringentem habent, agimus.

CAPUT XVIII.

De medicamentis facultatem mixtam ex adſtricto atque ex laxo habentibus.

NOn poſſum non vehementer admirari Galenum in libris de medicamentorum compoſitione ſecundum genera, Theſſalum Methodicum maxime reprehendentem, ut qui negaverit dari medicamentum mixtum, ex contrariis potentiis, potiſſimumque ex facultate adſtrictoria atque laxatoria, cum neceſſario Methodicos omnes illud ex ipſorum methodi placitis voluiſſe, eo argumento intelligatur, quod dogma illorum fuerit præcipuum, ut dentur morbi adſtricti, laxi, atque mixti ex adſtricto & laxo, ſi concedebant dari morbos mixtos ex adſtricto & ex laxo, atque hoſce morbos per ſe omnes curationem indicare, verum quoque erit dari medicamenta mixtarum facultatum ex adſtricta atque laxa facultate: profecto ſi morbus adſtrictus indicat laxandum, & laxus adſtringendum, cur mixtum ex laxo & adſtricto affectus medicamenti mixtam facultatem ex laxo & adſtricto, haud indicabit? Hujuſmodi vero medicamenta ex ſimplicibus erunt, exempli gratia, chamomelum, quod præter laxatoriam vim etiam modicum adſtrictionis habeat, Melilotus, roſa, abſinthium, aloë, cychoreum, ſenecio, hyeraceum, chondrilla, pentaphyllum, hedera, carpobalſamum, xilobalſamum, opobalſamum, cinnamomum, caſſia aromatica, ſpica cum Indica tum Celtica, phu cum magnum tum parvum; ex medicamentis etiam purgatoriis, Rhabarbarum, rhaponticum, tamarindi, pruni, myrobalani, & alia ſimilia, ex quibus, atque ex aliis ſimpliciter laxatoriis, & adſtrictoriis, poterunt parari compoſita medicamenta, maxi- In lib. 1. cap. 4.

xime ad affectum mixtum ex laxo & adſtricto accommodata. Verum enim vero cum Galenus vir ſummæ in medicina auctoritatis apertiſſime loco ſuperius citato & alibi damnaverit Theſſalios medicos, qui negarint dari medicamenta compoſita vel à natura vel ab arte habentia contrarias facultates, iiſque omnibus ſimul in parte agentia, ita ut ſimul exempli gratia in parte inflammata digerant, atque partem roborent, non dubitabimus Methodicos illius fuiſſe ſententiæ, quod in una eademque parte cum dari morbum mixtum ex adſtricto & laxo noluerint, ita negaſſe dari medicamenta agentia ſimul in eadem parte laxatoriis adſtrictoriiſque facultatibus, ſiquidem in omni phlegmone, vel tumore morbis adſtrictis, utendum putarint nudis laxatoriis. Quod vero alio modo detur morbus mixtus ex laxo & adſtricto, hoc fuiſſe demonſtravimus unum ex ipſorum præcipuis dogmatis. At de hac re alias accuratius Deo favente agemus.

FINIS LIBRI TERTII.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Agitur ex Methodicis de medicinæ parte prophylactica, & primo in quibus eam obſervarint.

CUm hactenus de Methodicorum dogmatis ad medendi methodum conſtituendam abunde ſcripſerimus, præſtabit, ut nos, priuſquam ad particulares affectus cum adſtrictos tum laxos curandos accedamus, de ea medicinæ parte, quam prophylacticam Græci, & noſtri præſervativam appellant, aliquid etiam agamus. De qua auctor libri medici vocati ait: *Jam vero præter quatuor chyrurgorum communitates eſt & ſpecies, quam προφυλακτικὴν, id eſt præſervatricem appellant. Apponitur autem & ipſa, ut communitas in deleteriis & toxicis, beſtiiſque omnibus, quæ virus inſpuunt, tum venenoſis volatilibus, & terreſtribus aquatilibuſque. Nam commune omnium genus, ut ſint exitialia, non tamen ad adſtrictum & fluens referuntur, ſed aliud eſt præter hæc genus, quare & curatoria ipſorum communitas alia præter illam habetur, dicta prophylactice.* Ex quibus colligitur Methodicos uſos quoque fuiſſe præſervatione, non tamen in omnibus iis, in quibus Dogmatici, ſiquidem conſtat ſolummodo eos præſervatri- Cap. 3.

cem feciſſe non in tuenda valetudine ab iis affectibus, in quos corpora ob pravam victus rationem delabuntur, ſed ut eadem tuerentur a veneno, vel quod ex medicamentis deleteriis provenit, aut quod à feris beſtiiſque venenatis morſu vel ictu communicatur. Ipſorum vero communitas eſt, ut etiam alias dictum eſt, quod venena, morſus & ictus venenati ſint exitialia, & propterea ipſa indicare medicamenta cum alexipharmaca, tum alexiteria, quorum uſu corpora præſervanda eſſe voluerunt. Quod vero hæc ipſi voluerint, vel eo ſolo argumento facile cognoſcitur, quoniam Methodici cum in aliis multis, tum maxime in medicamentorum facultatibus atque uſu cum aliis medicorum ſectis plane convenerunt. Ceterum illam communitatem præſervatoriam, nimirum quod venena, & morſus ictuſque ferarum venenoſarum ſint exitialia, & proinde indicare ea medicamenta, quæ ab exitio præſervant, qualia ſunt (conſentientibus omnibus medicorum ſectis) quæ Græcis alexipharmaca & alexiteria & noſtris antidota appellantur, eo libentius obſervandam hanc duxerunt, ut ab inſidiis venenorum homines defenderent, omniumque maxime Imperatores, Reges atque Principes, quibus non raro ex ea cauſa miſerandos caſus evenire obſervarent. Accedit etiam Methodicos ob id fortaſſe ſolummodo venenorum, beſtiarumque venenoſarum morſuum & ictuum præſervationem æſtimaviſſe, minime vero eam, quæ alios affectus & à prava victus ratione & à quibuslibet aliis cauſis proficiſcentes complectitur, quoniam ab hiſce affectibus corpora tueri, ac præſervari poſſe haud ita certe, & tuto intelligerent, atque etiam quod viſum illis non fuerit hanc præſervationem omnino eſſe neceſſariam, uti eſt illa, quæ prævisionem à venenis atque à venenatis morſibus vel ictibus reſpicit, ſi hæc negligeretur, certum mortis periculum frequentius compluribus hominibus impendere videbant.

CAPUT II.

An poſſit conſtitui methodus tuendae ſanitatis ex Methodicorum dogmatis.

DIximus non conſtare apud medicos methodicos olim fuiſſe in uſu ſanitatis præſervationem, ab illis præſertim malis, quæ ex mala victus ratione, atque ab extrinſecus incidentibus cauſis excitari ſolent, quanquam & Romanos & alias gentes huic ſtudio incubuiſſe maxime conſtet, ex uſu cum frictionum, tum exercitationum, tum balneorum, quibus complures gentes aſſidue pro tuenda valetudine operam dabant. An vero Methodici hanc medicinæ partem prophylacticen, quæ corpora tuetur ab iis affectibus, qui (ut dictum eſt) cum à pravo victu tum ab aliis extrinſecus occurrentibus cauſis ortum habent, haud plane conſtat, quemadmodum eam, de iis affectibus, quos cum venena vel per os aſſumpta, vel quomodolibet corporibus adhibita, tum beſtiæ venenoſæ morſu vel ictu inducunt, eos plurimi feciſſe atque in uſu habuiſſe, ſuperius oſtendimus. Utrum vero ex Methodicorum placitis queat methodus conſtitui, qua corpora ab omnibus malis præſerventur, haud eſſe impoſſibile, duximus. Namque, ut ex Dogmaticis Galenus docuit, ſanitas in corporibus aut incolumis ſervatur, aut vitio laborat, hæc medicamentis priſtino ſtatui reſtitui debebit, & illa penitus conſervari; conſervabitur ſane ex iis cauſis, quas ob id Galenus conſervatrices vocat, quatenus eæ affectus adſtrictos atque laxos reſpiciunt, ſcilicet aut fovent, aut adimunt. Corpus ſane illud ſanum eſſe dicemus, in quo naturalis ſive moderata ſymmetria meatuum ſervatur, addimus cum externorum tum internorum, quando ipſorum vitium ſeu vitiata ſymmetria morbum faciat. Hæc vero ſymmetria erit, aut omnibus numeris abſoluta, aut aliquantum à perfectiſſima deficiens, itaque quis non deprehendet utramque poſſe conſervari & tueri, remotis iis ſingulis, quæ valent aut meatus magis vel laxare vel conſtringere; quod maxime fiet in ea, quæ perfecta eſt; at non minus etiam in ea, quæ ad quoddam vitium incli-

nat, etsi quod sanitas quoque sit, nullus morbus exinde promoveatur. Namque exempli causa, si corporis meatus quipiam ad adstrictum inclinaverint, poterunt adhibentes usum leviter laxantium, illud vitium ita corrigere, ut ii ad perfectiorem vel minus vitiosam symmetriam facile reducantur. Atque eodem itidem modo si aliqui laxiores patentioresque evaserint, usu contrariorum scilicet adstringentium, ad salubriorem statum reducentur; sanitas vero, quæ in meatuum perfecta & absoluta symmetria fundatur, & consistit, similibus omnino, ut Dogmatici quoque voluerint, erit conservanda. Exempli gratia sit puer boni corporis habitus, omnino meatus cum externos tum internos habens liberos, atque mediocriter laxos seu amplos, idcirco perfecta gaudens sanitate, similibus erit conservandus, quippe iis, quæ laxare apta nata sunt, veluti à contrariis erit arcendus, atque defendendus, siquidem aer temperate calidus maxime conservare aptus erit ipsius sanitatem, contra frigidus, qui aptus est meatus angustiores reddere, ejus sanitati detrimento erit, sic etiam ex cibis atque ex potibus, qui temperate calidi sunt & humidi, substantiæ tenuis, minime crassæ vel lentæ, vim habebunt internorum meatuum symmetriam conservandi. Contra illam vitiabunt ex cibis atque ex potibus, qui frigidi sunt, substantiæ crassæ vel viscidæ, qua possunt meatus infarciri atque obstrui. Quamobrem non dubium erit, corporum sanitatem posse etiam ex Methodicorum placitis methodo constituta, conservari atque tueri, at quomodo hoc ipsum præstandum sit, posterius dicemus. Nunc de prophylactice, quam ipsi cum ut à venenis, tum à bestiis ferisque venenosis homines præcaverent, exercuerunt, agendum est.

CAPUT III.

An homines praeservari possint à venenis, atque à morsibus ictibusque ferarum venenosarum.

FOrtasse Reges, Principes, atque alii cujusvis conditionis homines neque à venenis poterunt præservari, tanta hac ætate

te hominum pravitas eſt, ut nulla via hominem ad quodcunque malum perpetrandum lateat, ac, ut Dioſcorides ait, qui clam venena exhibere volunt, ita inſidias temperare, ut peritiſſimum quemque decipiant. Theophraſtus ſcribit Thraſyam Mantinenſem in venenorum ſtudio peritiſſimum, tale venenum comperiſſe, ut facile, & abſque ullo dolore inferre obitum poſſet; ſi etiam venenorum cum copiam tum varietatem ſpectemus, hoc profecto negocium præſervationis futurum maxime difficile indicabimus, cum ubique locorum, & gentium venena reperiri queant, atque etiam aliqua uſque adeo pleriſque occulta, ita multis familiaria ſint, ut ipſorum complura homines aſſidue & pedibus contingant & oculi videant. Neque eſt, ut Reges pincernis, atque iis, qui præguſtant dapes fidere queant, cum ab ipſis multis in modis decipiantur; primum non eſt tutum prandentibus & cœnantibus Regibus, ut vinum dapeſque tunc, ab iis præguſtentur, conſultius quidem feciſſent, ſi antequam vel prandium facerent, vel cœnarent, ad minus per duas vel tres horas vina & dapes ab illis præguſtatas ſedulo obſervaſſent. Quo profecto tempore venena omnia actuata in corporibus eſſe ſolent, hoc errore quoque plæbei omnes fere, maximeque mulierculæ duci ſolent, quæ ſi fungos forte eſitaturæ ſint, tunc modicum panis imbuti in jure fungorum canibus vel felibus mandendum projiciunt, quem ſi non comederint, timent ne fungi venenati ſint, at cum paulum temporis expectarint, canemque vel felem ab eo devorato illæſum viderint, fungos & ipſæ abſque ullo timore comedunt, unde non expectato exitu in tempore opportuno, quo venenum ſolet in corporibus actuari ſæpius multi magnum ex fungorum eſu vitæ diſcrimen ſubierunt. At neque etiam pincernis & dapum præguſtatoribus, ſi in tempore quoque vinum & dapes præguſtaverint, reges fidere oportebit, ſiquidem aut antidoto quapiam aſſumpta, aut aliquo alio cibo quovis modo alexipharmaco vorato, tuto vinum venenatum, atque dapes venenatas præguſtare poterunt, nihilo enim ipſi vi antidoti aſſumpti à veneno lædentur, aut enim vi antidoti vis veneni irrita reddetur, & præſertim quia & parum deguſtarint, & illud quoque partis ſuperioris, in

In libro 6. de re medica
In 9. de hiſt. plant. cap. 18.

qua minus veneni eſt, cum majori ex parte reſideat, aut ii prius ſtomacho cibis ad id opportunis repleto (cujuſmodi ſunt jura pinguia, lac, pinguedineſque omnes) venenum aſſumptum per plures horas ſine ulla læſione ferre poſſunt, ita ut Regum Principumque, quos veneno interimere vino vel dapibus venenatis conſilium eſt, prægustatores finito prandio vel cœna, domum reverſi una cum voratis cibis etiam venenum aſſumptum evomant. Hoc circumforanei ſedulo facere ſolent, ipſorumque non paucos ſæpius abſque ullo incommodo feciſſe ſcimus, ut ignaris hominibus perſuaderent, ſe adverſus omnia venena ſecretum habere. Quod ut perſuadeant, priuſquam domo egrediantur, juribus pinguibus, cujuſmodi ſunt, quæ à decoctis vervecis inteſtinis, vel ex capite fiunt, vel lacte, vel malvarum decocto una cum copioſo butyro facto, ſtomachum replent, mox in aſpectum hominum prodeunt, atque paulo poſt, præmiſſis admirandis laudibus ſui medicamenti alexipharmaci vendendi, modicum cujuſvis veneni per os coram auditoribus, ſpectatoribuſque aſſumunt, ac poſt ipſum, ſuum medicamentum quoque per os aſſumunt, à quo cum nullam per id temporis læſionem ſentiant, maxime propterea ab omnibus admirantur, atque exinde perſuadentur, circumforaneos habere contra omnia venena alexipharmacum præſtantiſſimum, atque ita ex ipſis emuncta pecunia, domum revertuntur, digitiſque intra os poſitis cum cibis venenum vomitione rejiciunt. Quibus omnibus venenorum præcautio admodum difficilis videtur, haud parumque incerta. Quemadmodum etiam non minus difficile æſtimatur, homines à reptilium, ceterarumque beſtiarum venenoſarum veneno tueri poſſe, cum ubique locorum & beſtiæ venenatæ ſint, quæ vel morſu vel ictu venenum communicant corporibus. Veruntamen, etſi hæc præſervatio haſce propoſitas habeat difficultates, ea, quæ faciunt ad præſervationem cum venenorum, tum beſtiarum venenoſarum in medium afferemus.

CAPUT. IV.

De iis, quæ faciunt ad præservationem à venenis.

PLura quidem faciunt ad homines à venenis præservandos, quorum quædam ad ipsos pertinere videntur, quædam in supellectilibus considerantur, & alia in quibusdam medicamentis præsens venenum prodentibus, & maxima vi alexipharmaca venenis adversantibus. Debent profecto Pontifices, Imperatores, Reges, atque Principes, qui solent maxime à venenis timere (ut vitam securam, tranquillamque ducere queant) esse optimi Christiani, justi, perliberales, nullis officere, omnibus auxilio esse, & tales esse ut ab omnibus amentur, colantur, venerenturque, qui ita sunt, proculdubio utrumque in latus ocioso dormire possunt, absque ullo venenorum timore, namque qui ipsis serviunt assidue pro ipsorum salute vigilant. Debent insuper viros, qui ipsis serviant, habere nobiles, fideles, nullis vitiis addictos, justos, & religiosos, his enim Reges & Principes maxime fidere possunt. Contra temere faciunt, qui vitam servis tutandam ignobilibus, non religiosis, atque vitiosis committunt: namque ni ab ipsis frequentius insidiæ instruantur, mirabile erit. Debent non minus Principes medicos habere apud ipsos medicinam facturos, qui in rerum naturalium studio, præsertimque in venenorum cognitione sint exercitatissimi, ut & ipsos à venenis præcavere, & veneno infectos opportunis medicamentis sanare sciant. Atque hæc curare primum Principes ii debebunt, qui à venenis præservari cupiunt. Secundo loco ad idem assequendum in supellectilibus, cura ne forte aliquomodo subsit venenum, sedulo habenda erit, omniumque maxime in culina: hæc aut sub dio custodienda est, aut in loco undique clauso, & contecto. In ipsa omnia vasa plane clausa, contectaque servari oportebit, præsertimque vinaria, olearia, aquaria, & coquinaria; quando sæpe ex laquearibus animalcula cadant, quæ vinum, vel oleum, vel aquam, vel denique ferculum in olla, veneno afficere solent, hujusmodi sunt araneorum quidam, phalangia, scorpiones, erucæ nigræ

græ & ſimilia. Nicolaus Florentinus narrat olim Florentiæ Cænobii quorundam Monachorum fere omnimodam diſſolutionem ab ſimili cauſa ſe vidiſſe, ſcilicet compluribus monachis ferculo ex araneo nigro, qui in ollam ebullientem ex laquearibus deciderat, interemptis: ſcimus nos non paucos, qui braſſicam decoctam cum erucis viridibus quas vulgus langos vocat, comederant, graviter fuiſſe ex veneno læſos, ſerpentes vini quoque, ut Ariſtoteles eſt auctor, incontinentes ſunt, unde viperas ait quoſdam vino cum fictilibus ad ſepes diſpoſito venari, quod ebriæ capiantur. Quamobrem ſerpentes vini odore, in dolia & in alia vaſa vinaria facile deſcendunt, vinoque ſuffocantur, ex quo vinum venenoſam qualitatem ſuſcipere, eſt neceſſarium, qua illos, qui eo ad potum uſi ſunt, graviter lædit, licet quibuſdam morbis ſanatu difficillimis remedio ſit. Galenus ſcribit hujuſmodi vinum leproſos ſanare experientia in multis deprehenſum fuiſſe, unde uſus carnium viperarum ad eoſdem affectus incepit. Ab hinc non plures annos Ferrariæ, dolium vino plenum in cella vinaria civis cujuſpiam, cum ſine operculo apertum diu fuiſſet, compluribus ſerpentibus ex iis, quos vulgus angues & anzas appellat, repletum eſt, ſerpenteſque à vino ſuffocati, in eo putrefacti ſunt. Quo vino cognitum eſt, innumeros à chronicis febribus difficilimiſque vexatos, qui eo uſi fuerant, ſanatos fuiſſe: primus ex iis ægrotis, cum vinum alicubi non inveniſſet, quod ipſi placeret, rogavit civem illum divitem, qui ſolitus eſſet varia vinorum genera habere, ut vinum aliquod ei mitteret, quod ejus guſtui gratum fore putaret, ille ex eo (ignarus plane quod in eo eſſent ſerpentes mortui) quod ceteris melius judicaſſet, miſit ægroto, quod cum vere guſtui omnium acceptiſſimum viſum fuerit, eoque uſus fuiſſet ægrotus pauciſſimis diebus prorſus à morbo convaluit, alii itidem complures hujuſce optimi vini fama ſuaſi, cum ex eo paucos dies bibiſſent, itidem ſanati ſunt, & poſt hos alii itidem eodem modo fere innumeri. Quare vini dominus exinde commotus, & vehementer quidem illius vini cum guſtum optimum, tum facultatem, qua omnes ægroti ſanabantur, admiratus, hujuſce rei cauſam ut ſciret, vinum è dolio totum eduxit, quo

In lib. 10. ſimpl.

educto

ducto ſerpentes complures ſemiputridi inventi rem manifeſtam plane fecerunt. Addimus nos etiam, quædam animalia, licet venenata non ſint, cujuſmodi ſunt mures, lacertæ, canes, & alia hujuſmodi, quorum caro vel in vino, vel in oleo, vel in aqua uſque adeo aliquando putreſcit, ut liquorem peſſima qualitate afficiant. Hinc deprehenſum eſt, aquas aliquando puteorum vel fluminum à rebus putridis, aut à veneno quopiam venenata qualitate infici. Haſce calamitates non raro ſentiunt urbes atque oppida ab inimico exercitu obſeſſa. Non omittam aquam putri aliqua re infectam, poſſe inter alia mala iis, qui ea in potu utuntur, febrem putridam concitare. Quo morbo Principem quendam ab ea cauſa longo tempore laboraſſe ab Avenzoare cognitum fuit, qui in aqua, quæ in vaſe quodam ad principis uſum conſervabatur, fruſtum carnis omnino putridæ dedita opera poſitum invenit, unde mutata aqua princeps convaluit. Addo etiam lubens, in quibuſdam locis, ſcilicet opacis, & humidis, uſque adeo naſci copioſius, & promptius cicutam, ut ſi petroſelini vulgaris ſemina terræ committantur, majori ex parte cicuta naſcatur, quæ recenter nata, ita vulgari petroſelino eſt ſimilis, ut vel etiam eruditos decipiat, Quo caveant coqui in condiendis cibis, ne hanc pro foliis petroſelini accipiant. Bis me ancilla eo cicutæ veneno affecit, quæ ad quoſdam piſces coquendos folia cicutæ loco foliorum petroſelini acceperat, & piſcis jus condiverat. Demum, qui timent à venenis, debent cavere à juſculis & à ferculis coloratioribus redditis, tum conditis odoribus, & ſaporibus dulcibus, quando facile in iis venena occultentur: a ſuccis ſuſpectis, ſcilicet à ſucco lactucæ (auctore Galeno in 3. de temp. c. 4.) a ſucco porri. Plinius Melam virum equeſtris ordinis à devoratis tribus drachmis ſucci porrorum ſine dolore expiraſſe, poſteritati tradidit. Caveant homines à carnibus putridis, ab anguillis & piſcibus ſuſpectis de veneno. Caveant maxime à fungis: his Claudium imperatorem ab Agrippina fuiſſe venenatum in hiſtoriis conſtat; à locis peſſimi aeris, ab aquis vitioſis, atque etiam ne dormiant ſub umbra nucis juglandis, neque ſub taxo, aut ſub pino, aut ſub buxo arbore. Aer quidem juxta haſce arbores inſtar veneni ledit.

CAPUT V.

De medicamentis, quæ præſens venenum prodere creduntur, atque de aliis quovis modo à venenis præſervantibus.

QUidam putant cornu, quod linguam ſerpentis vocant (quod perperam aliqui putarunt eſſe ceraſtis ſerpentis) præſente veneno ſudare, & lapidem praſium, vulgo plaſma dictum colorem & ſplendorem, ſi venenum præſens ſit, amittere. Quod & lapillum rubetæ ſeu ranæ terreſtris aureo anulo ita inſertum, ut digitum aliquo modo tangat, ſi præſens adfuerit venenum, eam digiti cutem, quam tangit, inſtar carbonis accenſi inurere dicitur. De adamante ſcribunt ipſum geſtatum ſiniſtro brachio inter humerum atque cubitum adnexum, omnium profecto venenorum vim irritam reddere. Rhaſis in lib. 2. contentis ſcribit ex Sarach, qui timent venenum collo geſtent aut ſmaragdum aut praſium. Plinius tradidit, ſtellam marinam illitam ſanguine vulpino limini ſuperiori aut clavo æreo januæ affixam, venena prohibere. Albertus Magnus lapidem Ætitem vocatum (vulgo etiam aquilinum) tantam vim contra venena habere ſcripſit, ut ſuppoſito cibi venenati non poſſint deglutiri, eoque ſublato deglutiantur. Alii ajunt accenſam candelam poſitam ſuper pedem dextrum vulturis inſtar candelabrum, præſente veneno extingui, & vas ex electro foſſili factum, ſi contineat venenum, ſtridere, atque vas itidem ex aurichalco, quo Principes ad potum utuntur, ſi venenum habeat, in varios mutari colores. Pſittacum avem, deprehenſum eſt præſente veneno præter conſuetum exclamare atque vociferare. His addunt alii imagines & characteres præcaventes à venenis. Sane imaginem ſerpentarii cum ſuis ſtellis in quopiam lapide precioſo inſculptam adverſus cuncta venena utiliſſime geſtari Albertus Magnus poſteris tradidit. Petrus Aponenſis ait idem facere hominem genibus flexis ſerpente cinctum, cujus caput dextra teneat, caudam ſiniſtra in lapide hæmatite ſcul-

ſculptum aureo annulo geſtatum. Hæc facientia ad præſervationem à venenis propoſuimus, & longe plura his ſimilia propoſuiſſemus, ſi certo fore illis fidendum credidiſſemus; fatemur nos prædictorum certam cognitionem minime aſſecutos, ſed tamen ipſa in præſentia non omittenda duximus, quod à viris alioquin celeberrimis fuerint poſterorum memoriæ tradita. At de illis modo agamus, quæ certe omnes medici ſciunt maxime à venenis præſervare poſſe, ex innumeris fere ad hanc rem à multis cognitis, & litterarum monumentis traditis, præcipua ſeligam, eaque ſolummodo adnotabo; & primo ſimplicia. Hæc vero ſunt, nuces juglandes ſtomacho jejuno devoratæ, anchuſa, lyſimachia, ruta, qua fortaſſe ad præcavendum à venenis nihil utilius. De hac Athenæus in 3. Deypn. ſcribit, olim, quod Archelaus Ponti Rex conſueverit ſuos populos veneno interimere, eos ob id à quibuſdam perdoctos conſueviſſe quotidie, antequam domo egrederentur, rutam edere, atque ita ſeipſos defendiſſe à tyranni crudelitate. Betonica item trita & ex vino ad geminas drachmas epota maxime præſervat. Nonnulli hanc ipſam vel etiam ſolummodo geſtatam idem præſtare affirmarunt. Non minoris ad id efficaciæ fœniculus eſſe deprehenſus eſt, cum ipſius radix, tum folia, tum ſemina, poſt ipſum calamintha, atque ſerpillum magnis laudibus evehuntur. Allium ſummopere adverſus omnia venena celebratur. Quod particulatim Galenus in epidemiis confirmavit. Efficaciſſimum quidem allium eſt adverſus omnia venena exitialia medicamentum, præſertimque contra frigida, atque putrefacientia. Dioſcorides cedromala, id eſt citria, præſertimque ſemina, vim contra venena præſtantiſſimam habere, atque Arabes etiam omnium maxime tradiderunt; citriorum vero ſuccus acidus parcius magis ad putrefacientia, & cortices ad frigida, commendantur itidem ab omnibus ſemina napi ex vino, radix raphani, ſmilacis aſperæ folia, atque fructus; terram lemniam Galenus inquit experientia didiciſſe, ad cantharides, & lepus marinum ita præſtare, ut proprietate quadam terra hæc devorata per vomitum omne venenum expellat. Bolus item Armenus eſt ad præſervandum à venenis utiliſſimus, non minus quam ſint lapi-

Serapio Aben Meſuæ.

In 6. epid. ſect. 6. comm. 5.

des bezoartici, omnes qui in cervis Indicis generantur. Avellanas jejuno ſtomacho devoratas & piſtachia ex vino decocta præſervare etiam à venenis deprehenſum eſt. Taraxicum item artemiſiam, dictamnum creticum, abrotanum, eryſimi ſemina, eryngii radicem, nardum celticam, marrubium, laſerpitium, peucedani radicem, & ſuccum, ariſtolochiam longam, rutæ ſylveſtris ſemen, caſtoreum, polium, baccas juniperi & innumera alia, quæ brevitati ſtudens omitto, à veneno præſervare compertum eſt. Hæc enim ex vino quotidie ad drachmam & ſemis devorata poſſunt homines proculdubio à venenis præſervare. Atque hæc ex ſimplicibus alexipharmacis nobis ſufficiant. Nunc ad quædam etiam compoſita deſcendimus, quæ efficaciori vi prædita ad præcavendum à venenis multi cognoverunt. Inter quæ primo loco nobis occurrit medicamentum ex ficubus ſiccis, nucibus juglandibus, foliis rutæ, atque ex ſale paratum, hoc quidem omnes cum Græci, tum Arabes, tum Latini ex veteribus maximis laudibus ad præcavendum à venenis proſecuti fuerunt. Dioſcorides in præfatione libri ſexti de re medica, & in 2. libro yporiſton, quod ex nucibus, ficubus, & rutæ foliis paratur, plurimum commendavit. Galenus in lib. 2. de aliment. facultatibus & ficubus ſiccis, & nucibus tantum paratum laudat, cui in libro de ſuccorum bonit. & vitio, folia rutæ addidit. Paulus vero ex Galeno parat ipſum, ex foliis rutæ ſiccæ drachmis (exempli gratia) viginti, nucibus duabus, ſalis & ficus ſiccæ ſingulorum drachma media. Omnibus in mortario contuſis fit maſſa, quam nucis juglandis magnituditine ex vino adhibent. Aëtius tamen ex Theodoro hanc antidotum ſic parari ſcripſit: nimirum quod accipit nucum juglandium unciam, ficuum pinguium ſextantem, ſeſami ſeminum itidem unciam, atque ex aliis additur foliorum rutæ triens. Ex Arabibus Avicenna ita hanc parari antidotum ſcribit, ſcilicet, quæ recipit, rutæ ſiccæ drachmas XX. nucum juglandium drachmas duas, ſalis & ficuum ſiccatarum ſingul. drachmas quinque, hoc quidem Rhaſis ita parandum cenſuit: Accipi nucum mundatarum unciam, ſalis, foliorum rutæ ſingulorum drachmam & ſemis, ficuum albarum quantum ſat ſit

In lib. 13. c. 46.

In lib. 4. fen. 6. c. 1.

In lib. 9. ad Almens. cap. 1.

ad

ad commixtionem. Quod medicamentum æque laudatum eſt ab Avenzoare, Averrhoe, & omnibus aliis medicis Arabibus, hoc vero quomodocunque paratum, ſemper erit maxime proficuum. De quo medicamento Plinius ita ſcripſit: *In Sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti, duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano, & qui hoc jejunus ſumat, nullum venenum nociturum illa die*: de quo etiam Macer. In lib. 23. hiſt. natur. cap. 8.

Hoc Mithridates Rex Ponti ſæpe probavit,
Qui rutæ foliis viginti cum ſale pauco
Et magnis nucibus binis cariciſque duabus
Jejunus veſci conſurgens mane ſolebat.

His addidit Dioſcorides magnum Mithridatium, ad differentiam minoris, quo nomine appellat prædictum, quæ ex ficubus, nucibus atque ruta paratur. Antidotum è ſcinco, Theriacamque magnam, longe plura ſunt recentioribus inventa, quæ cum ſint omnibus nota, lubens prætereo. Atque hæc de medicamentis ad præſervandos homines à venenis.

CAPUT. VI.

De iis, quæ præſervant à reptilibus, ſerpentibus, atque ab aliis omnibus beſtiis venenatis.

METhodum cognoſci, qua poſſint homines ab omnibus beſtiis, feriſque venenatis præcaveri, omnibus utiliſſimum eſt, illiſque maxime, qui in locis remotis navigant, exteraſque regiones perluſtrant, quique ſub dio noctu dormire coguntur, non ninuſque & verſari in locis venenoſis feris ſcatentibus. Ab iis itaque præcavebunt, ſi & ſtudio utantur, ne primum loca, quæ beſtiis venenoſis abundant, habitent, atque etiam medicamenta, quæ quovis modo ab ipſarum beſtiarum veneno defendunt, ſi probe cognita habuerint. Ex quibus quædam per os aſſumpta id præſtant, & quædam igne accenſa ſuffitu,

odoreque fugant omnes feras venenatas: & aliqua ſubſtrata idem faciunt; nonnulla etiam ſolummodo geſtata. Et aliqua quoque tuebuntur corpora ab iiſdem feris, ſi ex ipſis medicamentis inunctiones parabuntur, atque ipſis corpora illinentur. Nunc vero ea medicamenta proponamus, quæ per os aſſumpta ſingularem vim ad præcavendum præ ſe ferunt, atque à ſimplicibus exordiamur. Inter hæc præclare id præſtant ſpinæ albæ ſemina ad geminam drachmam tritâ & ex vino pota: Anchuſæ item atque paſtinacæ radix eodem modo aſſumpta, jus polii ad uncias quinque, nec non ſcordeum ex vino itidem exhibitum, utrumque dictamnum, cum creticum, tum album in officinis vocatum. Gentianæ itidem radix trita ad geminam drachmam ex vino pota, triphyllum aſpaltites, tragoriganum, atque origanum, de quo Macer:

Nidor combuſti ſerpentes effugat omnes,
Et quodvis animal infundens ore venenum,
Hoc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Ut ſi forte ſopor feſſos depreſſerit illos
Vermibus à nocuis tutò requieſcere poſſint.

Iridis radix trita atque pota idem præſtabit, & acorus, nardus celtica, cinnamomum, caſſia aromatica, opobalſamum, phu radix, itidemque helenii, bedellium, baccæ juniperi, & platani fructus virides, ſuccus foliorum fraxini, decoctum foliorum paliuri, viticis ſemina, coagula plura, præſertimque cervinum, atque leporinum, ſuccus porrorum ex melle epotus, lapides bezoartici vocati ex vino ad ſex grana epoti, terra lemnia, in officinis ſigillata dicta (Galeno auctore) præſervat à venenis, terraque item Melita, quam vulgus terram ſancti Pauli appellat. Hæc de ſimplicibus medicamentis alexiteriis, nobis ſufficiant, nunc ad compoſita deſcendimus. Primum locum perpetuo obtinuit Theriaca magna, Mithridatium, atque alterum Mithridatium, quod Plinio auctore devicto Mithridate fuit repertum in ejus Sanctuariis, & Galenus hanc antidotum retulit in Apollonium Murem. Hanc ipſam fieri ſuperius quoque diximus ex duabus nucibus ſiccis, & totidem ficis, & rutæ foliis viginti, addito grano ſalis: hanc merito

cete-

ceteris omnibus omnes præferunt contra venena, & contra ferarum venenoſarum virus, eſt & antidotus Hippocratis, qua, ut Actuarius eſt auctor, Athenas à peſte liberavit. Antidotus Eſdræ tantopere ad venenatorum ictus concelebrata, datur in vino fabæ magnitudine, & etiam ad venena nucis ponticæ magnitudine. Utraque antidotus deſcripta eſt, apud Actuarium, eſt & Theriaca diateſſaron dicta, quæ paratur ex ariſtolochiæ, gentianæ, baccerum lauri, & myrrhæ æquis portionibus. Paratur pulvis, qui ad drachmam & ſemis in vino datur. Non minoris efficaciæ erit etiam antidotus Aſclepiadis, quæ componitur ex terræ lemniæ, & baccarum lauri æquis portionibus, tritiſque ex melle paratur, bibitur nucis ponticæ magnitudine ex aquæ mulſæ cyathis duabus, huic addimus antidotum medici Betarnem Siciliæ, quæ in medicinis expertis Galeno tributis legitur, ipſiuſque vim adverſus venena complures experientia comprobarunt, hæc vero recipit foliorum laureolæ, luti ſigillati, phu, menth. apii, cinnamomi an. ʒ. i, rutæ, xilobalſami, carpobalſami an. ʒ. ij. tritis ex melle paratur electuarium, cujus drachmæ duæ dantur fortibus, & ſeſqui dragma debilibus. Antidotus item ex ſanguinibus Gal. non erit omittenda. Non omittam etiam antidotum præſtantiſſimam ab Antiocho Syriæ Rege in Æſculapii templo olim adverſus ferarum venenum dicatum. Parabatur nempe triphylli aſphaltites, opoponacis, ſerpilli an. ʒ. v. aniſorum ſem. fœniculi, vinci atque apii an. ʒ. x farinæ orobi unc. i, hæc trita in paſtillos efformantur, qui ſint adpondus ſcriptulorum quinque, qua quantitate Antiochus ex vini unciis quatuor & ſemis uti ſolebat. Ex recentioribus etiam, eſt antidotus Moibani, oleum de ſcorpionibus compoſitum multorum, & præſertim Andreæ Matthioli & aliorum, quæ brevitati ſtudentes libenter omittimus. Nonnulli quibuſdam ſolummodo geſtatis ita fidunt, ut credant præſervari à morſu, & ictu ferarum venenoſarum ſeipſos poſſe, ex quibus hæc præcipua ab iis æſtimata fuerunt, ſcilicet dentes canini, quibus geſtatis vis à Plinio & ab aliis tribuitur præcavendi homines à reptilibus ſerpentibus atque ab aliis feris venenoſis. Coagulum cervinum manibus contrectatum homines per diem

In lib. 5. cap. de antidotis.
Ibidem.
In lib. 5. cap. 6.

ſe-

ſecuros reddit, à beſtiarum venenoſarum injuriis. Oſſicula quoque in cervorum corde inventa (quæ idcirco oſſa de corde cervi officinæ vocant) geſtata idem præſtare multis eſt perſuaſum, hæcque Alexander Benedictus ad præſervandum à beſtiarum venenoſarum morſibus & ictibus plurimum commendavit. & Plinius dauci radicem geſtatam, atque dracunculi etiam non minus. Ex lapidibus quoque gagatem Conſtantinus in Geoponicis tradidit. Plinius cor vulturis atque jecur geſtari utiliter ſcribit, longe his efficaciora ſunt, quæ igne accenſa & ſuffitu ex ipſis parato, odore reptilia, ſerpentes atque alias feras à nobis arcent. Cujuſmodi ex Dioſcoride eſt abrotanum accenſum ſcilicet igne, viticiſque itidem igne accenſa folia, flores, atque etiam fructus idem efficacius præſtant, item naſturtium, calamintha, cornu cervinum, ſerpillum, ſcordeum, peucedani radix, atque ſemina, polium, opoponax, galbana, aſſa fætida, lapis gagates vocatus, melanthium, juniperi baccæ gentianæ radix, dictamnum creticum, atque album dictum; Alibi addidit Dioſcorides ad ſuffitu fugandos ſerpentes, atque ceteras feras venenatas, bedellium, bitumen, caſtoreum, ſagapenum, cardamomum atque cedri ramenta. Nicander his addidit cornu caprinum, libanotidem, ſulphur, galbanum, atque urticam. Hæc quidem igne accenſa, reptilia omnia, ſerpentes, & alias beſtias venenoſas, quam longiſſime fugant, ex compoſitis ſuffitibus efficax eſt, qui paratur ex radice lilii, cornu cervino ungueque capræ æquis portionibus. Paſtilli etiam ad idem præſtandum hi maxime à Nicandro commendantur, nimirum ipſis ex igne accenſis ſuffitu parato. Qui componuntur ex aſſæ fætidæ, melanthii, galbanæ, cornu cervini, hyſſopi, ſulphuris, radicis peucedani, pyretri, unguium caprarum, æquis portionibus, ex quibus tritis ex aceto formantur paſtilli; quibus in ignem conjectis ſuffitus fit maxime efficax. Florentinus in Geoponicis ſcripſit: nunquam fera venenata acceſſura, ubi adeps cervinus, aut radix centaurii majoris, aut lapis gagates, aut dictamnus creticus, aut aquilæ, vel milvi fimus cum ſtyrace mixtus ſuffiatur. Galenus ait, pyretrum, ſulphur, cornu cervinum, pinguedinem & pulmonem aſini accenſum ac-

In 2. yporiſton. cap. 197.

ſuffi-

ſuffitum efficaciter cuncta animalia venenoſa fugare. Archigenes laudavit ungulas caprarum atque pilos igne accenſos, eſt & Stratonis ſuffumigium, maxime ab omnibus confirmatum, quod recipit galbanæ, radicis cachryos, cornu cervi, melanthii an, partes æquales, quibus tritis ex aceto paſtilli formantur, atque cum eo uti velis oleo madefacito, igneque accendito. Avicenna laudat hunc paſtillum, qui recipit, ſtyracis, cornu cervini, melanthii atque bituminis, quibus tritis & mixtis ignis aſpergendus eſt. Plinius ex ſimplicibus addidit allium crematum, nepetam, cunilaginem, adipem canis rabidi, capillos mulierum, filicem, artemiſiam, ebulum, cyclamen, juniperum, ramos malorum punicorum, cervinum cornu, coagulum, ſanguinemque cervorum, caprarum cornu, ungulam, pilos, coagulum leporis, & Conſtantinus inquit: *Qui vero jam ſunt, abigentur raditis lilii, aut cornu cervini aut ungularum caprinarum ſuffitu, omne autem reptile fugabis ſi laſeris ſuccum* (quem aſſam fætidam eſſe nos aliquando demonſtravimus) *& nigellam & galbanum, & cervi cornu & hyſſopum, & ſulphur & pyretrum, & peucedanum & ungulas caprarum miſcueris, deinde triveris, & acetum acre affuderis, factiſque inde pilulis parvis fumum & vaporem excitaveris.* Q. Serenus de his ita habet:

In lib. de med. facile parabil. ad Solonem c. 59.

In 13. de agricultura ex Florentino. cap. 8.

Vis & mirificos cautus perdiſcere odores,
Accenſis quibus arcetur teterrima ſerpens?
Aut ſtyracem uras, aut atri vulturis alam,
Vel nepetam aut frondem rigidæ, ſtirpemque myricæ.

Sed age dicamus etiam inunctiones, quibus corpora inuncta, à venenoſorum animalium injuriis defenduntur. Ex Dioſcoride conſtat medullam cervinam inunctam id efficaciſſime præſtare, atque etiam non minus ipſum adipem cervinum, atque etiam elephantinum. Erucis quoque in oleo tritis inunctos non poſſe à ſerpentibus lædi, plures affirmarunt, idem faciet adeps leonis ſanguiſque ſi eo corpora illinantur, coagulum item leporinum manibus ſolummodo (Plinio auctore) tractatum. Cedri baccæ ex Nicandro tritæ, ac conyza, peucedanum, & ſalvia in oleo decocta, ſuccuſque herbæ draconiæ. ſ. ari radicis. Conſtantinus in Geoponicis laudat raphani ſuccum, idem facit bac-

carum juniperi itidem ſuccus, aſſa fætida in oleo diſſoluta, ſuccus baccarum lauri & ſuccus vitis nigræ, compoſitas duas inunctiones ad id præſtandum habuit Nicander. Prima fiebat paſtillis in hunc modum paratis. Accipe duos ramulos abrotani, naſturtii pondus oboli, ſeminum dauci manipulum, quibus omnibus in mortario tritis cum oleo, vel adipe cervino fiunt paſtilli, quibus uti debent ii, qui timent à ſerpentibus. Altera inunctio componitur ex duobus ſerpentibus, per quos fere omnes viperas intelligunt, Accipit autem duas viperas, medullam cervi drachmas triginta, unguenti roſati libras tres, cum unciis decem, olei olivarum crudi lib. tres, ceræ uncias undecim, quibus mixtis fiat unguentem ad ignem, ſed ſerpentes ſeorſum ebulliant, quoad caro ab oſſibus ſeparatur, oſſibuſque exemptis, atque capitibus & caudis per quatuor digitos obtruncatis, ex carneque ipſorum aliis medicamentis mixta paratur unguentum, quo inuncti poterunt una cum ſerpentibus converſari. Avicenna ad idem laudavit cerebrum leporis ex aceto & oleo diſſolutum; ſtyracem itidem ex oleo diſſolutum, oleum foliis pini, aut baccis juniperi alteratum, folia itidem viticis, abrotani, in oleo macerata, aſſa fœtida, aſphodeli radix trita ex oleo, ex compoſitis etiam commendavit, quod accepit florum pini p. i. radicis mandragoræ, p. ij. hyoſciami albi ſem. p. iij. tritis & ex oleo mixtis fit ung. atque etiam quod accipit baccarum juniperi, p. ij. ſtyracis gummi p. i. cum oleo tritis. Complura quoque medicamenta ſubſtrata prohibent, ne reptilia, ſerpentes, ac alia animalia venenoſa accedant. Unde mirabilis erit cautela à venenoſis beſtiis, quando ſternitur in cubiculi circuitu, ſiſimbrium, ſantonicum, abrotanum, conyza, dictamnum, vitex, calamintha, echium, ſolanum, aſphodelus, peucedanum, hypericum, polium, origanum, ruta ſylveſtris, ſerpillus, laurus, pulegium, melanthium, bitumenque. Ælianus ſcribit: in Athenienſium Theſmophoriis Atticæ mulieres agni folia cubilibus ſubſternebant, ut fugarentur ſerpentes. Quidam dicunt, quod ſi quis in cervina pelle decumbat vel dormiat, nullus ad ipſum ſerpens accedet.

In lib. 4. ſen. 6. tract. 3.

CAP.

CAPUT VII.

De præſervatione ab iis affectibus, qui ex prava victus ratione excitantur, acque de hujus artis prophylacticæ utilitate.

JAm tempus eſt, ut de tuenda valetudine agamus, quæ præſervat à morbis prava victus ratione concitatis, quorum ratio pertinet ad illos medicos, quos vulgus phyſicos vocat, quod nimirum verſentur iſti in cauſarum naturalium cognitione, ad illorum differentiam, qui cauſas extrinſecus venientes conſiderant, à quibus quidem modus præſervandi cuique ſatis patens eſt, ut profecto ab inuſtionibus, vulneribus, contuſionibus, oſſium luxationibus, fracturis & ſimilibus; à quibus cauſis modus, quo homines ſeipſos tueantur, certiſſimus eſt, de qua quidem præſervatione, quod per ſe omnibus pateat, hic non agimus. Itaque de tuenda ſanitate agemus, quæ per cauſas effectrices agitur, quas vulgus medicorum non naturales, & Gal. ſanitatis conſervatrices conſultius appellavit. Hæc ſane ars ſanitatis conſervationem, ſeu incolumen ſanitatem uſque ad ultimum vitæ finem promittit, non tamen vitam longiorem, ut perperam multis fuerat perſuaſum: ſiquidem ſi hoc eſſet, æternitas vitæ hominibus polliceretur, quod ſane non patitur rerum naturalium conditio; quoniam plane cognitum atque ab omnibus deprehenſum eſt, omnia quæ naſcantur interitui eſſe obnoxia, atque hæc eſt miſeranda hominis natura. Porro hæc profecto præſervandi ars corpus humanum ab omnibus morbis, quos prava vivendi ratio excitat uſque ad ultimum vitæ terminum tuetur, atque ita, ut abſque morbis, vitam inculpatam homines ducant. Quo certe nihil jucundius, in vita humana nihilque fælicius eſſe exiſtimatur, ſcilicet homines ſanos vivere, veluti nihil miſerius atque infælicius oppoſito dici, ii experiuntur, qui morboſam vitam ducere ſolent. A morbis igitur hæc methodus præſervandi homines defendit, neque permittit, eos ab ægritudinibus ante naturalem vitæ terminum interire, ſed ex naturali ſolummodo affectu, quo (refrigeſcentibus, atque ſicce-

In lib. art. medi. cap. 85.

ſcentibus corporibus) mors advenit. In ipſis enim humido nativo (quo calor alitur) conſumpto, atque idcirco calore reſoluto, vita plane ceſſat, atque terminatur. Nonnulli etiam reclamant adverſùs artem hanc, quod non omnes qui ea utuntur ad ultimum vitæ terminum perveniant, licet hanc religioſius in toto ſuæ vitæ curſu obſervarint, innumeri profecto ſunt, qui ad ultimum ſenium non vivunt, ſed vel in pueritia, vel in juventute, vel in ætate adulta ſuæ vitæ finem viderunt. Hinc variam eſſe mortalium vitæ periodum deprehenſum eſt. Quam Ariſtoteles fieri ob variam elementorum permixtionem voluit: Aſtrologi vero in ſyderum infortunatorum malos aſpectus varietatem periodi vitæ referunt. Ceterum tametſi non omnes, qui methodum tuendæ valetudinis ſervarunt, ad ultimum vitæ terminum pervenerint, ſcilicet interrupto ipſorum vitæ curſu, verumtamen certum cum ſit, pleroſque qui probam vivendi rationem ſervant, & diu vivere, & abſque morborum moleſtia vivere, non video, præſervandi ars quamobrem ſit negligenda. Neque eſt, ut ei objiciant, quicquam certi ad hanc cognitionem facere non poſſe, quoniam viſcerum internorum neque temperamentorum, neque ipſarum virium quantitas vere cognoſcatur, & deprehendi queat. Unde Galenus merito, haud plane morborum exitus deprehendi quoque poſſe exiſtimavit, atque propterea divinum Hippocratem hoc in hunc modum ſcripſiſſe: *Acutorum morborum non omnino certam eſſe prædictionem ſalutis & mortis.* Quid itaque dicemus? an non corpora recte valentia, quovis modo interna viſcera temperata habentia, recto uſu & obſervatione probæ victus rationis, plurimum juvabuntur? an non ex vitioſa victus ratione omnia lædentur? Itaque cum in confeſſo apud omnes habeatur, corpora cujuſcunque temperamenti & ætatis ſint, à victus ratione & juvari & lædi poſſe, quis dubitabit, uſu, & obſervatione cauſaram effectricium, quas merito Galenus conſervatrices vocavit, ſanitatem in omnibus poſſe conſervari, atque à morbis defendi? At rem ipſam hiſce præmiſſis aggrediamur, & primum quid ſit ſanitatem tueri, & conſervare, via Methodica dicamus, ſcilicet non declinantes à Methodicorum dogmatis, qui omnes (ut in ſuperioribus libris de-

In 2. de Gen. & inter.

demonſtratum eſt) ſanitatem in probam meatuum ſymmetriam & conſtitutionem retulerunt: quoniam in eorundem meatuum ſymmetriam vitiatam, morbum quoque conſtituerunt. Dictum alias eſt, eos itidem vitium & ſymmetriam in meatibus omnibus cum externis tum internis conſideraſſe. Unde ex his facile erit, quid ſit ſanitatem tueri, & defendere, pronunciare, ſcilicet illa omnia, quæ probam meatuum naturalemque ſymmetriam conſervare apta nata erunt, effectricium ſanitatis cauſarum genere comprehendi. At duplicem corporibus ineſſe valetudinem etiam nos ſupponere oportebit, ſcilicet unam perfectam, atque alteram aliquatenus à perfectione declinantem; quod & Galenus quoque ſupponendum voluit: hæc quidem à cauſis aliquatenus contrariis conſervabitur, atque illa plane à ſimilibus: Ceterum cum hæc valetudinis conſervatio; & perfecta & imperfecta cauſis iis, quas vulgares medici non naturales vocant, utique perficiatur, atque plane abſolvatur de ipſis, priuſquam ulterius progrediamur, agendum eſt, operaque à nobis danda erit, ut illas omnes cognoſcamus.

CAPUT. VIII.

De cauſis, quibus hominum ſanitas tuetur.

SEx numero cauſas eſſe (quas non pauci res non naturales appellant, quæ neceſſario corpus noſtrum alterant, & niſi opportune adhibentur in morbos etiam corpora provehunt, & alii eaſdem conſervatrices dixerunt) omnibus plane conſtare putamus, ſcilicet eas, quæ ex aere ambiente conſiderantur, & quæ ex motu & quiete cum totius corporis, tum partium ſingularum: ex ſomno & vigilia, & ex his, quæ intro aſſumuntur, potiſſimumque ex cibo atque ex potu; non minus & ex his, quæ excernuntur, & retinentur, atque demum ex paſſionibus animæ. Hæc vero velimus aut nolimus corpus neceſſario alterant. Aer quidem aut meatus laxando aut adſtringendo, illud facit aer calidus, humidus, qui ſit tenuis ſubſtantiæ, lucidæque, quique etiam ſincerus ſit, nulloque coinquinamento infectus, hoc vero qualitate frigidus ſiccus obſcurus,

vel humidus, craſſus, caliginoſus putreſcibilique aliqua qualitate vitiatus. Motus vero & moderatus & multo plus immoderatus, plurimum humores digerendo, meatus laxat, contra immoderata quies, ex ſomno itidem & vigilia idem obſervatur, ſomnus enim multus aliquando laxat, utpote à quo (plurimo calore intus retracto) humores ſuperflui digeruntur, & aliquando replet caput, parteſque tumentes facit, moderatus & conſuetus meatuum ſymmetriam juvat. Vigilarum vero proprium eſſe videtur, ut plurimum corpus ab ipſis reſolvatur, quippe quod meatus exinde laxentur immoderatius: ex cibo & ex potu, multus replet, meatuſque obſtruit, & longe efficacius ſi etiam ſit craſſæ lentæque ſubſtantiæ; veluti paucus & attenuantis facultatis meatus laxos conſervat, idem qui calidus, atque humidus: contra frigidus, atque ſiccus. Idem de vino, dicendum cum ſit præſertimque merum, craſſæ eſſentiæ, multum, obſtruit, tumentiamque facit, potiſſimumque à nive, aut glacie aut à gelida aqua refrigeratum; calidum vero, quantitate modicum meatus liberat, omniumque maxime eſſentiæ tenuioris, atque ogligophorum ſeu aquoſum, ſi vero citra ordinem nedum in prandio atque in cœna, ſed inter utrumque copioſius vinum ingeratur, tumentia corpora adſtrictave reddit; hi quidem qui ita bibunt, coctionem corrumpunt, ex qua cruditates multæ cum vino venas ingreſſæ, meatibus officiunt, ſi vero ea quæ excernuntur, & retinentur in conſiderationem quoque veniant, retinere excrementa in corpore diu, meatus obſtruere aptum natum eſt; eaque excerni debito tempore, atque debito modo, meatus pervios conſervat, veluti ſi excrementa immoderatius excernantur, immoderatius quoque meatus omnes laxabunt. Demum ex animæ paſſionibus, quædam ad adſtrictum alterant, ut timor, triſtitia, invidia, quædam ad laxum ut gaudium. Atque tot ſunt cauſæ ſanitatem conſervantes, atque deſtruentes, conſervantes inquam quæ opportune & proba menſura exercentur, deſtruentes quæ inopportune & prave corpus noſtrum alterant.

CAP.

CAPUT IX.

An cauſæ conſervantes in corporibus meatuum ſymmetriam, ſymmetriam quoque partium ſimilarium, atque organicarum conſervent.

DOgmatici cum voluerint, ſanitatem partium ſimilarium eſſe calidi, frigidi, humidi & ſicci ſymmetriam, atque organicarum ſanitatem itidem in ſimilarium compoſitione, numero, magnitudine figuraque conſiſtere, fortaſſe aliqui dubitabunt, an cauſæ meatuum ſymmetriam, in qua ſanitas conſiſtit ex Methodicorum placitis conſervantes, etiam qualitatum quatuor in partibus ſimilaribus convenientiam ſymmetriamve, atque earundem ſimilarium in organicis probam compoſitionem numerum, magnitudinem atque figuram itidem conſervare aptæ ſint, vel potius omnem eæ partium cum ſimilarium tum inſtrumentalium ſymmetriam, in qua ſanitas conſiſtit, vitiare atque pervertere queant. Si loquamur de perfecta ſanitate, quæ ſimilibus conſervatur, quæſo an non cauſæ ad hanc valetudinem tuendam, quæ in meatuum ſymmetria perfectiſſima eſt repoſita, ex qua corpora per omnes meatus probiſſime tranſpirare dicuntur, erunt opportuniſſimæ, quæ hanc ſymmetriam conſervant? ſi ex aere incipiamus, profecto is erit temperate calidus atque humidus, ſubſtantiæ tenuis, atque puræ, hic enim aer ſimillimus eſt iis corporibus recte valentibus temperamento; laxa enim corpora ſunt temperate calida & humida, cujuſmodi ſunt puerorum, in quorum valetudine tuenda vel etiam Dogmatici, uſum medicamentorum ciborumque temperate calefacientium atque humectantium obſervandum voluerunt, unde lac ad cibum in ipſis, balneaque aquæ dulcis comprobarunt. Quid igitur hæc poſſunt ſimilarium partium probam temperiem vitiare? nequaquam, cum intemperies hæc cum totius tum partium debeat eſſe temperata, quæ idcirco & ipſa uſu temperate calidorum & humidorum conſervabitur, ſi verum eſt, quod eucratum ſeu temperatum corpus temperatis juvetur, ſicuti diſtemperatum à ſimilibus læditur, quid de optimo cibo, de potu,

potu, de ſomno, & de vigilia moderatis dicemus? an non hæc etiam ſimilarium partium probam intemperiem conſervabunt? aut potius in iiſdem ſimilaribus cum temperiem, tum in organicis compoſitionem, numerum, vel magnitudinem vel figuram vitiabunt? Non certe videtur, ſicut etiam non faciet motus corporum temperatus, atque moderata quies, non minuſque etiam excrementa temperate, & moderate ſi ſuo tempore excernantur probam partium intemperiem non lædent, neque morbum in partibus organicis ullo modo excitabunt, quemadmodum etiam hilaritas atque gaudium moderatum, meatuum quidem ſymmetriam conſervat, abſque alterius partis læſione. Sed age, etiam iſtuc in imperfecta ſanitate videamus quid agat. An inquam cauſæ conſervatrices hujuſmodi imperfectam ſanitatem, quæ poſita eſt in ſymmetria non omnino perfecta, at vel ad laxum vel adſtrictum quadantenus declinante conſervantes ſimilarium partium bonam temperiem, & compoſitionem earundem probam, in organicis numerum, magnitudinem atque figuram itidem conſervabunt? Itaque ſupponemus ſymmetriam meatuum ad adſtrictum paululum declinare, ex qua perfecta caloris non fiat omnimoda tranſpiratio, & fuliginum tenuiorumque excrementorum evacuatio. Hæc ſanitas cum non ſimilibus ſed contrariis conſervetur, uſui nobis ad hanc conſervandam erunt conſervatrices cauſæ moderate laxantes. Itaque ex aere optimus erit, qui temperamento moderate ſit calidus atque humidus, ſubſtantiæ tenuis, lucidæque; an qui hujuſce qualitatis atque ſubſtantiæ erit, ſimilarium partium temperiem vitiabit? Eſto quod hoc corpus conſervandum hepar calidum vel frigidum habeat; an temperate calidus, humiduſque aer hoc temperamentum vitiare aptus erit? nequaquam; ſiquidem non calidam hepatis lædet intemperiem, quoniam hæc vel erit temperata, vel intemperata, ſi temperatum erit hepar, ab aere temperato, perinde ac ſimili nedum hoc lædetur, at quinimo plurimum juvabitur, ſi intemperate fuerit calidum, neque hoc ipſum lædet aer temperate calidus & humidus; quos inquam medicos atque philoſophos unquam latuit, remiſſam caliditatem, intenſam vehementemque hebetare, atque emen-

da-

dare? experientia quotidiana nos hoc docet, quod aquæ vehementer calidæ, ſi aquam temperatam permiſcuerimus, eam ipſam minus calidam reddemus. Itaque hepar ſumme calidum à temperata aëris caliditate non lædetur, ſed juvabitur atque non minus humiditate adjuvante calor hepatis intemperatus ad magis eucratum provehetur, ſi vero hepar fuerit frigidum, nullo modo à caliditate temperata lædi poteſt, quando omnia temperamento intemperata, cujuſmodi frigida omnia ſunt, à contrariis non lædantur ſed juventur. Quare in meatuum ſymmetria quadantenus ad adſtrictum declinante, ſanitatem idcirco non perfectam ſed à perfecta deficientem fovente, medicamenta, quæ ſunt temperate calida atque humida, quippe laxantia, neque partium ſimilarium temperiem lædent, neque ex iiſdem ſimilaribus in organicis ſive inſtrumentariis vel compoſitionem, vel numerum, vel magnitudinem, vel denique figuram vitiare apta erunt. Idem & in ſymmetria meatuum quadantenus ad laxum accedente, quæ itidem facit ſanitatem quadantenus deficientem, dicendum putamus. Namque in corpore hac ipſa gaudente ſanitate, ad ipſius quippe ſanitatem conſervandam uſus conveniet eorum, quæ modice adſtringunt, quæ profecto frigida & ſicca ſunt terrenæ quadantenus ſubſtantiæ, eſto etiam quod hoc corpus, privatimque hepar calidioris ſit temperamenti, quomodo hujuſmodi intemperies hepatis (quæ cum non temperata ſit, contrariis ad eucratum reducitur) non juvabitur? Nonne frigida caliditati contraria ſunt? Neque eſt, quod aliquis dicat, in frigido corpore, & in viſcere interno frigido rem aliter ſe habere: quando uſus frigidorum corporis totius atque hepatis frigidatem augeat, & proinde ea corpora ex Dogmaticorum doctrina lædat. Nos dicemus, nunquam corpus ſanum, ſed habens quadantenus meatus nimis laxos, vel ut par eſſet, majores, amplioreſque redditos, frigidi temperamenti judicari debere, cum hujuſmodi corpora, potius ad adſtrictum quam ad laxum ſuapte natura (etenim frigiditatis adſtrictio propria eſt) inclinare debeant. Quod ſi rurſus dicatur, id fieri ex nimia laxitate meatuum oportere, quoniam laxitas meatuum eſt in cauſa, ut plurimum innati cum calidi

tum humidi reſolvatur, exindeque neceſſario corpora refrigeſcere; hoc & nos fatemur, fieri in corpore non ſano, ſed laxo morbo laborante, at in ſano nequaquam ita calor & humor exolvi poteſt, ut frigiditas in viſceribus inducatur.

CAPUT X.

Quod ad præſervandam ſanitatem, cognitio ſymmetriæ naturalis meatuum ſit neceſſaria, quantumque hæc laxitatis, vel adſtrictionis habeat in variis cum ætatibus, tum temperamentis, tum habitibus, non eſſe negligendum.

PRiuſquam ad ipſam ſanitatis præſervationem ex Methodicorum placitis dicendam tractandamque deſcendamus, præſtabit nos cognoſcere, in omnibus ætatibus, temperamentis atque habitibus quantum in ea meatuum ſymmetria ſit, aut laxi, aut adſtricti, ſiquidem infantes plus aliis aliarum ætatum hominibus ad laxum inclinant, laxitatiſque habent, & minus ipſis pueri, & poſt pueros juvenes, ac poſt ipſos viri adultæ ætatis, atque ſenes. Corpora itidem temperamenti calidi & humidi, atque habitus mollis laxiores meatus habebunt, & denſiores frigida, gracilia, ſicca, duraque. Neque eſt propterea, ut cum Dogmaticis dicamus ſingulas ætates ſingulares in curatione habere indicationes, quandoquidem cum Methodicis in omni præter naturam laxo corpore, cujuſvis ſit ætatis, temperamenti, atque habitus, adſtringendum eſſe dicemus, magis in pueris, minus in juvenibus, minus in adultis, & ſenibus, quoniam hæc corpora, quaſi laxo affectu laborantia, quæ plus laxi ſuapte natura habent, eo minus laxandum & plus adſtringendum indicant. Unde mirum non eſt, ſi fere omnes Medici recenter natorum puerulorum cutem, quod nimis laxi habeat, roborare ſtudeant; Galenus ſale conſpergi voluit, Arabes inungendum oleo aliquo adſtringente, cujuſmodi eſt, quod ex nucibus, & juglandibus fit, alii ſtatim enixos repente in aquam frigidam mittunt, continuo ex ipſa extrahentes. Nonnulli

nulli etiam vino adſtringente cutem lavant, quod non faciunt in pueris neque in aliis ætatibus, quod minus ſiquidem hæc corpora laxi habeant. Ita etiam minus eſt laxandum in corporibus calidis & humidis, habitus humidi, molliſque, contra plus in frigidis ficciſque, habitus denſi ſive gracilis, & in obeſis, quod plus adſtricti itidem habeant, & minus laxi. Non tamen dicunt Methodici ex his colligi poſſe, ætates, habitus, temperamentaque habere proprias indicationes, quoniam neque ætas varia, neque varium temperamentum, neque habitus varius curationem mutabit, in omnibus enim laxo affectu vexatis, cujuſvis ætatis, temperamenti habituſque, perpetuo erit adſtringendum, in quibuſdam plus & in quibuſdam minus, ita ut hæc varietas medicamenti naturam non evariet, ſed potius quantitatem, ſeu efficaciam in agendo quandam, qua quædam plus adſtringi, quædam minus debeant. Non eſt tamen hujuſce varietatis ex ætate, temperamento, atque ex habitu cognitio inutilis, quando in conſervanda ſanitate cum perfecta, tum imperfecta declinanteve à perfecta, hujuſce rei conſideratio videatur neceſſaria, ut his medicamentis, ſeu cauſis conſervatricibus, vel plane ſimilibus, quæ in perfecta uſu veniunt conſervanda, vel contrariis in declinante, utramque opportune conſervemus, ſiquidem (exempli gratia) in perfecta ſanitate, in perfectiſſima ſcilicet meatuum ſymmetria conſtituta, quæ ſimilibus conſervatur, ſi pueri recenter nati, qui ceteris omnibus aliarum ætatum hominibus laxiorem habitum habent (ſi ſimilia ex cauſis effectricibus præſidia ipſorum ſanitatem conſervant) opus habebunt medicamentis minus laxantibus, utpote quæ in temperamento modice ſint & calida & humida; longe plus laxantia in juvenibus atque adultis deſiderantur, quod hæc corpora minus laxitatis habeant. Neque obſtabit, ne hoc ita judicari debeat, quod in pueris (quorum corpora ſuapte natura laxa ſunt & mollia, unde copioſius difflantur atque evacuantur) adſtrictus affectus majoris ab ipſorum natura laxa receſſus ſit nota, quia nimirum in ipſis affectus adſtrictus non niſi maxima à cauſa fieri poteſt; veluti affectus laxus in adultis & ſenibus vehementi itidem ex cauſa (quod hæc corpora quip-

piam adſtricti ſuapte natura habeant) concitatur, idcirco minoris à natura receſſus ſit nota; atque ob id etiam minori adſtrictorio medicamento opus hi habebunt. Huic dubitationi facile ſatisfactum iri putamus, ſi dixerimus, in pueris affectum adſtrictum vehementiori à cauſa quam in adultis concitari, & quidem hac ratione efficax magis laxatorium opportunius præſtantiuſque procul omni dubio eſſet adhibendum, & Medici hujuſmodi adhibere admovereve debuiſſent, ſi hujus ætatis natura, habituſque permitteret, non permittit tamen pueritiæ natura atque habitus valde laxus uſum medicamentorum valide laxantium, quod, ut recte à Galeno aliquando dictum eſt, puerorum corpora haberent ex ſe unde evacuentur, quo Medici omnes in ipſis adſtricto morbo vexatis abſtinere ſolent à magnis laxatoriis, cujuſmodi eſt, ſanguinis evacuatio, ſudorifica medicamenta, valideque purgantia. In ætate vero juvenili adultaque, licet ratione adſtricti affectus, quod à minori cauſa hæc corpora adſtricto morbo corripiantur, minora laxantia convenirent, tamen quoniam hæc corpora ferunt magna etiam laxatoria, Medici adhibent efficaciora, quam in pueritia debeant, & poſſint, modo hæc morbi magnitudo indicet, atque vires commode ferant. Itaque ex his colligamus variarum ætatum, naturarum, habituumque cognitionem pro tuenda valetudine haud fore Medicis inutilem.

CAPUT. XI.

An ex omnibus cauſis conſervatricibus, duæ tantum ſcilicet ciborum potuumque & aliorum continentia, atque corporum labores pro tuenda valetudine ſufficiant.

ETſi cauſæ ſanitatem conſervantes ſex numero eſſe omnes fateantur; viſum tamen aliquibus fuit, ad duas ſolummodo poſſe ſanitatis conſervationem referri, ſcilicet ad vitæ continentiam, atque ad exercitium; quod nimirum ex victus, veneris,

neris, ſomnique intemperantia, atque ex immoderata quiete, non minuſque ex immoderatis laboribus, corporum ſanitas vitietur, morbique fiant. Verum per victus incontinentiam, nos non tantum ciborum, potuumque, veneris & ſomni uſum immoderatum intelligimus, at quinetiam ab ipſis immoderata quoque abſtinentia, ſiquidem etiam ex jejuniis corporum ſanitas vitiatur, non minuſque ab immoderata veneris abſtinentia. Quare ciborum, potuum, veneris, ſomnique cum immoderatus uſus, tum immoderata ab ipſis abſtinentia, ſanitatem pervertit. Non ſecus, quam à quiete immoderata, atque ab exercitiis immoderatis homines in morbos delabi ſoleant. Porro in haſce duplices cauſas omnem ſanitatis conſervationem referri poſſe haud injuria aliqui exiſtimarunt. Ceterum ad victus continentiam poſſumus referre quoque excrementorum omnium excretiones moderatas, præſertimque fæcum, & excrementorum per alvum, atque lotii. Non minus & animæ quoque motuum continentiam. Unde ad continentiam quæ facit ad valetudinem tuendam, & ad incontinentiam referre poſſumus cibum, potum, ſomnum, venerem, animæ affectus, dejectionem, atque mictionem. An vero aër, qui una eſt ex cauſis, quæ neceſſario corpora alterant (velimus aut nolimus aëre alteramur) ad continentiam reduci queat? Nequaquam: Unde non duæ erunt cauſæ, ſed tres, ad quas omnes aliæ conſervatrices reduci poterunt, quippe aër, continentia, atque exercitium. Quod vero plerumque morbi fiant à ciborum, potuumque incontinentia, atque à laboribus, Hippocrates in epidemiis ita dixit: *ſanitatis meditatio ciborum inſatietas, laborum impigritia.* Alii vertunt, *Profeſſio tuendæ ſanitatis, non ſaturitas cibi, impigritas ad labores*, & alii legentes ἀκοείλην τροφῆς καὶ ἀοκνίλην πονοῦ verterunt *continentiam & exercitationem*, quæ fortaſſe idem ſonant, quod nimirum ciborum inſatietatem, atque impigritatem, continentiam in victu quis appellare queat. Credendum tamen fore exiſtimavimus, ne continentia omnes cauſas, quas hoc nomine comprehendi diximus, comprehendendas Hippocrates voluerit, at ciborum atque potuum ſolummodo continentiam, atque impigritatem ad labores, per quos exercitia intelligit. Neque ſane immeri-

In 6. epid. ſect. 4.

to, quando ſanitas licet aliis etiam à cauſis conſervatur, verumtamen maxime omnium ejus conſervationem pendere à ciborum potuumque temperantia, atque ab exercitiis conſtat. Verum nos continentia victus comprehendimus præter cibum & potum, ſomnum, venerem, mictionem, fæcumque dejectionem; atque proinde continentiam, atque incontinentiam, laborum moderationem, immoderationemque, ac aëris bonitatem, atque pravitatem tres genere cauſas conſervatrices ſtatuimus, à quibus ſanitas & conſervatur & vitiatur. Quomodo autem hæ ſanitatem conſervant, haud cognitu perdifficile eſt. Ex aëre quomodo conſervetur ſanitas & perfecta & imperfecta, partim dictum eſt, & partim à nobis ſuo loco dicetur accuratius, namque perfectam ſanitatem aërem conſervare diximus qualitate calidum moderate atque humidum, & ſubſtantia pura, tenuique, non obſcura ſed mediocriter lucida: & imperfectam, quæ poſita eſt in meatuum ſymmetria, aut ad adſtrictum aliquantulum declinante aut ad laxum, vel calidiori humidoque aëre, lucido atque puro opus erit, ſcilicet ad ſymmetriam meatuum ad adſtrictum paululum accedentem, conſervandum: & frigido, non ita humido, neque ita lucido ad laxum itidem ſymmetria flectente. At de hac aëris alteratione alias, ut dictum eſt, ſermonem habebimus; ex continentia vero atque incontinentia ſervari ſanitatem non perfectam dicimus, perfectam vero ſola continentia ſervat, quippe temperantia in cibo, potu, ſomno, venere, mictione atque in dejectione, his quidem ſingulis ſi homo cum moderatione utatur, ſymmetria perfecta meatuum omnium ullo modo vitiari poterit. Imperfectam vero cum horum continentia, tum incontinentia apta eſt conſervare. Etenim imperfectam ob ſymmetriam (exempli gratia) ad adſtrictum aliquo modo declinantem, ciborum parſimonia, & ipſorum tenuis ſubſtantia, attenuanſque facultas, potuſque parcior, ſubſtantiæ & facultatis attenuantis, ſomnus ſolito parcior, & minus parca dejectio, atque mictio copioſior (quod hæc omnia turmentia, obſtructaque levent, meatuſque modice laxent) probe conſervare poſſunt: contra ſi ad laxum ſymmetria deflexerit, cibus paulo copioſior, frigidus, ſiccus & craſ-

ſæ

ſæ ſubſtantiæ, potus uberior, vini meracioris, nigrioris craſſioriſque ſubſtantiæ, ſomnus itidem copioſior, imminutio fæcum, atque urinæ mixtio non copioſa ſanitatem conſervabunt. Eodem modo de tertia cauſa erit dicendum, namque exercitationis temperantia ad perfectam valetudinem tuendam, maxime requiritur, atque ad imperfectam ad adſtrictum accedentem, copioſiores labores uſu veniunt; & ad laxum inclinantem (quando quies atque ocium adſtrictum foveant) parciores, moderatioreſque. At nunc ex iis ſingulis conſervatricibus cauſis parcius magis de ſanitatis conſervatione ſermonem inſtituamus, ut præſens de hac re ſuſceptum negotium claudamus.

CAPUT XII.

Quomodo ex ſingulis cauſis conſervatricibus ſanitas in corporibus cuſtodiatur, & primo quomodo ex aëre.

EX aëre hoc negocium primo exequentes, dicimus aërem ipſum aut temperamenti calidi, aut frigidi, aut humidi, aut ſicci, aut in his qualitatibus temperati exiſtere, aut cum ventis, aut abſque ventis, aut ſubſtantiæ puræ ſynceræve, aut impuræ, cujuſmodi eſt caliginoſus, aut ex halitu alicujus ſtagni, vel paludis, aut e profundo ſpecu, aut ex cloacis, aut ex cadaveribus inhumatis putridis proficiſcente coinquinatus, aut nebuloſus. Itaque aëris differentiis ſic conſtitutis dicimus primo, aërem qualitate temperatum, purum, ſerenum omnibus corporibus ad tuendam ſanitatem perfectam, cujuſvis ætatis, naturæ, habituſque eſſe utiliſſimum. Ad imperfectam vero, quæ in ſymmetria ad adſtrictum paululum ex quavis cauſa inclinante, aër temperate calidus humiduſque erit opportunus, Frigidus vero & ſiccus ſi meatuum ſymmetria ad laxum inclinaverit, erit itidem expetendus, atque etiam obſcurus, craſſiuſculus, veluti ad adſtrictum ſymmetria inclinante, optimus erit purus, lucidus, nullo craſſiore vapore infectus, caliginoſus vero, nebuloſus, atque craſſus ſanitate ad laxum inclinante erit itidem opportunus. Qui vero intenſe frigidus eſt, non ad conſervandam valetudinem

nem ad laxum inclinantem, ſed potius ad morbos laxos tollendos conveniet. Veluti itidem valde calidus pro morbis adſtrictis tollendis magis, quam ad ſanitatis in meatuum ſymmetria ad adſtrictum, uti dictum eſt, inclinante, conſtitutæ conſervationem, convenire dicitur. Peſtilenti vero halitu vel ex ſtagnis, vel ex paludibus, vel ex ſpecubus, vel ex aliis locis fœtidis & putridis vitiatus, omnibus noxius; pluvioſus vero, ventoſus cum borealis, tum auſtrinus ad morbos quidem adſtrictos excitandos eſt peropportunus: auſtrinus, qui calidus non temperateque humidus ſit, caput replet, unde Hippoc. dicebat: *Auſtrini flatus caput gravantes ſenſuſque hebetantes; contra boreales venti ſumme frigidi & ſicci meatus claudentes, ac veluti comprimentes, catarrhos concitant, phlegmoneſque & alios affectus, qui à fluxione humorum concitantur.* Itaque diximus aërem in qualitatibus temperatum, in ſubſtantia purum, ſincerum, lucidumque eſſe aptiſſimum ad tuendam valetudinem perfectam, quod ſymmetriæ meatuum exactiſſimæ, atque ſanitati perfectæ ſit maxime temperamento atque ſubſtantia ſimilis; frigidum vero & ſiccum ſubſtantiæve craſſæ, ad imperfectam ſanitatem quæ in ſymmetria meatuum ad laxum quadantenus declinante conſiſtit, quod temperamento atque ſubſtantia ſit contrarius, eſſe utilem dictum eſt, contraque calidum & humidum, lucidum tenuemque defectuoſæ ſanitati convenire deprehenſum eſt, quæ ad adſtrictum accedit. Ceterum non ſilentio prætereundum putamus, ut quamobrem ſit, intelligamus quod cum Græci tum Arabes voluerint ad infantes ſtatim enixos, ad ipſorum ſanitatem conſervandam uſum adſtringentium, coroborantiumque meatus eſſe perquam utilem; Galenum alias meminimus voluiſſe illorum corpora ſale conſpergenda, ad cutis meatus laxiores quadantenus, ut fortius externis aëris injuriis reſiſtant, roborandos; Arabes inunctionem ex oleis adſtringentibus magis laudarunt, alii cutem vino adſtringente lavare, aliique ſtatim natos infantes in frigidam aquam tantillum immergere in conſuetudine poſuerunt; quæ omnia ad cutem denſandam facere inſtituerunt; quæ conſuetudo haud plane conſtat, an rationi conveniat, quando omnes fateantur ſanitatem perfectam

non

non contrariis, at planè ſimilibus conſervari. At adſtringentia meatus, aut quovis modo cutem denſantia, quæ vel frigida ſunt intemperate vel adſtringentia, ut ſal, oleum de nucibus, aqua frigida, quomodo infantium puerorum ſanitati perfectæ erunt ſimilia? cum ipſa in exquiſitiſſima meatuum omnium ſymmetria conſiſtat, in corporeque molli, laxoque, calido atque humido. Unde merito omnes ad illorum tuendam valetudinem collaudarunt balneum aquæ dulcis, quod hac ætate in familiari uſu apud omnes obſtetrices exiſtit, atque victum qualitate temperatum, ſcilicet calidum atque humidum, cujuſmodi eſt lac, quod illis per plures menſes ſolummodo ſit nutrimentum. Verum enim vero veritas ita videtur cognoſcenda, quod ſcilicet pueri ſani gaudeant temperate calidis atque humidis, ſcilicet laxatoriis, quoniam hæc ſimilia omnino ſunt ipſorum ſanitati perfectæ, quæ in exquiſita meatuum ſymmetria poſita eſt. Fortaſſe ipſorum ſanitatem quadantenus ratione ætatis maxime humidæ & calidæ, habituſque maxime mollis & laxi non perfectam, ſed quadantenus ad laxum declinantem, eſſe complures æſtimantes, uſum adſtringentium inſtituerunt; vel hoc erit, quod nos diximus alias, ſcilicet ætatum, temperamentorum atque habituum varietatem haud parum facere ad rectum uſum eorum, quæ ſanitatem conſervare apta nata ſunt; ſiquidem in iis corporibus, quæ quippiam vel ex ætate, vel ex temperamento, vel ex habitu, affectus laxi habent, minus, etſi adſtricto etiam affectu vexentur, eſſe laxandum, & in iis, quæ aliquid adſtricti habent, ut ſunt ætatis adultæ, temperamenti frigidi atque ſicci, habituſque gracilis, ſicci atque duri, magis eſſe laxandum. Pueri vero ſtatim nati cum plurimum laxi habeant, mirum haud eſt, ſi Galenus atque alii Medici graviſſimi ſenſerint, ſtatim natos adſtrictorio medicamento aliquo, ut ipſorum cutis laxior ſiccaretur, induraretur, atque ad temperamentum eucratum proveheretur, eſſe tractandos, atque poſtea eſſe utendum balneis laxatoriis, quod temperamento ſimilia ſint ipſorum ſanitati perfectæ. Pueri quidem ſtatim in lucem editi defectuoſa quaſi ſanitate gaudentes uſu adſtringentium ea ipſa ex nimia ſcilicet laxitate ad temperatam ſeu eucratam contracta, pro ſani-

tate conſervanda ſimilia deſiderant; atque hæc de tuenda ſanitate ex aëre. Nunc ad ea, quæ intro aſſumuntur declinemus.

CAPUT XIII.

Quomodo ſanitas conſervari poſſit, uſu eorum, quæ intro aſſumuntur, uſuque ſomni, veneris, atque animæ paſſionum.

SUppoſita duplici ſanitate, ſcilicet, perfecta, atque imperfecta, nunc ad ipſius conſervationem ex iis, quæ intro aſſumuntur, deſcendimus. Quod negocium haud erit cognitu difficile, ſi in primis, quæ intro aſſumuntur in corporibus, cibum, atque potum eſſe etiam ſuppoſuerimus, hæcque illud profecto præſtare, ut Dogmatici etiam dicunt, aut ſucci bonitate, aut quantitate, aut qualitate poſſe, non minuſque & ordine, temporeque, quo aſſumuntur. Quod itaque ad perfectam corporum ſanitatem cuſtodiendam ſpectat, illud primum ſtatuemus, quod ad cibum itidem attinet, quemcumque optimi ſucci levem, atque ſubſtantiæ tenuis eſſe deprehenſum eſt, maxime ſanitatis hujus conſervationi favere, optimumque idcirco futurum ſingulis corporibus, cujuſvis ætatis, temperamenti, atque habitus ſint, omnes Medici æque affirmant, ſi commoda quantitate, qualitate, & optimo ordine, opportunoque tempore exhibeatur. Itaque in primis cibi debent eſſe leves, tenues, atque optimi ſucci: facile quidem, qui hujuſmodi ſunt, à calore in nutrimentum vertuntur, optimumque generant ſanguinem. Quorum ſane uſus optimam meatuum ſymmetriam nullo modo vitiare vel evertere poteſt, præſertim ſi qualitate, quantitate, ordine temporeque opportune reſpondant. Qualitate inquam, cibus temperate calidus atque humidus eſſe oportebit, etenim hujuſce temperamenti qui eſt, ſimillimus itidem corporibus quæ gaudent exquiſita valetudine, ac vel etiam ſubſtantia molli, & levi. Cujuſmodi exempli gratia ſunt lac, ova gallinarum recentia, ex carnibus hædinæ, vitulinæ, gallinarum juvenum, caponum, turturum, perdicum, turdorum, phaſianorum & ſimi-

ſimilium ; diximus, modo qualitate convenienti exhibeatur, quia uti dictum eſt, prædicti cibi & ſimiles alii ſubſtantia molli humidaque temperate, atque temperamento calido & humido itidem temperato prædiți ſimiles ſint. Hi quidem probe nutriunt, facileque à natura concoquuntur, neque poſſunt, niſi illorum quantitas exceſſerit, meatus vel externos vel internos aliquo modo vitiare. Recte adjunximus, modo quantitatem non exceſſerint convenientem, quando etiamſi cibus optimus ſit, copioſior quam deceat capiatur, copioſiori ſanguine, quem generat, poterit aliquo pacto in meatibus vitium inducere, ut nimirum multitudine ſanguinis meatus anguſtiores reddantur. De horum vero ciborum quantitate non æque ab omnibus deliberatum eſt, ſiquidem alii ſobrium cibum plane eſſe efficaciſſimam cauſam, qua valetudo maxime conſervatur, voluerunt; ſiquidem ciborum copia præterquam quod plurimum faciat nutrimentum, & excrementorum copiam ſuggerat, qua morbi complures gigni poſſunt, etiam in corpore tumentiam, adſtrictumve affectum copioſus cibus concitat. Hinc Hippocratem in epidemiis dixiſſe conſtat: *præcipuum ſanitatis ſtudium eſſe cibis non ſatiari.* Neque tamen recte facere illos putamus, qui nimis ſobrio, parcoque victu vivunt; laudatur autem illa ciborum quantitas, qua corpora neque nimis repleantur, neque nimis reſolvantur; hoc quidem morbos laxos facit, illud adſtrictum; ſunt qui pluries in die cibum capiunt, & qui bis vel ſemel tantum, hoc quidem non laudandum videtur, præſertimque in corporibus ad laxum inclinantibus, illi vero, qui ex conſuetudine pluries capiunt, ſi bene concoquant, non improbandi: etenim corpora robuſta, plurimum innati calidi habentia, multo cibo gaudent, quæ vero inter robuſta, & debilia media ſunt, bis in die cibum capere poſſunt, tantumque per vices capere, quod probe concoquant, & ſervato tempore concoctionis ipſum cibum aſſument, atque non citra ordinem, nimirum prius eos cibos, ubi ipſorum varietas aderit, ingerere debebunt, qui facilius coquuntur, teunioriſque ſubſtantiæ ſunt, & mollioris, & poſtea duriores concoctuque difficiliores eſſe aſſumendos. Hujuſmodi itaque cibi apti ſunt perfectam valetudinem tueri:

In 6. epid. ſect. 4.

idem de potibus dicendum, ſi vinum ſit, illud ſit mediocriter generoſum, & quandoque pauciferum præſtabit magis quantitate moderata, eaque proportione ciborum quantitati congrua. Zythum etiam ex hordeo, vel ex tritico paratum eodem modo, quo vinum laudavimus, in moderata quidem copia conveniet. Caveantque intra cœnam & prandium, jejunoque maxime ſtomacho à copioſo potu vini, vel zythi, & ſimilium potuum, quia coctionem ciborum maxime turbat, cruditateſque hic uſus multas ſuppetit; porro diximus hujuſmodi cum cibis tum potibus ſanitatem perfectam cuſtodiri. Nunc quomodo imperfecta iiſdem conſervanda ſit, dicamus. Ad eam quæ ad adſtrictum vergit (etſi cibi optimi ſucci, leves, & tenues omnes conſervent) particulatim temperamenti calidi atque humidi, ſubſtantiæque tenuioris deſiderantur, cujuſmodi ſunt, ova gallinarum ſorbilia, recentiſſimaque; ex piſcibus ſaxatiles, ex carnibus hædinæ, vitulinæ, gallinarum juvenum, atque etiam gallorum juvenum, maxime vero, columbarum, turturum & ſimilium; ex ferculis vero, folia boraginis, bugloſſæ, meliſſæ, aſparagorum, fœniculi, malvarumque ex jure cocta, vel in aqua, & oleo amygdalino vel olearum dulciſſimo eſitata. Juvat hæc corpora uſus ciborum maxime parcus, & quandoque levis inedia, cibique temperamenti etiam calidi atque humidi eſſe debebunt. Contra, craſſiores cibi, copioſiores, frigidiores vorati, apti ſunt ad ſanitatem (quæ ad laxum verſa quadantenus videtur) conſervandam. De potu itidem, ſi vinum ſit, corporibus ad laxum inclinantibus, ſubſtantiæ quadantenus craſſioris eſſe oportebit; cujuſmodi ſunt nigra, & quæ aliquid auſteri ſaporis habent, modo etiam ipſorum uſus moderatus vel paulo plenior ſit. Contra ad adſtrictum deflexis apta erunt tenuioris eſſentiæ; alba vel non colorata, cujuſvis auſteritatis expertia, vel modicæ auſteritatis; dulcia vero ad id utilia erunt, modo in pauca quantitate ebibantur, ſintque alba, & tenuioris ſubſtantiæ. Hæc de iis, quæ intra aſſumuntur, nunc de ſomno, de venere deque animi affectibus loquamur. Quod ad ſomnum pertinet, ad venerem atque ad animi affectus ſanitatem conſervantes, eamque particulatim, quæ perfecta eſt, illud

in

in primis ſtatuendum eſt, ſomnum quidem naturalem, qui eſt ſymptoma, fieri corporibus ab omni motu plane ceſſantibus actionum animalium, in qua profecto quiete in corporibus facultas naturalis efficacius agit, ad cibum attrahendum, retinendum, concoquendum, atque ad excrementa, quæ in coctione ciborum potuumque generantur, etiam excernenda, quo factum eſt, ut ſomnus, qui noctu a cœna fit (in quo dormientes primo in dextrum latus, & poſtea in ſiniſtrum decumbunt) quietus abſque ſomniis turbulentis, ſuavis, moderatus, utpote qui durat, quoad in ſtomacho concoctio probe abſolvatur, humores concoquendo, atque digerendo ſanitatem maxime conſervare ſit aptus; at nedum hæc hic ſomnus præſtat, ſed morbos etiam atque ſymptomata jam oborta ſanat: unde merito ab Hippocrate ſomnum in acutis morbis bonum eſſe, nobis traditum eſt, ſi febrem, vel dolorem, vel delirium ſedat. De quo ait etiam: *ubi ſomnus delirium ſedat, bonum*, nimirum humores noxios concoquendo, atque digerendo. Qui vero in die fit, noxius eſt, caput enim vaporibus, humiditateque replet, atque adſtrictam paſſionem vel facit, vel auget; unde dicebat Hippocrates: *interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet.* hic itaque ſomnus nedum non conſervat ſanitatem, at quinimo ipſam vitiat, atque evertit. Nocturnus vero bonus eſt, & una ex præcipuis cauſis ſanitatis conſervatricibus fit, ſed tamen, ut dictum eſt, non omnis, ſed moderatus ſolummodo: immodicus enim à concoctione genitis excrementis impedimento eſt ne excernantur, atque à calore ab intro foras non evocato (qui poſt ſomnum evocatur) ne tenuiora etiam digerantur, & per poros cutis exhalent, quæ evacuatio non fit, in dormientibus, quod habeant dormientes exteriora frigidiora: unde dicebat Hippoc. *Vigilantem circa exteriora manifeſte eſſe calidiorem, contra dormientem intus calidiorem, extra frigidiorem*; igitur ſomnus prolixior, & immodicus caput replet humiditate, caloremque nativum obruit, quieſcentibus enim ſenſibus (qui ſuo motu ſiccant humiditatem) augetur humiditas, atque ita, ut calorem ipſum (propter nimiam quietem per ſomnum longum, atque propter humiditatem nimiam ſuffocantem) extinguat.

In 2. aphor.

In 6. epid. ſec. 4.

Porro colligimus ex iis, ſomnum nocturnum moderatum maxime ſanitatem conſervare, idemque & vigiliam, quæ in die fit, ſecundum conſuetudinem præſtare. Quæ noctu autem fit, immoderataque ſanitatem vitiat: namque hæc in ſtomacho & in viſceribus cruditates gignit, ſpirituſque immoderatius reſolvit, à qua cum venæ crudo ſanguine ſeu ſucco repleantur, meatus quidem obſtruuntur. Venere quoque temperata, ſana corpora gaudent, quod nimirum temperata ſint, calida humidaque, unde ſemine abundant: immoderata vero venus corpora ad laxum mutat. Hilaritas quoque moderata maxime ſanitatem diu incolumem ſervat, veluti immoderata hilaritas, atque lætitia ita ad laxum ducit, ut ab ea immodica, repentinaque quoſdam maxime læſos fuiſſe, & non raro interiiſſe conſtet. Itaquæ hæc omnia ad eam ſanitatem, quæ perfecta eſt, tuendam aptiſſima ſunt. Nunc quæ defectuoſam etiam ſervent dicamus; atque primo ad adſtrictum quadantenus mutatam ſi de ſomno loquamur, is debet eſſe itidem optimus, nocturnus ſcilicet ſuavis jucunduſque, ſed longe brevior, utpote qui ſolummodo, quoad ſtomachi concoctio peracta ſit, duret, unde diurna vigilia huic negocio erit utilis, atque forte, quæ longior, unde in his ſomnus debet eſſe parcior, vigilia uberior, unde mirum non eſt, ſi hi, ut ſanitatem conſervent, mane maturius ſurgant, & diu vigilent. Ubi vero ad laxum corpora inclinant, homines mane tardius expergiſci debebunt, atque tardius itidem è lectulo reſurgant oportet. Namque ſomnus longior replet, adſtrictumque facit. Quare iſtis ſomnus longus, & vigilia brevis conveniet. Quibus conveniet etiam à venere abſtinentia, quando venus laxet corpus, quæ tamen conveniet moderata corporibus iis, quæ ad adſtrictum verſa ſunt. De animi quoque affectibus, qui laxiore conſtant habitu, caveant ab immoderato gaudio, atque ab immoderata animi hilaritate, quoniam hæc laxum affectum augent, qui vero adſtrictiore habitu præditi ſunt, hilaritate & gaudio moderato maxime juvantur, contra, timor, mœſtitia, ſtudium, ira & ſimiles aliæ paſſiones faciunt, quod homines, ſi diu in his perſeveraverint, in affectum adſtrictum facile incidant.

CAP.

CAPUT XIV.

De ſanitate conſervanda ex retentione atque excretione excrementorum.

IN corporibus temperatis perfecta valetudine gaudentibus uſus evacuationis excrementorum debet eſſe quoque moderatus, ut ipſorum quantitas reſpondeat ciborum atque potuum aſſumptorum quantitati, præſertimque ſi de alvi dejectionibus atque de urina loquamur, ad ſervandam in his ſanitatem homines procurent ſolitam excrementorum evacuationem ſolito tempore, atque eſſe concocta excrementa oportebit, quæ ſi cruda ſint, cruditatis cauſa removenda: ſi cibus, vel potus fuerit nimius, ita ut, natura non recte ob id concoquat, diminuendus erit, & ſi fuerit id ex alia cauſa, ei (uti dictum eſt) erit proſpiciendum. In hiſque, ut ſummatim dicam procurandum erit, ne aſſumpta in corpus nimis contineantur, ſcilicet excrementa, quæ ab ipſorum generantur coctione, namque ſi immoderata horum fuerit retentio, plethora & cachochymia fiet & corpus ad affectum adſtrictum delabi neceſſe erit; quæ omnino, ut poſterius dicemus, erit tollenda; ſed cavendum etiam erit, ne excrementorum evacuationes ita augeantur, ut ad laxum itidem corpus deducant; atque hæc de perfecta ſanitate, nunc ad imperfectam venimus, & primo ad illam quæ ad adſtrictum declinat. Ex hac itaque meatuum imperfecta ſymmetria, timendum omnino erit, ſi plurimum augeatur, ut ad complures morbos adſtrictos homines provehantur. Hanc vero ſymmetriam conſervabunt ea omnia præſidia, quæ omnes ſolitas evacuationes propter aliquam cauſam diminutas, in priſtinum reſtituent, ſcilicet, ſi fæcum purgatio diminuta aut ſuppreſſa fuerit (quidam enim ſuapte natura per plures dies nihil egerunt, ſeu per ventrem excernunt,) erit medicis præſidiis reſtituenda. Alii parum mingunt, & raro, alii, quibus vomendi conſuetudo fuerat, ubi ceſſarunt à vomendo, male ſe habuerunt; & in non paucis, qui ex conſuetudine plurimum ſudabant, ſudores ipſi

ceſ-

ceſſantes ſanitatem vitiare ſolent, non minuſque menſes ſoliti ſi defecerint in mulieribus, atque in viris ſolitæ hæmorrhoides ceſſaverint, corpora in morbos delabi ſolent. Demum qui per nares ſoliti ſunt multam pituitam excernere, ſi hæc purgatio itidem ceſſaverit in multos morbos adſtrictos incident, in eoſque præſertim, qui capitis partes vexare ſolent, cujuſmodi eſt, apoplexia, paraliſis, vertigo, ſurditas, tinnitus aurium, & ſimiles alii affectus. Igitur ſi fæces tarde & in pauca quantitate expellantur, laxanda erit alvus medicamentis tum intro inditis, tum exterius adhibitis. Intro inditis aut per os; aut per alvum. Varia ſunt, quæ (præter medicamenta purgatoria) alvum laxant, atque emolliunt, fæceſque educunt; ex cibis complures ſunt illud commode facientes, ut paſſum, vinum dulce, oleum dulce, cujuſmodi eſt amygdalinum, ſeſaminum, eſt & butyrum recentiſſimum ad laxandum ventrem ſane maxime utile; ſunt paſſullæ quoque & per ſe ſolæ copioſius devoratæ, & in vino dulci decoctæ cum multo ſaccharo, utiles: in uſu etiam ſunt ad laxandum per noctem ſub dio cœleſti rori expoſitæ cum ſaccharo multo. Pruna quoque Damaſcena quæ dulcia ſunt, neutiquamque auſtera, vel acida, in vino dulci decocta additoque ſaccharo: prunorum pulpa cocta editur, atque jus ipſum bibitur, antequam aliud cibi genus aſſumatur; jus quoque ex aqua paratum mercualis, vel betæ, vel braſſicæ, cum oleo dulci atque ſale copioſius, ſcilicet ad libram epotum alvum commode laxat. Antiquis uſitatum fuit quam familiarius jus braſſicæ, ex aqua ita paratum: accipiebant ſexdecim faſſiculos parvos cymarum braſſicæ, & ſingulos ſcilicet unum poſt alium in aqua fervente in lebete ſupra ignem poſito ſeparatim imponentes, fervefieri paululum permittebant, mox extrahebant. Etenim primum injiciebant unum faſciculum, quem, cum efferbuerit tribus vel quatuor ebullitionibus, extrahebant, atque alterum imponebant, quem itidem mox, cum paululum ebullierit, extrahebant, & mox tertium, deinceps quartum, atque ſic alios ſingulos quoad ad ſextumdecimum devenerint, hujuſmodi jus expreſſum ſeu (ut vocant) braſſicæ infuſionem cum oleo & ſale dabant, ad ſemilibram, & etiam ad libram, quod profecto jus, ut etiam apud no-

noſtros deprehenſum eſt, maxime eſt laxatorium. Ex medicamentis apud noſtros multa ſunt. (etſi à Methodicis ipſorum uſus, uti alias diximus, non fuerit laudatus) eſt quidem aloe lota & preparata ex ſucco roſarum, vel ex infuſione, vel ex ſuccis cichoraceorum ſcilicet herbarum refrigerantium. Matronæ Genuenſes nobiles (etenim apud complures uſus eſt, ut ex ſemetipſis multa medicamenta parent, ſibiipſiſque, & ipſarum familiæ comparent) aloen parant ex cremore ptiſanæ hordeaceæ, ejuſque vim anaſtomoticam ſeu igneam humiditate illa corrigunt, hujuſce medicamenti uſum poſſunt homines cum minori noxa exercere, ſtatim ante cœnam vel ante prandium ejus drachmam, vel ſemidrachmam aſſumentes, aliqui ſtatim ante prandium vel ante cœnam floris caſſiæ Abiſſinæ (ſcilicet illius, quæ corticem rubrum habet, hanc Ægyptii nigræ maxime præferunt Abiſſinamque à calore illiuſce gentis appellarunt) duas vel tres drachmas, aut duas drachmas cum una pulpæ tamarindorum; ſunt qui ſemidrachmam rhabarbari ex paſſulis ad movendam alvum, & etiam drachmam aſſumunt ante prandium per quatuor horas. Non deſunt, qui jus foliorum ſennæ vel ex jure pulli, vel ex ſero lactis, vel ex vino dulci paratum commendant. Aliis alvus probe obediens reddita eſt uſu ſennæ itidem pulverizatæ, à ſemidrachma ad drachmam uſque, ſtatim cum vel ad prandium vel ad cœnam eunt, ex vino aſſumſerint; ſunt & paſſulæ, & pruna decocta itidem ſennæ macerata vel decocta. Hæc pauca ex laxantibus ventrem nobis ſufficient. Balani parantur ex melle, ſale & aliquando addita hiera picra, vel cum alio medicamento laxatorio, ſed familiares ſunt ex melle & ſale parati. In pueris noſtræ nutrices utuntur iis, quos ex larido porcino parant. Addimus nos ex ſaccharo parati & in pueris, & in aliis omnibus valde utiles. Clyſteres etiam emollientes, qui parantur ex decocto malvarum, althææ, mercurialis, betæ, & ſimilium, cum oleo dulci, & ſale; vel ex hydromele, oleo, atque ſale. Exterius etiam umbilicum & omnem ventrem butyro recenti inungunt, aut oleo amygdalino dulci recentiſſimo in pueris ut ventrem laxent. Nonnulli umbilicum itidem ea cauſa inungunt oleo ex

floribus cyclaminis parato, alii ex unguento arthanitæ in officinis vocato: idem præſtabit inſeſſio in balneum aquæ dulcis ex foliis, vel ex radicibus althææ, malvarum, mercurialis, & ex ſeminibus fœnugræci, lini, fœniculorumque paratum. Cum vero urina in ipſis pauca, & tardius quam fuerit conſueta reddatur, etiam ad conſervandam meatuum ſymmetriam ad adſtrictum declinantem, ſeu melius ad prohibendum ne prorſus ad adſtrictum corpus perveniat, ſtudioſe ipſius miſtionem liberam facilemque reddere debebimus. Quod uſu partim ciborum & potuum, partim medicamentorum diureticorum erit agendum. Ex cibis conveniunt ſuo tempore aſparagi ex aqua decocti cum oleo, aceto & cinnamomo conditi, item recentes malvarum cauliculi, atque etiam cucurbitarum cymæ eodem modo decoctæ, & radices, paſtinacæ, petroſelini decoctæ & acetariorum modo devoratæ, nec minus cepa, allium & porrum decoctum devoratumque movet urinam. Qui ex herbis crudis delectantur acetariis paratis ad adjuvandam urinam iis utentur, quæ parabuntur, ex pulegio, ſio, cardamine, naſturtio, eruca, petroſelino vulgari, atque apio paluſtri; ex radicibus vero raphani vulgaris, rapunculique radix cruda eſitata efficaciter urinam movet; rapum itidem, & napus decoctus cum ſeminibus fœniculorum idem præſtant. Ex medicamentis vero, decoctum radicis fœniculi, apii, petroſelini, ſmirnii, ſiſymbrii, cardaminis minoris, naſturtii, radicis ononidis, eryngiique marini, erythrodani, acori, cyperi, gingiberis, & ſimilium ex aqua paratum ad uncias ſex exhibitum, eſt valde efficax. Quidam exhibent ſemina trita naſturtii, vel thlaſpios, ad geminas drachmas ex vino albo. Efficaciſſima vero ſunt ſemina eryſimi primi, cujus plantam exhibuit Matthiolus in ſuis commentariis ad Dioſcoridis libros, lac vero etiam non minus commendatur ab omnibus Medicis, expreſſum ex ſeminibus melonum, cucumeris, ex aqua ſtillatitia ononidis; ſed jam lac propono, quo Aegyptii familiarius ad urinam ſuppreſſam uti ſolent. Accipiunt exempli gratia ſeminum melonum, cucumeris, cucurbitæ, portulacæ an. unc. ſ. ſeminum, malvarum, eryſimi, naſturtii, petroſelini, apii, an.

3.

℥. ij. contundunt omnia in mortario, & ex aqua ononidis vel ex decocto glyzyrrhizæ recentis, ſuccum exprimunt, quem unica ebullitione fervere juxta ignem poſitum ſinunt, mox addito modico ſacchari candidi ad uncias quatuor calidum exhibent. Qui plura deſiderant, legant tertium librum atque undecimum, in quibus longe plura, quam hic fecerimus, diuretica medicamenta propoſuimus. Qui vero conſueverunt habere copioſas per nares excrementorum purgationes, præſtabit eaſdem conſervare, & ſi fuerint diminutæ, utiliſſimum erit eaſdem denuo errhinis medicamentis vocatis procurare, ne ea retenta excrementa adſtrictos morbos faciant. Quæ medicamenta id præſtare valeant, in præcedenti libro ſatis ſuperque diximus; familiaria tamen ad id erunt ſuccus amaraci, vel betæ, vel malvarum, vel althææ in nares attractus, & poſtea ſuccus radicum iridis recentium, atque cyclaminis in nare itidem attractus, ſed de his ſatis ſuperius dictum eſt. Eodem itidem modo, qui vomitibus uti ſoliti fuerunt (amplius ſolito modo non fiant) eodemque modo plura excrementa educere, ad ſublevandum & ſtomachum & alias partes corporis, oportebit medicamentis vomitoriis, quæ nos ſuperiori libro propoſuimus, eoſdem vomitus revocare: hoc ſane plurimum faciet ad ſanitatem conſervandam. Ægyptii, atque Arabes bis in menſe ſanitatis tuendæ gratia in balneum eunt, in quo aqua ex liquiritia cum modico ſeminum fœniculi decocta ſtomacho repleto, ter quaterque vomunt, & poſteaquam per vomitum plurimum vomuerunt, in calidarium ſecedunt, ibique multum etiam ſudant, mox lavantur aqua tepida, atque ita ſeipſos à morbis hac via diu præſervare ſolent. Qui vero per ſanitatis quoque tempus ſudare ſoliti ſunt, ſi is ſudor ceſſaverit, denuo ipſum procurare debebunt, aliter ipſos in morbos labi eſt neceſſarium. Quibus vero præſidiis ſudores moveantur, alias à nobis ſcriptum eſt & ſcribemus etiam de iis accuratius in libro undecimo in quo ex profeſſo de evacuationibus ſuppreſſis reſtituendis ſermonem habebimus; elici vero ſudorem docuimus ſicco calore laconici ex carbonibus accenſis, vel lapillis ignitis intro inditis, aut fomento calorifico, aut aqua calida vel in utre vel in veſica, vel in

vaſculo aut ligneo, aut æneo, aut teſtaceo poſita, aut ſimili alio modo incalefacti. Qui vel hæmorrhagiam copioſam habere ſolent, ut puerorum complures conſueſcunt, debent non permittere ut ea evacuatio ſupprimatur, quæ ſi aliquando ceſſaverit, vel fomentis exterius laxatoriis calidis vel intra nares quibuſdam inditis, illam denuo promovere debebunt; nonnulli ſcalpello venas intra nares poſitas, ut denuo hæmorrhagia reſtituatur, ſcarrificant. De qua venarum ſcarrificatione nos in libris de medicina Ægyptiorum ſcripſimus. Alii graminis ſpicas intus imponentes, venas aperiunt, ſanguinemque educunt, ad quam movendam vacuationem ſpicæ graminis, quod gramen mannæ vocant, & graminis crucis ſunt aptiſſimæ. Eodem modo omnis conſueta evacuatio ſanguinis vel ab hæmorrhoidibus vel ex utero in mulieribus, ſi aliquando ceſſaverit, erit revocanda, iis præſertim medicamentis, quæ in præcedenti libro meminimus. His præmiſſis, aliud ad ſanitatem ad adſtrictum declinantem conſervandam adjungimus, quippe ex hujuſmodi meatuum adſtrictione, licet multa hæc adſtrictio non ſit, corpora tamen in plethoram, atque in Cacochymiam quandam incidere, quæ ni corrigatur, & tollatur homines in morbos adſtrictos prolabi eſt neceſſarium. Itaque ſi ex illa ſymmetria meatuum ad adſtrictum quadantenus verſa, atque diu neglecta, in corporibus aut plethora, aut cacochymia contigerit, opera danda erit, ut utraque tollatur, quod ni fiat, procul dubio ita ſanitas vitiabitur, ut in morboſam conſtitutionem corpora provehi ſit neceſſe. Plethora vero privatim tollitur evacuatione.

In 2. aphor. 22. Etenim dicebat Hippocrates: *Quicunque morbi ex repletione ſunt, curat evacuatio.* Ad moliendam vero evacuationem complura præſidia ſunt neceſſaria, primum ſanguinis evacuatio: quæ fit aut vena, aut arteria ſecta, aut malleolorum ſcarrificatione (quam alias ex Galeno oſtendimus vicarium eſſe auxilium venæ ſectionis) aut cucurbitulis cum ſcarrificatione appoſitis, aut menſtruorum, aut hæmorrhoidarum provocatione. Menſtrua vero atque menſes ſuppreſſi quibus medicamentis reſtituantur, revocenturque & ſuperius dictum eſt, & in libro xi. rurſum accuratius dicetur. Hæmorrhoidaſque provocabimus & appoſitis

Ex 2. aph. 37.

hiru-

hirudinibus (ſanguiſugis vulgo vocatis) aut medicamentis anaſthomoticis id eſt aperientibus, vel rarefacientibus ſeu laxantibus quovis modo, à nobis alias memoriæ traditis. Secundo corpus Plethoricum inedia, ſeu abſtinentia à cibo & potu evacuat, Quod complures non ignorantes, cum eos ciborum ſatietas, & inappetentia, cum gravitate corporis, tenuerit, continuo ſeipſos relevant, tenuiſſimo victu per aliquot dies inſtituto atque ab ipſis ſedulo obſervato. Hac ipſa ad prohibendos morbos, qui à repletione fiunt, nihil eſſe præſtantius, deprehenſum eſt. Unde merito Plinius dixit; *Utiliſſimam eſſe in cibis temperantiam*: & Hippocrates, *ſanitatis ſtudium eſſe præcipuum non ſatiari cibis*, tradidit: Quo complures ſanitatis conſervationi maxime ſtudentes, nunquam ex prandio, vel ex cœna cibis ſaturati reſurgunt. Balneum quoque naturale, ſcilicet aut ſulphureum, aut bituminoſum, & arte factum ex dulci aqua calida, humorem digerendo plethoram adimit. Sudoremque movere in hiſce corporibus etiam eſt utiliſſimum. De quibus ſingulis, in alio libro, præſidiis ſeorſum & accurate ſcripſimus. Exercitium vero eſſe aptiſſimum ad plethoram tollendam, alias demonſtravimus: & quibus modis fieri etiam debeat, quæque ejus differentiæ ſint, atque quas homines repleti ab exercitiis utilitates capiant ſatis diligenter indicavimus. Somnus itidem ab inedia, à balneo, ab exercitio, atque à ſudore maxime corpus evacuat, atque laxat: ſiquidem ab illis cum humores in extimis partibus abſumantur, in ſomno à calore intra revocato humores in interioribus quoque corporis partibus exiſtentes abſumantur: atque hæc ſunt plethoram in corporibus minuentia, atque adimentia. Nunc, quæ cacochymiam, quæ eſt particularium humorum, excrementorumque plenitudo, minuunt, etiam dicamus. Hæc vero ſunt quovis modo corpora purgantia, ſcilicet, primo, per os devorata, cathartica vel ea lenitoria (ut ajunt) vel eductoria ſeu attractoria ſint, aut per vomitum purgantia, cujuſmodi eſt albus elleborus, ſtibium præparatum & ſimilia; aut per ventrem, ut eſt ſcamonium, colocynthis, & ſimilia. Clyſteribus etiam hæc purgatoria & ſimilia in ventrem purgationis gratia induntur, quæ etiam men-

In lib. 18. hiſt. nat. cap. 5.

In 6. epid. ſect. 4.

ſtrua, hæmorrhoidas, atque urinam movent, cacochymiæ tollendæ remedio ſunt; at cum de his omnibus in altero libro ſufficienter ſcripſerimus, idcirco nihil aliud in preſentia merito attigimus; atque hæc eſt ſanitatis, in meatuum quadantenus ad adſtrictum ſymmetria declinante conſiſtentis, conſervatio. Nunc quomodo in corporibus ad laxum declinantibus, eadem ſanitas conſervetur, dicendum eſt; porro hæc corpora ſymmetriam meatuum habent nimis ad laxum accedentem, quod nimirum aut meatus cutis nimis laxos habeant, aut aliquem alium meatum ex externis vel internis quavis de cauſa ampliorem laxioremque redditum. Itaque hæc ſanitas vitiata uſu adſtrictoriorum medicamentorum reſtituitur. Unde diximus plures olim in pueris ſtatim enatis conſueviſſe ipſorum cutem denſare, aut ſale vel pulvere roſarum, vel myrtillorum ipſorum cutem aſpergentes, vel oleo vel unguento adſtringente ipſam inungentes aut alio per ſimili auxilio utentes. Qui vero laxiorem ventrem habent, ex quo plurimum dejiciant, vel meatus urinarii laxiores itidem redditi ſint, unde urina immoderate profluat, vel etiam vaſa ſeminalia itidem habeant, quo ſemen quoque profluat copioſius cum venere & citra venerem, adſtrictoriis medicamentis opus habebunt. Qui facilius crebriuſque vomitant, non minus quam ii, quibus aut per nares, aut per os, aut per ventrem, aut per urinam, vel per uterum vel ab hæmorrhoidibus ſanguis aut immoderatius, aut crebrius emanat, eodem modo præſidiis adſtrictoriis tractandi ſunt. Demum & quibus frequentius ſudores quoque copioſi erumpunt, idem faciendum. Ex his omnibus cauſis corpora quovis modo ad laxum tendentia, ſi ipſorum ſanitas conſervanda ſit, opus habebunt præſidiis adſtringentibus, cibo potuque ſcilicet pleniore utendum erit, quiete ſeu otio ſomnoque largiori, pauca venere, & medicamentis quovis modo aut obſtruentibus aut claudentibus, aut denſantibus meatus, à Methodicis adſtrictoriis vocatis. Atque hæc de corporum ſanitate cum perfecta, tum imperfecta quippe ad adſtrictum vel ad laxum declinante, ex iis, quæ in corpus & retinentur, & excernuntur, conſervanda, dicta ſint.

CAP.

CAPUT XV.

De ſanitate conſervanda ex corporis motu, ſcilicet ab exercitiis.

CORpora, quæ ſanitate exquiſita gaudent, ad eam conſervandam moderatis exercitis uti opus habent, ſic & moderata quiete; namque exercitia ſuperfluentia excrementa in ambitu corporis digerunt: hæc ſane maxime utilia ſunt ad poros cutis expurgandos, atque laxandos. Diximus autem in exercitiis faciendis tria eſſe ad unguem ſervanda, ſcilicet, ut nunquam homines cruditatibus abundantes exerceantur, quoniam cruditates in venas rapiantur meatuſque obſtruant, atque exinde ad adſtrictos morbos tranſitus fiat, ob idque etiam non convenire exercitium niſi prius inſtomacho & in hepate peracta ſit concoctio. Itaque exercitatio adeunda non eſt niſi poſt excrementorum per ventrem & per urinam factam evacuationem. Quo intelligitur, quamobrem Hippocrates dixerit: *labores cibos præcedant*: id eſt, exercitationem ante prandium vel ante cœnam per paucas horas fieri oportere, quod tunc temporis perfecta ſit concoctio, nullæque cruditates ſint, quæ à calore exercitiis exercitato auctoque in venas atque in habitum corporis trahi poſſint. Tertio exercitii quoque quantitas ſeu menſura intelligi oportebit, ſcilicet quoad corpus intumeſcat, & color illi floridus appareat, motuſque prompte, æqualiter, concinneque edatur, atque ſudor cum calido vapore mixtus appareat, exercitationem leniter factam, non violentam, tandiu eſſe continuandam: illicoque ceſſandum ab exercitatione, ſi contractior corporis moles videatur, ſi floridus color evaneſcat, atque non minus, ſi motus corporis promptitudo, æquabilitas, atque concinitas mutari cœperit; at cum hæc etiam alias meminerimus, nihil aliud à nobis eſt dicendum; idemque de exercitiorum differentiis: cum ſatis ſuperque & de iis ſigulis, in ſuperiori libro ſcripſerimus, inter genera exercitationum præcipue comprehendentes, ambulationem, curſum, ſaltum, pilæ ludum, frictiones, geſtationes, equitationes, vectiones, atque

que alias exercitationis ſpecies ad uſum medicinæ facientes. Ceterum his præmiſſis, jam de præſervatione illius ſanitatis, quæ & ad adſtrictum, & ad laxum declinat, agere incipimus, Ad illam enim omnes exercitationes, quæ quadantenus humores ſuperfluentes digerendo atque ſiccando, meatus laxiores reddunt; convenient; cujuſmodi (exempli gratia) ſunt frictiones multæ molles, ad omnes partes corporis, maximeque eæ, quæ ex oleis laxatoriis fieri ſolent, actu calidis, cujuſmodi eſt chamomelinum, irinum, liliorum alborum, amygdalinum cum dulce tum amarum, atque etiam commune, quod adſtrictionis ſit expers; ambulationes lentæ, ſed longo itinere factæ plurimum reſolvunt, etiamſi per loca plana fiant, longe plus digerunt, & laxant, quæ per loca inæqualia fiunt, montoſaque præſertim; curſus adhuc magis: ex mitioribus vero ſunt, geſtationes, equitationes, vectiones & ſimiles aliæ, de quibus cum alias ſufficienter egerimus, non eſt ut in præſentia iterum eadem repetamus. Quæ vero ex corporibus ad laxum declinant, quiete potius quam motu illis eſt opus, vel ſi exercitium conveniat, quam pauciſſimum eſſe debebit, quo merito in pueris lactantibus æſtimatum ab omnibus eſt, pro exercitio (quod ipſorum corpora maxime ad laxum accedant) ſatis eſſe levem moderatumque motum, qui fit in ipſorum cunabulis. Quare qui ad laxum naturam, habitumque habent inclinantem, ab exercitiis ſe cavere debebunt, quietiſque quam motus uſus illis erit magis proficuus; & hæc de ſanitate conſervanda. Ceterum cum quidam affectus ſint, qui cum morbi (quod non graviter lædant actiones neque animales, neque vitales neque naturales) dici non debeant, in habentibuſque ſanitatem imperfectam obſerventur, merito nos quoque duximus fore, ut de præſervandis à morbis etiam corporibus quæ prædictis vexantur, ſermonem haberemus. Quod eo etiam libentius faciemus, quod alii quoque Dogmatici Medici viri eruditiſſimi feciſſe viſi ſint.

CAP.

CAPUT. XVI.

De ſanitate in iis corporibus conſervanda, quæ laſſitudinibus laborant, & primo de methodo qua laſſitudines ſanari queant.

SOlent nonnunquam corpora etiam ſana, quibuſdam affectibus levioribus moleſtari, qui ne ipſi in morbos mutentur, utile erit, ut pro illorum quoque corporum conſervatione, quibuſdam adhibitis præſidiis, eos affectus tollamus; ex iis vero frequenter occurrunt laſſitudines, cruditates ſtomachi, horrores, rigores, refrigerationes, calores, ſitire, atque corporum cum gracilitates, tum obeſitates; quæ omnia corrigi in ſanitatis tuendæ gratiam debebunt. Ceterum cum hi omnes affectus, corpora ad adſtrictum vergere, ſeu ab adſtricto vitiari denotent, eos ſi medicis præſidiis abigere voluerimus, nihil aliud eſſe videbitur, quam iterum agere de meatuum ſymmetria ad adſtrictum declinante, conſervanda. Primum autem à laſſitudinibus principium faciemus: de quibus primum dicemus, quid ſint, quotupliceſque & à quibus cauſis juxta Methodicos fiant, atque exinde eſſe affectus adſtrictos demonſtrabimus. Laſſitudinem vero eſſe dicimus caliditatem immodicam in muſculis atque articulis ab immoderata exercitatione factam, eamque à febre differre, quod febris ſit non muſculorum & articulorum ſolummodo, ſed totius corporis, ſi Galeno credendum, immoderata caliditas. Neque in dubium a quopiam revocandum putamus, ipſam profecto laſſitudinem immodicam caliditatem in muſculis articuliſque eſſe, at ſi dixerimus eſſe caliditatem immoderatam cum dolore, ſeu cum triſti ſenſu, perfecte ipſius eſſentiam definiviſſe videbimur. Triplex autem eſt in laſſitudinibus ſenſus, utique putantibus, qui iis laborant, vel conquaſſatum ſibi videri aliquid, verberatumque vel tendi ſibi undequaque corporis molem, vel tanquam à multis quoties moventur, ulceribus corpora affici: quo triplicem omnes fecerunt laſſitudinem, ſcilicet unam à ſenſu ſeu à dolore ulcerativo, ulcerativam appellatam, alteram à tenſione tenſivam, atque ter-

In libro de cauſ. morb. cap. 2.

Gal. in 2. de ſympt. cauſ. cap. 4.

tiam phlegmonodem, id eſt inflammatoriam. In ulcerativa denſa & horrida (auctore Galeno) cutis apparet, & dolent veluti qui ulcera multa habent, aliis cute, aliis etiam carne ſubterpoſita; in tenſiva vero cum calore immodico tenſioniſque ſenſu moleſto in muſculis ac vel etiam in nervis, recte muſculorum fibræ tendi perinde ac in convulſis videntur; redditque hujuſmodi laſſitudo homines valde pigros atque ad motum ægros. Denique inflammativa dicta eſt, quoniam ab ea ipſa homines laſſati partes veluti contuſas atque inflammatas ſentiant; hæc inflammationi ſimilis videtur, & propterea ex contactu dolent, atque partes læſæ calidiores apparent: hæ à duplici cauſa excitari ſolent, plerumque à cauſa procatarctica ſcilicet, aut ab exercitiis immoderatis, aut ex itinere, vel à ſimili alia cauſa. Nonnunquam abſque cauſa procatarctica, fluunt ſcilicet ab humorum multitudine. Has vero laſſitudines ſpontaneas Medici appellarunt, neque veras eſſe laſſitudines non paucis viſum eſt, cum hæ facillime in putridas febres mutentur, omniumque maxime, quæ inflammatoriæ dicuntur, namque hæ pauciſſimis vel etiam horis in febres vehementes mutantur, quibus ni cito ſanguinis copioſa evacuatione occurratur, laſſati magnum in vitæ diſcrimen labuntur. Itaque ex iis laſſitudo ulcerativa dicta ex cacochymia humorum tenuiorum acrium fit, aliquando ſalſorum, & nonnumquam acidorum: tenſiva vero ex plenitudine, atque inflammatoria ex utraque cauſa una coëuntibus originem habet. Laſſitudinem vero à cauſa procatarctica vel ab exercitiis vel ab itineribus, Galenus dicebat eſſe ſymptoma ſanorum corporum. Methodicos hunc affectum adſtrictum judicaviſſe credendum eſt; ſiquidem & Dogmatici dixerunt in ulcerativa cutem denſam eſſe; Galenus apertiſſime hoc viſus eſt confirmaſſe in 2. libro ſimplicium, cum hæc ibi ſcripta reliquerit: *Quippe duplex in laſſitudinibus affectio naſcitur, ſicut alibi oſtendimus. Nam ſimilares quidem animantis partes reſiccantur, humectantur vero vacua ſpaciola non utili & naturali humore (nam ſic foret plethora ſive repletio) ſed tenui & acri mordacique, pro indè remediis indigent duplicibus, tum iis quæ ſiccitatem corporis corrigunt, tum iis, quæ humorem acrem evacuant.* Ceteras vero eſſe

Gal. 2. in aphor. com. 5.

Gal. in 3. de tuen. ſanit. cap. 6.

Cap. 25.

esse quoque adstrictos affectus, quippe tensivam, inflammativamque vocatam, quis contendet, cum & in ipsis vacua spaciola sive meatus humore repleantur, meatusque in adstrictum manifesto illabantur. Quod ex medicamentorum facultate digerente evacuanteque humorem in musculorum articulorumque meatibus spacioliſve adstrictum facientem, facile confirmatur, hæc enim medicamenta ideo lassitudines tollunt, quoniam digerendo vacuandoque humorem adstrictum facientem, laxant. Quid an non omnia medicamenta, quæ lassatis conveniunt, laxatoria sunt? Certe quidem, cum præcipua sint frictiones ex oleo dulci tepido, atque lavacra aquæ dulcis moderate calidæ, quæ nullo hæsitante quidem lassitudines tollere deprehensum est; sed age ad eas tollendas, tanquam sanorum symptomata, quæ si negligantur, trahunt in febres & in graviores morbos, veniamus; Dogmatici præmissa distinctione lassitudinum in eas, quæ à gymnasiis vel itineribus fiunt, atque in spontanenas, illas solummodo levioribus laxatoriis exterius adhibitis adimunt, & spontanenas quæ in corporibus, in quibus humores redundant, excitantur etiam majoribus efficacioribusve laxatoriis utentes; ita ut præter frictiones ex oleis dulcibus laxatoriis, atque præter balnea aquæ dulcis moderate calida (quæ lassitudines à causa procatarctica factas sufficienter posse sanare putant) etiam sanguinis evacuationem, atque purgationem adjunxerint. Unde in tollendis lassitudinibus non spontanenis (ita ipsarum causis indicantibus) frictionibus ex oleo, atque balneis dulcibus temperatis solummodo utendum docent; & spontanenas lassitudines in corporibus (uti dictum est) humoribus scatentibus obortas ita indicante ipsorum plethora vel cacochymia tanquam causis, ut depellant, aliquando sanguinis vacuatione vel per venam sectam vel per malleorum scarrificationem, aliquando purgatione & aliquando utroque præsidio utuntur. Quæ medendi varietas videtur apertissime indicari à variis morborum causis, ex quo contra Methodicos causas morborum curationem indicare: Methodici itaque quomodo absque cognitione causarum, lassitudinibus mederi poterunt? Hi enim quascunque curantes lassitudines, primum à levioribus laxatoriis externis exordiuntur

(quod laſſitudines omnes adſtrictas paſſiones fecerint) curationem, ſcilicet mollibus frictionibus atque balneis temperatis, primum tentantes laſſitudines digerere, quæ ni huic curationi ceſſerint, urgente magnitudine adſtricti morbi, ad efficaciora laxantia deſcendunt, ſcilicet ad ſanguinis miſſionem, raro tamen, vel nunquam ad purgantia vel per vomitum vel per ventrem, cathartica vocata. At dicent Dogmatici non plane convenire ſingulis laſſatis hujuſmodi Methodicorum curationem, quandoquidem in iis laſſitudinibus, quæ excitantur in corporibus intus multis humoribus ſcatentibus, ſi non tollantur vel non diminuantur ex uſu frictionum, inunctionum & balneorum dulcium, tuto non poſſe vel ad ſanguinis vacuationem, vel ad humorum purgationem Medicos deſcendere: etenim cruda excrementa à ſanguinis facta evacuatione intra venas raperentur, & malum augerent, vel in periculoſius mutarent. Crudis vero humoribus in corpore redundantibus non eſſe purgandum, humoreſque purgatione non poſſe educi, ſtat in placitis fere omnium Medicorum. Quid itaque dicemus? laſſitudines ſi fiant in iis, qui abundant humoribus crudis, ſcilicet cruditatibus, neceſſario illud fieri, vel fuſis iis humoribus crudis redundantibus atque ad muſculos, articulos, nervoſque attractis; vel nullo modo iiſdem crudis humoribus ad partes laxatas attractis, & neque etiam alteratis, ſed humoribus ad laſſatas præ motu ſeu exercitio vel ab itinere longo atque immoderato partes, partium proximarum à calore attractis atque fuſis. Utroque modo laſſitudines factæ, ſolis frictionibus, inunctionibus, vel balneis temperatis humores attractos atque fuſos digerentibus, ſanabuntur; aut ſi humor attractus vel ex cruditatibus exiſtat, vel ex partibus vicinis proximiſque, non crudus cum ſit tenuis (ſcilicet à calore immodico maxime extenuatus ac fuſus) neceſſario his præſidiis laxantibus digeretur. Atque idcirco non erit opus ſanguinis evacuatione vel purgatione ad tollendas eas laſſitudines. Neque eſt, quod nobis objiciant, non ſemper in omnibus laſſitudinibus, lenes frictiones, inunctiones, balneaque convenire, at quinimo in iis, ubi humores acres altius in corpore redundarint, quiete, ſomno, cibique per diem abſtinentia eſſe

eſſe agendum, ab omnique motu abſtinendum eſſe, & poſtea pinguiter unctos modiceque fricatos, modico cibo atque potu eſſe nutriendos, quibus laſſitudinibus non ceſſantibus, ad efficaciora præſidia veniendum, ſcilicet ad evacuationem ſanguinis vel purgationem, quæ præſidia convenire ajunt, ſi corpora cruditatibus repleta non fuerint. Certe neque in iis prædictis laſſitudinibus videtur abſtinendum à levibus frictionibus ex oleo dulci factis, neque à balneis temperatis, præſertimque in ulcerativis, quæ fiunt ab humoribus tenuibus acribus mordacibuſque, quod laxatoriis iis medicamentis humores foventes laſſitudinem digerantur, ipſorumque humiditate humorum acrimonia atque mordacitas corrigatur hebeteturque, ſimiliſque hæc videtur fuiſſe curatio, quam Hippocrates in pleuritide inſtituit, de qua ita habet: *Lateris dolorem ſive is per exordia fuerit, ſive poſtea obortus ſit, tentare calidis fomentis diſſolvere, non abs re exiſtit.* Quam veritatem & Galenus in hujus loci commentario adhuc clarius expreſſit, ita enim inquit. *Primo autem auxilio ſi dolor is vel ſanari vel mitigari fomentis calidis, tentandum præcipit Hippocrates. Nempe fomenta calida cutim ipſam ad perſpirationes rariorem efficere, phlegmoneſque ſanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere conſueverunt. Quæ ſi facta fuerint, non ſolum ſanguinis aliquid evacuabitur, verum quoque & affectæ quæ minus diſtenduntur partes, mitius exinde & manſuetius dolebunt.* Proinde ex his liquido apparet, Hippocratem omnium Medicorum facile principem, medicinæque præcipuum auctorem, ab uſu laxantium in principio pleuritidis non timuiſſe. Igitur neque Methodici timere debebunt, in laſſitudinibus etiam ſpontanenis tollendis, laxantium digerentiumve medicamentorum uſum; quibus præſidiis ni diminuantur laſſitudines (quod mirum partes, quæ ex calore à prædictorum medicamentorum uſu aucto plus humoris trahant, quam evaporet, ſcilicet cum quæ calefaciunt, ſuapte natura, ut quod vicinis continetur partibus digerunt, ſic & quod redundat ex propinquis trahunt) ad aliquam evacuationem accedunt, quod præceptum quoque eſt Galeni, qui in loco citato ita habet: *Cum igitur fomenta calida dolorem non ſolverint, corpus totum inſigni aliqua vacuatione*

In 2. de vict. rat. in acut. tex. 1.

prævacuabis. Quare non improbanda videbitur laſſitudinum curatio hujuſmodi, quæ in laſſitudinibus, quæ adſtricti ſunt affectus, primo uſum minorum leviorumque laxantium præſidiorum exercet, ſcilicet mollium frictionum, inunctionum, atque balneorum dulcium temperate calidorum, & poſtea, levioribus laxatoriis propoſitis minime conferentibus, majorum, efficaciorumque (cujuſmodi ſunt evacuationes per ſanguinis miſſionem, atque purgationes vel catharticis medicamentis, vel clyſteribus ſubductoriis factæ) ad uſum deſcendunt. Obſervatio itaque cauſarum procatarcticarum, atque plethoræ, vel cacochymiæ ad ſanandas laſſitudines non videtur neceſſaria, cum non evariet curationem, ſed ſolummodo laxantium efficaciam; quando in non ſpontanenis leviorum uſus ſufficiat, & in ſpontanenis efficaciorum. Quæ etiam curatio eo modo conſtituta, non videtur omnibus laſſitudinibus convenire, ſiquidem in iis, quæ ex immoderato vel exercitio, vel itinere fiunt, quandoque etiam majorum laxantium uſus ad medendum veniat, ſcilicet evacuationum, atque purgationum; quod eæ laſſitudines non raro fiant in corporibus cacochymis vel repletis, in quibus cum mitioribus medicamentis corpora ſaluti minime reſtituantur, ſtatim ad vacuationes vel ad purgationes deſcendendum eſt, quod hæ in graviſſimos morbos mutari ſoleant, ſcilicet in febres ardentes, atque in viſcerum phlegmones. Cujuſmodi fuerunt, quæ (auctore Hippocrate in epidemiis) in Sileno adoleſcentulo, qui in mendacium foro decumbebat, atque in Pythione in thaſo decumbente, obſervatæ fuerunt, à quibus in ardentes acutaſque febres, & in phlegmones internorum viſcerum, quibus brevi interierunt, mutatæ fuerunt; itaque cum etiam in non ſpontanenis laſſitudinibus, levioribus remediis inutiliter tentatis, ad ſanguinis evacuationem veniendum ſit, quis quæſo non fatebitur, eam curationem à Dogmaticis ex cauſarum indicatione inſtitutam haud omnino convenire, cum eas ex laboribus atque itineribus factas ſolummodo externis levibuſque laxatoriis curent, ſcilicet frictionibus ex oleo, atque balneis dulcibus temperate calidis; cum tamen in his quoque non raro, iis medicamentis ni cedant (neque omnes laſſitudines his medi-

medicamentis cedunt) ad ſanguinis vacuationem & ad aliquam purgationem venire ſit utile. At his præmiſſis, ſigillatim de laſſitudinum curatione eſt agendum.

CAPUT XVII.

De particulari curatione ad laſſitudines perſanandas, atque de medicamentis ſingulis ad eam curationem accommodatis.

QUod ſingulis laſſitudinibus ſanandis eadem laxatoria medicamenta conveniant, non eſt, ut nunc idem ex Methodicis longiori oratione demonſtare debeam, cum ex Galeno aliiſque omnibus conſtet medicamenta ad illud commode præſtandum ſingula debere eſſe temperate calida & humida, ideoque digerentia atque laxatoria. Cujuſmodi ſunt frictiones ex oleo molliſſimæ, tum balnea dulcia temperate, atque inunctiones ex oleis temperate calidis, laxatoriiſque. Etenim hæc digerendo evacuant humorem ſimilarium partium ſpaciola replentem, atque infarcientem, humiditateque eaſdemmet partes ſimilares ſiccatas reſtituunt (ab iis profecto duabus cauſis, ſcilicet à repletis meatibus, atque ſiccatis partibus ſimilaribus præ multo calore ex motu exercitationis, vel itineris immoderati concitato omnem laſſitudinem fieri, Dogmaticorum auctoritate conſtat) Itaque proba victus ratione inſtituta, nimirum, ut primo aër, quo laſſitudine vexati utuntur, ſit calidus, & humidus, ſi fieri poteſt, non obſcurus, at mediocriter lucidus: cibus ſit paucus, calidus quoque temperate atque humidus, ſuccique optimi, cujuſmodi ſunt ova gallinarum recentiſſima ſorbilia, optimæ carnes, & ſimilia; potus ſit vinum pauciferum, cibus vero atque potus ſit modicus ſed (uti dictum jam eſt) optimus: ſomnus itidem ſit temperatus, vel aliquanto longior, quoniam humores ſuperfluentes digerit, corpuſque recreat, quiete quoque agendum erit, quando ex motu laſſitudines fiant, reliquaque his proportione reſpondebunt. Quod pertinet ad medicamenta, conferunt frictiones ex oleo dulci temperate calido, ſcilicet molliſſimæ, quæ ad-

admovebuntur volis manuum inunctis ex oleo aut comuni dulciſſimo, quod, ut Galenus notat, ſit expers cujuſvis adſtrictionis, aut ex aliquo ex iis, quæ dicemus, leviter totum corpus fricantibus biſque in die poterunt fricari corpora laſſa, quippe ante prandium atque ante cœnam per duas horas, & poſtea inungere partes laſſatas copioſiori oleo temperate calido, aut; uti dictum eſt, ex communi dulci, ommni adſtrictione prorſus deſtituto, aut chamomelino, cui Galenus primum locum tribuere videtur. Namque ut Gal. ait: *chamomelum eſt laſſitudini, ut ſi quod aliud conferat, opportuniſſimum; dolores mitigat, tenſa remittit, & laxat, dura mediocriter mollit, conſtipataque rarefacit*; aut amygdalino dulci, aut annethino, aut quod eſt vel ex radicibus, althææ, vel cucumeris ſylveſtris paratum: Galenus pluribus in locis laudavit oleum, ipſumque laſſitudinibus remedio eſſe affirmavit, ita, ut ipſas tollat, non minus quam frictiones ex oleo ad idem commendaverit. Igitur admovebuntur frictiones, & poſtea partes laſſatæ perunguntur oleo temperate calido, & poſtea fricata inunctaque corpora per duas horas ſtragulis in lecto temperate calido cooperta manebunt; ſi vero fricata corpora balneum aquæ dulcis temperate calidum ingrediantur, in ipſoque per duas horas maneant, adprime juvabuntur. Dulcia enim lavacra aquæ temperate calida, perbelle humorem laſſitudines foventem digerendo, ſcilicet meatibus ſpacioliſve vacuis cutis rarefactis, laxatiſque, iis laſſitudinibus remedio ſunt. Itaque poterunt ſolæ frictiones molles laſſitudines tollere, aut additis inunctionibus ex oleis temperate calidis, aut tandem addito quoque balneo, in quo morentur ad minus per horam, maneque & veſperi ante cibum; per tres horas hæc præſidia erunt admovenda. Ni vero laſſitudines ceſſerint iis medicamentis, de efficaciore medicamento erit cogitandum, ut quandoque etiam mittatur ſanguis aut per venam ſectam, aut ſcarrificatis malleolis, aut adhibitis cucurbitulis cum ſcarrificatione, cutis partibus laſſitudinem ſentientibus: præſtabit vero priuſquam ſanguis evacuetur, ut vel clyſteribus vel alio laxatorio medicamento ex lenientibus vulgo vocatis alvus ſubducatur, atque laxetur.

In 3. ſimpl. c. 10.

In 2. ſimpl. cap. 5. 10. 18. & 25.

CAP.

CAPUT XVIII.

De pſeudolaſſitudine ſiccatoria vocata, ſcilicet de ſiccitate, ſqualore, gracilitateque corporum tollenda.

PSeudolaſſitudinem ſeu non veram appellant, quæ licet quadantenus laſſitudini ſimilis ſit, tamen nihil veræ laſſitudinis habet, neque enim partes caliditate immoderata vexantur, neque dolorem aliquem ſentiunt, vel ulceroſum, vel tenſivum, vel inflammatorium, ſed ſolummodo ſiccitas ſeu ariditas atque gracilitas in corporibus apparet. Hæc vero fit, cum muſculi ſupra modum ſiccantur, ita ut veſtibus exutis corpus ſqualens, contractumque appareat, atque ad motum pigrum. Aliqui dicunt hujuſmodi ſiccitatem ſeu ſiccatoriam vocatam laſſitudinem fieri, ubi ab immoderatis laboribus, immoderatiſve exercitationibus ſuperfluitates corporum præſertimque in partibus ſubcutaneis immoderatius digeruntur, evacuanturque; ſiquidem ab ipſis diſtenta corpora laxari deprehenditur, atque nihil aliud fieri præter ſiccitatem. Ceterum non videtur verum; quod à nobis modo dictum eſt, in hac laſſitudine ſcilicet corpora ſqualentia & contracta apparere, & in hanc affectionem veniſſe ab immoderatis exercitiis immoderatius digerentibus atque evacuantibus humiditates corporum; ita ut propter immoderatam evacuationem humiditatum partium carnoſarum cutis eorumdem corporum ſiccetur, ſqualenſque reddatur: quomodo ſicca ac ſqualens cutis, quæ adſtrictum affectum perpetuo denotat, immoderatam evacuationem, quæ morbus eſt profluens ſive laxus, ſignificabit? vel melius quomodo ab immoderata evacuatione, quæ morbum laxum facit, ſiccam ac ſqualentem cutem fieri audebimus affirmare? Hippocrates huic difficultati ſatisfacere videtur, cum ita dixerit: *omnis extenuatio laxat cutim, deinde diſtenditur.* & Galenus in commento, ait: *Ubi extenuatur propter conſumptionem humiditatis partium carnoſarum ſubſtantia carnoſa, cutem laxari, perinde ac utres evacuati & veſicæ laxantur, ubi vero nedum carnoſæ ſubſtantiæ humi-*

In 6. epid. 3. tex. 29.

humiditas abſumpta eſt, at quinimo etiam cutis ſubſtantia, tunc cutis quoque diſtenditur, eo profecto modo, quo utres & veſicæ etiam ipſarum evacuata conſumptaque ſubſtantia, ſicceſcunt, atque denſantur; itaque ſi verum erit; corpora ſiccatoria laſſitudine affecta, ſicca, ſqualida & contracta conſpici, verum quoque erit prægreſſam fuiſſe immodicam evacuationem & in ſubſtantia carnoſa cuti ſubjecta & in cute ipſa, unde ſiccata ſqualenſque reddita ſit, at neque hoc videtur rationi conſentaneum quod in affectu laxo, cutis ſit ſicca & ſqualida, quando alias docuerimus potius eam mollem, humidamque eſſe oportere; & mirum eſt, quod antiqui hunc affectum laxum morbum feciſſe viſi ſint, quod ſane reipſa ita eſſe cognoſcitur, quod ſubſequatur immoderatam humiditatis utilis evacuationem, ut in hecticis fit, nam & in ipſis tandem immoderatius conſumptis uſque ad cutem ipſam humiditatibus, cutis tenditur, ſicceſcit, atque ſqualida fit, cujuſmodi in fronte illorum obſervatur. Ceterum non inconvenit corpus aliquod intus laxo morbo vexari, cum ejus cutis denſa adſtrictaque ſit, quod uti dictum eſt, in hecticis tabidis plane fit, qui cum interius patiantur morbum laxum, nimirum qui in continua utilium humiditatum conſumptione atque evacuatione ſint, qui etiam exutis veſtibus cutem habere deprehenduntur ſiccam, tenſam & ſqualidam; hincque eſt, quod Medici Dogmatici ipſorum corpora, ut humefaciant & refrigerent, primum in balneum calidum & mox repente in frigidum injiciunt; in calidum inquam, quo cutis adſtricta aperiatur & emolleſcat, ut humiditas per ipſius meatus & ad carnoſam ſubſtantiam pervenire queat. Itaque merito nos dicimus hanc laſſitudinem, quæ immoderatam nedum ſuperfluitatem ſed quinetiam utilium humiditatum evacuationem ſubſequitur, eſſe morbum mixtum ex adſtricto atque ex laxo, & quia magis urget laxus affectus, ideo victu pleniore bonique ſucci opus erit, tum vino in potu, & quia meatus interni quippe in carnoſa ſubſtantia laxiores facti ſunt, idcirco balnea & alia medicamenta debent eſſe quovis modo adſtringentia, ſed quia cutis adſtricta, clauſiſque ejus meatibus, quæ adſtringunt non poſſunt exterius ab obſtructis meatibus cutis pervenire ad car-

carnoſam ſubſtantiam roborandam, ideo primum, utuntur balneis temperate calidis & inunctionibus, quibus laxiores reddantur cutis meatus, & poſtea modice ipſis rarefactis, protinus, ut recte Galenus animadvertit, in frigidam aquam exiliant, eſt neceſſe: At Galenus conſulit, ut aqua balnei ſit calidior, quæ ſenſim contrahat & calefaciat & quadantenus cutem roboret, ne immoderatius ipſa ex calido balneo laxetur, & poſtea ut in frigidam exiliant eſt opus ad cohibendam laxitatem in carnoſis partibus. Aëtius hunc affectum omnino laxum fecit, idcirco omnino adſtringi cutem in iis oportere, non tamen frigida aqua, ſed calidiori adſtringendum credidit. Galenus vero longe ſecurius primo cutem moderate laxat, & mox frigida aqua per eos meatus ingreſſa carnoſam ſubſtantiam immoderatius laxatam cohibet, quod cutis laxo affectu non laboret, ſed ipſius cutis ſiccitas & gracilitas adſtrictus affectus ſit; ſimili fere modo diximus in libris de medicina Ægyptiorum, mulieres graciles pinguefieri, nimirum uſu balneorum dulcium tepidorum, ſcilicet quod attractum ab ipſorum modico calore alimentum ad carnoſas partes quadantenus cohibeatur, & denſetur, neque diſſipetur, quod fit à balneis calidis omnino laxatoriis, plurimum digerentibus, quibus corpora & pinguia & carnoſa gracileſcunt. Sane iis patet, quomodo corporum ſiccitas gracilitaſque corrigatur, atque ea particulatim, quæ ob immodicam evacuationem humorum cum ſuperfluentium, tum humiditatum quoque utilium ex immoderato labore contractam, haud probe medicamentis ſublatam. Nunc ſuper eſt, ut de obeſitate etiam loquamur.

In 3. de ſanit. tuenda cap. 7.

CAPUT XIX.

De corporum obeſitate corrigenda.

IN his, qui immodice obeſi ſunt, minuendum nutrimentum eſt, augendaque corporis exhalatio. Unde cibus potuſque paucus, & tenuioris paucioriſque ſanguinis, vel etſi multus ſit, tamen in paucum nutrimentum vertatur, vinum vero ſemper paucum & aquoſum erit, deprehenſum etenim eſt, vini

copiam haud minorem partem ad obesitatem faciendam habere: quare in primis cibus potusque minuendus est, laxitasque corporis augenda est; quo assiduæ alvi dejectiones maxime in his desiderantur urinalesque evacuationes, immoderatæque sanguinis, hæmorrhoides & menses assidue profluentes corpora emaciant, quæ ni sponte fiant arte hæc omnia procurentur; celeres exercitationes cujusmodi est cursus, atque copiosi sudores, evacuationes quoque per poros cutis insensibiles ex balneis naturalibus sulphureis, bituminosis, nitrosisque aut ex dulci aqua calida paratis, chamomeloque vel anetho, vel ruta, vel origano, vel pulegio, althæa, fœnugræco & similibus alteratis. Frictiones item molles laxatoriæ ex oleis laxatoriis calidis. Quibus quidem omnibus sedulo admotis, obesitatem diminui non est mirum, cum obesitas morbus sit adstrictus, illaque omnia præsidia sint maxime laxatoria. Galenus quomodo quendam obesum ad mediocritatem carnis reduxerit, hunc in modum scripsit: *Ipse namque præpinguem quendam parvo tempore ad mediocritatem carnis reduxi, celeri primum cursu uti cogens, dein sudorem linteo vel molli admodum vel admodum aspero detergens: ab his, unguentis evaporantibus, quæ hodie acopa medici juniores vocare solent, largissime perfricui: ac post ejusmodi frictionem ad balneum produxi: à quo non protinus cibum dedi, sed quiescere interim jussum, aut etiam consuetum aliquod munus obire, rursus ad balneum secundo egi: postea ciborum multitudinem, qui parum nutrirent, apposui eo consilio, ut saturarent illi quidem, ceterum exiguum nutrimenti in totum corpus submitterent.* Addunt obesis conferre animi passiones, quando mærores, iræ, excandescentiæ, gaudia quoque in corpore augeant exhalationem, utilesque carnosarum partium humiditates absumant, sicuti etiam vigiliæ, nonnuli & carceres laudant, in quos si casu obesi inscii propter aliquod facinus conjiciantur & diu molestissimo animo maneant excarnes redduntur.

In li. 6. de sanit. tuend. cap. 8.

CAP.

CAPUT XX.

Ad rigorem, horrorem frigiditatemque atque ad caliditatem in corporibus corrigendam.

BAlnea calida, cum naturalia, ſcilicet ſulphurea, bituminoſa, nitroſa, tum arte facta ex aqua dulci calida, alterata herbis calidis diſcuſſoriis, cujuſmodi eſt chamomelum, anethum, ruta, fœnugræcum, melilotus, pulegium, origanum, calamintha, & ſimiles aliæ; tum inunctiones etiam maxime juvant oleorum calidorum, nimirum laxantium, cujuſmodi eſt chamomelinum, anethinum, rutaceum, laurinum, & quod paratur ex ſinapi, & ex ebuli althææque radicibus, & cucumeris ſylveſtris, & cyclaminis, & bryoniæ & ſimilium; omniaquoque utilia erunt unguenta acopa Græcis dicta. Nonnulli etiam ad rigores, horrores & ad frigiditates, præmiſſis frictionibus mollibus, illinunt dorſum aliquo oleo ex prædictis, præſertim in febribus periodicis, per duas horas ante acceſſionem, propinato ſimul medicamento aliquo laxatorio. Unde Dioſcorides commendavit, dari per os, ſmyrnii, petroſelini, hypoſelini, vel apii ſemina trita, ad geminas drachmas ex vino calido; vel exhibebat modicum laſerpitii, ſcilicet grani milii magnitudine, cum pipere, thureque tritis ex vino, vel myrrham fabæ magnitudine cum pipere, Galenus illinebat partes refrigeratas oleo, in quo euphorbium fuerit diſſolutum. Contra vero ad calorem & æſtum caloris emendandum balnea itidem laxatoria, non poteſtate tamen calida, ſed ea quæ ex aqua dulci temperate ſeu tepide calida fiunt; & hinc eſt, quod nos alias demonſtravimus morbum tum calidum tum frigidum, quod uterque adſtrictus ſit affectus, iiſdem balneis (quod laxatoria ſint) depelli; eodem itidem modo quod iiſdem inunctionibus laxatoriis, uterque itidem morbus cum calidus tum frigidus tollatur. Unde deprehenſum fuiſſe à Methodicis, morbos calidos frigidos, humidos, atque ſiccos non habere ad curationem inſtituendam propriam indicationem, cum hi ſinguli (quod ſint adſtricti) laxatoriis medicamentis tollantur.

In 2. yporiſtom. cap. 23.

In. 1. de mat. med.

FINIS LIBRI QUARTI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

CUm ſuperioribus libris dogmata, quibus Methodica medendi ſecta fovebatur, nos & propoſuerimus, & de ipſis accurate diſputaverimus, librumque etiam præmiſerimus de Methodicorum prophylactica medicina, reliquum erit, ut cæptum laborem proſequentes, de morbis Methodica medicina tollendis agamus; de quibus (cum alias demonſtraverimus eos eſſe aut adrictos, aut laxos, aut ex adſtricto laxoque mixtos) acturi, primum de adſtrictis ſcribemus, ſecundo de laxis, atque tertio de mixtis ex adſtricto & ex laxo. Noſtrum etenim inſtitutum eſt, totam medendi artem ex illiuſce Methodicæ ſectæ placitis docere. Nunc vero de adſtrictis morbis acturi, à febribus exordiri libuit, quod hæ frequentius Medicis occurrant, familiariuſque in quovis anni tempore graſſentur, atque homines cujuſvis naturæ, ætatis & regionis corripiant, non minuſque etiam quod ipſarum non paucæ maxime periculoſæ ſint. Neminem propterea abſque febre mori poſſe haud paucis perſuaſum eſt. Itaque de febrium curatione ex Methodicorum placitis nunc primum agemus. Verum Methodici veluti cum Dogmaticis in multis

ad

ad febrium, aliorumque morborum durationem esse noluerunt, ita in eorundem affectuum notitia assequenda vel nihil vel parum ab ipsis differentes fuerunt, præsertimque in febrium cognitione; in hoc tamen cum illis minime convenerunt, quoniam (ut nuper etiam ex ipsorum sententia dictum est) febres plærasque ad adstrictos morbos referre non dubitarunt. Quod dogma scimus Dogmaticos haud parum damnasse. Ceterum qua ratione illud ipsis fuerit persuasum, nunc, quod alias dictum sit, libenter non repetimus, scilicet omnes febres esse adstrictos morbos dicendas. Quibus aliquando etiam laxus profluensve affectus conjungitur, cujusmodi sunt ardentissimæ, colliquentes, hecticæque tabidæ: in his enim præter adstrictum affectum, qui est calor igneus, aut in spiritibus (ut ajunt Dogmatici) aut in humoribus, aut in partibus solidis accensus, adstrictusque, intra corpus vero ob vehementissimum calorem laxus quoque affectus fit, quippe ab immoderato calore arteriarumque osculis intro laxatis ac diffusis nativo & humido & calore exhalante, de qua re posterius loquemur. Sed his præmissis nunc ad febres sermonem convertimus, & priusquam ad curationem tractandam declinemus, ea primum, quæ faciunt ad ipsarum notitiam, dicenda sunt, atque ea quoque, ubi opus fuerit, quæ faciunt itidem ad prognosim. Porro, quod pertinet ad cognitionem essentiæ seu naturæ febrium, illud unum in primis, ut quid febris sit deprehendamus, supponi oportere, scilicet febrem Græcos πυρετὸν dixisse, ἀπὸ τῦ πυρέττο id est febricito. Alii πυρεξίων, id est, igneam dispositionem, quam ex latinis non pauci calorem igneum, extraneum, atque præter naturalem nominarunt. Unde aliqui hunc affectum definientes, nativi caloris ad igneum conversionem, & alii immoderatam caliditatem in toto corpore diffusam esse volucrunt. Addunt, quæ hominem & actionem lædat. Ceterum secundum Hippocratem, præclarosque alios Medicos, & secundum etiam omnium hominum (Galeno auctore) opinionem, febris caliditas est præter naturam in totum animal sparsa, aut saltem in plures partes, aut in nobiliores quidem accensa, quæ utiles actiones maxime lædit. Arabes dixerunt esse calorem extraneum ac-

Hipp. in 6. epid. sect. 5. tex. 31, Gal. in. 2. de cau. morb. cap. 20. Et in 1. aphorif. com. 14. & 16. Gal. in 5. meth. med. cap. 1. In 6. epid. sec. 1. com. 29 Avicen. Averrh. 1. collig cap. 1.

accenſum in corde, atque mediantibus ſpiritu aut ſanguine per arterias & venas in totum corpus procedentem, lædentemque actiones. Vel quod ipſa ſit calor compoſitus ex calore nativo atque ab extraneo, à corde ad totum corpus miſſus, actiones paſſioneſque lædens, nonnullis viſum eſt. Ex his ſat erit, nos deprehendiſſe febrem calorem eſſe naturalem auctum ad immodicum ſeu ad igneum mutatum, in corde aut primo aut ex aliis partibus incalefactis accenſum, perque totum corpus diffuſum, hominem, actioneſque diu lædentem. Febris vero complures habet differentias (loquimur de febribus quæ per ſe tales ſunt, de ſymptomaticis autem poſterius) ſiquidem ex calore febrili, quædam tactui acres & mordaces ſunt, quarum aliquæ continuo tales tactui apparent, & in aliquibus non continuo, vel ſtatim, ſed poſtea mordacitas ſentitur; quædam miti benignoque calore corpus afficiunt, taleſque tactui ſentiuntur: aliæ cum multo calore, aliæ cum pauco, illæ ardentes, colliquanteſque, hæ ſynochæ dicuntur. Quædam humidæ & quædam ſiccæ, hæ ardentes hæcticæ maraſmodes dictæ, illæ amphimerinæ & ſudorificæ. Quædam etiam frigidæ nominantur, non quod frigida febris exiſtat, at quod, etſi intus ægroti calore æſtuent, exterius aut non calidi, aut parum ſentiuntur, aut in quibus extremæ partes algent, & internæ uruntur. Calidæ dicuntur ubi corpora omnino cum extra, tum intus calore exæſtuant, ut ardentes. Ex motu vero febres quædam celers, ſcilicet quæ cito reſolvuntur, ut ephemeræ: quædam longæ, chronicæ dictæ, cujuſmodi ſunt amphimerinæ, & nonnullæ ex tertianis ſpuriis, quartanæ, quintanæ, ſeptimanæ, octanæ & nonanæ. Quædam ſervant ordinem, quædam inordinatæ ſunt ut erraticæ; quædam continuæ, quædam intermittentes, quædam ſynceræ, quædam ſpuriæ, aliquæ ſimplices aliquæ compoſitæ, aliæ benignæ, & ſimplices, quæ ſignis ſecuriſſimis quarto die (Hippocrate auctore) aut citius deſinunt. Aliæ maleficæ, quæ omnium deterrimæ ſunt, ſignis affligentes periculoſis, quarto itidem die aut citius interimentes. Aliquæ ex loco læſo nomen invenerunt, ut hepaticæ, ſplenicæ, peripneumonicæ dictæ, quas non ſimpli-

plices febres, ſed phlegmonem ſymptomata veteres appellarunt. Demum ex materia, quæ primo accenditur, triplici quoque eæ diſtinguntur genere; etenim ipſarum aliquæ, quæ in ſpiritibus accenduntur, ephemeræ atque diariæ dictæ, quædam, quod partes ſolidas occupent, hecticæ & habituales dictæ fuerunt, & quæ in humoribus conſiſtunt, putridæ; longe pluribus febres interſtingui differentiis, haud ignoramus, at propoſitas perſpectas habuiſſe, præſenti negotio ſufficiet. Neque enim noſtrum fuit inſtitutum, de iis omnibus, quæ complures ſcripſerunt, prolixius agere.

CAPUT II.

De febris generatione.

FEbris generationem duo perficiunt, ſcilicet materia, atque caloris effectrix cauſa, illam ex dogmaticis ſpiritus, humores, atque ſolidas partes corporis dicimus: hanc quidlibet calorem immoderatum faciens. Hippoc. in libris de morbis, ex humorum plenitudine, & à bile (quam febris nutrimentum vocat) vehementiorem febrem fieri ſcriptum reliquit; & in libro de locis in homine, expreſſit, *bilem & pituitam corpore concluſam, quæ quieverit & non refrigeratur, neque exeat, neque moveatur, neque aliud ſubeat* (quod fortaſſe idem eſt ac ſi dixerit & obſtructionem non diflatam, ſeu non ventilatam) *febrem accendere*. Unde obſtructionem atque prohibitam tranſpirationem febrium gignendarum cauſam feciſſe videtur; quod ſane de putridis & de aliquibus diariis, quæ fiunt meatibus corporis obſtructis Dogmatici conceſſerunt. Quæ Hippocratis opinio Methodicis, qui omnes febres ad adſtrictum retulerunt, non parum favere videtur. Ab humorum putredine febres omnes naſci, aliquibus ex antiquis fuerat perſuaſum. Quod ſi febrem, nativi caloris ad igneum converſionem, & quadantenus ejuſdem caloris nativi paſſionem eſſe dixerimus, à veritate haud erit alienum. Cujus quidem ſententiæ fuit olim omnis ab Athenæo Chorus, cum quibus (exceptis ephemeris) Galenus conſentiit.

Tex. 17. 22. 23. & 25.

In tex. 38.

In 1. de diff. feb. cap. 5. tiit. Aſclepiades vero (ille inquam, qui tantopere antiquorum medicinam damnavit, ut auſus fuerit, illorum rationem medendi, mortis meditationem appellare) febres à corpuſculorum ſive atomorum in corporibus ſtatione, & vehementes ab eorundem obtruſione fieri credidit. Poſt ipſum Galenus (quem in multis vel etiam uni Hippocrati haud immerito nonnulli prætulerunt) ſatis aperte caloris febrilis accenſionis cauſas ex peripateticorum dogmatis docuit. Cum dixerit: *ex motu corporis, animique immoderato calorem accendi; aut ex putrefactione humorum, aut à rei calidæ vicinia; vel à pororum cutis conſtipatione; vel ab uſu atque eſu calidorum; aut denique ex multis horum ſimul concurrentibus.* Motu corporis, animique calorem concitari philoſophis, quos à concuſſa ſilice elici ignem non latuit, eſt maxime evidens. Corpus ab immoderato exercitio, aut à labore primum patitur quandam laſſitudinem, quæ ni tollatur, in corpus extenſa auctaque febrem incurrit; non ſecus atque ab ira, mœrore & ſtudio immoderato, quæ animi itidem ſunt motus, homines ſæpius in febres labuntur. A putredine igneum quoque calorem concitari, ſtercora atque ſemina putreſcentia nobis argumento ſunt: cum res putrefactæ calefaciant. Non minuſque etiam inflammationes, eryſipelata, herpetes, carbunculi, qui ſunt putreſcentium humorum effectus, in partibus corporis igneum calorem concitent. A calidorum vicinia corpora calefieri, quis ignorat? cum obſervetur ab omnibus in calore ſolis & in igne uſtis plurimam caliditatem excitari, & unam partem corporis ex inflammatione calefactam toto denique corpori communicare calorem. A pororum vero conſtipatione caloris effluvio intercepto, atque calidarum fuliginum impedita cohibitaque ſolita evacuatione, corpora incalefieri, neminem Medicorum latet. Quo Galenus merito complures ex balneis aquæ marinæ atque aluminoſæ (quoniam hæ adſtrictione meatus cutis denſant conſtipantque) in febres incidiſſe, ſcriptum reliquit. Ab uſu itidem calidorum, quod in iis, qui balneis ſulphureis frequentius, aut immoderatius uſi fuerunt, obſervatur calorem accendi febrilem, atque non minus ab eſu calidorum, atque à calidis potibus veterum vinorum, cui-

In lib. de cauſ. morb. cap. 2.

In 2. de differ. feb. cap. 11.

cuique plane notum eſt. Etenim vehementer acrium eſus frequens aut immoderatus, vinique meri antiqui immoderatus itidem potus, uſque adeo corpus totum aliquando calefaciunt, inflammantque, ut inde illos in febre prolabi, non ſit mirum. Eodem modo medicamenta vehementer calida, cujuſmodi ſunt euphorbium, calvina, ſulphur, & ſimilia, quæ merito medici inflammantium venenorum genere comprehenderunt, calorem profecto febrilem accendunt, nativumve calidum in igneum mutant. Porro, ut parcius magis ad quarundam febrium generationem deſcendamus, de diariis vocatis, quæ Græcis quoque ephemeræ nominantur, quod per diem nimirum finiantur, affirmamus, eas omnes à cauſis procatarticis immediatis, ſcilicet aut ab adſtrictis, clauſiſve meatibus cutaneis, vel ex balneis facultate adſtrictoriis, qualia ſunt aquarum ſalſarum, aluminoſarum, calchantodumque, vel ex ambiente frigido, vel ex balneis frigidis, vel à nive, vel à gelu, vel ab immodico ſolis ardore, vel ex ira, triſtitia, timore ingenti, vel ex immoderatis exercitiis, aut laboribus, ex laſſitudinibus non ſublatis, à fame, ſiti, ebrietate, cruditateque. Itaque proprium ephemerarum eſſe (ut ſingulæ à cauſis procatarcticis fiant) deprehenſum eſt. Putridæ vocatæ omnes id proprii quoque habent, quoniam à corporis meatuum clauſione quomodolibet facta, generationem nanciſcantur: quod ob eam cauſam, ſcilicet ob meatuum adſtrictionem humores concluſi, minimeque ventillati neceſſario putrefiant, & febrem accendant. Galenus tamen affirmaſſe viſus eſt, abſque ulla meatuum clauſione putridam febrem accendi poſſe, ſcilicet peſtilentem cordis; quippe à putreſcibili qualitate aëris coinquinatis putreſcentibuſque humoribus; hoc facit aër putreſcibili qualitate infectus, per inſpirationem attractus, humores calidum innatum, quo conſervantur imputres, diſſipando ac veluti extinguendo. Hecticæ non raro ephemerarum ſeu diariarum modo, ex ira, mœrore, triſtitia, atque à ſtudio incipere ſolent, at plærumque ab aliis affectibus, quippe à tertianis febribus, atque ab ardentibus, corporis partes & carnoſas, & fibroſas & membranoſas incendentibus, colliquantibuſque, quo colliquativæ hæ febres

Gal. in 1. de diff. feb. cap. 3.

Gal. in 2. de diff. feb. cap. 11.

etiam dictæ fuerunt. A pulmonis quoque, thoraciſque affectibus inflammatoriis, ſuppuratione, ulcerationeque (quem affectum phtoin & phytſim Græci vocant) hecticas excitari deprehenſum eſt. Non minus & à ventriculi, hepatis, inteſtinorum, renum, aliarumque nobilium partium inflammationibus, tumoribus, ſuppurationibus, ulceribuſque tales febres accenduntur. A ſiccatione etiam totius animalis, atque cordis hecticæ fiunt; atque non minus etiam à longis lienteriis, diarrhœis, atque dyſenteriis.

CAPUT. III.

De febrium Ephemerarum ſeu diariarum curatione.

GRæci ἐφήμερον πυρετὸν, latini diariam atque ephemeram ab ephemero animali (quod per diem tantum unum vivere Ariſtoteles ſcribit) hanc febrem appellarunt, quod nimirum hæc quoque plerumque die una finiatur. Quandoque tamen tribus diebus (quam ſynocham non putridam vocant) producitur. At Arabum aliqui negant ſynceram ephemeram aliquando (ut aliquibus obſervatum eſt) ſex integris diebus perduraſſe. Hanc febrem ab aliis multa ſigna diſtinguunt, ſed inter alia, quod omnis diaria ab aliqua procatarcticarum cauſarum recenti, manifeſta, atque immediata fiat, cujuſmodi eſt, ira, mœſtitia, timor vehemens, gaudium, caliditas, frigiditas, exercitium, labor, inedia & aliæ ſimiles. Putridæ quoque febres aliquando à procatarctica cauſa incipere poſſunt, ſcilicet & ab ira, & à labore, triſtitia & ab hujuſmodi aliis: ſed non immediate quidem, verum mediantibus humoribus aut copia aut qualitate facile putreſcibilibus; ex aliqua enim illarum cauſarum calor accenditur, in igneumque vertitur, quo poſtea putrefiunt humores, febriſque putrida fit; alterum ſignum eſt ex præcipuis, quod hæ febres careant pravis ſymptomatibus; ex calore vero, quod tactui non moleſtus ſit at vaporoſus & ſuavis. Et pulſus in hiſce febribus ſervant æqualitatem ſecundum naturam, mollitiem ordinemque, & cum mutantur, ma-

In lib. 5. de nat. anim. cap. 19.

Avicen. libro 4. fen. 1. tract. 1. c. 5.

Gal. in 2. de criſib. cap. 13.

Gal. in 9. meth. cap. 4. & in 6. epid. ſect. 1. com. 39.

majores, celeriores, atque frequentiores evadunt: sunt etiam vehementes, magni; ni molestus humor aëris, vel frigidus os stomachi lædat, tunc enim neque æqualitatem, neque magnitudinem pulsus servat, cum & prælangueat, & inæqualis appareat, veluti in iis, quæ à vehementi frigore, atque à vehementi cum solis ardore tum labore excitantur, pulsus duriores observantur. *Urinæ prima die aliquam concoctionem præ se ferunt, bonique coloris existunt.* Avicenna dixit, *si urina prima die concocta appareat, & pulsus fuerit bonus ephemeram febrem judicato.* Quibus signis merito Gal. prima die hanc febrem cognosci posse statuit. Nunc ad curationem descendimus. Quæ per se non videtur necessaria, scilicet quia morbus salutaris est, & sponte una die tollitur, neque ob id ullo egere auxilio videtur. Quo de harum febrium (licet in aliis ad curationem scripserint accuratissime) curatione complures ne verbum quidem. Verum cum mutari vel in hecticas (etenim hecticæ sive scheticæ incipientes ab ephemeris non differunt) vel in putridas possint, & ea via hominibus perniciem inducere, merito ad eas quoque tollendas medicamenta inventa sunt; cum vero calor febrilis, qui in spiritibus quippe in hepatis & cordis sanguine, & in animalibus spiritibus ceu in materia accensus, ac veluti intus adstrictus, sit relaxandus, & digerendus, ita ut totus exhalet, & resolvatur. Unde facile cognoscitur diariam esse adstrictam passionem, quæ idcirco pro curatione instituenda indicat usum præsidiorum laxantium. Quo mirum non est, si omnes Medici in hoc convenerint, ut balnea aquæ dulcis, & inunctiones laxantium oleorum omnibus diariis vexatis medeantur, Gal. dixit, *omnes balneo curari oportere.* Quod genus auxilii si recte tractetur nedum his, at longe pluribus aliis febribus maxime conducet. Recte sane exercentur in Ægypto, in Arabia, & in aliis orientis calidis regionibus, quod ibi ob aëris caliditatem & iis maxime corpora utantur, & habeant innumeras balneorum ædes magnifice constructas, ut nos scripsimus in libris de medicina Ægyptiorum, in quibus balneorum usus diligentissime exercetur. Hic usus antiquis nedum ad ephemeras, sed ad omnes alias febres fuit maxime cognitus. Ni vero balnea

Gal. in 2. de crisib. c. 13. Gal. in 3. de præsag. ex puls. c. 7. Avicen. lib. 4. fen. 5. tract. 1. c. 5. Gal. in 1. de diff. feb. c. 7. & in 2. de crisib. cap. 13. Loco citato. In lib. 8. meth. med.

Gal. 1. ad Glau. cap. 3.

recte tractentur, omittenda erunt, nam plus damni quam commodi afferre poſſunt. Qui balneis utuntur, cum aëre calido ſolii, tum lavacro opus habent. Aqua lavacri calida digerit, & magis humectat, unde corpora febre diaria vexata ex ira, triſtitia, laſſitudine, vigiliis, cura, cogitatione, humore & ab aliis ſimilibus cauſis, debent ex Galeno plus in balneo aquæ temperato calidæ morari, ut corporum ſiccationem corrigant, quod & Methodici ad quamcunque ſiccitatem tollendam faciunt, quippe arefactas partes corporis aqua calida humefacientes. Aurelianus ad ſiccitatem ariditatemque linguæ aquam calidam exhibet; in iis vero diariis, quæ a cutis meatuum conſtipatione & ab externarum partium inflammatione fiunt, veluti à bubone in inguine (quod majori indigeant digeſtione quippe adſtrictis meatibus cutaneis, cohibitis vacuationibus, quod intus clauſa maneant, quæ digeri ſuerant ſolita) ac vel etiam ex bubonibus, quod adſit ſanguinis copia, ex quo fluxio ad bubonem fovetur, ideo plus iſti ex Galeno itidem in aëre calido ſolii morari debebunt, ad majorem digeſtionem, & poſtea ingredi balneum oportebit. Alterum præſidium, quod non minus balneis utile ad haſce febres æſtimatur, eſt olei calidi dulcis inunctio, ipſa enim laxat, ac digerit: conſulit vero Gal. præmitti ſingularum partium corporis frictionem mollem oportere, quoad corpus incaleſcat, & poſtea inungi, vel ſimul & in ungi, & fricari oportere dixit: nempe ex oleo tepido & multo adſtantes mollibus manibus perfricare oportere febricitantes, eoſque maxime qui ex laſſitudine primo, & ſecundo ex cutis conſtipatione, atque demum ex bubone tali febre conflictantur. In iis, qui laſſitudinem paſſi ſunt, adeſt quædam phlegmonoſa affectio tum in muſculis tum in articulis. Unde merito olei tepidi inunctione copioſa eſt opus, quæ poteſt partes tenſas relaxare, caloremque humiditate hebetare, ſcilicet ejus acrimoniam, atque ſiccatos cum muſculos tum articulos humectare. Hæcque duo præſidiorum genera efficaciter quamcumque ephemeram febrem tollent, quippe balneum aquæ dulcis temperatum & oleum dulce temperate calidum, cujuſmodi erit commune maturum, ac recens, amygdalinum dulce, iri-

irinum, chamomelinum, lilinum, & aliud ſimile. At aliquis petet, quamobrem neque ſanguinis vacuatio moliatur, neque purgans exhibeatur in ephemeris, cum hæc præſidia inter laxatoria primum locum obtineant? id non fit, quoniam hæc præſidia laxatoria magna ſunt, ideoque febri ephemeræ, quæ morbus adſtrictus magnus non eſt, non conveniunt; unde minora ſufficiunt laxatoria. Victus vero in omnibus diariis optimi ſucci, facilis coctionis, qualitate calidus & humidus, quantitate modicus, maxime in iis, quæ ex cutis adſtrictione & ex bubone fiunt, quod, ut dictum eſt, in his digeſtione concluſarum fuliginum ſit opus, veluti in diariis, quæ fiunt, ex laſſitudinibus, ira, triſtitia, mœſtitia, cogitatione, ſtudio, amore, ac ex aliis ſimilibus cauſis cibus non ita parcus requiritur, in quibus etiam vinum aquoſum, modo caput non doleat, neque tempora pulſent, concedetur.

CAPUT. IV.

De febrium putridarum cognitione

QUod frequentius Medicis putridæ febres occurrant, ac magnum faceſſant negotium, quia curatu difficiles, & periculoſæ ſunt, ideo de his accuratius nunc agemus. Febres putridas vocamus, cum quovis humore, & in qualibet parte corporis, putreſcente corpus incaleſcit, ipſaſque etiam ab iis diſtinguimus, quæ inflammationem ſive phlegmonem ſubſequuntur (ſymptomata partium inflammatarum haſce febres Medici appellant) exempli gratia, phreneticas à cerebro, pleuriticas à pleura, peripneumonicas à pulmonibus, hepaticas ab hepate, ſplenicaſque à ſplene inflammato vocarunt; atque ita de aliis dicendum. De quibus modo non agimus; at de illis ſolummodo quibus primario corpora incaleſcunt. Quæ hiſce ſignis nobis innoteſcent: quorum primum erit, quod nulla putridarum fiat ex cauſa procatarctica immediate, nam ephemerarum proprium eſſe, ut ab iis cauſis fiant, diximus. Quare cum quis cæperit febricitare nulla antegreſſa cauſa exter-

Gal. in 2. de diff. feb. cap. 8.

terna, uti eſt ſolis ardor, refrigeratio, exercitium, labor, ira, & aliæ hujuſmodi generis, profecto ea erit febris ex putridis. Quandoque vero & has quoque a procatarcticis fieri contingit, mediis tamen humoribus copia vel qualitate facile putreſcibilibus. Unde non immediate putridæ ab hiſce cauſis fiunt, ſed ephemeræ tantummodo. Putridarum calor acris ac mordax eſt, tactui maxime moleſtus, præcipueque in augmento & in ſtatu, in principio vero obſcure mordacitas apparet. Variatque hæc caloris acrimonia & mordacitas intenſione ac remiſſione in variis febribus, in bilioſis acriori & mordaciori apparente, ac in pituitoſis minus eſt mordacitatis, inæqualis quoque eſt putridæ calor. Quæ ex his cum rigore, nulla antegreſſa cauſa, fiunt: putridæ ſunt, proprium non minus putridarum videtur, ut pulſuum in principio compreſſio, quam Græci θλίψιν vocant, fiat: quippe febre incipiente, pulſus parvus inæqualiſque comprehenditur, ni fiat ob aliquem humorem os ventris vel mordicantem vel quovis modo afficientem. Signum proprium atque inſeparabile putridarum eſſe Medici faciunt, ſi in augmento febris pulſuum ſubmiſſionis ſive contractionis (ſyſtolem dicunt) velocitas obſervetur, ſyſtole enim velocior redditur ob copiam fuliginum expurgandarum: contra dyaſtole, id eſt dilatatio tardior; quare ſyſtole velocior, dyaſtoleque tardior obſervata certum putridæ febris ſignum eſſe ſolet. Hinc collige quoque pulſus in hiſce febribus eſſe inæqualis. Vulgatumque eſt apud omnes, pulſus & caloris inæqualitatem putridarum eſſe notam certam. Quibus etiam accedit, quod quies integra poſt declinationem non ſuccedit, quo putridæ ab ephemeris, quæ integram ſynceramque quietem habent, differunt. Urinæ in hiſce febribus, nunquam in principio magnum aut effatu dignum coctionis indicium præ ſe ferunt; atque ita, ut in principio crudæ appareant, aut in ipſis (ni crudæ ſint) debile coctionis rudimentum appareat. Hiſceque indiciis putridæ febres quæ ſunt, nobis innoteſcet. Harum vero quædam à principio ad finem uſque perſeverant, quas continuas Medici vocant, & quædam non perpetuo, ſed cum aliqua intermiſſione ægros affligunt, quas idcirco intermit-

mittentes appellant. Continuæ vero dupliciter adhuc differunt, quando ipſarum quædam a principio ad finem uſque unam acceſſionem abſque ulla remiſſione habere obſerventur, cujuſmodi febris genus Græcis ſynochos, latinis continens dicitur, quo genere ſynochus atque cauſus ſive ardens comprehenditur; illa etiam ex vario accenſionis modo triplex eſt, quandoque calor accenſus à principio ad finem uſque augetur, atque hanc Græci epacmaſticam, id eſt, augeſcentem vocant, altera à principio decreſcit uſque ad finem dereſcens & paracmaſtica dicta, quæ ſtatim ſummum vigorem habet: demum tertia homotonos dicitur, quod à principio ad finem uſque eundem caloris ſive accenſionis tonum ſervet. Hæque omnes continentes dicuntur, quod unica in ſingulis à principio ad finem per multos dies durans fiat acceſſio. Quo genere, ut diximus, & ſynochæ omnes & ardentes comprehenduntur. Quædam vero à principio quidem ad finem uſque continuant, cum quibuſdam tamen remiſſionibus. Quæ febris differentia Græce συνεχὴς, id eſt continua dicitur, à priori quippe ſynocho diſtincta, quoniam habet plures remiſſiones, & ſynochus unica tantum abſolvatur acceſſione, abſque ulla remiſſione, ſub hac febre tres comprehenduntur, quippe ſynocha non putrida, putrida, atque ardens, cauſos Græcis dicta; ſub ſynechi nomine omnes continuæ, quæ nulla alia, quam humorum, à quibus fiunt varietate, differentia interſtinguuntur, alias quidem Medici bilioſas, quaſdam pituitoſas, atque alias atrabilioſas faciunt. Hæ omnes foventur à putrido humore in venis parvis, ut Dogmatici dicunt, accenſo, atque illæ in magnis venis prope cor & viſcera. His adduntur intermittentes, quæ aut ſunt tertianæ, quippe quæ alternis diebus moventur, propter bilem (ut dicunt) extra venas, aut in toto corporis habitu, ut Gal. docuit, aut in prima corporis regione circa præcordia, putreſcentem: aut quotidianæ ex pituita, quæ quotidie acceſſionem habet: aut quartanæ ab humore melancholico, quæ de quarto in quarto moventur, vel quintanæ, ſeptimanæ, octomanæ, atque nonanæ dictæ, quæ ab humore craſſiore fiunt, aut demum erraticæ ſeu inordinatæ dictæ. Atque tot ſunt febres putridæ. His vero

febres peſtilentes addimus, quod aut ſynochæ ſint, aut continuæ, & quandoque (ut aliis viſum eſt) intermittentes, quod tamen ab eruditis Medicis receptum non eſt. Nunc iis præmiſſis, eaſdem particulatim febres ex ſuis ſignis, atque ex cauſis cognoſcamus, à continuis inchoantes.

CAPUT V.

De continuarum febrium cognitione.

Σύνοχος & συνεχὴς differunt, licet è continuis febribus ſint, quod σύνοχος, id eſt, continens; unam tantum à principio ad finem uſque habeat acceſſionem, & συνεχὴς plures cum acceſſiones tum declinationes. Conveniunt tamen, quoniam in iis omnibus ægroti nunquam (niſi prorſus finito morbo) à febre immunes fiant. In continentibus humor putreſcit in magnis vaſis, ſcilicet venis; & in continuis, in parvis & remotis à viſceribus, ſed age de ſingulis particulatim agamus, atque in primis de ſynocho, & de cauſo, id eſt de ardente, ac demum de continuis. Synochus itaque & cauſus non putredine, at humore, qui putreſcit, differunt. Siquidem bilis flava putreſcens ardentem ſive cauſum, & ſanguis ſynocham concitant. Hanc febrem ſanguinis etiam vocant, quod, ut Galenus docet, à ſanguine aut ebulliente aut putreſcente fiat, ex ebulliente ſynocham non putridam nominant, quam merito plerique ephemeram plurium dierum faciunt, alii mediam inter putridam & non putridam, & ſemiputridam vocant; ex putreſcente vero putridam, & febrem ſanguinis nominant, à quo ſanguine putrido licet ſanguis non ſit, nominari poſſe eo modo quo à bile putrida, quæ vere bilis non eſt, bilioſa dicitur, nonnullis viſum eſt. Quomodo dari febrem ſanguinis Avicenna contra Galenum demonſtravit ex Hippocrate, qui in 6. epidem. febres quaſdam ἐξερυθρὰς id eſt valde rubentes dixit, quas Gal. in commento à ſanguine fieri ſtatuit, etſi alibi fieri febrem ſanguinis, quæ ita pura & ſimplex ſit, ut aliqua bilis ſigna in ipſa non eluceant, negaverit. Non, quia (ut alii interpretantur) in ſanguine quod pingue eſt & tenue, in bilem vertatur: at bilis veluti naturam ac-

In 9. meth. med. cap. 2.

In lib. 4. tract. 2. ſen. 1. cap. 43.

In 2. de criſib. cap. 12.

acquirat, ut acrimoniam & motum bilis habeat, cum tamen vere bilis non ſit, ſed ſanguis putridus, à quo febris ſanguinis ſit cognominata: eo modo, quo ardens à putrida bile, quæ bilis quidem non eſt, eſt vocata. Unde ſynochum ad febrem ſanguinis pertinere colligunt ex eo, quod ſanguis vel ſolus vel una cum aliis humoribus ejuſce febris ſit materia. Hic calore accenſus ſynocham non putridam facit, atque putreſcens putridam, ſynocha vero duplex obſervatur, quippe exquiſita, qui à ſanguine ſit putreſcente, quæque in ſanguineis facile ob id accenditur, atque altera non vera ſeu non exquiſita, nempe quæ ſit vel à bile vel à pituita vel à melancholia una cum ſanguine putreſcente. De hac poſterius agemus, nunc de exquiſita & vera loquamur. Cujus ſane caloris triplex eſt modus, quædam enim ideo epacmaſtica dicta eſt, quia à principio ad finem uſque perpetuo augetur, quod in hac ipſa ſanguis copioſior ſit, quam is, qui à calore febrili reſolvitur, aut, uti aliis viſum eſt, quia materia accenſa eſt multa & accenſioni inepta, calorque debilis, qui perinde, ut ignis in lignis viridibus primo debiliter accenditur, & mox ſenſim augetur, ita ſanguinem multum ac craſſum principio debiliter accendit, quæ accenſio poſtea ſanguine magis diſpoſito, in dies magis atque magis creſcit. Altera ſtatim principio ſummum vigorem aſſecuta, paulatim & paulatim ad finem uſque decreſcit, quam paracmaſticam Medici appellant. Paucus enim ſanguis eſt, iſque tenuior, atque calor fortis, qui ipſum vel etiam in principio valide accendit, ipſumque paulatim reſolvit, non ſecus quam ignis in tenui combuſtibili, uti eſt goſſipium, palea, fœnum, & aliud ſimile, ſtatim accenſus omnem ſubſtantiam depaſcens, cito ejus flamma accenſa diminuitur, quoad extinguitur. Tertia eſt, quam homotonum vocant, ob id quod à principio ad finem uſque eundem caloris tenorem ſervet, quoniam in ipſa febre tantus ſit ſanguis, qui calore diſſipatur, quantus ſit qui accenditur. Cauſa vero, qua ſynochæ concitantur, eſt meatuum cutis quos Græci πόρους appellant, denſatio vel adſtrictio vel à frigore, vel à rerum facultate adſtringentium contactu, cujuſmodi ſunt balnea valde frigida, aluminoſaque, vel vaſo-

rum internorum obſtructiones à copia ſanguinis, vel à craſſitie vel à lentore factæ. Quibus caloris nativi impeditur tranſpiratio, ſanguinis ventilatio, atque fuliginum ſolita excretio cohibetur. Quo ex his nativo calore in igneum verſo, primo fervet maſſa ſanguinis & poſtea (auctore Galeno) putreſcit. Unde febres hæ promptius in temperatis ſanguineiſque corporibus bene carnoſis, boni habitus, multi ſanguinis, accenduntur, atque in ætate juvenili & in cœli regione conſtitutioneque temperata, atque in verno tempore. Hæ febres hiſce ſignis nobis innoteſcunt. Synocha enim non putrida ebullitione quidem, non putreſcentia ſanguinis facta, febris apparet continua, uniformis, caloremque præ ſe fert mitem, vaporoſum; ſymptomata quam in putrida atque in cauſo mitiora habet; hæc quoque abſque rigore invadit, ut omnes continuæ facere ſolent; pulſus ſunt vehementes, maximi, æquales; ac urina non videtur multum mutata in colore & in craſſitie à naturali ſtatu. Addidit Gal in 6. epidem. ruborem in facie ac in aliis partibus obſervari: Unde Hippocrates febres ἐξερυθρὰς, id eſt valde rubentes vocat. Rhaſis addidit, ruborem particulatim in facie & in oculis obſervari; reſpirationem difficilem, & cutem tactui veluti à dulci balneo excalefactam apparere; victum multi ſanguinis antegreſſum, ſomnolentiamque & prægreſſam corporis gravitatem, urinamque & rubram & ſpiſſam mingi. Quidam recentiorum vocant hanc febrem inflativam, quippe quæ à ſanguine ebulliente fit, adduntque his ſignis, urinas eſſe ruffas, craſſas, minime fætidas, membrorum gravitatem, venarum plenitudinem, ruborem faciei & oculorum, dolorem frontis & temporum, ad ſomnos eſſe propenſos, & in ſomno videre veluti lampadas & rubra phantaſmata, vel picturas rubri coloris oculis ipſorum obſervari. Putridam vero ſynocham ex Galeno parum à non putrida differre conſtat. Caliditas in hac etiam febre, licet copioſa tactui videatur, mitis tamen & ipſa eſt, ac magis vaporoſa, minus moleſta; quam quæ ex ceteris fit humoribus. Commune omnibus febribus à putreſcente ſanguine obortis eſt, ut Alexander quoque Trallianus expreſſit, quod continuo calor ad manum mitis apparet, nihilque rodentis habet:

In 9. meth. med. cap. 3.
Gal in 9. meth. cap. 4.
Gal. 2. de diff. feb. cap. 9.
Gal. 2. de criſib. cap. 6.
Gal. 9. meth. c. 3.
In 9. meth. med. cap. 4.
In epidem. Rhaſis in lib. divis. cap. 149.
In 2. de diff. feb. cap. 9.
In lib. 12. cap. 3.

bet: Veruntamen eo mordacior, ac magis moleſtus apparet, qui in non putrida eſt accenſus. Pulſus itidem vehementes, maximi, at inæquales, ita ut ſyſtolle dyaſtole ſit celerior, ægrique rubicundi, & pleni apparent; & urinæ rubræ craſſæ, corporaque ſanguineq, boni habitus, ac plethorica. Addunt, calorem non eſſe perpetuo à principio ad finem uſque in omnibus uniformem, quando, uti dictum eſt, in quibuſdam prorſus à principio ad finem uſque ſit uniformis, unde febris homotona dicta eſt, in aliis perpetuo augeatur, idcirco epacmaſtica vocata: atque demum in aliis perpetuo decreſcat, quo febris paracmaſtica itidem dicta eſt. Urinæ videntur aliquantulum à ſtatu naturali mutatæ colore atque craſſitie, pulſus inæqualiores eſſe, ita ut dyaſtole ſyſtole longe celerior ſit, propter excretionem, quæ fit, putridarum fuliginum. Quidam ex recentioribus addunt, urinam rubram, craſſam, lividam ac fætidam obſervari, faciem rubram, ſitim magnam, linguam ſiccam & aſperam, hancque terminari die ſeptima & quandoque ad decimam octavam produci; atque hæc eſt ſufficiens ſynocharum febrium cognitio. Nunc ad cauſum, quæ ex Galeno ardens eſt, declinemus. Cauſum, (ut aliquibus viſum eſt) à caumate, id eſt ab incendio caloris dictum fuiſſe conſtat: quod ægrotis maximum cauma ſeu incendium inducat. Galenus per febrem ardentem, continuam intelligit à bile intra vaſa putreſcente factam; præſertimque ut ipſe expreſſit, in venis ventris, jocinoris aut pulmonis. Duplex eſt, una quæ continens eſt, ſynochaque biliosa dici poteſt, quod unicam à principio ad finem uſque acceſſionem habeat, altera verius ſynechis quam ſynochus, quia habet plures acceſſiones, & remiſſiones, quæ tamen nunquam ad vacuitatem pervenit; at de hac poſterius. Materia in qua ardens febris accenditur, quod duplex ſit, quippe bilis, atque ſalſa pituita, duplicem ideo febrem facit, unam ardentem exquiſitam, quæ fit à bile flava ſyncera in latioribus venis putreſcente; atque alteram notham & ſpuriam dictam, quæ fit itidem non à bile ſyncera, at ſalſæ pituitæ permiſta. Ardens febris plerumque ſolet concitari à cauſis procatarcticis, ſcilicet à ſolis vehementi ardore, à liberaliori potu vini generoſi, à

Arnaldus Villa novanus.

In 4. de vict. rat. in acut. com. 14.

In 2. de diff. feb. cap. 6.

In 1. epid. ſect. com. 20.

In 1. epid. ſect. 7. com. 73.

Gal. in 4. de vict. rat. in ac. com. 14.

longa ſiti, à cibis vehementer calefacientibus, à plurimo labore, venere, vigiliis ceteriſque aliis cauſis, à quibus venæ (ut ait Hippocrates) exhauriuntur, exſiccanturque, quæ trahentes acres fluxiones præbent occaſionem haſce febres gignendi. Signa, quibus ardens exquiſita cognoſcitur, ſunt: primum, ut ſine rigore invadat, qui tamen in ipſa aliquando (Hippocrate auctore) critice ſupervenit, calor eſt exurens, quem ob id Hippoc. paſſim ignem vocavit, quod humor, ex quo fit, omnium ſit calidiſſimus atque ſicciſſimus. Qui calor nunquam ad vacuitatem vel infebricitationem venit. Lingua eſt arida, ſcabra, & valde nigra, ex immodico quippe calore & ex tota corporis affectione ſicca; adeſt & animi faſtidium, à bilioſi humoris acrimonia undique laceſſente; ſitis vehemens eſt inextinguibiliſque ſive clamoſa. Ventris itidem faſtidium ſive morſus ab humoribus acrimonia laceſſentibus, unde ſi humores ad alvum confluant, dejectiones ſunt liquidæ & pallidæ. Vigiliæ adſunt à calidis ſicciſque vaporibus, à quibus interdum aberratio quoque mentis fit, membranas cerebri (meninges vocant) laceſſentibus. Horum vero ſignorum duo ſunt pathognomonica, ſive iſtius febris maxime propria, quippè (ut Galenus etiam affirmat) ſitis inextinguibilis, atque caliditas urens: de quibus ita habet: *Videtur ergo Hippoc. febrem ardentem aſſiduitate cognoſcere ſitis, caloriſque exurentis.* Ardens vero notha ſive non exquiſita, ab exquiſita diſtinguitur, quia ſigna ſeu ſymptomata minus acuta & vehementia habet. Quæ ex Hippocrate ſunt nuper dicta omnia, at minus acuta: & alvus ſoluta, ſitis magna, lingua aſpera, ſicca, ſalſa, non ita nigra tamen, urinæ defectus, vigiliæ, atque alia. Continuæ quoque febres ab iiſdem cauſis concitantur, nempè ab aliquo humorum putreſcentium in parvis venis, quippè vel à bile, vel à pituita, vel à melancholia; de quibus poſterius agemus, priuſquam de putridis intermittentibus ſermonem abſolvamus.

In 4. de vict. rat. in acut. tex. 3.

In 4. aphor. 58.

Hippoc. in 4. de vic. rat. in acut. tex. 4.

In 4. de vict. rat. in acut. com. 13. & in 3. epid. ſec. 3. com. 34.

CAP.

CAPUT VI.

De continuarum febrium prognoſtico.

PRiuſquam prædictarum febrium curationem aggrediamur, primum ipſarum prognoſticum præmittemus, ut ſcilicet febres ſanabiles (in quibus Medici uſum remediorum exercere debent) cognoſcamus, atque non minus medicamentis quæ non cedent, in quibus omnium meritò medicaminum uſus interdicitur, ne cum dedecore & infamia medica ars exerceatur. Quare febres, quarum ſanatio medicamentis ſperari queat, nunc prodemus, & mox exitiales medicamentis non cedentes. Itaque febres à quibus nobiles corporis partes, aut non læduntur, aut leviter quidem, & quas pauca eaque non vehementia ſubſecuta ſunt ſymptomata, atque omnino carent malignitate, omnes ſecuræ ſunt, & ipſis mederi debebimus. De quibus meritò Hippoc. ait: *Bona vero ſunt, facile morbum ferre, bene ſpirare, dolore vindicatum eſſe, ſputum facile extuſſire, corpus æqualiter calidum videri ac molle, ſiti non detineri, urinas & dejectiones, ſomnos, ſudores, ſingula intelligere bona, uti dictum eſt, ſuccedere*; poſtea: *Simpliciſſimæ enim febres & ſignis firmatæ ſecuriſſimis quarto die aut citius deſinunt.* Contra vero ubi multa eaque vehementia una habent ſymptomata, cum gravi nobilium partium læſione, cujuſmodi ſunt dolores acuti capitis, auriumque, punctorii pectoris, pleuræ, diaphragmatis, oris ventriculi, cordis, hepatis, renum, veſicæ, uteri atque ſimilium partium, vigiliæ itidem, deliria, eaque ſæva, & ferina, cordis angores, ſyncope, mala reſpiratio, & una exeuntia excrementa prava, & ſimilia; quibus ſi ſymptomata accedant, quæ ſolent malignitatis eſſe propria, prorſus deſperandum de ſalute erit. Hæc vero ſunt omnia ſigna minime ex ratione morbi prodeuntia. Ut quando in maximo caloris interni incendio extima cutis parum calet, extrema algent, ſi rigeant non critice, ſi non ſitiant, & cibum abhorreant, ſi anxii ſint, ſi morbum non ſentiant, ſi excrementa colore & aliis morbi naturæ haud reſpondeant (quo in hiſce febribus urinæ ſanorum perſimiles maxime de-

In 2. progn. tex. 56.

deteſtantur, non minuſque & pulſus) aut prava ſint, veluti urinæ nigræ, albæ, tenuiſſimæ ac aquoſæ in delirantibus, craſſæ, turbidæ non reſidentes, neque clareſcentes, cum ſedimentis craſſis, nigris, item quæ cum dolore & acrimonia mingun-
In 2. prognoſtic. tur. Ventris colliquationes fætentes, quas Hippoc. lethales dixit, quippè dejectiones aquoſas candidas, croceas, ſpumantes, glutinoſas nigras, lividas, æruginoſas, atque nigras, aut paucas cum torminibus, bilioſas; adduntur ſtillæ ſanguinis nigræ, ſudores frigidi, leves in fronte tantum & claviculis. Vomitus virulenti, malus decubitus, convulſiones, tremores, palpitationes cordis, angores, delirare ægros, & cum delirio floccos carpere, feſtucaſque colligere, atque alia hujuſmodi, quæ malignum morbum denotant, facere. Quibus ſi etiam ſpectentur, quæ virium languorem produnt, à medicamentis
In lib. 4. aph. 49. erit omnino abſtinendum, de his Hippoc. in aphoriſmis: *Si non videat vel non audiat, jam debili exiſtente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima eſt.* Unde auctor prorrheticorum dixit: *prælanguentium deſipientias eſſe peſſimas, uti Traſinonti.* Quo meritò deſipientias blandas, obſcuras, tremulas, valde phreneticas vocavit: Idem ignorantiam, oblivionem, & aphoniam ex
In 1. pror. tex. 8. In 3. epidem. In 4. aphor. 56. Gal. in 1. prorrh. com. 34. In 2. aphor. In 3. epid. ſect. 3. tex. 3. Hipp. in 2. aphor. languore virium denotare Hippoc. ſtatuit; & non minus convulſiones ſingultuſque ſubſequi eſſe exitioſum; & aphonias cum expulſione eſſe pernicioſas Gal. in Sileno & Philini uxore affirmavit; & tremores etiam à phrenitide apparentes; corpuſque apoplecticorum modo reſolutum. Surditatem in acutis horroreſque cum delirio, de quibus Hippoc. inquit: *Horrebant & ſub mortem delirabant; ſomnus neque dolorem neque delirium ſedans, at quinimo utrumque augeſcens.* Comam ſive veternoſum ſomnum ab vehementi febre, vel phrenitide exitialem eſſe Gal. in epidemiis expreſſit; morbum item ægros non ſentire. Ex-
In 3. epidem. Hipp. in aph. 6. In 4. aphor. 46. In 6. epid. ſect. 3. com. 74. trema algere ſi interna urantur: his ſignis animalem facultatem prælanguere quiſque intelliget. Eodem modo & facultatis vitalis languor dignoſcetur, ſi reſpiratio (auctore Galeno) ſit rara & parva & frequens: de hac in Pythione ait: *breviſpirum ante mortem fuiſſe*; magnum vero & rarum ſpiritum parvum fieri & frequentem, exitiale eſſe in illo, qui in Dealcis horto de-

decumbebat, obſervatum eſt; longe exitialius eſt frigidum ægrotos expirare, de quo Gal. ita habet. *Maxima ſigna mortifera per cutem calidus vapor exiens poſt frigidum ſpiritum prius expiratione egreſſum.* Quo in febribus exitialibus tria Medici obſervant, quippe febrem urentem, frigidam expirationem cum raritate, atque vaporem calidum ex cute exire; obſcura reſpiratio itidem eſt exitialiſſima, quippè quæ maxime parva & frequens ſit, phænomenam & ſublimem (quod in ea narium pinnæ, ſcapulæ, & thorax palam moveantur) appellant. De qua auctor Coacorum præſagiorum dixit: *peſſimus autem & morti propinquus, ſpiritus extendens, urgens, & obſcurus, ſtertoroſa vero gutturis ebullitio*, quam κέρχνομ, Græci dicunt, & noſtri rancidum, qui ſpiritus rancidus, *exitium in foribus proximum nunciat*; inæqualis & luctuoſa vocata reſpiratio non minus mala eſt, de qua Hippoc ait: *in acutis paſſionibus quæ cum febre ſunt luctuoſa ſuſpiria, malum.* Pulſus quoque languidiſſimus, tardiſſimus, ac rariſſimus, peſſimi ſunt, poſt hos minimus, molliſſimus, duriſſimus, frequentiſſimuſque. Quo pulſus parvi, anguſti, humiles, tardi, languidi vitalem vim maxime prælanguentem denotant. Deficientes autem, vermiculantes, & formicantes in foribus exitium eſſe oſtendunt; intermittentes ſpacio duorum pulſuum in ominibus exitioſi ſunt, omniumque maxime ex Galeno in juvenibus, in pueris vero & ſenibus non ita ſunt timendi. Proximo anno in Jacobo Antonio Cortuſo patritio Patavino medici viridarii præſide, octuagenario pleuritico, & febre ardente vexato, pulſus fuerunt cum intermittentes, tum deficientes; qui tamen cito convaluit. Syncope itidem, & animi deliquium, cordis angores, tremores, atque palpitationes febres exitialis naturæ notant. Idem de naturali vi dicitur, quippe prælanguidam eſſe, ſi ægroti maxime à cibis omnibus abhorreant. *Hermocrates*, ut ait Hippoc. *quicquam guſtare non valebat.* Non ſitire itidem in febribus æſtuoſis, exitioſum eſt, & præſertim cum antea ſitierint. Auctor prorrheticorum ait: *ſitis, quæ non ex ratione in acutis morbis ſolvitur, mala eſt*; de qua Hippocrates ait: *Huc acceſſit ad cumulum aliud ſignum exitioſum, quod cum antea æſtuaſſent, amplius*

In 6. epid. ſect. 4. com. 30.

In lib. 2. ſect. 2. tex. 39. Galen. in 2. epid. ſect. 3. com. 24.

In 6. aphor. 54. Gal. in ſynops. de puls. cap. 7.

Gal. in 2. de præſag. ex pulſib. c. 4.

Gal. in 2. aphor. com. 6.

In 2. prorrh. tex. 22.

In 1. epid. ſect. 2. tex. 7.

plius non ſitirent. Hoc fieri, aut quod facultas ſtomachi appetitrix extinguatur, aut quod delirantes non intelligant illud, quod patiuntur; aut ob utrumque Gal. fieri aliquando expreſſit; ſitis etiam vehemens perſeverans cum lingua exuſta nigra in febribus eſt peſſima, de qua Hippoc. in Phileſio: *lingua inaruit, ſitibundus erat*; atrophiam quoque facultatis hujus prælanguentis eſſe indicium Gal. ſentiit. Unde facies Hippocratica dicta, ſi intra biduum, aut triduum ita fiat, peſſima eſt, in qua ait Hippoc. *naſus acutus eſt, cavi oculi, tempora adſtricta & collapſa, aures frigidæ, contractæque, fibræ earum verſæ, item cutis circa frontem intenta ac arida, colorque totius viridis aut niger ſi appareat.* Ex excretionibus quoque ſtillas ſanguinis è naribus in febribus continuis prælanguere expultricem denotare Gal. in prorrheticis ſtatuit; quales in Sileno, Uxore Dromeadai & in aliis obſervatæ fuerunt. Sudores itidem ſupervenientes febre non deficiente mali ſunt. Copioſi, aſſiduique in acuto morbo peſſimi ſunt, quod propter virium imbecillitatem ægros ad ſyncopem deducant. De his Hippoc. in Eraſimo: *Habebat hic febrem perpetuo cum ſudore*, & de phrenetico. *Febris horrida copioſus ſudor aſſiduus toto corpore.* Pauci etiam in die decretorio exeuntes ſummam excernentis facultatis impotentiam (ut Gal. eſt auctor) denotant. Non minus pernicioſi, qui cæperunt quidem, ſed protinus ceſſaverunt. Pauci quoque (quos Græci ἐφίδρωσις, noſtri madores, ſive deſudationes appellant) plerumque circa frontem, cervicem, collum aut circa pectus vel circa manus & pedes exeuntes, haud procul abeſſe exitium indicant. Frigidi itidem exitioſi ſunt, Quos Hippoc. in acutis morbis exitium prænunciare & in mitioribus longitudinem dixit. Cujuſmodi fuerunt obſervati ab Hippocrate in Philiſco, Uxore Dromeadai, Pithione & in aliis; idem denotant ſi non ex toto corpore exeant, at ex quibuſdam tantum partibus, de quibus Hippocrates inquit: *Sudabant quidem ſed non ex toto corpore*; poſtea: *Paululum in fronte & claviculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus*; hos retentricem prælanguere indicare Gal. voluit. Nihil juvantes quoque non boni ſunt, at maxime exitiales, à quibus ægroti in deterius abeunt. Unde auctor prorrhet.

In 3. epid. ſect. 3. comm. 44.

In 2. aphoriſm. com. 28.

In 3. prog.

In 3. prorrh. tex. 54. Gal. in 1. prorrh. 1. Hipp. in 4. aph. 56. Gal. in 3. de ſympt. cauſ. c. 2. & in 4. aphor. 41.

In 1. prorrhet. com. 1.

Gal. in 4. aphor. 37. 242.

In 1. epid. ſect.

In 2. prorrhet. comm. 24.

rhet; ait: *Flammans cum ſudore facies, mala*; non ſudare etiam in febribus, quarum proprii ſudores videntur, quandoque malum cenſetur, & præſertim ſi morbus abſque ſudoribus judicetur in die decretorio. Unde Hippoc. de Hermocrate dixit: *Decimoquarto à febre liber non ſudavit*; & poſtea: *Vigeſimo die judicatus à febre liber, non ſudavit, qui poſtea obiit.* Urinæ item copioſæ tenues non juvantes malæ, de quibus Hippoc. ait: *Urinæ multæ, tenues nihilque decretorii quicquam vel boni.* Nigræ ſemper pravæ, ſed auctore Hippocrate in viris longe peſſimæ, quæ ſi habeant nigrum ſedimentum, nullos ſervari poſſe Gal. in Sileni, Philiſcique hiſtoria declaravit. Aquoſæ tenues peſſimæ, omniumque maxime in pueris delirantibus, ita ut neminem his conſpectis convaluiſſe Gal. obſervaverit. Craſſæ, turbidæ, non clareſcentes, non reſidentes eodem modo perniciosæ ſunt, quales in Uxore Dromeadai moribunda, & in eo, qui caleſcens cœnavit, atque in Hermocrate fuere conſpectæ. Nigræ item in aquoſas ſumme tenues mutatæ, quales mulier apud frigidam aquam minxerat, maxime pernicioſas eſſe Galenus judicavit. Pingues non minus atque oleoſæ, quod colliquationis ſint indicium, pravæ æſtimantur. Quæ ſi poſt nigras mingantur, peſſimæ erunt, quales in Cizici muliere excretæ ſunt. Paucæ itidem urinæ cum dolore mordaces pravæ ſunt, de quibus Hippoc. in Sileno: *Die octavo urinas paucas reddebat cum dolore mordaces.* Haſce in Guadagnina dilectiſſima uxore mea, ardenti febre ac mortali vexata, vidimus: & in aliis multis qui obierunt. Interceptas vero, ſive omnino quæ reſtiterunt, non minoris malignitatis eſſe Galenus ſentiit. Eodem modo dejectiones pravæ ſunt, aquoſæ paucæ glutinoſæ, candidæ, nigræ, verſicolores, ſubcroceæ, ſpumantes, meræ ſive ſynceræ bilioſæ, pingues & maxime fætidæ. Auctor prorrheticorum ait: pravas eſſe in ſinceras deſidentes, albas in phreniticis, bilioſas crebras, dyſentericas cum morſu & dolore; de quibus Hippoc. inquit: *Alvi turbatæ erant, bilioſis, paucis, meris, tenuibus, mordacibuſque, & frequenter deſidebant.* Auctor prorrheticorum damnat impenſe rubras, virideſque æruginoſas peſſimas eſſe, quod caloris magno incendio fiant, livi-

In 3. epid. ſect. 3. tex. 41. & 61.

In 4. aphor. 72.

In 1. de criſib. cap. 52. Hipp. 4. aph. 70. & in 1. epid. ſec. 1. tex. 26.

In hiſt. mulieris apud frig. aquam decumbentis.

Gal. in 4. de ſani. tuen. cap. 3.

In 3. epid. ſect. 2. comm. 4.

Hippoc. in prog. in 1. prorrh. tex. 51.

In 1. epid. ſect. 3. tex. 25.

In 3. prorrhet. tex. 35.

daſque non minus, quod nativi caloris refrigerationem notent. Nigras etiam Gal. ita damnavit ut plurimas in ſtatu peſtilenti ſe obſervaſſe dixerit: Hippoc. verſicolores dixit eſſe exitiales; liquidas colliquativas maxime fætentes peſtilentium febrium proprias eſſe deprehenſum eſt, omninoque pravas & lethales Hippoc. in multis experientia didicit. Inſciis ægrotis excretæ omnes malæ ſunt, peſſimæ vero quæ etiam ſuapte natura pravæ ſunt. Nihil item expuere ſi adſit phlegmone in partibus ſpirituoſis, ſumme crudum morbum denotat; & in ſuppuratis; & phthiſicis ſputum ſupprimi eſt lethale: in ſuppuratis bilioſa exeretio ex Hippocrate peſſima; ſputa itidem candida, nigra, livida, verſicoloraque. Vomitus cum multi tum pauci non juvantes, lividi, nigri, virulenti, porracei, verſicolores, graviterque fætentes. Et ex iis, quæ ad cutim tranſmittuntur, exanthemata parva, quæ non ſatis ſunt excernendis morbis, quæque ſtatim recurrunt, evaneſcuntque, de quibus Hippoc. in epidemiis: *tumores parvi non ſuppurantes & abſceſſus aut minores quam prodeſſe queant, aut quidem majores quam ferre queant*; in his colores liventes atque nigri maxime damnantur. Atque hiſce ſignis judicabis febres exitiales, in quibus ab uſu medicamentorum erit abſtinendum.

Gal. in 2. progn. & in 4. aphor.

In 3. epid. ſect. 3. tex. 57.

Gal. in 1. de criſib. cap. 12.

Gal. in l. de conſt. artis medicæ. cap. 58.

In 2. progn.

In 1. epidem. 2. tex. 54.

Hippo. in 2. prog. tex. 39.

In 1. epid. ſect. 2. tex. 28.

Hipp. in 1. epid. ſect. 2. tex. 35.

CAPUT. VII.

De continentium febrium curatione.

FEbribus continentibus quippe ſynochis, & ardentibus, unicus conducit curandi ſcopus, ſcilicet, ut adſtrictus affectus tollatur, quippe meatuum vel internorum, vel extimorum adſtrictio, ſive clauſio, ſine qua cauſa fieri haſce putridas febres non poſſe ex Dogmaticis etiam alias demonſtravimus, atque ut calor accenſus itidem tollatur, qui ex Methodicis medicamentis actu temperate calidis & humidis digeritur, atque reſolvitur. Igitur cum hæc febris vel ſynocha, vel ardens vocata, ſit paſſio adſtricta meatuum præcipue cutis clauſorum, vel à frigiditate, vel à rebus adſtringentibus, vel à ſiccitate, aut venarum meatuum, itidem à ſanguinis copia, aut craſſitie

aut

ait lentore obſtructorum, laxatoriis, ut tollatur præſidiis eſt opus. De quibus Celſus ita habet: *Nam ſi adſtrictum eſt, ducenda alvus eſt: movenda urina, eliciendus omni modo ſudor; in hoc genere morborum ſanguinem etiam miſiſſe, concuſſiſſe vehementibus geſtationibus corpus, in lumine habuiſſe, imperaſſe famem, ſitim, vigiliam prodeſt. Utile eſt etiam ducere in balneum: prius dimittere in ſolium, tum ungere, iterum ad ſolium redire: multaque aqua fovere inguina, interdum etiam oleum in ſolio cum aquæ calida miſcere, uti cibo rarius, & ſerius, tenui, ſimplici, molli, calido, exiguo.* Itaque cum in curandis febribus iis laxatoriis præſidiis ſit opus, eaque ut ex Celſo audivimus plura ſint, quippe ſanguinis vacuatio, purgatio, vomitio, urinæ evacuatio, ſudoris provocatio, balnea, inunctiones, victuſque ratio itidem laxatoria à nobis præſcribenda; videndum erit, qualia ex iis ad ſynochum tollendam conveniant; in primis cum hæc febris morbus adſtrictus & magnus ſit, merito laxatoria etiam magna vocata, cujuſmodi eſt, miſſio ſanguinis, purgatio, erunt pro curatione opportuna, de quibus omnibus, agemus poſt inſtitutam victus rationem itidem laxatoriam. In qua primo aër ſit purus, lucidus, temperate calidus, non valde calidus, ne febrilem calorem augeat, non frigidus ne prohibeat calidarum per poros cutis fuliginum exhalationem. Neque eſt (quod multi faciunt) ut locus in quo habitant ægroti aſſidue aqua frigida aſperſa, aut ſubſtratis vitium capreolis, aut rubi ſummitatibus, aut lentiſci ramis, aut aliis virentibus herbis, ad frigus alteretur, namque frigidus aër adſtrictum affectum auget, cum vel etiam, ut Galenus docet, denſet cogatque cutim, atque putridorum humorum effluxum tranſpirare prohibeat; unde iis febribus vexatos probe linteis coopertos probeque ne extrinſecus ab aëris frigiditate lædantur, munitos decumbere oportet; omnemque refrigerationem, vel etiam quæ flabellis fit, effugere debent, utiliuſque erit, ſi calorem magis quam frigus patiantur; & qui hæc obſervant citius ſanantur, contra, qui frigiditate aëris oblectantur, eaque liberalius utuntur, diutius ægrotant, nimirum quod tarde & non ita prompte calor febrilis exhalet & digeratur. A calore enim excretiones humorum, ac

In lib. 3. c. 67.

In 10. met. med. cap. 8.

In 6. epid. ſect. 5. tex. 27.

ac exhalationes febrilis caloris fieri, & à frigore prohiberi omnes Medici noverunt. Unde Hippocrates dixit: *Refrigeratio, quæ in ventre ſunt, durat.* Ceterum ſi aër plus juxto calidior, ac maxime æſtuoſus fuerit cujuſmodi aliquando per dies caniculares ſentitur, aliquantulum nimia ejus caliditas erit corrigenda; quando immoderate æſtuoſus augere humorum quoque corruptionem, queat. Quo peſtilentem febrem à ſola caliditate aëris immodica excitari poſſe Galen. quandoque affirmavit. Hinc Gariopontus Medicus antiquus in lib. 6. de febrib. cap. 2. de cubiculo ait: *Nam lucidus nimis & calidus relaxat corpus, frigidus & obſcurus conſtringit, mediocriter ex his temperatus mulcet, oblectat & temperat.* Fugiant febre vexati animi paſſiones: cibo utantur tenuiſſimo, ſimplici, ſi febris celerrimo motu moveatur, mediocri, in quibus febris prolixior ſive longior futura, conjicitur. In illis cibus erit poteſtate moderate refrigerans, dabitur tamen actu calidus, ni caliditas febrilis fuerit maxime æſtuoſa, in qua temperatus, aut aliquantulum refrigeratus erit propinandus, qui etiam poteſtate actuque ſit humidus; complures Ægyptiorum vexati febribus nedum Methodicorum diatrito utuntur (quam victus tenuitatem haud omnes Methodici ſervarunt) ſed quinimo longe pluribus diebus nihil aliud cibi aſſumunt, quam ſyrupos quoſdam ex aqua cum ſaccharo. At in aſſuetis pleniori cibo hæc victus ratio, utilis non eſt: quare uſque ad morbi declinationem ſufficiet tenuiſſimus cibus bis in die datus, qualis erit ex iis, qui in uſu ſunt, apud Italos Medicos, panis tritus in jure parvi pulli macro, ſine ſale, oxalidis foliis, aut ſunco, aut acido citri vel limonis alterato, paratus cum lacte ſeminum melonum modicoque ſacchari candidi, atque aquæ roſaceæ; aut ptiſanæ hordeaceæ liquidus cremor addito lacte ſeminum melonum, ſaccharo candido, atque aquæ roſaceæ, modico, aut modicum panis in aqua frigida loti addito modico acidi citri aut limonis, ſi vehemens adſit caloris æſtus; aut ferculum etiam paratum ex cucurbita, vel ex herbis frigidis quippe lactuca, intybo, portulaca, malva cum modico viridium foliorum fœniculi actu tamen moderate calidum dabitur. Non omittam cibos in hiſce febribus apud, Arabes,

In libro de diff. Feb.

Ægy-

Ægyptios atque alias Orientis nationes frequentatos; quorum unus eſt, triticearum furfurum cremor, quem ut parent, accipiunt furfurum partes craſſiores, quaterve aqua pura abluunt, aquam abjicientes noviſſimamque affundentes, quam cum furfurum expreſſo quo ad craſſeſcat decoquunt, quod juſculum modico ſacchari candidi atque aquæ roſaceæ addito calidum exhibent; hoc enim nutrit, refrigerat, infarctus tollit, lenitque; alter cibus eſt, quem ex fermento parant, ejus accipientes exempli gratia nucis quantitatem, aqua macerant, diſſolvuntque & addito ſaccharo decoquunt, & ubi efferbuerit aqua roſacea addita calidum exhibent. Alium ex lacte amygdalarum dulcium parant, ejus lactis libram ex jure pulli extracti, capientes, quem cum modico panis percoctum cum lacte ſeminum melonum, calidum propinant. Alii amygdalas dulces optimas capiunt, detractoque cortice contuſaſque per cribrum tranſmittunt, ac veluti in craſſiorem farinam redigunt (quam Gaſavi laux vocant) ex aqua leviter decoquunt, & additis ſaccharo & aqua roſacea exhibent. Alii Juſculum Maſtahalep vocatum parant (exempli gratia) ex ſeminum melonis, cucurbitæ, cucumeris an. unc. ij. liquiritiæ unc. j. ſem. fœniculorum, portulacæ, endiviæ, malvæ, oxalidis an. unc. ij. contundunt omnia, lac ex aqua exprimunt, modice ebulliunt, & addito ſaccharo offerunt, hoc quidem nutrit, & tenuiorem bilem per urinam purgat. Hicque erit opportunus cibus ad haſce febres continentes quæ celeri motu moventur, ſive, quæ ultra diem ſeptimum non protrahuntur. In iis vero, quas longiori tempore finitum iri conjectura aſſequimur, & in iis, qui pluri alimento ſunt aſſueti, poterit addi ovi recentiſſimi luteum ex jure pulli conquaſſatum, aut modicum carnis pulli contuſi, vel carnium aſſatarum juris expreſſi. Potus itidem erit vel aqua cocta ſimplex vel ex hordeo, addito acidi citri, vel limonis modico atque ſaccharo vel cum julep acetoſo, aut julep è tamarindis paratum. Antiqui dabant oxycratum, quod eſt potus (exempli gratia) paratus ex libra aquæ, & ex geminis unciis aceti albi, addito ſaccharo; atque hæc eſt victus ratio in hiſce febribus ſervanda. Qua inſtituta, videndum erit an alvus laxa ſit, quod

Gal. 10. meth. c. 9.

quod ni ſit, oportebit laxantem clyſterem adhibere, aut corpore multis redundante excrementis, dabunt ſecunda die, (ſi tamen morbus acutiſſimus non ſit) ſyrupum roſatum laxativum ad unc. iiij. ex largiori ſerolactis caprilli, aut pulpam caſſiæ fiſtulæ Abiſſinæ dictæ, quippe rubri corticis, ad unc. js, cum ſaccharo candido, vel in bolis aut in potione ex jure aliquo ſtillatitio factam; aut dabitur infuſum ex ſemuncia pulpæ tamarindorum cum mannæ electæ unc. iiij. aut ex compoſitis elect. lenitivum ad unc. j. s, vel in bolis vel in potione; vel ſi febris celeritas cogat, premittetis clyſterem emollitorium qui parabitur ex libra decocti ſeu juris malvarum, althææ, violarum, bliti, furfurum, aut ex hydromele, & ex oleo dulci vel amygdalino vel violaceo ad uncias quatuor cum ſacchari rubri uncia & ſemis, alii addunt ſalis drachmam; & hoc erit unum ex præſidiis laxatoriis quo primum opus eſt ad harum febrium curationem. Alterum vero omnium ſine dubio ad haſce febres laxatorium præcipuum ac maximum eſt, evacuatio ſanguinis, per venam ſectam. Non tamen, ut Dogmatici voluerunt, uſque ad animi deliquium Methodicis educendum videtur, quod omnis animi defectio ſit periculoſa, & virtus prælangueat, niſi corpus fuerit valde robuſtum; in robuſtis utilitas eſt, quod primum in contrarium ſtatum agitur corpus celerrime ex animi defectu refrigeratum, & in hujuſmodi corporibus, ut Gal. ſcribit, neceſſario ſupervenit alvi dejectio, nonnunquam etiam bilis vomitio, & toto corpore madores ſudoreſve excipiuntur. Hoc vero fit calore nativo intus ad cor ipſum retracto, qui ſi robuſtus ſit, intro unitus augetur & poſtea erumpit ad omnes partes corporis, atque eas quoque ideo vacuationes molitur, quod ſcilicet ſublata plenitudine, qua natura gravabatur, & exinde robuſtior facta natura contra reſiduum inſurgit, atque illud quod expulſioni eſt aptum, per varia loca expellit, igitur evacuatione ſanguinis ad animi deliquium facta per ſe naturæ robur diminuitur, & prælanguet natura, ex accidenti tamen (quod tantum in robuſtis locum habet) calor intus retractus, ac unitus aliquod roboris exinde nactus mox extra erumpens, utiles evacuationes præſtare ſolet. Hoc tamen in robuſtiſſimis, &

Gal. in 9. meth. med. & 5. cap. 4. & in 1. ad Glauc. c. 13.

In 9. meth. c. 4.

Gal. in 3. de temper. cap. ultimo.

& rarò etiam tentandum. In debilibus vero nunquam, etenim natura debilis ab immodico ſanguine evacuato plurimum patitur, & prælanguidior exinde facta, quicquam boni adverſus morbum agere non poteſt. Quare ubi virtus permiſerit tuto ſtatim ſecanda erit vena dextri cubiti interna in corporeque ſi fuerit plenitudo ac vires etiam permittant ſanguinis libra educetur, atque ex altero brachio die altera etiam ſanguinis convenientem quantitatem evacuabimus. Qua repetita evacuatione ſanguinis hac ætate plures nationes in his febribus utiliter utuntur; plus enim laxat plurium venarum quam unius ſectio ſeu apertio. In ſynocha cum putrida tum non putrida omnes conveniunt, quod ſtatim ſanguis mitti debeat. De Cauſone vero ſeu ardente febre non pauci dubitarunt, an ſanguinis evacuatio conveniat, quod non ſanguis ſed bilis flava abundet, ideo ad animi defectum ſanguinem vacuari nullo modo permittunt. Quod tamen genus præſidii Galenus & in maximis inflammationibus, & in adurentibus febribus ac vehementiſſimis doloribus ſemper maximi fecit. Nam (ut ait) *& in ardentibus febribus ſi uſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam alvus citatur, & ſudores emanant, & quidam eorum ex his ſanitati ſunt reſtituti, alii adjuti plurimum, vehementiam ægritudinis abſciderunt.* Ceterum uti dictum eſt (licet in robuſtis corporibus, aliquando ex ſententia evenerit) Methodicis, ac aliis etiam rationalium Medicorum non paucis conſultius viſum eſt, ad animi defectionem, ut voluit Galenus, non eſſe faciendam ſanguinis eductionem, ſed ejus quantitatem, ex morbi magnitudine & viribus metiri debere. Hippoc. dixit: *In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, floruerit que ætas ægrotantis & virium adfuerit robur.* Methodici concedunt mittendi ſanguinis ſcopos eſſe magnitudinem morbi, quod ſanguinis miſſionem fecerint, unum ex maximis laxatoriis, ut Gal. quoque in hoc loco expreſſit, atque virium robur, neque florentem ætatem ſcopum neceſſarium eſſe admittunt, cum à morbi eſſentia hoc præſidium in omnibus indicetur, à viribus vero permittitur; quare & ipſi magnitudi-

In 1. aphor.

In 4. de vict. rat. acut. tex. 19.

nem morbi, id eſt, uti dicunt, ſtricturæ magnitudinem perpetuo ſanguinis miſſionem indicare, licet etiam nulla affuerit ſanguinis plenitudo, & hoc eſt veriſſimum & utiliſſimum in omnibus hiſce febribus & phlegmonibus internis (quos affectus Hippocratem tantummodo hoc loco intellexiſſe ſi complures animadvertiſſent) jam diu ceſſaſſet ea inutilis controverſia demittendi ſanguinis ſcopis, vel à magnitudine morbi vel à plenitudine (quæ etiam inter celebres Medicos nunc inutiliter agitatur) indicandis; ex Methodicis vero convenit in febre etiam ardente ſanguinis evacuatio, quia hæc febris morbus & adſtrictus & magnus eſt, idcirco merito ſanguinis evacuatio tanquam laxatorium magnum indicatur; Ægyptii, Arabes atque aliæ nationes in pueris, & corporibus albidioribus tenui ſanguine abundantibus ſcarrificatione crurum ſanguinem utiliſſime demunt. Quod genus evacuationis, veluti hac ætate Italis Medicis omnino eſt ignotum, ita antiquis omnibus fuit notiſſimum, & maxime familiare, de quo præſidio, qui plura ſcire deſiderant, legant noſtros libros de medicina Ægyptiorum proximis annis evulgatos. Alii cucurbitulis cum ſcarrificatione familiarius ad vacuandum ſanguinem utuntur, quam evacuationem nos non leviter damnandam putamus, omniumque maxime cum Hippoc. & Galeno in plethoricis corporibus. Unde præmittendam eſſe univerſalem, priusquam moliatur ſanguinis evacuatio adhibitis cucurbitulis, per venam ſectam, aut per ſcarrificationem crurum antiquorum modo factam, judicavimus (quando hoc præſidium evacuatorium Gal. vicarium fecerit ſectionis venæ, minimeque cucurbitulas) & hæc de ſanguinis vacuatione. De qua cum actum ſit, reſtat, ut medicamenta modo proponamus, & primum illa quæ interius aſſumuntur, & poſtea illa, quæ exterius adhibentur. Quæ interius aſſumuntur, ſi à ſimplicibus exordiri voluerimus, ex Dogmaticis fuerunt aqua ſimplex, pſyllium, ſantalum rubrum, parietaria, fructus berberis, uva immatura, fructus mali citri, aurantii, limonis, herbæ omnes cichoraceæ, uti oxalis, intybus, ſuncus, endivia, ſemina refrigerantia; quæ qualitate frigida, uti Dogmaticis videtur, his febribus adverſantur. Quod pertinet

In 2. aphor. com. 17.

tinet ad aquæ uſum, complures familiares ſunt, ſcilicet, aqua ſimplex, & cruda & cocta, cum ſaccharo & acido citri vel limonis vel aqua hordei, aqua panis dicta, aqua anguriæ Batechel muja Ægyptiis dictæ, aqua lactis ſive ſerum atque carnis & ſtillatitiæ omnes ex refrigerantibus herbis paratæ: ſed age de aqua ſimplici plurimi ab antiquis ad harum febrium curationem æſtimata loquamur, ſane ad haſce febres extinguendas præſidia omnium efficaciſſima antiquitas novit, ſcilicet ſanguinis evacuationem, copioſam; & nonnunquam ad animi deliquium factam: atque aquæ fontanæ frigidæ largum potum, de illo nuper egimus, de hoc modo agendum eſt: de quo præſidio hæc intelligenda ſunt: primum qualis hæc aqua, & cujus facultatis ſit, & quomodo hiſce febribus medeatur, quibus præſertim danda ſit; demum quid ex Methodicis de ejus uſu ſit dicendum. Per aquam ad haſce febres utilem intelligimus fontanam & fluvialem actu frigidam, Cujus facultas per ſe eſt refrigerans, ex accidenti tamen calefacit, neque inſtrenue, ut Hippocrates, Gal. & alii noverunt, nimirum repercuſſo calore, intus denſatis meatibus cutis ſi large cuti affundatur. Optima tribus ſenſibus dignoſcitur, quippe guſtu, quod ſcilicet ita ſimplex ſit, ut nullam qualitatem guſtui inferat apiaque ſive inſipida appareat, viſuque lucida, clara, atque odoratu, quod cujuſvis odoris eſt expers. Dioſcorides dixit, optimam eſſe dulcem, nullius qualitatis participem, & quæ ne minimo quidem tempore in hypochondriis moratur, & quæ facili via fertur, & citra moleſtiam, nec inflationes creat, & minime computreſcit. Hujuſmodi eſt Nili fluminis aqua, qua clarefacta utuntur Ægyptii, quæ etſi largius bibatur nihil fluctuat, ſed citiſſimo tempore aut per ventrem, aut per urinam, aut per ſudorem exit; de hac nos in libris de medicina Ægyptiorum ſcripſimus. Optima itaque hæc eſt, cujuſmodi etiam eſt optimorum fontium. Quæ epota cito viſcera permeat, ad urinam fertur, vel ſi æſtas ſit ad cutem, unde ſudores excitantur. Quæ caloris incendium contemperat, ita ut jecoris caliditatem maxime corrigat. Unde mirum non ſit illiuſce aſſiduo uſu complura corpora calida & ſicca bilioſa, macra, optimum habitum contraxiſſe, cujuſmodi

Gal. in 9. meth. med. cap. 5.

Gal. in 1. ſimpl. In 5. aph. 21. & 25. In 1. ſimpl. In 3. de temp. c. 4. & ultimo. Gal. in 1. ſimpl. cap. 5. In 5. de medica cap. 9.

di Ægyptiorum corpora esse videntur, quæ cum ex cœlo summe calido & sicco, biliosa, macra & squalida esse debuerint, aquæ Nili fluminis assiduo usu ad bonum habitum permutantur; (proptereaque populus Ægypti credidit eam aquam sanguinem in corporibus generare) ut pingues atque carnosi evadant. Unde merito Rationales Medici hisce febribus vehementer calidis convenire voluerunt, quod ipsarum calorem frigiditate extinguat, atque putridum non minus humorem vel per vomitum vel per ventrem vel per vesicam vel per cutim expellat. Ab aqua itaque potu refrigeratione solidarum partium animalis natura roborata, prætenuatos jam humores aggreditur, putridosque (ut dictum est) vel per vomitum vel per ventrem vel alio modo expellit. Galen. complures ab ardentissimis febribus hoc remedio sanatos vidit, & quendam juvenem meminit in fervoribus sub canicula ex ira febricitantem, qui cum prima accessione duas heminas aquæ bibisset, statim vomuit flavissimam bilem, & paulo post eandem per ventrem dejecit. Hanc vero dandam ad saturitatem cum Græci tum Arabes voluerunt, in his potissimum febribus, quæ maximæ, vehementissimæque sunt, in robustis corporibus assuetisque potus aquæ, nulla existente in visceribus vel obstructione, vel phlegmone, aut imbecillitate, apparentibusque coctionis signis. Methodicos & ipsos ejusdem frigidæ aquæ potum, nedum ad hasce febres quando sunt vehementes, sed ad omnes alias etiam ubi calor æstuosissimus ægrotos vexat, dandam minime contendisse, putamus. At quomodo istuc? cum omnem febrem morbum adstrictum fecerint, & aquam frigidam medicamentum adstrictum, quomodo igitur adstrictis affectibus auxilio esse poterit? Eos non latuit febris naturæ igneæ adversissimam esse aquam sua frigiditate. Unde Petronas Medicus frigidam ad ægrotantis arbitrium dabat. Appollonius vero atque Dexippus. Hippocratis auditores neutiquam aquam propinabant, quod in affectu adstricto; frigidum densando meatus, ac refrigerando augeat strictura & coctionem impediendo curationem (cum nihil sit aliud curatio ex Hippocrate quam concoctio) retardet. Unde merito Galenus quoque, qui tantopere frigidæ aquæ usum ad

In 9. meth. c. 16.

Galen. in 1. de vict. rat. in acut. com. 43.

In lib. de Veteri medicina tex. 33.

ad haſce febres commendavit, non negavit frigidam aquam denſare meatus, caloris febrilis reſolutionem retardare, crudoſque humores refrigeratione ſervare, ſeu ipſorum augere cruditatem. Hinc Methodici ſæpius ad calorem ſitimque corrigendam non frigidam ſed calidam aquam dabant, ex quo negabant in omnibus febribus frigidam exhibendam, quod cum ſit craſſarum partium, diu in hypochondriis maneat, meatuum obſtructionem augeat, atque humores recrudeſcere faciat, quod nihil quidem eſt aliud, quam morbum cauſamque augere. Quo pacto itaque utilis eſſe poterit? Eo ſane modo, quo Hippocrates ſcribit frigidam large affuſam, caloris revocationem faciendo atque eo modo calfaciendo, diſtenſionibus, doloribus articulorum, podagricis aliiſque morbis mederi. *Sed nec latet* (ait Galenus) *qua ratione illud accidat, ſiquidem ſtipata clauſaque corporis ſumma facie, repercuſſus, refractuſque ſit caloris ejus, qui à profundo aſcendit, qui quidem ſimul propter diſflatus inopiam eſt acervatus, ſimul propter frigidi circunſtantis violentiam in altum recedit, ſimul ex ſuccis illic habitis nutritur, quippe, ubi collectus nutrituſque calor ad ſumma corporis violentius ruit, ſit quidem caloris repercuſſus.* Unde (ut ait Hippocrates) calor intus auctus & roboratus erumpens ad partes extimas, humores valenter digerit ac reſolvit. Non diſſimili argumento credendum aquam frigidam large epotam, primo ſtomachum refrigerare & partes proximas, meatus denſare, calorem repellere in altum, qui unitus, & copia auctus humoribuſque iſtic habitis enutritus, & roboratus, humores putreſcentes concoquit, valentius digerit, ac erumpens ad habitum corporis, ſimul cum aqua attenuata, fundit, ad cutem eoſdemque humores vehit, unde ſudores fiunt, vel ad ventrem natura humores propellit, , vel vomitu rejicit, ut in quodam juvene, à Galeno, obſervatum fuit, qui ab epota aqua cum per vomitum, tum per alvum flaviſſimam bilem rejecit. Galenus alia ratione (uti etiam dictum eſt) credidit, aquam frigidam large epotam haſce febres ſanare, quippe refrigeratione ſolidarum partium animalis naturam roboratam, prætenuatos humores aggredi, utileſque ad nutrimentum ad ſe attrahere, & putridos inutiles excernere.

Loco citato in l. de vict. rat.

In 5. aphoriſ. 21. & 25.

In 3. de temp. cap. 5.

In 10. meth. medendi cap. 5.

Neque immerito refrigeratione roboratur, cum à ſtomacho refrigerato frigiditate communicata aliis partibus, natura, quæ calore immodico veluti ægrotabat, eodem calore ſublato ſublevatur. Quod ſi ita eſſet, profecto aqua frigida non tantum ſynochis & ardentibus vehementibus, ac omnibus quidem aliis mederetur, quod in omnibus epota refrigeret, & communicata frigiditate per partem poſt partem ſolidis partibus, natura roboretur, quæ roborata valentius concoquendo digerendoque humores, febres tolleret. At ne vel etiam Gal. conſulit, in iis, quæ non vehementes æſtuoſæ ſunt, frigidam eſſe dandam, cum in aliis omnibus, quæ maxime ardentes ac æſtuoſæ non ſunt, epota frigida aqua maxime lædat, obſtructa, humorumque cruditatem augendo, quo merito in iis ab omnibus damnatur. Verum Methodicis alia fortaſſe ratione fieri fuit perſuaſum, quippe internis meatibus ex immodico calore febrili nimium difuſis atque laxatis (quod per hoſce meatus plurimum nativi caloris exhalet, effluat, ac diſſipetur naturamque brevi extinctum iri intelligatur) ab aquæ frigiditate denſatis natura nimio caloris effluvio, prælanguens colligitur, reparatur, atque ſuo robori reſtituitur, ex quo robore aucta, humores noxios concoquit, extenuat & inutiles excernit, & febrilem calorem digerit reſolvitque. Atque hæc ratio eſt, qua frigidam aquam febribus mederi ii voluerunt, ab ea profecto non diſſimilis, qua ex Hippocrate eandem large affuſam partibus dolentibus, inflammatis, & convulſis mederi diximus, ſcilicet revocatione caloris: quod alia conjectura etiam, confirmamus, quippe quod hæc, faciat large epota perinde, ac large extimis partibus affuſa, atque in robuſtis & non debilibus eſſe affundendam; quia in debilibus corporibus calorem non auget, ſed extinguit, de qua re Gal. in 5. aphoriſ. 21. ita habet. *Nam aquæ frigidæ occurſus aut vincit nativum calorem, aut colligit: vincit quidem, cum debilis fuerit: colligit autem cum fortis, ipſum continens ac diffiari prohibens:* Idem præceptum itidem eſt, de frigida in hiſce febribus danda, quod nimirum robuſtis & non debilibus exhibeatur, quod itidem in illis per antipariſtaſim calor colligatur, atque in his quippe debilibus vincatur ac extin-

tinguatur. Unde colligitur hoc genus præſidii non in omnibus quidem febribus utile eſſe, ſed in iis ſolummodo, quæ habent calorem vehementiſſimum æſtuoſiſſimumque, atque in locis calidiſſimis, & in æſtate ſumme calida, quia talibus febribus (quæ, quod habeant eſſentia caloris, qua fiunt intra corpus ab obſtructis meatibus veluti clauſam & adſtrictam, merito adſtricti morbi ſunt) etiam laxus & profluens affectus copulatur, qui fit, ubi febrilis calor uſque adeo auctus eſt, ut meatus internos arteriarum ſcilicet venarumque nimis diffuſos & amplos reddat. Per quos effluvio caloris nimium exhalante, natura profluente affectu extinguitur: quare merito cum mixtus ſit affectus ex adſtricto & laxo, laxoque urgentiori occurrentes aquam frigidam febricitantibus exibendam Methodici voluerunt. In Ægypto & in aliis orientis locis hoc genus remedii in frequenti eſt uſu. Quibus in locis perpetuo, in calidiſſimis & maxime æſtuoſis hiſce febribus ad aquæ frigidæ potum largiorem, magna cum utilitate, confugiunt. Galenus expreſſit ſolummodo in febribus exhibendam, quæ præter modum calidæ atque æſtuoſæ ſunt. Itaque in vehementer æſtuoſis in ſummo æſtatis calore, in corporibus aſſuetis, & robuſtis quippe juvenibus, nullam partem debilem habentibus, nullo phlegmone in viſceribus exiſtente, nulla item obſtructione inſigni aqua frigida large propinanda erit. Contra in non prætermodum calidis, in frigidoque aëre non dabimus, neque in debilibus, neque aliquam partium internarum inbecillitatem habentibus, neque in obſtructis, vel in morbo omnino crudo. In his quidem magna incommoda (Galeno auctore) inducit; ita ut aliis ita gula læſa ſit, ut vix deglutire potuerint, aliis ventriculus ut vix poſtea concoqueret, aliis os ventriculi maxime læditur, aliis jecur, aut colon, aut pulmo, aut ſeptum tranſverſum, aut renes, aut viſica: alii ex ipſa epota in difficultatem ſpirandi inciderunt, alii in convulſionem & tremorem, atque alii aliis affectibus ob aquæ potum tentantur. Hinc Methodici actu non frigidam exhibendam in febribus, quæ non ſunt admodum æſtuoſæ voluerunt. Quod & Hippoc. quandoque docuit. Itaque cum hæ febres non

In 1. ad Glauc. cap. 13.

In libro de locis in homine tex. 39.

non ſunt admodum æſtuoſæ, ex quo non habeant laxum affectum conjunctum ab actu frigidis cavendum erit; qui ſi calida abhorreant ſaltem non actu frigida potui erunt danda. Itaque his ægrotis dabitur vel aqua ſimplex cocta, aut hordeacea tepida cum julep de pulpa tamarindorum, vel ex acido citri parato; vel in potu dabitur aqua ſtillatitia ex oxalide vel, boraginc, vel endivia, vel taraxico cum ſaccharo, vel julep aliquo ex prædictis. Hippocrates verò varias potiones ad febres in libris de morbis recenſuit, quas apud ipſum quiſque legere poterit. Recentiorum Dogmaticorum aliqui potum ad eaſdem parant, ex ſacchari libra, ſucci granatorum acidorum unc. viij. aceti albi unc. iiij. atque aquæ communis lib. iij. omnia miſcentes ſimul. Alii accipiunt aquæ coctæ lib. vij. ſacch. lib. ij. aceti albi unc. vj. diſſoluto ſaccharo potum parant, exhibent ſingulo mane ad ſemilibram calidum. Alii alium potum ægrotis haud injucundum parant, itidem accipientes ſacchari roſati, buglоſſati, boraginati an. unc. i. s. diſſolvunt in aquæ oxalidis, bugloſſi atque endiviæ an. libra media, percollatæ aquæ addentes ſyr. de pomis, de citri acido, de oxiſaccharo an. unc. ij. hujus exhibent ad unc. iiij. atque hæ ſunt potiones ad febres Dogmaticis familiares, quarum uſus eſt, ſingulo mane ad ſemilibram à qua ægri pannis conteguntur, ut ſudent; de qua etiam ſæpius in die ipſis concedunt, ſed, in pauca quantitate ad ſitim moleſtiſſimam reſtinguendam; qui illas valde frigidas potant, nedum à ſiti & à calore liberantur, at quinimo paulo poſt, plus ſitiunt, atque magis æſtuant calore. In iis vero quæ præter modum calidæ & æſtuoſæ ſunt, dantur etiam à Methodicis actu frigidæ potiones, ea ratione qua aquam dari illis diximus. In febribus his non vehementer æſtuoſis decocta, atque aquæ ſtillatitiæ rerum facultate frigidarum actu calidæ propinantur, cujuſmodi ſunt, quæ ex endivia cichoreo, ſunco, oxalide, portulaca, malva, & ſimilibus parantur: dantur inquam ad uncias quatuor cum ſacch. vel cum ſyrrupo violato vel acetoſo, vel de acido citri in aurora actu calidæ. Nonnulli pro ſecreto habent, exhibere ſingulo mane helxinæ Dioſcoridis, id eſt parietariæ decoctum, ad unc. iiij. ex ſacch. vel ſuc-

In lib. 6. tex. 29.

cum ad unc. ij. ex ſacch. Ægyptii exhibent magna cum utilitate lac calidum, expreſſum è ſeminibus melonis, anguriæ, cucumeris, cucurbitæ, endiviæ, oxalidis, malvæ, althææ, portulacæ, cum ſeminibus etiam fœniculi, ex aqua ſtillatitia & ſacch. candido; conterunt in mortario, & ex jure pulli exprimunt & cum modico ſacch. candidi exhibent ad uncias quatuor in aurora calidum. Aliqui Ægyptiorum in vehementiſſimis æſtuoſiſſimiſque febribus exhibent mane mucaginis pſyllii ex aqua roſacea actu calida ad unc. iij. quæ ſi etiam malignitatem ſapiunt, ſemina quoque pſyllii optima recentia ter quaterque ex aqua lota, cum roſacea aqua exhibent, ad drachmas duas, tanta cum utilitate, ut aliquando ſudorem moveant, & plerumque bilem porraceam æruginoſamque virulentam per alvum non ſine admiratione, educant; ſed de hoc medicamento accurate ſcripſimus, in libris de medicina Ægyptiorum ſecundæ editionis. Itaque propoſitis alterantibus medicamentis intro aſſumendis, reſtat, ut de laxatoriis purgantibus agamus. Hæc cum duplicis ſint differentiæ, quædam vere laxantia ventrem, & quædam vere purgantia, de laxantibus nunc agimus, quæ uſum habent, ſi alvus adſtricta fuerit; hæc ſunt aut clyſteres lenitorii, quos ſuperius meminimus, qui alternis diebus ſi alvus fuerit adſtricta injicietur, quod ſi alvus fuerit fluida, cum ab his tum ab aliis omnibus laxatoriis abſtinendum erit. Poſt Clyſteres ſunt ea, quæ per os aſſumuntur, ut eſt pulpa caſſiæ abiſſinæ dictæ ad unc. i. s. pulpa tamarindorum, manna maſtichina ex aqua ſtillatitia diſſoluta ad unc. iiij. & alia quæ alias meminimus. Ex antiquis Hippocrates dabat lac aſininum coctum ad libras tres vel quatuor. Cujus uſus antiquis fuit valde familiaris. Dioſcorides dixit, aſininum, bubulum & equinum ad ventrem movendam eſſe idoneum, at ſerum lactis (ait) eſſe longe potentius ad purgationes, quod lactis loco Galenus quoque exhibebat, & meritò cum lac febricitantibus dare malum ſit, in quibus multis de cauſis videtur ſuſpectum, etſi coctum minus videatur. Ægyptii & Arabes parant ſyrupum ex granatis dulcibus & ex ſaccharo laxativum (qui dici ſatis non poteſt, quam ſit jucundus & utilis) ad haſce febres. Nonnulli

In 4. de viſt. rat. acut. tex. 109.
In 7. epid. Hipp.
In 2. de meth. meden. cap. 62.

in alvo adſtrictis clyſteriorum loco exhibent bolum ſtatim ante cibum, ex pulpa caſſiæ fiſtulæ trium drachmarum pondere, aut dant bolum ex floris caſſiæ recenter extractæ & optimæ pulpæ tamarindorum an. unc. ij. atque ſaccharo; ſyrupus etiam violatus ſolutivus ex ſtillatitia aqua aut ex ſacch. ad unc. ij. Atque hæc de laxatoriis lenientibus. De purgatoriis Methodici non admodum ſoliciti in febribus fuerunt; raro purgantia vel nunquam exhibebant, quod hæc ſtomachum ſubvertant, appetitum deſtruant, coctionem turbent, neque commode purgent, neque (uti illis viſum eſt) humorem particulatim facientem obſtructionem intus adſtrictum, at illum qui in partibus corporis patentioribus exiſtit, cujus purgatio non tollit febrem, à quorum ſententia Hippocrates etiam haud diſenſiſſe viſus eſt, cum in febribus vel nunquam vel non niſi poſt decimamquartam diem exhibendum purgans medicamentum voluerit. Pauciſſimis quidem medicamentis Hippocratem in medendis ægrotis fuiſſe contentum cuique patebit, qui ægrotos deſcriptos ab ipſo in libris epidemiis attentius obſervaverit: etenim coctione magis quam purgatione febribus medebatur; & in hoc parum ab ipſo diſcreparunt Methodici, cum & ipſi coctione ac digeſtione, apertioneque meatuum, ſive rarefactione fuerint contenti. Quam curationem ad unguem Hippocrates expreſſiſſe viſus eſt, cum dixerit: *Corpus quieti permittere, ungere & æqualiter contegere oportet, mulſamque aquoſam bibendam & ptiſſanæ cremorem veſperi ſorbendum dabis, ventrem ab initio clyſtere duces, ſed medicamenta purgantia non admovebis, nempe ſi ventrem moveris urina non maturabitur, febriſque citra tum ſudorem, tum indicationem in longum protrahes tempus.* Et merito ſane purgantium non licet tunc exerceri uſum, quod humores tunc crudi ſint, neque educi commode queant, & purgantia coctionem impediant, quæ eſt præcipuum quoddam quo febres reſolvuntur. Itaque purgantium loco Methodici clyſteribus laxatoriis utebantur omnino ab eductoriis abſtinentes; poſſet tamen ſi occaſio fuerit alvi adſtrictæ, uſus laxatoriorum emollientium (ut ſuperius dictum eſt) utilitatem præbere, ex iiſque ea admitti debebunt, quæ guſtui haud ſunt plane injucunda; atque

In 4. de vict. rat. in acut. tex. 44.

que hæc ſunt medicamenta quæ interius aſſumpta ſynochis atque ardentibus medentur. Nunc de externis, quorum uſus non minus utilis, quam ſit internorum, intelligitur. Methodici huic curationi primas dabant partes, namque poſt aliquot dies præmiſſa ſanguinis vacuatione, ventris laxatione ad balnea, ad epithemata, ad inunctiones, fomenta & ad ſimilia accedebant. E balneis, dulcia tepida, id eſt, moderate calida in frequenti habuerunt uſu, & merito, cum meatus laxent, rarefaciant, aperiantque, & putridos humores digerant atque evacuent: qua via ſcilicet digeſta materia calida, ab humiditate caloris incendio hebetato, corpus refrigerant. Quare corpora immergunt in aqua dulci temperate calida poſt primos dies, quippe poſt morbi principium, unde cum Dogmaticis conveniunt, qui & ipſi incepta coctione, ſcilicet ubi coctionis ſigna videri cœperint, balnea inſtituunt. Conducit etiam in aëre ſolii calido aliquantisper ægrotos morari, quoad fiat aliqua humorem digeſtio. Utebantur etiam non minori cum commodo inunctionibus calidis ad univerſum corpus ex oleis laxantibus rarefacientibus, digerentibuſque, quale eſt chamomelinum (ſed eo propter acutum & inſuavem odorem non ita facile utebantur) amygdalinum, irinum, hydræleum, commune dulciſſimum, & quod ex floribus cyclaminis paratur. Particularibus quoque balneis iiſdem & ad caput, & ad pectus, & ad hypochondria, ad renes, atque ad alias partes corporis utebantur. Ad caput, ad frontem, atque ad tempora ſpongias ex aqua calida expreſſas apponebant. Hippocrates in aphoriſmis inquit; *Multa aqua calida capiti ſuper infuſa febrem ſolvit.* At & ex aquis quoque, vel ex ſuccis convenient, quæ ex herbis facultate frigidis parantur; attamen non frigida hæc ſed actu calida erunt adhibenda. Hinc videtur maxime damnandus uſus oxyrrhodinorum vocatorum medicamentorum, epithematum, atque aliorum actu frigidorum quæ fronti, temporibus, aut pectori admoveri ſolent; & præſertim etiam ſi in hiſce febribus caput doleat, neque etiam in principio hæc medicamenta actu frigida his conferre poſſunt, cum meatus actuali frigiditate denſent, exindeque vapores, humoreſque ad caput aſcendentes intra contineantur,

Gal. in 11. meth. med. cap. 9. Alex. Trall. l. 12. cap. 3.

In l. 7. aph. 42.

tur, copiaque & qualitate moleſta (quod non habeant exhalationem per poros cutis) augeantur. Quibus quidem rationibus medicamentorum actu frigidorum partibus extimis admovendorum uſum idcirco Methodici minime laudarunt. Hæc enim medicamenta oxyrrhodina, vel epythemata actu frigida vel ad caput, vel ad thoracem, vel ad hypochondria, vel ad alias corporis partes appoſita, affectum adſtrictum vi ſcilicet meatus denſante repellenteque (prohibitaque nimirum exhalatione per poros cutis) conduplicare Aurelianus poſteritati tradidit. Quod præceptum non minus etiam alii Medici Dogmatici eruditis ſervare ſtuduerunt. Quare cum cataplaſmata, tum oxyrrhodina, tum epithemata calida adhibenda erunt, ut poris cutis ex temperata caliditate rarefactis, humores digerantur, & calor præter naturalis exhalet. Itaque parant epithemata (exempli gratia) accipiendo, aquæ ſtillatitiæ boraginis, hordeaceæ, endiviæ vel alterius ſimilis, non calidæ facultatis, herbæ an. unc. iij. ſantalorum omnium tenuiſſime pulveriſatorum an. ſcrup. i. Croci gr. v. Aceti albi, vel vini aromatici unc. i. Adhibent ex linea petia imbuta ad thoracem, ad hepar vel ad aliam partem temperate calidâ: fovent Jecur tepido unguento ſantalino, vel roſato, cum modico aceti vel croci; item oleo violato lacti mixto modice calido utuntur ad Thoracem, hepar, reneſque. Methodici unum habuerunt in frequenti uſu, quippe ad hypochondria fomenta laxantia, aut ex decocto, althææ, malvarum, chamomeli, ſeminis lini, fœnugræci & aliorum ſimilium aut ex hydræleo calido: aut ex oleis laxantibus digerentibuſque parata. Quod genus remedii Gal. reprehendit, ſed an recte fecerit, in primo libro conſideravimus. Hoc tamen Hippocr. non damnavit, qui in lib. de vict. in acut. ita ſcripſerit: *Super præcordium vero lini ſemen linteo illitum imponito; obſervando vero ne horreſcat æger dum apponitur: ſit autem ſumme tepidum aqua & oleo coctum*; quid an non hoc eſt laxatorium fomentum? Quare medicamenta exterius adhibenda laxantia eſſe oportet, quippe, ut meatus aperiant, & putridos calidoſque humores digerant. Unde non ab re à recentioribus cognitum eſt, vivos columbos, pullos gallinaceos, ac catellos medio diſectos ſtatim raſo

raſo capiti, pectori, hypochondriis, plantiſque pedum appoſitos, plurimum febricitantibus auxiliari; quod tepido calore rarefaciente calorem igneum foras attrahant, atque ipſum digerant. Hactenus egimus de curatione ſynocharum ſive continentium febrium, quæ à ſanguinis atque bilis putredine excitantur. Nunc ſupereſſet de iiſdem agendum, quæ aut à pituitoſo aut melencholico humore una cum ſanguine putreſcente fiunt. Quæ cum materia ex qua fiunt, atque curatione à continuis differre non videantur, merito harum curationem una cum continuarum curatione tractabimus, de qua nunc reſtat, ut loquamur.

CAPUT. VIII.

De febrium continuarum curatione.

Continentes ex pituita aut ex melancholia in magnis vaſis putreſcente fieri, ratio expoſtulat, atque haſce à continuis pituitoſis melancholiciſque parum vel nihil differre. Quæ cum fiunt quandoque ex bile, quandoque ex pituita, & quandoque ex melancholia, ideo triplicis ex materia differentiæ ſunt; putreſcunt vero hi humores in venis remotis à corde quo à continentibus prædictis differunt, quoniam hæ à materia in magnis vaſis prope cor putreſcente oboriuntur, hinc unam tantum habent acceſſionem, & illæ plures. Ceterum continuæ febres Medicis innoteſcunt, primo quod hæ & ipſæ perinde ac continentes, niſi ex toto ſublatæ, ad infebricitationem non perveniunt, habent vero plures acceſſiones, atque remiſſiones; notæque aderunt putredinis, præſertimque à calore febrili, à pulſu, & ab excrementis, ſiquidem in iis febribus, & caloris febrilis, & pulſus ea apparet inæqualitas, quam alias putridarum febrium propriam eſſe, diximus; excrementa cruda itidem apparere deprehenditur. Notæ biliosæ febris, quam ardentem quoque vocant, exquiſitæ, ſunt eædem, quæ in tertianis apparent, hoc excepto quod abſque rigore fiant, nulla quidem ipſarum, donec ex toto reſolvatur, ad infebricitationem venit, plures tamen & acceſſiones & remiſſiones habet. Calor plurimus mordax, intenſuſque, alternis diebus movetur, lingua

ſicca ſqualida aliquando nigra, ſitis ingens, pulſus magni, veloces, frequenteſque ſunt, urinæ ſubruffæ, ut plurimum in corporibus calidis atque ſiccis accenduntur, ac ut ſummatim dicamus, prope ſignis omnibus ad cauſum ſive ad continentem bilioſa accedit. Pituitoſa, vel ex eo innoteſcit, quod non alternis diebus acceſionem at potius ſingulis habeat, calorque eſt ſimilis ei, qui fumoſo igni comparatur, quippe humidus eſt, & vaporoſus, ob idque non intenſus, neque multum acris percipitur; nam ut Gal. expreſſit. caliditas quidem eſt cum aliquali acredine; quæ non ſtatim admota manu ſed poſtea innoteſcit. Non multum ſitiunt, neque ſitis eſt intenſa; lingua & univerſum corpus humidum, ac laxum, apparet excrementa pituitoſa ſunt, & urinæ in principio tenues & mox craſſæ, ſed quandoque etiam à principio craſſæ, pituitoſæ, albæ, cum ſedimentis craſſis obſervantur. Pulſus minores, molles, non raro ſopor accedit, animique deliquium (pituita cruda os ſtomachi opprimente) quandoque aciditas in ſtomacho, ſi pituita acida ſit; capitis & totius corporis gravitas. Hæ febres excitantur familiarius in pueris, infantibus, ſenibus, ocioſam vitam ducentibus, crapulis, ebrietatibuſque incumbentibus, longioreſque bilioſis exiſtunt, & non minoris periculi. In Melancholica vero calor eſt efficax & multus, ita; ut plurimum digerendo naturam exolvat, pulſus magnus, celer frequens inæqualiſque; urinæ principio albæ, tenues aquoſæ, in augmento coloratiores atque in ſtatu quandoque nigræ & craſſæ obſervantur. Plerumque lienis dolor, vel tumor concomitatur, color corporis nigricans aut livens. Quare continua febris cum bilioſa, tum pituitoſa, tum melancholica ita cognoſcitur. Raro pituitoſæ & melancholicæ fiunt, quæ perpetuo ſummum periculum minantur, frequentius bilioſa vulgatur, non tamen exquiſita, quod hæc rarò obſervetur, at plerumque ſpuria & notha vocata, quæ mixtione fit bilis cum pituita & quandoque cum atra bile, cognoſcitur ſignis mixtam ex iis humoribus affectionem notantibus. Fit iiſdem ſuccis vel humoribus obſtruentibus venas arteriaſve non magnas cordi vicinas, at minores & longinquas: vel ex cutis meatuum denſatione ex quo

In 1. ad Glauc. 7.

Galen. in 2. epid. ſect. 1. com. 7.

mor-

morbum esse adstrictum facile intelligitur, à quo profecto laxantia præsidia ad curationem, indicari videntur, in biliosa quidem quo magis exquisita erit, eo levioribus laxantibus erit opus, efficacioribus vero, in spuria, & in pituitosa: omniumque efficacissima illa esse oportebit, in febre melancholica. In biliosa exquisita, eadem erunt opportuna remedia, quæ ad causum nuperrime meminimus, in notha vero ac spuria efficaciora (ut dictum est) laxantia esse debebunt, quod humor crassior, sit & lentus. Itaque in primis quod ad victus rationem pertinet, aër erit clarus, non frigidus, cibus paulo plenior si febris futura prolixior, si brevis ex celeri motu conjiciatur, sat erit, parcus, qualem ad synochum & ad causum præscripsimus; pro potu aqua hordei cum pauxillo cinnamomi, & quandoque concedatur vinum oligophoron, corporibusque præsertim debilioribus flatibus ac stomachi fluctuationibus vexatis, modo capitis dolor non adsit, neque futuri delirii signum, neque (si Galeno credimus) ubi phlegmone subsiterit in visceribus, neque si febris insignem habuerit malignitatem. In corpore vel ex temperamento, vel ex victu prægresso, excrementis multis redundante medicamentum per ventrem laxatorium, ex lenitoriis vocatis prima die exhibeto, vel in potione, vel in bolis, cujusmodi erit, quod accipit floris cassiæ ʒ. x. spec. hyeræ. s. Gal. ʒ. i. vel accipe elect. len. ʒ. xij. cum hyeræ drachma. aut syr. ros. solutivi unc. iiij. electuarii len. unc. i. cum decoct. flor. & fruct. cord. facta potione, vel mannam cum melle rosaceo solutivo. At longe libentius Methodici laxatoriorum purgantium loco, clysteres instituunt, & laxatorios & irritatorios; quibus alvus subducatur. Ab his vero medicamentis laxata alvo (vel per vomitum, si eo humor inclinaverit, leni vomitorio adhibito) secabitur vena in altero die dextri cubiti, modo aliquis dolor vel tumor regionem splenis non occupaverit, jecoraria, vel communis vocata, & sanguinis ea quantitas evacuabitur quam vires, & corporis plenitudo permiserit, unum etenim ex maximis laxatoriis quibus affectus adstricti cum febre maxime juvantur, venæ sectio est; si corpus sit robustum, sanguineque multo abundans, ex sinistro brachio erit repetenda evacuatio in altera die, vel crura in iis

more

more antiquorum ſcarificabuntur, atque copioſius ad libram fere (modo vires permiſerint) ſanguis educetur. Diſcant, qui hanc ignorant, modum quo fieri debeat, in noſtris libris de medicina Ægyptiorum; hoc genus laxatorii præſidii, evacuat quantumvis copioſe, & una à viſceribus & à capite revellit, unde apud multas nationes ad ſanguinem in mulieribus; (præſertim ſi menſtrua purgatione defecerint) in pueris, eunuchis, atque omnibus corporibus albidioribus, ut expreſſit Galenus, & tenuioris ſanguinis; hoc genus præſidii eſt in uſu familiariſſimo; contra in corporibus durioribus; craſſioris ſanguinis, crurum ſcarificatione longe præſtabit venæ ſectio. His præmiſſis auxiliis in principio morbi, concoctioni humorum erit incumbendum, Quare auctore Hippocrate *corpus quieti permittere, ungere, & æqualiter contegere oportet.* Interim non damnanda, quæ hujus ætatis Medici Dogmatici ad concoctionem adjuvandam affectant, quippe decocta, ex iis ſimplicibus parata, quæ vim habent tollendi obſtructiones, nempe quadantenus extenuando humores, detergendo, atque meatus aperiendo. Itaque ſingulo mane in aurora dabitis calidam hanc potionem. Accipe oxymellis ſimplicis, vel ſyr. acetoſi ſimplicis unc. i. de boragine, vel de cichoreo, vel de agrimonio unc. s. decocti borag. ſunci, agrimonii, radicis petroſelini, oxalidis, endiviæ unc. iij. Miſce. Vel in jure pulli ſine ſale ex prædictis herbis decoctum paratum cum modico ſaccharo exhibebis. Ad hypochondria vero, fomenta laxantia, & inunctiones adhiberi maxime erit utile, quod iis partibus, in quibus focus putredinis exiſtit, laxatis rarefactiſque ex decocto meliloti chamomeli, althææ, fœnugræci, vel lini, vel (ut ait Hippoc.) ex ſeminibus lini decoctis in oleo & aqua contuſis atque appoſitis, quod ſi, ut Dogmatici conſulunt, pura laxantia videbuntur, ſuſpecta, aliquidque roboris addere voluerimus præſertimque hypochondrio dextro addemus modicum roſarum, vel abſinthii, vel ſpicæ indicæ vel celticæ, vel iridis radicis, tuto ad utrumque præcordium calidum hujuſmodi generis fomentum poterit adhiberi. Poterunt itidem lanam mollem ex oleis calidis dulcibus, ſcilicet communi; vel chamomelino, vel amygdalino, vel irino,

In 4. de vict. rat. in acut. text. 44.

no, vel lilino, vel ex floribus cyclaminis parato, imbutam adhibere. Clysteribus mollibus, si alvus fuerit adstricta opus erit, saltem alternis diebus. In accessionibus utiliter thoraci adhibebuntur tepida epythemata ex aquis vel ex decoctis digerentibus laxantibusque, cujusmodi erit, ex malvæ, althææ, endiviæ, boraginis, eupatorii, aqua & ad penetrationem modicum aceti addendum erit. Quibus præmissis, singulis diebus frictiones molles, leves linteis calidis ad omnes partes corporis adhidebuntur, deorsum versus incipiendo à cruribus, mox ad coxendices, tertio ad dorsum, atque, demum ad brachia, & mox ex calido oleo amygdalino recenti omnes partes cutis fovendæ erunt; vel fricabuntur universæ cutis partes (uti dictum est) manibus inunctis oleo amygdalino, vel chamomelino, vel irino vel lilino, aut præmissis frictionictus, inungentur partes prædictæ corporis volis manuum inunctis ex calida inunctione; quæ paratur ex olei amygdalini, decocti chamomelini an. unc. ij. nitri ʒ. i. s, bulliant, quoad aqua vel decoctum absumatur. Si humores inclinarint ad cutim (apparentibus coctionis signis) sudorifica mane propinabis calida, præmissa cum frictione prædicta calida; & ægrotum stragulis calidis cooperies. Pro sudorificis poteris propinare nostræ aquæ alexipharmacæ unc. ij. vel quod accipit, foliorum calaminthæ, florum chamomeli an. p. ij. radicis chinæ ʒ. i. s. bulliant in lib. tribus aquæ quo ad medietas absumatur, & mane calidum detur: quo medicamento uti poterunt, quo ad morbus resolvatur, si vero ad urinam inclinaverit humor (quod ex copiosiori urina conjicitur acriorique) diureticis erit opus, at mixtis iis, quæ calida & frigida facultate prædita sunt. Cujusmodi erunt, quæ parantur exempli causa ex semin. melonum cucurbitæ an unc. iij. liquiritiæ dulcis unc. i. seminum fœniculorum, apii. an. ʒ. iij. omnibus contusis, lac ex jure pulli parvi radice petroselini alterato, expressum, cum modico sacchari candidi calidum exhibetur; vel jus calidum pulli parvi sine sale radice petroselini, vel apii, vel asparagorum alteratum propinabitur. At si morbus perseveraverit & ad ventrem humores inclinarint laxatorio medicamento per ventrem opus erit, quale erit (quod tamen non dabitur

niſi poſt diem decimam quartam, & crudo exiſtente morbo) quod accipit rhabarbari electi ʒ. i. s. agarici troch. ſcrup. iiij. ſpicæ, cinnamomi an. ſcrup. s. in decocto florum & fruct. cordialium infuſis per noctem, expreſſioni additur mannæ electæ unc ij. vel ſy. roſati ſolutivi unc. iiij. aut aliud ſimile, cum decocto flor. & fruct. cordia. miſceto & calidum propinato; aut accipe floris caſſiæ recenter extractæ unc. i. electuarii de ſucco roſarum, diapheniconis an. ʒ. ij. Miſce fiant boli. aut rhabarbari pul. ʒ. i. s. agarici th. ſcrup. iiij. cum electuarii len. ʒ. i. fiant boli. Balnea apparentibus ſignis coctionis calida ex potabili aqua parata erunt accomodatiſſima, ſi ſemel in die febricitantes iis commode utantur. Atque hiſce præſidiis febris continua bilioſa ſpuria tollitur; iiſdem ſane & pituitoſa & melancolica, ſed longe efficacioribus, quæ nos accurate dicemus, ubi de febris quotidianæ, & quartanæ agemus curatione, hæc eadem & ſemitertianæ quam hemitriteum vocant, erunt utilia, de qua fortaſſe poſt intermittentium ſermonem aliquid particulatim dicemus.

CAPUT. IX.

De peſtilentis febris cognitione atque curatione.

In 3. de præſagi. expulſib. cap. 4.

DE peſtilenti febre, à peſte diſtincta (dari enim peſtilentem à peſte diſtinctam voluit Galenus) acturi, exinde peſtilentem ſeu peſtiferam vocatam dicemus quod ita cum peſte malignitate conveniat, ut perinde ac peſtis pleroſque interimat, ac epidemice non minus plerumque graſſetur; licet quandoque non integram regionem, non provinciam, at civitatem, oppidum, vel locum quendam invadat. Galen. diviſit morbos in populariter graſſantes, omnibus communes, quos Græci epidemicos vocant; & in eos, qui ſparſim in uno eodemque loco non omnes, ſed aliquos invadunt, ſporadicos Græcis dictos, atque in proprios quorundam locorum, quos itidem endemios vocant; Romæ propria videtur febris ſemitertiana; Cayri Ægypti morbus Dem el muja dictus, Alexandriæ febres peſtilentes Auguſto menſe, totius Ægypti herniæ car-

In 1. de vict. rat. in acut. com. 9. In 1. epid. ſect. 1. comm. 1. In 3. epid. ſect. 3. com. 20. & 58.

no-

noſæ, elephantiaſes cum Arabum tum Græcorum. Definiunt Medici peſtilentem febrem eſſe eam, quæ à putredine fit invadente regionem cordis, ab aliiſque putridis ipſam diſtingui ajunt, quod in his neque humores cordis, neque ſpiritus, neque ſubſtantia, putreſcat, ſed tantummodo illiuſce viſceris humores à putridis halitibus poni incalefacto eſſe, neutiquamque ipſos (uti in peſtilente fit) computreſcere. Hincque peſtilentem ab aliis febribus differre per intenſiorem ac excellentiorem putredinem. Auctor diffinitionum medicarum peſtilentem vocavit, quæ cum multa caliditate ſitim inextinguibilem invehit, bilis omnis generis vomitus habet; fætidaſque alvi excretiones, ac virulentas, ut paludium graveolentiæ ſunt, urinaſque multas habet tetri odoris, pulſus parvos, obſcuroſque inducit. Hac definitione non veram, at ardentem peſtilentem expreſſiſſe viſus eſt; & Galen. in lib. de Theriaca ad piſonem, ipſam venenum inſpiratum vocat, veram & epidemicam intelligens. Quidam ex recentioribus, hanc febrem ſordidæ ac profundæ putrefactionis eſſe voluerunt, quo ab aliis putridis diſtinguatur; eo quod eæ non ſint profundæ, ſed ſuperficialis putredinis. Quod perinde eſt, ac ſi dicant cum Galeno, haſce febres ſimpliciter putridas dici, & peſtilentem excellentioris eſſe putredinis. Hæc duplex eſt, vera & non vera, hanc rectius malignam, ſeu maleficam, ſeu mali moris Medici multi appellant, Quæ erit vel ſynocha, vel cauſus, vel ſemitertiana, vel lipiria, vel epiala, de quarum curatione hactenus egimus. Exquiſita & vera id proprii habet, ut ab aëre infecto originem trahat; & nunquam ab interna cauſa proveniat; Quod ex Hippocrate colligi videtur. Neque immerito cum aër vitiatus ad cor primo attractus ipſum coinquinet, & vitiet, ipſiuſque aut contenta inſigni putredine aut ſubſtantiam inficiat. Unde peſtilentis febris præcipuam ac maximam cauſam eſſe aëris putridi inſpirationem cognitum eſt. Nonnulli ex Galeno exiſtimarunt aërem non ſimplici qualitate, at tota quidem ſubſtantia infectum peſtiferam febrem facere. Quod tamen Gal. negare videtur, cum ab immodica etiam aëris caliditate, ipſo auctore tanta excitari queat putredo, qua ſtatus peſtilens fiat, cujuſmodi fuit quæ olim Athenienſes invaſit,

Gal. in 6. epid. ſect. 1. com. 29.

Hieronymus Fracaſtorius in 2. de morb. contag. cap. 3.

D. Aut. Altim. in libro de peſtilente febri. c. 6. In lib. de flatibus & Gal. in 1. epid. ſect. 1. com. Gal. in l. de præſag. expulſib. & in 1. de diff. feb. cap. 4. In 2. de nat. humana comm. 4. Gal. in 1. de diff. feb. cap. 4.

sit, de qua Thucydides historicus ita habet: *Sed in tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant.* Neque etiam negandum aliquam febrem pestilentem à causa quidem interna, quippe insigni ab humorum corruptione fieri, & etiam epidemicam, cum habeat causam communem scilicet, vel aërem infectum, vel vitiosum victum antegressum, qualem ex cara annona homines comedere coguntur. Itaque hujus febris causa erit, ita insignis & excellens putredo ut & cordis contenta, & substantiam putredine afficiat, licet nonnulli recentiorum illud acriter contenderint neque concedere voluerint in pestilentibus febribus cordis substantiam vel contenta putrescere, sed tantummodo humores pati profundam & sordidam putrefactionem, cujus opinionis auctor fuit Doctissimus Hieronymus Fracastorius. Accedit ad febrem pestilentem faciendam humorum magna aptitudo ad putrescendum, aut ex cœlo aut ex victu, qua humores insigniter putrescunt. Quam causam esse pestis, pestilentisque febris, & non cordis & contentorum putrefactionem, conjicitur; cordis vero & substantiam & contenta, à vaporibus putridis infici, non tamen necessario putrefieri, eo argumento intelligitur, quoniam cor nobilissimum membrum tantam putredinem vivens non sustineret, sed continuo homo extingueretur. Hincque est, quod Galen. in ea pestilentia, in qua inflammationes (ut Hippocrates est auctor) erypsipelataque in summe putridos & horrendos abscessus mutabantur qui omnes interimebant) à flava bile in maligniori ea tempestate genita, habente aptitudinem ad vehementer putrescendum, causam habuisse voluit, cum alias eadem bilis, non tamen ita summe putris reddita, sacros ignes fecerit, qui tamen lethales nunquam fuerunt. Ex quo humores valde putrescibiles non parum ad pestiferarum febrium generationem faciunt, qui non tantum ab aëre vel putrido vel putridis vaporibus infecto, sed etiam multo facilius à cibis & potibus plurimum humidis, vel corruptis vel semiputridis, illam ad putrescendum aptitudinem nanciscuntur. Unde cucumeres, quod succum præmulta humiditate facile putrescibilem in corporibus gignant, ad cibos frequentatos malignos pestilen-

Hier. Fracastorius contra Montanum in l. 2. de morb. contag. cap. 3.

In 3. epidem. 3. comm. 9.

In 2. de aliment. facul. cap. 6.

tes-

teſque febres facere, & à cibis ſemiputridis vel corruptis aliquando peſtilentiam ſubſecutam, eſt Galenus auctor. Viri eruditi negant cauſam hujuſce febris eſſe occultam, at ipſam in humorum inſigni putredine conſiſtere. Addunt unam quoque ex externis cauſis, calidam atque humidam aëris conſtitutionem permultos menſes perſeverantem. Calor vero extraneus humorum putredinis eſt auctor. Etenim putredinis materia humiditas eſt, & faciens putredinem calor extraneus ſive præternaturalis. Quo animadverſum eſt, ventos auſtrinos orientales occidentaleſque (quod aërem plurima humiditate repleant, & calefaciant) ſi diu perflaverint, febres peſtilentes inducere; addimus idem facere omnia, quibus aëris ne dum temperamentum ſed tota ſubſtantia coinquinata putreſcit, & veluti in venenum exitiale mutatur, qui aër infectus per inſpirationem attractus peſtiferum morbum creat. Cujuſmodi ſunt vapores à paludibus, ſtagnis, ſpelunciſque corrupti in aërem delati. In Alexandria Ægypti quotannis menſe Julio Auguſtoque a lacus cujuſdam proximi, aqua (quo tempore pauciſſima eſt nondum Nilo flumine inundante) putreſcente, putridiſque ex vaporibus exinde à ventis in illiuſce aërem delatis, innumeri febribus peſtilentibus pereunt. Quod mali in civitate augetur, ab aqua in ſubterraneis locis (tota enim ea civitas columnis fundata eſt, & in fundamentis eſt pervia) qua utuntur ad victum ob prædictam cauſam, ſcilicet quod pauciſſima ſit, & ab æſtuoſo æſtatis calore putreſcat, atque ab ipſa etiam putridi vapores quod in aërem ferantur. Colligimus itaque veram ac exquiſitam febrem peſtilentem fieri ab aëre vel putrido, vel putridos vapores ac venenatos ad cor invehente, ſpiritus humores atque ſubſtantiam cordis inficiente. Ex quo ephemeram peſtilentem, quæ ſpiritibus infectis, putridam, quæ humoribus, atque hecticam, ubi ipſamet cordis ſubſtantia infecta eſt dari Medici voluerunt, alii ephemeram peſtilentem dari negant. Neque peſtilentes febres quartum genus febrium eſſe, ut quibuſdam viſum eſt, eruditi concedunt, quod hæ omnes genere putridarum comprehendantur, haſque differre à putridis voluit Galenus excellentiori tantummodo putredinis gradu. Dari etiam

In l. de cib. boni & vitio. ſucci c. 1. Gal. in 1. de temp. cap. 9. & in 3. epidem. ſect. 3. comm. 22. Ariſt. in 4. meteorum.

Gal. in princ. libri de Theriaca ad Piſonem. Gal. in 1. de diff. feb. c. 4.

In 6. epid. ſect. 1. comm. 29.

peſtilentes non veras, & non exquiſitas, quæ non ab aëre excitantur, at ab interna cauſa, vel ſit obſtructio, vel meatuum conſtipatio, vel humores facile putreſcibiles, ex cibis, potuque vitiato geniti, aut venenum epotum multis viſum eſt. In his non primario regio cordis inficitur, at aliunde ei communicato vitio, quippe à foco accenſæ putredinis quandoque ſynochæ ardentes, atque continuæ aucto gradu putredinis in peſtilentes mutantur: quod ſæpius culpa Medicorum male in principiis ipſas curantium, multis eveniſſe ſæpe vidimus. At tempus nunc expoſtulat, ut ſigna prodamus, quibus peſtilentes febres cognoſcuntur, loquimur nunc de veris, quando malignarum inproprieque dictarum peſtilentium ſigna ſuperius propoſuerimus. Galenus Dogmaticorum omnium poſt unum Hippocratem facile princeps, ait: in hiſce febribus calorem exterius mitem eſſe, minimeque mordacem percipi in toto corpore (ipſo thorace excepto in quo acrimonia obſervatur) quod ſignum clarius in 6. epidem. expreſſit, ex Thucydide dicens: *& exterius quidem tangenti corpus neque valde calidum erat*; & poſtea *Peſte affectos neque calidos & perurentes apparuiſſe.* Frequentiuſque parva tubercula in dorſo & in aliis partibus efloreſcunt, hac noſtra ætate maculæ ad cutem erumpunt pulicum morſibus perſimiles quas puncticulas vel petechias vulgus appellat. Urinas item eſſe aut turbatas, aut aquoſas, aut colore ſedimentiſque ſanorum urinis per ſimiles, in quibus aut nullum ſublimamentum eſt, aut ſublividum araneorum telis in modum lanæ congeſtum. Alvus colliquata excernit, bilioſa, flava, vel ruffa, ſpumoſa, liquida pinguia, maximeque fætentia, & plerumque perinde atque ovi luteum in jure conquaſſatum colore apparent. In quadam peſtilentia Gal. in hiſce dejectionibus obſervavit, primo flava profluxiſſe, mox ruffa colliquamenta, atque demum nigra veluti fex ſanguinis. In his quoque febribus expiratio fætet, ac in ore aliquid coloris peſtilentis, ſcilicet eryſipelatis, aut herpetis, apparet, oculi flammei, atque calidi ſunt, cibum abhorrent, ſiti ingenti affliguntur, frigidaque expetunt. Paulus Ægineta addidit, bilis vomitus, præcordiorum intentiones, labores, largos ſudores, extrema fri-

In 3. de præſag. expulſib. cap. 4.

Sec. 1. com. 29.

In lib. 2. cap. 36.

frigida, alvi profluvia biliosa, tenuia, flatulenta, urinas aquosas, tenues, biliosas, nigras, in quibus mala subsidentia, & suspensa pessima cernuntur, stillas sanguinis narium, in pectore ardorem, linguam retorridam, siticulosam; vigilias, deliria, convulsiones violentas, itemque alia multa prava. Avicenna vero scribit hanc febrem exterius esse quietam, intus turbantem, plerumque necantem, in qua interius vexatur caliditas, & inflammatio fortis, respirationem esse magnam, brevem & plerumque fætidam, vehementer eos sitire, cum præarida lingua, aliquando adesse nauseam, cibos abhorrere, & oris ventriculi dolorem sentire, splenem magnum esse, ægrotos esse vehementer anxios, & inquietos, aliquando adesse tussim aridam, virium casum, syncopem, delirium, hypochondriorum tensiones, vigilias, corporis relaxationem, & quandoque bothor sub albidam & rubram observari, pulsusque frequentes, parvos, & in nocte majores; quandoque ægroti inflantur hydropicorum modo, ventres fluxus, cholera & aliorum humorum dejectio lenis apparet, fætida, in qua aliquid colliquationis cernitur: Urinæ sunt aquosæ, & nigræ, sudant fætido sudore, incidunt in syncopem & in extremorum refrigerationem; convulsiones fiunt, & lethargici evadunt. Nonnunquam ægrotantes non sentiunt morbum, neque calore exæstuant, & calor ipsorum tepidus sentitur, neque in pulsibus & in urinis apparet multa alteratio, & mutatio à statu naturali: unde & Medici complures an febricitent ægroti, dubitant. In multis expiratio est fætida, & hæc signa observantur, putredine vel etiam cordis substantiam inficiente. Rhasis ait: *Febrem exterius esse lentam & tepidam, intus clausam, expirationem, & alia excrementa fætere, adesse magnam angustiam, sitim vehementem, spiritumque densum.* Quæ signa in hisce febribus vel etiam recentiores Medici ad unguem observarunt, quippe in ipsis exterius calorem tepidum observari, intusque percipi caloris incendium, ita, ut ægroti ne vel etiam tenuissima linteamina ferre queant, qui licet exterius parum calidi videantur, plurimum tamen intus anxii & inquieti observantur: ex quo recte Arabes hasce febres dixerunt, exterius esse quietas, atque interius tur-

In l. 4. fen. 1. tract. 4. c. 2.

In l. divisionum c. 180. & in l. 10. ad Almans. cap. 16.

turbantes. Symptomata vero omnia majora & ſæviora, quam pro febris magnitudinis ratione, apparent; dolores capitis ſcilicet, vigiliæ, deliria, lingua ſicca, & aliquando nigra, cum ſiti intenſa, & ſæpe, nullus ciborum potuſque deſiderium adeſt, fluxus per ventrem colliquativus, apparet, in quo liquida, lenia, aut nigra, aut ſyncere bilioſa cum vehementi fætore exeunt, plerumque fætida eſt expiratio; oris aphtæ, id eſt, ulcera ſordida & aliquando nigra in ore fiunt, pulſuſque prælanguidi apparent, qui quandoque ſine ratione cadunt, & hoc unum eſt ex ſignis valde propriis harum febrium, quæ talia apparent, licet ægroti ante cibis probis fuerint enutriti; hæcque ſigna particulatim obſervantur, ubi putredine cordis contenta coinquinata ſunt. Cum vero ejuſdem viſceris ſubſtantia itidem idem vitium contraxerit, ægroti morbum non ſentiunt, ita, ut ſe febricitare, ignorent; (quod æqualis calor febrilis ſit, uniformiſque & nullas habeat acceſſiones, & hecticorum modo febris fiat) pulſus quoque, & urinæ parum vel nihilo à ſtatu naturali mutatæ dignoſcuntur. Ratio horum ſignorum eſt, quod ab intenſa illa putredine infectis ſpiritibus, humoribus, aut ſubſtantia cordis, omnes facultates debilitentur, potiſſimumque vitales, unde pulſus ſine cauſa concidunt, languidi & ſumme labefactati ſentiuntur; reſpiratio frequens debiliſque fit, atque fere continuo ad ſyncopem inclinant. Cerebro vero communicata læſione, animalis facultas vitiatur, & merito ſane, cum ſpiritibus cordis vitiatis, ad cerebrumque delatis, homines minime recte diſcurrant, memoria non valeant, non recte imaginentur, ac non minus motrix facultas labaſcit. Hinc fiunt corruptæ imaginationes, & ægri redduntur veluti inſenſati, atque ita oblivioſi, ut quandoque propriorum nominum complures in peſte (quod Thucydides tradidit) fuerint obliti; hinc etiam externis ſenſibus læſis ægroti non ſentiunt ſeipſos maligno morbo laborare, atque ita ut potius putent non ægrotare, ſed recte valere: ad motum ſegnes ac veluti ſemimortui apparent, quod ſpiritus ex corde delati ad cerebrum, obſcuri craſſi, ac putridi ſint. Hac eadem de cauſa naturalis quoque facultas prælanguet, ejuſque actiones idcirco ad-

Gal. in 3. de præſag. ex pulſibus c. 4.

admodum læſæ apparent, præſertimque in coctrice, in excretriceque, unde excrementa cruda, fætidaque caloris defectu redduntur, & præſertim dejectiones quæ fætidiſſimæ & colliquatæ excernuntur: quæ dejectiones febrium peſtilentium ſunt propriæ, maculæ item, tubercula, ſudoreſque non boni ſed mali quo quomodo apparent. Quidam dicunt, putredine contenta cordis vitiante, hæc particulatim obſervari, ſcilicet ægros magis cognoſcere ſeu ſentire ſe febricitare; pulſuſque minus debiles, quam in hectica peſtilente videri; operationes vero ſenſuum, atque intellectus intus extraque ita lædi, ut phrenetici videantur, calorem itidem circa hypochondria percipi, magnam fieri reſpirationem, & expirationem, inſtar ignis calidam; urinas mingi turbatas, valde craſſas; maculas multas in dorſo erumpere, virtutem non ita ſtatim concidere. Ubi vero etiam cordis ſubſtantiam putredo occupaverit, fieri hecticam peſtilentem, quam ægri non ſentiunt, neque ſe febrire cognoſcunt, rectèque ſe valere putant, omneſque extrinſecas exinde operationes ſecundum naturam videri, ita ut & pulſus & urinæ ſanorum ſimiles videantur: apparent tamen quandoque tenues, lividæ atque fætidæ. Quædam alia in his quoque obſervantur; quidam enim collum erigere nequeunt, oculi turbidi apparent, torvus aſpectus, vultus Hippocraticus, & abſque pudore decumbunt, licet mulieres alioquin honeſtiſſimæ ſint, coram omnibus culcitram, linteaque levantes pudenda detegunt; nigræ extuberant in cute maculæ, & poſt mortem, inſignis macula nigra circa dorſum, veluti ſi quis ex alto ceciderit cernitur. Hæcque ſigna ſunt, quibus febres peſtilentes dignoſcuntur. Ubi vero proxime dicta ſigna illuxerint, prorſus deſperandum, & ob id à medicamentis erit abſtinendum; in ea vero, quæ putrida peſtilens eſt (licet majori ex parte intereant) ſi virtus conſiſtat, ægroti ad oblata bene ſe habent, rectè reſpirent, atque alia rectè reſpondeant, ſuppoſita ſpe ſalutis curationem aggredi opportebit. In qua cum morbus ſit itidem adſtrictus, merito (ut Dogmatici etiam ſentiunt) ſtudendum eſſe corporis apertioni, atque ſiccationi humiditatum ſuperfluentium. Quod hæc omnia laxantia ſint, quare nulla alia opinio erit, habenda

Gal. in 3. de præſag. expulſib. c. 4. Gal. in hiſtoria Hetophili.

quam de corpore laxando ut humores ſumme putridi intus ſuſcepti exhalent, digerantur, atque evacuentur. Gal. dixit corpora ſiccanda, atque meatus aperiendos, perinde ac dicat, corpus eſſe laxandum, cum tollere excrementa nihil ſit aliud, quam corpus laxare. Dogmatici putant ſummam curationis eſſe ſiccationem, & Methodici meatuum adſtrictorum laxationem, quod per ipſos laxatos putridus humor exhalet, at utrumque facere eſt utilius, quod, nihil profecto erit quam corpus putridis humoribus veluti tumens, laxare. Itaque in victus ratione, de qua primum agimus, cibus ſit, qualem in febribus continentibus expreſſum fecimus, hoc addito propter inſignem putridinem, quod facultate ſit ſiccus licet actu humidus & calidus exhibeatur; unde juſcula alterabuntur, oxalide, acido citri, vel limonis aut vino granatorum dulci aut fructibus berberis maturis, & ſimilibus, at quum in continentibus præſtabit, ut cibus plenior aliquantulum ſit, propter virium languorem, & oportebit ejus modicum, ſed ſæpe exhiberi; idem de potu dicendum, ſcilicet convenire actu calidum, & humidum ſed poteſtate ſiccum, quare aquæ ſtillatitiæ ex oxalide, ex roſis vel ex ſucco granatorum ſubacidorum actu calidæ epotæ ipſos juvant. Non minuſque cum ſucco citri, vel limonis, infuſum itidem berberorum maturorum cum ſaccharo, utiliter propinabitur, aut ſyrupus ex acido citri, aut julep acetoſus vel de tamarindis. Vinum non perpetuo negandum, oligophorum quando tenue odoratum vires recreet, urinamque moveat. Nullis vero dandum, ſi humores omnino crudi ſint, cum febre incendente, ſi vigiliæ adſint, vel vehemens capitis dolor, deliriive ſignum aut ſi una ſubſit aliqua interni viſceris phlegmone, vel in hepate, vel in renibus, vel in pulmonibus, vel in ventriculo, vel in inteſtinis, quia omnibus inflammationibus eſt inimicum. In aëre degat claro, mediocriter lucido, odoribus alterato, æſtate poterimus ſuffire locum, ex aceto & aqua roſacea, in qua ſantalum rubrum, roſa, xiloaloe, camphora & modicum caryophyllorum efferbuerit, & hyeme poterimus in vino albo aromatico, aceto & in aqua roſacea & in aqua de floribus citri, ebullire, caryophylla, ſantalum flavum, xiloa-

In 1. de diff. feb. cap. 4.

Galen. in 1. ad Glauc. cap. 14.

loaloem, juniperum, cinnamomum, & modicum aſſæ fætidæ; vel horum loco, poterimus parare paſtyllos cyphoides vocatos, ac carbonibus accenſis ipſos ſuperponere, vel maſſam ad idem parabimus, quæ recipit, benzuini, myrrhæ ungulatæ, ſtyracis, camphoræ, ladani, aſſæ fætidæ, opobalſami, an. ʒ. i. xilobalſami; roſarum, caryophyllorum, xiloaloes, cinnamomi, an. ſcrup. i. s. ex opobalſamo occidentali miſce & ad ignem fiant trohiſci, ex quibus ſuper accenſos carbones aſperſis fiat ſuffumigium. Ægroti animi paſſiones fugiant, hilareſque ſint, ut vapores venenoſi prompte exhalare queant. Hac inſtituta victus ratione, ſi alvus fuerit adſtricta ipſa laxabitur, & præſertim in corpore cacochymo, aliquo pharmaco lenitorio, quod excrementa, quæ ſunt (ut ajunt) in primis viis, educat, cujuſmodi erit, quod in potione parabitur ex ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. electuarij. lenit. unc. i. cum aqua oxalidis ſtillatitia in qua ſemuncia pulpæ tamarindorum fuerit per noctem macerata, & flores ſimul boraginis, violarum bugloſique aut in bolis dabitur quod recipit floris caſſiæ Abiſſinæ noviter extractæ ʒ. x. pulpæ tamarindorum ʒ. ij, ſem. citri pulverizatorum ʒ. i: Ab aliis purgantibus medicamentis abſtinendum, quod in principio humores crudos agitent, & plerumque moveant, ipſos ad nobiles partes qui tunc temporis medicamentis non cedunt, ſtomachumque & naturalem ejus facultatem labefactant, atque vires proſternunt, ideo ab his eſt omnino cavendum. Quæ ſi aliquando aliquibus profuerint, id evenit, quia turgentes fuerunt humores atque hoc etiam non niſi in robuſtiſſimis corporibus, ſic uſus clyſteriorum emollientium ſi alvus adſtricta fuerit, longe laxatoriis medicamentis erit utilior. Itaque laxata alvo lenitorio pharmaco, ad vacuationem ſanguinis declinandum; primo ſecta vena interna dextri cubiti in ea copia mittatur, quam vires permittent; & in altera die, ſi corpus ſanguine abundaverit, & vires permiſerint, ex altero brachio evacuatio ſanguinis erit repetenda, in pueris & in viris mulieribuſque albidioribus ſanguis mittendus itidem erit copioſius cruribus ſcarificatis, ex qua ſcarificatione facta, ſanguinis evacuatio in peſtilentibus febribus eſt utiliſſima, quia cum ipſa quantum

tum ſanguinis volumus, evacuamus, ſine violentia, & ſine virium (quod à longinquis partibus educatur) magna jactura & quod maxime in hiſce febribus videtur deſiderandum, quoniam ex ea evacuatione à ſupernis partibus ad infernas fiat revulſio: Unde mirum non eſt; ſi nos ſæpius in hiſce ægrotis vigiliam, vel dolorem capitis vel delirium vel ſurditatem, vel aliud ſymptoma ſimile continuo ſublatum viderimus præſertimque ſi copioſa fuerit evacuatio. De hac Oribaſius ita ſcripſit: *Et ſane dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multoſque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta crus ſcarificavi duaſque fere ſanguinis libras detraxi, hacque de cauſa periculum vitavi.* In pueris & infantibus in quibus una cum peſtilenti febre vel exhanthemata, vel variolæ apparuerint, perpetuo ſummam utilitatem ab hac evacuatione ſubſecutam vidimus. Quo Ægyptii, Arabeſque nullum utilius præſidium in hiſce febribus eſſe longa experientia, cognoverunt. Quandoque vero in prædictis corporibus non inutiliter ſanguis educetur adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis cruribus, lumbis atque ſcapulis cum profunda ſcarificatione, ut ſanguis etiam craſſus commode educatur: non, ut peſſime aliqui faciunt, qui vix epidermide ſcarificata ſanguinem tenuiorem educunt, intus commoto craſſiori, minimeque educto. Quomodo eruditi Medici cucurbitulas, ad vacuanda corpora merito damnarunt; & Galenus dixit, in plethoricis corporibus eſſe noxias; ſed profundioribus ſcarificationibus poterunt cucurbitulæ loco ſcarificationis crurum, quandoque ſubſtitui. Corpore laxato, aut per clyſteres aut per medicamenta tum maxime per evacuationem ſanguinis, medicamenta cum interna tum externa iiſdem vexatis febribus laxatoria erunt adhibenda; ex internis, ea ſunt (ſive ſimplicia ſive compoſita ſint) quæ Græci alexipharmaca, Latini antidota, dixerunt, quorum omnium uſus ad ſanandas haſce peſtilentes febres eſt neceſſarius: Hæc vero duplicis ſunt differentiæ, quippe quæ vel manifeſtis qualitatibus conveniunt, vel tota quidem ſubſtantia alterando, aut venenum ipſum vacuando; hæc autem calida ſunt & tenuionis eſſentiæ, qua penetrant, & digerunt venenum, illa pro-

Lib. 7. c. 20.

prie-

prietate quadam (ut ajunt) totius ſubſtantiæ, ad ſe virus trahendo juvant. Recentiores addunt ſiccantia, quippe quæ vehementer ſiccando putredinem ac virus ipſum conſumunt, cujuſmodi eſſe quidam voluerunt terram Lemniam; bolum Armenium, Samiam terram, Melitam, Tocajenſem, corallium, margaritam ſmaragdum, unicornu, lapidem bezaarticum, & ſimilia. Dogmatici manifeſtis qualitatibus alterando veneno ex præcellenti putredine facto occurrere (ajunt) frigida & ſicca medicamenta tenuioris eſſentiæ; cujuſmodi eſt acidum citri, limonis, tamarindorum pulpa, oxalis, roſa, berberis fructus, granatorumque acidorum ſuccus, taraxici, ſuncique, & radicis heptaphylli, ſive tormentillæ, biſtortæ & ſimilium. Totius vero ſubſtantiæ proprietate valent lapis bezaar, unicornu, ac vel etiam (ut nos putamus) bolus Armenus, terra Lemnia, theriacaque ex compoſitis; licet etiam his adjuncta ſit ſiccandi facultas prævalida, qua non minus juvant, quam proprietate ſubſtantiæ cor ac naturam roborant, ſiccante vero facultate putridum humorem reſolvunt. Quæ vero non alterando, ſed evacuando febribus peſtilentibus reſiſtunt, ſunt vel quæ intus aſſumpta virus digerunt, & evacuant, uti eſt radix myrrhidis, gentianæ, angelicæ, petaſites, carlinæ, zedoariæ, phu, cyperi Babilonici, pentaphylli, ſucciſæ: ſcorzoneræ, & ſcordium, dictamnum, triphyllum bituminoſum, galega, betonica, carduus ſanctus, calendula atque ſcabioſa. Quæ omnia ſunt calida, ſicca, diſcuſſoria, cujuſmodi quoque eſt ex ſuccis laſerpitium, opobalſamum, oleumque è calchanto. Quare per os dandum aliquod ex prædictis, præſertimque eorum, quæ cum proprietate totius ſubſtantiæ, ſiccante ac vel etiam vacuante facultate laxant, ut eſt terra Lemnia, bolus Armenus, terra Tocajenſis, margarita, ſmaragdus, ſaphyrus, os de corde cervi, lapis bezaar, ſed inter omnia, ſi poſſit haberi laudatur, cornu monocerotis, unicornu dictum, vel ut diximus quæ una roborando evacuant virus, uti ſunt, aquæ ſtillatitiæ, aut ſucci ex oxalide, meliſſa, ſcorzonera, taraxico, ſcordio, galega, ſcabioſa, trifolio bituminoſo, carduo ſancto, pentaphyllo, petaſite, ſucciſa, atque meliſſa. Quorum vel ſucci exhiben-

tur calidi mane ante cibum per horas quatuor cum ſaccharo aut modico Theriacæ vel Mithridatii, ad uncias duas & aliquando ad quatuor; ut (exempli gratia) accipe aquæ ſcorzoneræ, cardui benedicti, ſcordii, tormentillæ an. unc. i. Theriacæ antiquæ ʒ. i. Miſce, & calidum exhibeatur, poſtea pannis contegantur, ut ſudent, aut ſucci foliorem galegæ, vel radicis petaſites, vel chamedrios, vel ſcorzoneræ vel angelicæ, vel calaminthæ vel alterius prædictarum plantarum, unc. i. s. dabitur cum olei de calchanto, ſemi obolo: aut exhibebitis radicem ad drachmam & etiam ad duas radicis dictamni albi, aut angelicæ, aut petaſites, aut myrrhidis, aut zedoariæ, aut gentianæ, aut ſeminum citri, ex vino albo tenui aromatico calido ſupradicto modo, aut unicornu vel lapidis bezaartici, gr. iiij. vel ſmaragdi ex ſerapione, vel hyacinthi grana octo, ex aquæ ſtillatitiæ ſcordii vel calaminthæ, vel ſcorzoneræ vel alterius ſupradictorum, unc. iiij. vel ex vino vel exhibebitis terræ Lemniæ aut boli Armeni, aut terræ Samniæ, aut Tocajenſis ʒ. i. ex vino ſi febris permiſerit aut ex aliqua ſupradictarum aquarum. At ut compoſita etiam medicamenta attingamus utiliſſima eſt noſtra aqua alexipharmaca dicta, ſi calida ad unciam vel ad ſeſqui unciam vel ad duas exhibeatur. Cujus quidem in fine hujus capitis deſcriptionem publicabimus. Aut dabitis Theriacæ antiquæ, vel Mithridatii, aut antidoti è ſanguinibus Galeni, vel Apollonii Muris, vel diaſcordii, vel Moibani antidoti drachmam ex vino vel ex aliqua ſupra dictarum aquarum & ab epotis ſudor procurabitur: aut ad ſudorem movendum dabitur decoctum, quod accipit fol. calaminthæ, ſcordii, oxalidis, meliſſæ, boraginis, florum violarum, bugloſſi, boraginis an. p. i. radicis chinæ minutim inciſæ, angelicæ, tormentillæ, cinnamomi s. citri an. ſcrup. i. Macerentur per diem in aquæ meliſſæ oxalidis an. lib. 1. bulliant ad conſumptionem medietatis, & percolatum decoctum ad ſemi libram calidum propinato. Hæc & alia omnia alexipharmaca medicamenta (vel ſimplicia vel compoſita ſint) calida exhibeto ab actu frigidis plane abſtinendum erit, qui denſent meatus & intus calorem, putredinemque claudant, atque hinc error illorum com-

pre-

prehenditur, qui in peſtilentibus febribus aquam frigidam copioſius exhibent, qua nihil magis noxium eſt, ea etenim ſolummodo conceditur, ubi peſtilens ardens fuerit, in eaque intenſiſſimus atque æſtuoſiſſimus calor extiterit, ex quo intus nimium laxatis meatibus naturalis calor plurimum reſolvatur, vireſque diſſolvantur. Quo in caſu ut prohibeatur caloris reſolutio denſando internos meatus frigidam aquam aliquando exhibere, vel ſtillatitiam; vel fontanam cogimur, aut ſuccum granatorum acidorum, vel infuſum pulpæ tamarindorum, vel berberis fructuum, vel aquam roſaceam ad unc. vj. in qua febre æſtuoſæ uſus terræ Lemniæ, boli Armenii, margaritarum, & aliorum ſimilium adſtringentium medicamentorum utilis erit. Unum reſtat de medicamentis internis dicendum, quippe ſemper modicum in potu, in cibis, & quovis alio modo, vel terræ Lemniæ vel boli Armenii, vel terræ Tocajenſis, vel terræ Melitæ eſſe exhibendum: mane vero medicamenta, ad finiendam per ſudorem febrem eſſe exhibenda, quæ longe efficacius agent, ſi cum externis medicamentis vim ſudorificam adauxerimus. Unum non omittendum de uſu in hiſce febribus, boli Armenii, terræ Lemniæ, Samiæ, & ſucci granatorum acidorum, fructuum berberis, tamarindorum atque aliorum ſimilium adſtrictoriæ facultatis non expertium. Quippe ipſorum uſum vel non ſint (uti quibuſdam fuit perſuaſum) adſtringentia, vel modice adſtringant, nullo pacto eſſe incommodum, tametſi habeant aliquid (ut dictum eſt) adſtrictionis, quoniam tantum abeſt, ut & Galenus etiam docuit quod ea modica adſtrictione vaſorum adſtrictionem ſive obſtructionem augere queant, ut magis exinde propter amplitudinem meatuum interni meatus roborati, facilius à facultate detergente, deobſtruantur. Quam rationem longa experientia ubique locorum facta comprobavit, quod ab illorum medicamentorum uſu ne dum unquam aliqui læſi ſint, at quinimo omnes plurimum fuerint juvati, ex quo illorum uſus familiarius apud omnes mundi nationes, in hiſce febribus, maxime invaluit. At tempus eſt, ut ad externa quoque accedamus medicamenta, in quibus cognoſcendis, illud unum animadvertitur, ſcilicet Dogmaticorum medicamenta, eadem pro-

Montanus Veronenſis in tract. de feb. peſt.

profecto esse, cum iis, quæ Methodicis fuere cognita. Etenim inter externa (quæ sunt frictiones, inunctiones calidæ laxantes spiracula meatuum cutis, & quæ cordis, jecorisque regioni adhiberi solent, epithemata, fomenta, balnea cucurbitulasque cutem calefacientia, laxantia, detergentia, atque aperientia) primas partes habent, quod corpus difflari faciant fuligineſque putridæ commode exhalent, & expurgentur, vel quæ etiam sudorem moveant. Hinc Ruffus & Avicenna in hisce febribus calorem ab intro exterius trahendum voluerunt. Præsertim ubi hypochondriorum tensio aliqua fuerit, calor exterius tepidus, non multus, extrema frigida sint, frequens respiratio, imaginationesque offendentes, quæ incipientis inflammationis (ut quibusdam placuit) sint indicia, vel (quod magis credendum) hæc fiant ab insigni putredine perinde ac veneno calorem extinguente, aut suffocante, id unum aliqui notant, scilicet morbum intus adstrictum, esse ex quo merito calorem exterius trahere Medici debent, quippe medicamentis calfactoriis, quam attrahunt ad cutim, humores fuligineſque digerunt, meatus aperiunt, atque corpus transpirabile reddunt. Ad quam rem in primis occurrit inuctio Ruffi, Quam alias parari diximus (exempli gratia) ex decocti vel aquæ chamomeli unc. iiij. olei amygdal. amararum, unc. ij. nitri optimi ʒ. ij. bulliant, quoad aqua vel decoctum absumatur, qua inunctione præmissis frictionibus levibus universum corpus illinitur, & antidoto aliquo devorato, in ægrotis pannis coopertis sudor procuratur; hæc erit utilissima in omnibus febribus pestilentibus, & maxime si in ipsis exanthemata apparuerint, vel puncticulæ vulgo dictæ, vel variolæ si bis vel semel in die ante cibum per horas tres fiat hæc inunctio calida. Dictum est alias in pueris variolis laborantibus nihil utilius esse, quam corpus totum calida hac illiniri inunctione. Ad hunc usum probantur quoque cucurbitulæ ad trahendam materiam præ insigni putredine veluti venenatam ad cutim, sed cum modica scarificatione utiliores erunt, quod nedum attrahant ac cutim sed quinetiam evacuent, ideoque laxent. Commendantur inunctiones quædam alexipharmacæ, si regio cordis, pulsus, manuum carpis, atque tempora ipsis ca-

calidis illinantur bis vel ter in die; cujuſmodi ſunt, quæ ex oleo de ſcorpionibus cum Matthioli, tum ſereniſſimorum Magni Ducis Florentiæ, & Ducis Ferrariæ (auctore Braſavola) tum oleum etiam Caravitæ Cardani. Vulgaris eſt, at non parum utilis cordis regionem ter aut quater in die illini ex inunctione, quæ recipit olei roſati, aut unguenti roſati, aut ſantalini unc. i. ſpecierum cord. temp. unc. i. Theriacæ antiquæ ſcrup. i. s. croci gr. v. cum ceræ & aceti modico fiat unguentum. Nunquam probare potui in hiſce febribus uſum veſicantium vulgo dictorum medicamentorum, quod calorem febrilem augeant, vigilias dolore, quem concitant, inducant, & deliria, concoctionem impediant; non minuſque & motui humorum critico, impedimento ſint, cum incertus ſit locus ad quem ſive per quem criſis eſt futura; demum nihil utilitatis ex ipſorum uſu ſperandum videtur, cum difficillimum ſit negotium, veſicantium occaſione, ut humores ad loca, ad quæ natura nunquam vel rariſſime expellit, attrahantur. Addo crudis exiſtentibus humoribus ipſos quidem medicamentis neutiquam moveri & educi poſſe, potiſſimumque à parte aliqua inflammata. Balnea aquæ dulcis, mediocriter calida eſſent opportuna, & multo utilia ſi ægroti iis facile uti poſſent, qui cum præ imbecillitate in lectulo decumbant, & impotentes ad ipſa ſint, merito à Medicis particularia inſtituentur ſcilicet ad thoracem, ad hepar, ad hypochondriaque; hæc poterunt parari ex aquis meliſſæ roſatæ, borag. oxalidis, ſcorzoneræ, endiviæ, ſunci, taraxici, calendulæ, cum ſpeciebus cordialibus, roſis, ſantalis, xyloaloe, camphora, & croco cujuſmodi erit, quod paratur ex aquarum boraginis, melliſſæ, roſarum, taraxaci an. unc. iij. Vini albi aromatici unc. i. s. ſpecierum cord. temp. ſantalorum omnium, xiloaloes, roſarum an. ſcrup. i. croci gr. v. tetuiſſ. tritis miſtiſque fit epithema. At cum ſuperius commendaverimus tanquam medicamentum alexipharmacum, quod & proprietate totius ſubſtantiæ cor roboret, humorem ſumme putridum digerat & per cutim ipſum exhalare faciat, vel per ſudorem evacuet, reſtat, ut & ipſius deſcriptionem expreſſam faciamus. Quæ hæc erit.

℞. *pulpæ tamarindorum recentium unc.* vj.
Succi acetoſæ.
—— *Granatorum acidorum.*
—— *Lemoniorum.*
—— *Citrium malorum.*
—— *Foliorum ſunci.*
—— *Endiviæ.*
—— *Scorzoneræ.*
—— *Cichorii.*
—— *Taraxaci.*
—— *Borag.*
—— *Rutæ capprariæ.*
—— *Roſarum.*
—— *Spinæ albæ.*
—— *Echii ana* ℥v.

Foliorum fraxini.
—— *Trifolii bituminoſi.*
—— *Agrimonii.*
—— *Betonicæ.*
—— *Meliſſæ.*
—— *Cardiacæ.*
—— *Cardui ſancti.*
—— *Chamedrios.*
—— *Scordii.*
—— *Calaminthæ montanæ.*
—— *Pulegii.*
—— *Scabioſæ ana* ℥iv.

Aceti albi acerrimi lib. ii.
Vini aromatici unc. xiij.

Florum borag.
—— *Bugloſſi.*
—— *Violarum.*
—— *Roſarum.*
—— *Roriſmarini.*
—— *Mali citri ana* M.ij.

—— *Fumariæ.*
—— *Cichorii odorati.*
—— *Scorzoneræ.*
Radicum pentaphylli.
—— *Caryophyllatæ.*
—— *Ariſtolochiæ longæ.*
—— *Eryngii.*
—— *Myrrhidis.*
—— *Scorzoneræ.*
—— *Angelicæ.*
—— *Phu majoris.*
—— *Zedoariæ.*
—— *Gentianæ.*
—— *Petaſites.*
—— *Tormentillæ.*
—— *Morſus diaboli-*
—— *Biſtortæ.*
—— *Vincetoxici.*
—— *Chinæ.*
Ligni Indi.
Santalorum omnium.
Xilobalſami.
Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Corticum citri.
Seminum citri ana ℥iij.
Terræ ſigillatæ.
Samiæ.
Tocajenſis.
Boli armeni ana ℥iv.

Ter-

Terrantur, & in phiala vitrea clauſa maneant ſuccis permiſta, & ſoli per quinque dies exponantur, & mox bulliant in balneo Mariæ; Doſis eſt ab uncia una ad geminas, datur calida & aliquando cum ſcrup. Theriacæ Antiquæ. Unum reſtat, intelligendum quippe ubi fluor alvi colliquativus adſit, quid agendum. Hoc ipſum quidem, ſcilicet ubi ita immoderate alvus profluat, ut vires exolvantur, corpuſque lædat, eſſe cohibendum clyſteribus atque aliis adſtrictoriis, tunc enim morbus hic eſt mixtus ex adſtricto atque ex laxo, & cum laxus urgentior ſit ideo ei adſtrictoriis occurrendum erit, ſi vero fluor ſit moderatus, neque corpus lædat in uſu laxatoriorum ad febrem peſtilentem (quæ eſt morbus adſtrictus) expugnandam, perſiſtendum erit. Sed jam expeditis continuis febribus tempus eſt, ut ad intermittentes declinemus.

FINIS LIBRI QUINTI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De febrium intermittentium cognitione, & curatione, & primum de medicamentis ad tertianas.

Galen. in 1. epid. sect. 1. com. 29.

INtermittentes febres Medici vocant, quæ à vigore integritatem habent, ad illarum differentiam, quæ licet à vigore remissionem habeant, nunquam tamen ad integritatem veniunt. Etenim in altera die scilicet remissionis, alteram habent accessionem, has Gal. semitertianas (scilicet in quibus alternis diebus accessio renovatur, febre nunquam ad integritatem veniente) vocare solet, etsi ignorare videatur unde hoc nomen invenerint. Nonnulli duplices tertianas, quippe quod duæ ex tertianis insimul sint, quarum una die altera accedit, atque in altera, altera. Alii tertianam quotidianam complicatam esse statuunt. Quod genus febris hemitriteum Græci vocarunt. Ab his excipiuntur semitertianæ, quæ fiunt ex humorum putredine in pulmonibus, vel ex ulcere vel denique ex vomica interna; hæ enim febres tanquam symptomata eos affectus concomitantur. Nos vero

In 4. aph. Hippo. com. 43.

vero de iis febribus agimus, quæ fiunt ex putredine in partibus naturalibus. At ad tertianas redeamus, quæ aut exquisitæ sunt, aut non exquisitæ, quas Medici spurias & nothas vocant, utpote, quæ à mistione bilis cum pituita vel melancholia causam habeant; & rursus simplices, & complicatæ aliquando fiunt: Nunc de exquisitis, simplicibusque agamus. Quarum signa sunt, ut ipsarum accessio alternis diebus ægrotos sive de tertio in tertium (ut ajunt) invadat; & non excedat spacium horarum duodecim, ita ut ante horam duodecimam ægroti omnino febre liberentur, paucioribusque paroxismis hæc febris finitur. Invadit autem cum rigore magno, ac veluti à re quapiam carnem pungente, quem Medici punctorium rigorem vocant, à quo plurimis calor isque multum acris sentitur, qui ut plurimum per sudorem, vel per vomitum bilioſum, vel utroque modo terminatur, pulsus in principio sunt tardi, parvi, rari, ac debiles, in vigore magni, veloces, frequentes absque inæqualitate (febrili excepta in qua systolis dyastoli celerior observatur, propter fuliginum evacuationem) Urinæ subruffæ sunt, & tenues. Plærumque hæ febres fiunt in æstate, in regione cœloque calidiori & sicco, in corporibus calidis & siccis bile flava abundantibus. Generantur à bile in parte corporis extra venas (ut Dogmatici ajunt) susceptа infarcta adstrictaque putrescente. Quæ si recte tractentur periculo carent, brevesque sunt atque mites. Gal. tertianam exquisitam cito judicari, & non esse lethalem tradidit; ruffioreque existente urina, neque suspensione aliqua, neque nebula in primo circuitui apparente, ad septem circuitus fore producendam docuit; atque ipsam, si principio subruffa vel subflava urina sit, mediocrique spectetur substantia, & paulo post, vel albam nebulam vel suspensionem optimam habeat, non ultra quartum circuitum productum iri. Contra ni recte tractentur, mutari sæpius in continuas, ardentes, malignas, colliquativas, hecticas tabidasque & plerumque redduntur insanabiles. Quales Galenus observavit ex calidorum balneorem usu, ex quo ad tabidas mutatas fuisse affirmavit. His præmissis in febre hac, quæ itidem morbus adstrictus est, laxantibus opus est præsidiis, cujusmodi est alvum la-

Gal. 1. ad Glauc. c. de signis tertianarum. Gal. in 4. aphor. 43. Gal. in 4. aphor. 49.

Gal. in 4. aph. 42. & in 1. de diff. feb. 3.

Galen. in 1. ad Glauc. cap. 8. In 1. epid. sect. 3. com. 8. In 2. de crisib. cap. 3.

xatorio medicamento vel clyſteribus laxans, ſanguinem vacuare, urinam, ſudoremque movere, inunctiones, balneaque inſtituere; victum tenuem, actu humidum, calidumque & exiguum præſcribere, pro potu aqua hordeacea eſt opportuna cum ſaccharo aut cum julep, aut cum ſucco limonum, & ſaccharo vel aqua ſtillatitia ex cichoreo, vel endivia, vel ſunco, vel ex aliis ſimilibus: à vino omnino abſtinendum; cibus bis in die quietis ſemel in die acceſſionis longius ab invaſione & vigore: cremor ptiſanæ cum lacte ſem. melonum erit opportunus. Maſthaleb Ægyptiorum, illis maxime uſui erit: qui recipit ſeminum melonum unc. iij. cucurbitæ anguriæ liquiritiæ raſæ an. unc. i. aniſorum unc. ij. omnibus contuſis cum aqua roſacea lac extrahitur, & cum ſaccharo calidum datur; aut qui recipit, ſeminum melonum unc. iij. papaver. alborum potulacæ, endiviæ, lactucæ, malvarum, an. unc. i. aniſorum vel fœniculorum unc. ij. contuſis ſupradicto modo lac expreſſum cum ſaccharo calidum datur; vel furfurum triticeorum itidem expreſſum decoctum cum aqua roſacea & ſaccharo candido; vel juſculum, quod ex fermento ab Ægyptiis parari ſuperius docuimus; vel panem tritum in jure pulli coctum, aut ferculum ex blito, malva, endivia, portulaca vel ex aliis ſimilibus herbis. Quandoque ipſis conceduntur carnes pulli gallinacei junioris, vel ut ait Gal. teſtes gallorum parvorum, vel alæ tantum, aut phaſianorum aut gallinarum parvarum: aliquando ova ſorbilia, & nonnunquam piſces ſaxatiles; apparentibus ſignis coctionis vinum etiam conceditur tenue oligophorum, id eſt, aquoſum: Quieſcant ægroti ab animi paſſionibus, & in aëre lucido, in caliditate temperato maneant. Hac victus ratione inſtituta, ad laxantia præſidia deſcendimus; cum in hac febre adſtrictus humor, calorque febrilis ſit digerendus & exhalandus, primum itaque alvus laxabitur medicamento leniter laxatorio. Cujuſmodi erit ſi exhibeatur mannæ electæ in ſero lactis diſſolutæ ad uncias quatuor, & poſtea ægroti ſuperbibant, ſeri lactis caprilli ex ſucco limonis clarefacti libras duas; vel laxabitur venter caſſia cathartica Abiſſina vocata, vel cum ſaccharo devorata ad unciam & ſemis; vel ex ſtillatitia aliqua

qua aqua vel ex ſero ſupradicto diſſoluta; vel exhibeatur ſyrupus roſatus laxativus ad unc. iiij. ex ſupradicto ſero in quo ſemuntia pulpæ tamarindorum fuerit per noctem infuſa; vel caſſia dabitur, cum pulpa tamarindorum. Poſt alteram diem, ubi ex hac febre natura plurimum gravetur, & multa copia bilis in venis cum ſanguine contineatur, ſecta vena jecoraria dextri cubiti ſanguis mittatur copia moderata, vel in pueris & mulieribus ſcarificatis cruribus, aut cucurbitulis cum ſcarificatione ſpatulis adhibitis, at longe præſtabit ſanguinem vacuari aut vena ſecta, aut cruribus ſcarificatis; cucurbitulæ enim in plethoricis corporibus ex Galeno damnantur, qui eas tuto non adhiberi docuit, ni prius totum corpus fuerit evacuatum. A ſanguinis vacuatione ſingulo mane, quoad ſigna coctionis appareant, dabitur ſyrupus violatus ſimplex, cum acetoſo ſimplici; vel roſatus ſimplex cum acetoſo, vel de acido citri, vel de oxalide, vel de endivia, vel de ſunco cum aquis ſtillatitiis, vel decocto malvarum, violarum, boraginis, ſunci, oxalidis, agrimonii, & radicis petroſelini; hic exempli gratia parabitur in hunc modum. ℞. ſyrupi ex acido citri unc. i. de boragine unc. ſ. aquæ ſtillatitiæ borag. acetoſæ, agrimonii an. unc. i. vel decocti, acetoſæ, borag· ſunci, unc. iij. Miſce pro ſyr. actu calido exhibendo. Verum pro aliqua alia molienda vacuatione, humoris inclinatio erit attendenda, nam ſi humor ad ſtomachum inclinarit, quod ex nauſea & vomitu intelligitur, aut aqua tepida cum modico ſyrupi acetoſi vomitus irritabitur, vel hydræleo, aut decocto malvarum, ſem. lini, fœnugræci, hordei; vel aqua tepida, in qua radix dulcis glyzyrrhyzæ, & pauxillum ſem. fœniculorum ebullierit, copioſius hauſta, aut movebitur vomitus aqua tepida cum ſyrupo acetòſo aut jure pulli macro cum ſyrupo itidem acetoſo; ſi vero ad urinam humor inclinaverit, quod ex urina copioſiori, aut acriori intelligitur, diureticis erit opus. Galenus dabat decoctum, apii, anethi, fœniculi; at ſi illud mixtum erit cum lacte ſeminum melonum, cucumeris, endiviæ, malvæ, erit longe utilius, ſed opportunum erit decoctum quod ita paratur: Accipe ſemin. melonum cucumeris an. unc. ij. ſem. malvæ, althææ, endiviæ, portulacæ, ligni dulcis ſive liquiritiæ opti-

optimæ raſæ & tritæ, ſem. fœniculorum, an. 3. ij. contundantur, & ex aqua hordeacea lac extrahatur, quod calidum dabitur ab unciis tribus ad ſex cum ſaccharo. Si cui vero ad ſudorem corpus itidem fuerit promptum, ſudorificis utemur, proinde dabimus cremorem ptiſanæ hordeaceæ in qua ebullierit pugillus calaminthæ, vel decoctum dabitur, quod accipit hordei mundi unc. i. calaminthæ montanæ p. ij. radicis chinæ, arundinis ſiccæ minutim inciſæ an. 3. i s. macerata per noctem bulliant in libris tribus aquæ ad conſumpt. medietatis; & decoctum datur mane calidum & ſtragulis calidis ægroti probe conteguntur ut ſudent, non omiſſis externis cum frictionibus tum inunctionibus calidis, quas paulo poſt dicemus. Si ad ventrem humor delabatur, iiſdem utemur medicamentis leviter ſubductoriis, quæ ſuperius meminimus. Quare purgatio iiſdem medicamentis laxatoriis erit repetenda: ab elective attractoriis vero omnino abſtinendum erit; optimum medicamentum erit, quod recipit ſyrupi roſati ſolutivi unc. iij. mannæ electæ unc. i. ſeri lactis caprilli; q. ſ. fiat potio, & poſt ægrotus ſuperbibat ſeri lactis prædicti libras duas; Gal. dabat abſinthium, cujus uſus propter ingratum ſaporem apud nos obſolevit. Atque hæc de internis medicamentis; Nunc externa attingamus, quæ ſunt balnea ex aqua dulci, epithemata inunctioneſque ex dulci oleo calido; Balnea ex dulci aqua temperate calida utiliſſima ſunt, cum rarefaciant poros cutis, atque bilem digerendo evacuent, meatuſque clauſos aperiant. Quorum uſus cum in multis Italiæ locis obſoleverit, in orientis locis, maximeque in Ægypto, in Arabia & in Syria hac ætate illa ſunt in frequenti uſu, ideo complures eorum loco epithemata, quæ particularia veluti balnea ſunt, omnes affectant, ſcilicet ex aqua hordeacea, fluviatili, vel ſtillatitia endiviæ, ſunci, malvæ, oxalidis, boraginis & ſimilium, temperate calida, & ſpongiis vel linteis imbutis ad thoracem & ad hypochondria appoſitis; quandoque ad penetrationem modicum additur croci, vel aceti, & quandoque ſantalum rubrum roſæque tenuiſſime tritæ adduntur. Nonnulli ad jecoris regionem ſuccum calidum endiviæ, vel cichorei, vel ſunci, vel malvarum cum modico aceti epithematis

Gal. in 5. ſimpl.

mo-

modo adhibent, ex oleo etiam dulci calido, vel communi vel chamomelino, vel amygdalino dulci, lenibus præmiſſis frictionibus, totum corpus ſumma cum utilitate illinunt, quod ipſum laxet meatus, & per eos humorem digerat. Ægyptii cum balnea tum inunctiones & in his & in aliis putridis febribus frequentant. Pro ſpeciali medicamento exhibent ſingulo mane calidam potionem, quæ accipit ſucci granatorum acidorum, dulcium an. unc. ij. aquæ endiviæ unc. iiij. vel aquam ſtillatitiam ex acido limonum cum ſaccharo ad unc. iiij. calidam vel maſtahaleb potio, quæ paratur ex ſeminibus frigidis majoribus liquiritia, aniſorumque ſeminibus contuſis atque ex ipſis expreſſo lacte quod cum ſaccharo calidum datur.

CAPUT II.

De Curatione febris tertianæ nothæ ſive non exquiſitæ.

FEbrem tertianam notham, ſpuriam & non exquiſitam vocant, quæ fit ex bilis mixtione cum pituita extra venas putreſcente. Duplex eſt, quædam ſimplex & quædam compoſita ex duabus vel tribus ſimplicibus, aut ex quotidiana continua, & ex tertiana intermittente; in hac quidem quotidie acceſſiones fiunt, una quotidianæ reſpondens, atque tertianæ altera; hanc hemitriteum vocant, & ſemitertianam. Simplicis quoque quædam ad quotidianam accedit, quippe ubi major pituitæ quam bilis portio putreſcit, & quædam ad tertianam, ubi contra bilis pituitæ copia prævaluerit. Hemitriteus vero ſive ſemitertiana, à tertiana duplici diſtinguitur, eo quia tertiana duplex ſævis, maligniſque ſymptomatibus caret, & in ſemitertiana ſæva ac maligna apparent, unde Gal. merito hanc inter morbos acutos & periculoſos recenſuit. Cognoſcitur tertiana notha primum à rigore, quo invadit, obtuſiore, quam in exquiſitis tertianis, non punctorio, ſcilicet bilis acrimonia ab humido pituitæ obtuſa, longiorque eſt ſive prolixior. Aliquando abſque rigore, horrore, frigore, ſed cum calore tantum invadit, quippe ubi pituita ſatis concocta nulla moleſta qualitate extravenata ſenſibiles partes afficit, & quod habeant

Gal. in 4. aph. 43.

In 1. epid. ſect. 3. com. 21.

Galen in 1. ad Glauc.

paucam pituitam bili mixtam, cujus calore hebeſcit pituitæ frigiditas, uſque adeo, ut nullam moleſtiam inducendo, ſtatim accendatur, atque putrefiat; ſubſequitur calor neque multus, neque admodum acutus, qui diuturnius prolixiuſque ægros tenet, quo acceſſio longior fit, ut nedum intra ſpacium horarum duodecim (quod de exquiſitis dictum eſt) febris ſolvatur, ſed ad horas uſque triginta & quandoque plures acceſſio producatur. Hinc tertium ſignum ab acceſſionum numero depromitur, etenim hæ febres non ſeptem circuitibus terminantur, ſed longe pluribus, ut quandoque ſex menſibus quaſdam perduraſſe, à multis fuerit obſervatum. Hinc etiam tarde ſigna coctionis apparent. Cetera alia ſigna exquiſitarum tertianarum obſervantur, ſed aliquantulum à pituitæ præſentia mutata, ita ut ſitis minus intenſa ſit, minus acuti capitis dolores & calor febrilis minus acris quoque obſervetur. Addunt alii his corporis gravitatem, dolorem vertebrarum, ventriculi inflationem, oris ventriculi faſtidium, oriſque amarorum, & ſimilia. Fiunt hæ febres obſtructis muſculis aut totius corporis (ut quibuſdam viſum eſt) præſertim circa thoracem & dorſum, aut obſtructionibus factis in cavitatibus partium hypochondriis contentarum, cujuſmodi eſt ſtomachus, hepar, lien, pancreas, omentum, diaphragma & ſimiles aliæ partes. Neque eſt, quod quidam objiciant ex putredine in obſtructis viſcerum cavitatibus contenta febres non intermittentes, at continuas fieri, ut in ſuppuratis & in hydropicis apparet, quia ſcilicet putridus humor in cavitatibus viſcerum continetur, ideoque febres continuas fieri, quæ tamen fiunt, quod humor putridus accenſuſque in his cavitatibus thoracis vel abdominis contentus, multus ſit, quam ut una die digeri poſſit, ſed ubi paucus fuerit, ita ut per diem unum digeri à calore febrili queat, fiet febris non continua ſed intermittens. Quare his cavitatibus vel muſculis obſtructis & ob id in ipſis putreſcente humore miſto ex bile & pituita & quandoque cum modico melancholiæ tertiana notha fit. Quæ ni cito tollatur, minatur lienis obſtructionem, tumorem, cachexiam; vel in continuam mutatur ſumme periculoſam. Hæc vero febris & ipſa cum ſit morbus adſtrictus, pro inſtituenda curatione, laxan-

Vid. Trincavel.

tium

tium præſidiorum (quæ quot, qualiaque ſint ſuperius diximus) uſus erit plane conveniens. Hujuſmodi facultatis erit etiam victus ratio, quæ primo ſic inſtituetur, ut cibus quantitate ſit modicus; qualitate, qui humectet, extenuet, detergat, ut eſt ptiſana hordeacea, vel juſculum è furfuribus, vel panis in jure pulli parvi fœniculi foliis, vel petroſelini, vel apii alterato. Gal. dabat ptiſanam cum pipere, aut hiſſopo, aut origano coctam; ovorum lutea ſorbilia, carnes pullorum gallinaceorum parvorum, vel avicularum montanarum vel perdicum, aut fercula ex foliis fœniculi, boraginis, cerefolii, petroſelini parata in eodem jure. Antiqui in ſimplici tertiana alternis diebus tantummodo cibum dabant, quem tenuem victum complures commode non ferunt; proinde rectius, bis in die quietis modicus tamen dabitur, & ſemel in die acceſſionis; à vino vero abſtinendum erit, quoad præceſſerint totius corporis evacuationes, & aliquod coctionis ſignum illuxerit, aër ſit ad caliditatem declinans, & clarus, ut tumentia laxet. Quod primum ex laxantibus occurrit, eſt, ut adſtricta alvus laxatorio pharmaco aut clyſtere laxetur, ſtatim in principio complura excrementa in ſtomacho, & in primis (ut ajunt) viis contenta facile pharmaco laxatorio ſubducuntur vel etiam crudo exiſtente morbo, quod hæc excrementa ſanitatis tempore genita, & nondum putrefacta (quæ ob id Dogmatici cruda dicere non debebunt) medicamentis cedant. Quare caſſiæ florem ad ʒ. x. cum drachma ſpecierum hyeræ ſimplicis Galeni, vel cum ʒ. ij. electuarii diaphæniconis in bolis cum ſaccharo vel in potione dabitur; aut ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. electuarii len. unc. i. cum decoct. flor. & fruct. cum ſenna potio parabitur; vel mannæ electæ unc. ij. s. mellis roſati ſolutivi unc. ij. cum decocto ſupradicto, vel aliqua ex ſtillatitiis aquis fiet potio; aut dabuntur pilularum de hyera. s. ſcrup. iiij. & ſuperbibent ſyrupi roſati ſolutivi ad unc. iiij. ex aqua aliqua ſtillatitia convenienti diſſoluti. Clyſteres molles alvo adſtricta alternis ſaltem diebus injicientur parati ex decocto malvarum, althææ, mercurialis, betæ, furfurum triticeorum, vel ex hydromele ad lib. i. cum olei dulcis unc. iiij. mellis roſati ſimpl. unc. iij. & ſalis ʒij. alvo laxata, & præmiſſa hac alvi evacuatione,

ne, ſanguis ſecta vena jecoraria dextri, vel ſiniſtri brachii ſi in lienis regione dolor, vel tumor adfuerit, quantum vires permiſerint, evacuabitur; quod ſi corpus etiam plethoricum fuerit, in altera die ex altero brachio eadem ſanguinis evacuatio ad majorem corporis laxationem faciendam repetetur; in mulieribus vero pueris & corporibus delicatioribus mittatur ſanguis ex cruribus ſcarificatis, præſertimque in mulieribus, ſi ſuppreſſi fuerint menſes. In corpore autem nigriore ſanguine craſſo abundante præſtabit vena ſecta ſanguinem mittere: & ſi in mulieribus ſuppreſſi fuerint menſes, ſecta pedis dextri ſaphena, copioſius ſanguis, viribus conſtantibus, mittatur. Sunt qui ſalvatella (vulgo dicta) vena in ſiniſtra manu ſecta, repetant ſanguinis evacuationem. Evacuatione vero laxato corpore, coctioni incumbendum erit medicamentis tum internis, tum externis: ex internis convenit oxymel ſimplex, mel roſaceum ſimplex, ſyr. acetoſus ſimplex de boragine, de agrimonia, de abſinthio, cum decocto ex foliis betonicæ, agrimoniæ, chamedrios, boraginis, bugloſſi, rad. apii, petroſelini & aliorum ſimilum parato; hæc enim humorem craſſum extenuant, detergunt, & ab infarctu liberant; eodem tempore exterius os ventriculi fovendum calido oleo dulci, aut amygdalino, aut chamomelino aut ſimili alio, & lien itidem ex fomento calido fovebitur, vel ex oleo chamomelino, amygdalino dulci, aut communi dulci, aut de capparibus, aut de floribus cyclaminis, aut ſimilibus, quæ habent vim rarefaciendi, laxandi, emolliendi, digerindi atque meatus aperiendi. Utile erit fomentum calidum ex decocto, foliorum & radicum althææ, ſem. lini, fœnugræci, meliloti, florum chamomeli & ſimilium paratum ex ſpongia, vel ex veſica ſiniſtro hypochondrio adhibitium. Horum omnium prædictorum uſus erit, quoad ſigna coctionis apparuerint (ſcilicet, ubi urinæ craſſiores, melioris coloris cum æquali contento levi albo apparuerint) atque etiam poſtea, quod digerant humorem febrem foventem. Verum urinis magis concoctis conſpectis, utile erit, humorem putridum purgari per vomitum, ſi ad ſtomachum humor inclinarit, quod ex nauſea & ex vomitu facile intelligitur. Gal. à cibo vomi-

tum

tum laudavit, multoſque ſolo vomitu ſanatos vidit. Ceterum etiam ante cibum provocabitur vel ex hydromelle cum ſyrupo acetoſo, aut cum oximellite, vel oxycrato, id eſt, aqua calida cum modico aceti copioſius epota, & paulo poſt aqua rejecta, digitis aut penna in ore indita, concitato vomitu. Ubi vero humor in ſtomacho pituitoſus, craſſus, & lentus fuerit, dabitur ex jure pulli oxymel (exempli gratia) ℞. juris pulli, in quo liquiritia dulcis, & modicum ſeminum fœniculorum ebullierint lib. iiij. oxymellitis unc. iij. Miſce & calidum propinato; vel exhibeatur aceti ſcyllini unc. i s. vel ſolum, vel cum libra juris pulli parvi gallinacei. Sed ab his vomitoriis ex Scylla conſultius abſtinendum in debilioribus erit, quod ipſis plurimum ſtomachus, atque ab eo coctio lædatur. Si vero non ad vomitum, neque ad urinam, ſed ad ventrem humor relabatur, catharticis pharmacis opus erit. Qualia in potione erunt ſi exhibeantur mellis roſ. ſol. unc. iij. mannæ electæ unc. ij. cum decocto flor. & fruct. cord. cum ſenna, aut mellis roſ. ſol. unc. iij. ſyr. roſ. ſolutivi unc. ij. vel ſyr. de polypodio unc. iiij. cum prædicto decocto vel in bolis dabitur caſſiæ vel electuarii len. unc. i. diapheniconis unc. iij. vel pilullarum de tribus cum rhabarbaro ſcrup. iiij. Agarici th. optimi ʒ. i. cum ſucco roſarum miſce, & fiat bolus: ſed conſultius erit, ut cum Methodicis à catharticis abſtineamus, & horum loco clyſteres & ſimplices laxatorios, & purgatorios inſtituere ne ſtomachus lædatur atque ab eo concoctio. His vero ni febris tollatur, ad ea medicamenta, quæ humorem extravenatum, acceſſionem facientem febremque foventem, vel per inſenſibilem evacuationem, vel per ſudorem digerunt, veniendum erit. Quorum medicamentorum uſus, veluti apud antiquos olim maxime fuit familiaris (quod efficaciter haſce & alias febres reſolvat) ita nunc fere ex toto obſolevit. Dabant quidem antiqui medicamentum vel ſimplex vel compoſitum, facultatis humorem extenuantis, detergentis, atque digerentis per duas horas ante futuram acceſſionem, ut humorem à venis extra excretum, acceſſionem facientem, priuſquam febris reaccenderetur, digererent & reſolverent, atque ita febrem plane finirent. Ut vero hoc efficaciter

facere poſſent, præter medicamentum diſcuſſorium, ſudorificumque, quod per os dabant, etiam eodem tempore præmiſſis lenibus frictionibus, inungebant, alii totum corpus, alii omnes dorſi partes, alii præcordia ex aliquo oleorum laxantium, & digerentium, ut humor extravenatus efficacius cum medicamento intro foraſque agente reſolvatur. Itaque primum interna medicamenta humorem extravenatum digerentia proponam, & mox externa. Ex internis vero ſimplicibus, Dioſc. triphylli aſphaltites ſemen tenuiſſime tritum ex vino albo calido, vel ex decocto chamedris, ad drachmam, & geminam quoque per duas horas ante futuram acceſſionem exhibendum voluit; pentaphyllum idem præſtare, non minus atque ſemen hyperici, conſtat; ſuccum hyperici aliqui calidum ex vino albo epotum aromatico efficaciſſimum eſſe cognoverunt, ſmyrnii item ſemen; calaminthamque Gal. commendavit, quod diſcuſſoria ſit, & ſudorem moveat; chamomelum quoque eodem modo febrem digerere diſcutereque, aptum natum eſſe affirmavit: Quo ab Ægyptiis ſapientiſſimis olim chamomelum Soli quondam fuiſſe conſecratum, conſtat, omniumque febrium unicum remedium itidem fuiſſe, compertum eſt. Saxiphragiæ item radicis ſuccum ex vino albo calidum epotum modo omnibus febribus remedio eſſe, Dioſc. teſtatum reliquit. Chamedrios foliorum decoctum, vel pulverem efficaciter haſce febres reſolvere experientia eodem modo compertum eſt, tantæque efficaciæ ad haſce, atque ad alias tardas febres finiendas chamedrim eſſe plures cognoverunt, ut apud nonnullos & pro ſingulari ſecreto habeatur, & febrifuga exinde fuert chamedris appellata. Polygoni ſuccum calidum epotum illo modo febres ſanare Aggregator Lugdunenſis tradidit, & Conſtantinus Africanus, violarum pulverem ad ſemunciam ex aqua ſtillatitia epotam hiſce febribus efficaciter remedio eſſe ſcriptum reliquit. Verbaſci radix & ejus ſuccus idem efficaciter præſtat per aliquot dies epotus, non minus quam hippoſelini itidem ſemen ad drachmas duas ex vino albo aſſumptum. Radix ariſtolochiæ eodem modo ex vino. Ruta ex vino itidem epota eſt ex efficaciſſimis medicamentis etiam ad quotidianas & ad quartanas febres diſcutien-

In 7. ſimpl. cap. de calamintha.

In 3. l. ſimpl. cap. 10.

In 3. de mat. medica c. de Saxiphragia.

Dioſc. Æt.

tiendas. Agaricus eodem modo cum vino aromatico aſſumptus, efficaciter idem valet; ipſum namque ante acceſſionem epotum rigores reſolvere Dioſc. affirmavit. Piper non minus tritum ex vino potum ad ſcrup. ij. vel ad drachmam idem facit. Rhaponticum antiqui omnes eodem modo aſſumptum plurimum laudarunt, cujus defectu, cum parvo errore ſubſtituitur optimum rhabarbarum; ex gummis, ſilphium fabæ magnitudine cera involutum devoratur, & poſtea vinum calidum album ſuperbibitur ad uncias quatuor, quod medicamentum nedum ad haſce febres, ſed ad alias his longe difficiliores tollendas merito maxime commendatur, quia unum eſt ex efficaciſſimis diſcuſſoriis; hoc vero nihil eſt aliud, quam aſſa fætida optima officinarum. Myrrha quoque ad idem fabæ magnitudine cum piperis obolo ex vino utiliter datur, à nonnullis & opoponax gummi eodem modo laudatur, longe plura ſimplicia medicamenta ab antiquis & à recentioribus ad idem probantur. Atque hæc (ceteris præſtantiora quod ſint, ipſiſque certo Medici fidere queant) nobis ad tertianas nothas reſolvendas ſufficient. Nunc compoſita ſuperſunt, ex quibus Gal. diatrion piperum comendavit, diacalaminthon, ſilphiumque & caſtoreum miſta. Dioſc. myrrham cum pipere ex vino, & ſilphium cum pipere & thure ex vino: hydropoton ſudorificum, compoſitio eſt: ℞. cimeos, myrrhæ, aniſorum, croci, hyoſciami albi, opii an. ʒ. ij. chamedrios, apii, petroſelini, ſem. mandragoræ, thuris an. ʒ. i. tritis ex melle parantur paſtili, qui dantur fabæ magnitudine ex vino ante acceſſionem per duas horas. Nicol. Alexandrinus Rubeam febrilem vocatam ad idem commendavit, eodem modo epotam, quæ accipit, myrrhæ, thuris, aniſorum, acori, iridis, ameos, baccarum lauri, croci orientalis, ſem. petroſelini, apii, mandragoræ an. ʒ. i. ex melle fit elect. quod datur ante acceſſionem fabæ magnitudine ex vino albo calido. Eſt & Panacea Antonii Muſæ (auctore Galeno) ad diuturnas febres, atque ad omnes, quæ circuitu infeſtant finiendas. Conſt. Africanus compoſitum, rubricam dictum, & roſatum eodem modo fabæ magnitudine ante acceſſionem exhibendum propoſuit, hæc etiam accipit, roſarum rubearum ʒ. iiij. ſem. melonum, radicis liquiritiæ, tragacanthi, ſucci liquiritiæ an. ʒ. ij.

In 3. de mat. medica.

Gal. in altero de Dynamidiis.

In lib. 7. de comp. med. loc. cap. 5.

ʒ. ij. ſemina citrioli ʒ. i. croci ſcrup. i s. tritis ex melle paſtilli fiunt: Et illa itidem paratur ex opii ʒ. iiij. croci, aniſorum, cardamomi, ſtyracis, hyoſciami albi, baccarum lauri an. ʒ. i. tritis itidem ex melle elect. paretur, datur vero fabæ magnitudine (ut ſuperius diximus) ante acceſſionem. Nonnulli ex recentioribus, rubeam trochiſcatam dant ex vino fabæ itidem magnitudine, quæ fit, ex abrotani montani, ſalviæ partibus æqualibus & tritis ex vino paſtilli parantur. Alii expertiſſimum habent medicamentum ad febrem ſudore finiendam, quod accipit milii decorticati unc. ij. bulliat quoad grana aperiantur & colati hujus decocti calidi dabant unc. v. cum vini albi aromatici unc. ij. ante acceſſionem per duas horas; Quod efficaciter ſudorem movebat. Quod vero nos longa experientia utiliſſimum eſſe cognovimus eſt, decoctum, quod paratur ex foliorum calaminthæ montanæ, p. ij. ligi. Indi raſpati, radicis harundinis, chinæ minutim inciſæ, an. ſcrup. iiij. iridis radicis albæ ſiccæ tenuiſſimæ tritæ ʒ. i. omnia macerata per diem in lib. 11. aquæ communis, ebulliant ad conſumptionem medietatis, & colatum, datur ad unc. iiij. cum vini albi aromatici unc. ii. addimus theriacam antiquam, atque Mythridatium fabæ magnitudine ex vino albo aromatico calido epotum, quæ eſt ſingulare remedium, non ad haſce tantum, at ad omnes intermittentes, ſi declinante morbo exhibeantur, quo epoto medicamento cooperiuntur ægroti ſtragulis calidis & per exterius frictionibus & medicamentis externis calidis ſudorifica medicamenti adjuvetur operatio; longe enim efficacius internum medicamentum humorem digerit, ſi externo etiam medicamento, vel diſcuſſorio, vel ſudorifico coadjuvetur. Quare & externa digerentia & reſolventia (quorum quædam tanti momenti ſunt, ut febrem, abſque interni medicamenti auxilio, reſolvant) nunc ſunt addenda, in quibus dicendis à ſimplicibus exordiendum; præmiſſa partis fricandæ & inungendæ notitia, quæ à partis cognitione, in qua eſt putredinis focus intelligitur, de qua parte admodum à Medicis (ut nuper diximus) controverſum eſt, Dioſcorides quandoque extrema inungenda voluit, & aliquando (ubi ſudor movendus ſit) univerſum corpus; Gal. itidem, ubi

Arnoldus Villanovanus in l. 4. de morb c. 19. Aggreg. Lugdunenſis.

In 2. yporiſton. cap. 21.

ubi ſudor movendus, totum corpus inungendum præcepit, nonnunquam vero tantum hypochondria, unde ait: ad febres oleum chamomelinum hypochondriis eſſe gratiſſimum, quod maxime extollunt Methodici, cum ſenſerint laxanda eſſe hypochondria. Quod & Galenus voluiſſe viſus eſt, cum in febre tertiana fotus ad partes quæ in hypochondriis ſunt, adhibendos præceperit. Quod itidem Oribaſius, Aetius, Stephanus Athenienſis, & alii non pauci obſervarunt. Alii dorſi partes, quippe ſcapulas, ſpinamque illini oportere, voluerunt. Hæc vero (de parte inungenda) diſcrepantia exinde venit, quia varii varias partes eſſe putarunt, in quibus humor putreſcat, ac febris focus conſiſtat. Quidam Galenum ſecuti dixerunt muſculos eſſe locum putredinis, quod ipſorum ſubſtantia, rara & mollis aptiſſima ſit, ut humorem tum obſtruat, ibique humor putreſcat, & facile digeratur. Unde dixerunt in febribus intermittentibus humorem à venis expulſum, in ſolidiores circumſtantes partes, quæ in habitum univerſi corporis digeſtæ ſunt, recipi, ibique putreſcere, unde iſti merito totum corpus fricandum, inunguendumque voluerunt, quod ajunt cognoſci à laſſitudine totius corporis, dolore, gravitate, rigore, vel frigore totum corpus quatiente. Alii tantummodo in muſculis dorſi, nempe ſcapularum, ſpinæ ac lumborum locum putridis eſſe ex eo comprehenderunt, quod ibi rigor, dolor & laſſitudo primum innoteſcat. Accedit etiam, ut hæc veritas firmetur, Hippocratem, quia partes dorſi poſteriores, frigidiores ſunt anterioribus, , ob id rigores horrores & laſſitudines in iis, quam in anterioribus, primum incipere & manifeſtius obſervari, dixiſſe; ex quo etiam fit, ut humores in poſterioribus partibus putreſcentes (quod hæ, ut dictum eſt, ſint frigidiores) debilius digerantur, & reſolvantur, quam qui anteriores muſculos calidiores obſtruunt; in quibus propter calorem copioſiorem, efficacioremque citius digeruntur. Unde merito partes eæ poſteriores dorſi perfricandæ ſunt, inunguendæque, ut calor augeatur, & facilius humores ibi putreſcentes digerantur: hinc apud veterum Medicorum complures uſus invaluit, perfricandi ſolummodo & inunguendi partes dorſi. Alii vero voluerunt partes

In eodem l. cap. 25. In 7. ſimpl. c. de calamintha & in l. de facil. parabil. cap. 4. In l. 3. ſimpl. cap. 10. In 1. ad Glauc. In 5. Aphor. 69. & in 2. epid. 3. text. 24. & in 6. epid 3. text. 17.

in quibus eſt putredo, & putredinis focus, cavitates eſſe partium hypochondriis contentarum, quippe aut ſtomachi; aut meſenterii, aut pancreatis, aut lienis, aut jecoris, aut aliarum proximarum partium; hinc fotus, & inunctiones præcordiis adhibendas plærique voluerunt. Haſce vero partes hypochondriorum habere focum putredinis, in ipſiſque eſſe obſtructiones, quod ex tumore, tenſione, doloreque partis facile cognoſcitur; veluti locum putredinis eſſe circa diaphragma, vel cor, vel pulmones, vel thoracem, à reſpiratione difficili, tuſſi, & gravitate circa illas partes obſervata, comprehenditur. Quibus perſpectis conſulimus univerſum corpus eſſe perfricandum & inunguendum, ſcilicet partes omnes dorſi, ſtomachum, lienem, & hypochondria eoque magis, ſi in ipſis gravitas, tenſio, vel tumor, vel dolor obſervetur. Aliqui extremas partes frontem & tempora illinenda, non quod ibi ſit humor putridus, ſed ut humor à loco affecto divertatur, voluerunt. Sed ad ſimplicia medicamenta, quibus uti debebunt Medici, cognoſcenda, redeamus. Dioſc. coſtum commendavit, & ſpumam nitri; piperque tritum, ſemen viticis tritum ex oleo calido toti corpori cum perfricatione illitum. Aetius ex Nichepſo Medico chamomeli florem ex calido oleo illitum à capite ad pedes uſque ad movendum ſudorem extulit, quod inunctum ex eo corpus, ſtragulis calidis coopertum, copioſum ſudorem fundat; at oleum ex floribus chamomeli paratum erit ad id aptiſſimum. Nitrum item atque ejus ſpumam, baccas lauri ex oleo, vel ipſarum oleum, & ſmyrnii ſemen, piretrumque ex oleo eſſe efficax ad finiendam cum ſudore febrem Gal. expreſſit; oleum item ex calaminta, ex cyclamine, & cucumere ſylveſtri, ex bryoniæ radice, & alia ſimilia olea, quæ vim habent laxandi digerendique, erunt accommodatiſſima. Ex compoſitis autem eſt, quod accipit oleum ex cinnamomo, chamomelinum (exempli gratia) ad unc. ij. nitri ʒ. ij. aceti albi unc. i. foliorum lauri minutim inciſorum p. ij: bulliant ſimul quoad abſumatur acetum, & calido totum corpus illinito, & æger cooperiatur ſtragulis; commendatur à Galeno unguentum Gleucinum & à Conſtantino Africano oleum in quo ſemen ſinapis, piper, ruta, & radix cucumeris ſylveſtris ebullierit.

In 3. de med. facil. parab. c. 34.

In 7. de compoſit. genera.

CAP.

CAPUT. III.

De febris quartanæ curatione.

FEbris quartana dicta eſt à quartanario circuitu, quo invadit, ſcilicet quod de quarto in quartum diem accedat: duplex eſt, exquiſita una, quæ fit à melancholico humore extra venas putreſcente, qui humor eſt fex ſanguinis, quippe ejus pars craſſa terrena frigida & ſicca. Hanc febrem aliquando fieri ab atra bile Gal. dixit, quod (ut alibi docuit) melancholia putreſcens fiat atra bilis; hæc plærumque fit in autumno, in cœlo, frigido & ſicco, in inæquali aëris conſtitutione vigente, in qua modo calor, modo frigus ſentitur. Nam (Hippocrate auctore) ubi eadem die modo calor, modo frigus in aëre fit, morbos autumnales expectare oportet, eo quia calor in corporibus reſolvat tenuiorem humorem, & frigus intus craſſum cohibeat. In ætate declinante, ab annis triginta quinque, ad quadrageſimum quintum plæriſque hanc febrem fieri viſum eſt. Quæ febris aliquando ſimplex, id eſt una, & aliquando duplex, aliquando triplex obſervatur, & quandoque etiam aliis febribus, aut intermittentibus, aut continuis complicatur. Altera eſt non exquiſita, notha & ſpuria dicta, ſcilicet quæ ab atra bile putreſcente itidem extra venas fit; ſed hæc atra bilis non eſt melancholica putreſcens, ſed ea, quæ à flava bile uſta fit. Unde hæc febris non in frigidis, ſed in calidioribus corporibus ex quo merito aliqui ipſum inter calidos morbos recenſuerunt, quod cum calore ingenti & ſiti fere inextinguibili appareat. Signa exquiſitæ primum perſpecta nos habere oportet, quæ partim ab iis, quæ præter naturam, & partim ab iis, quæ ſecundum naturam ſunt, deſumuntur. Hæc ſunt ætas declinans, temperamentum melancholicum, tempus autumni, regio frigida & ſicca, inæqualiſque aëris conſtitutio. Ex iis vero, quæ præter naturam ſunt, primum ſignum ex rigore deſumitur, Hic eſt non punctorius, ſed oſtocopedes, id eſt (ut ait Stephanus Athenienſis) quo oſſa laſſitudine afficiuntur, quippe ipſis gravatis ac veluti compreſſis ab hujuſce ſucci gravitate. Galenus non eſſe valde acutum expreſſit, eiſque hunc rigorem ſimilem fecit, qui maxime fri-

Gal. in 2. de diff. feb. c. 5.

In 1. aph. com. 1.

Hip. in l. de nat. hominis in fine.

In 2. de crifib. cap. 5.

geſcunt. Hippocrates dixit, in iis corpus ita frigeſcere, ut ægre frigus depelli queat. Aliqui ex recentioribus hunc non rigorem appellant, at magnum tremorem in principio acceſſionis cum frigore, ut oſſa frangi & à carne veluti diſcindi videantur. Alii non rigorem ſed frigus dixerunt, ipſumque multum penetrare, quoad oſſa ab ipſo pertundi videantur. Hic vero tractu temporis rigori ſimilis evadit, quippe melancholico humore à calore extenuato. Poſt rigorem calor ſubſequitur in principio neque multus neque acris, quod tunc ſuccus frigidus ſit, & ſiccus, in vigore multus ac admodum efficax, propter accenſi humoris ſubſtantiam, terrenam craſſam & denſam, ut aliis febrium caloribus hic in diſcutiendo merito plurimum præferatur, unde mirum non eſt, ſi multos affectus, alioquin graviſſimos & ſanatu difficilimos quartana febre ſanari, à multis proditum ſit. Gal. hunc calorem non eſſe in principio multum ſed paulatim augeri, veluti ignis in rebus frigidis & ſiccis accenditur. In his pulſus in principio acceſſionis eſt rarus, tardus ac veluti interceptus, ſive etiam (uti Serapioni viſum eſt) interciſus, in ſtatu celer, frequens, habens inæqualitatem, quæ eſt omnium febrium propria, manifeſtiorem; ideo Galenus ait communem omnium febrium inæqualitatem in una applicatione arteriæ in quartana eſſe evidentiſſimam, ſcilicet quod pulſus dilatatio, dyaſtolis dicta, tardior, quam in febribus tertianis fiat. In declinatione vero, ſi febris adhuc veſtigium permaneat, pulſus eſt tardior, eoque potiſſimum, qui eſt ſecundum naturam. Urinæ in principio albæ, tenues, aquoſæ ſunt, in augmento craſſiores, & coloratiores, atque in ſtatu craſſæ & quandoque nigræ, ſcilicet quibus critice aliquando quartanæ finiuntur. Hæc febris inter alias ad perfectam pervenit, infebricitationem, quæ non raro cum ſudore fit, at non in principio, ſed poſtea, humore craſſo à calore extenuato, in multis in ſtatu & in declinatione erumpunt ſudores copioſiſſimi, quia humor à calore efficaci maxime extenuatur, atque digeritur. At in nothis quartanis, quæ fiunt à calidis humoribus uſtis, ac putrefactis longe copioſiores ſudores, quam in exquiſitis, erumpere ſolent. In hoc affectu quandoque lien, & quandoque hepar

In 2. de diff. feb. cap. 5. Arnold. Villanovanus in l. 4. cap. 27.

Holl. in 2. de morb. inter.

In lib. 2. de feb. cap. 5.

Gal. in 1. de criſib. cap. 5.

par in tumorem attolluntur, quo hæc duo membra male affecta ad quartanarum generationem maxime concurrere merito Medici complures voluerunt. Alii his addunt corporis fuſcum vel nigrum colorem, qui melancholicorum proprius videtur. Ex acceſſione vero quartana cognoſcitur quod de quarto in quartum moveatur, at hæc (Paulo auctore) aliquando producitur ultra quartum diem. Hippocrates ſenex divinus, quartanos, quintanos, ſeptimanos atque nonanos dari in his circuitus tradidit. Avicenna quintanos, ſeptimanos. Gal. hos dari quidem non negavit ex aliorum ſententia, at nullos horum circuituum vidiſſe ſæpius affirmavit, nullos inquam certos, ordinem ſervantes, ſed confuſos, atque inordinatos, ab errore potius externo, quam à firma certaque cauſa procedentes. Ex recentioribus Franc. Valeſius vir eruditus, hos dari circuitus contra Galenum, cum Avicenna ſtatuit, quos omnes ad quartanarum genus refert, à melancholicoque humore pauco quidem, at ſubſtantia craſſiſſimo, fieri credidit, qui quod tardiſſime præ craſſitie diſcutiatur, ideo haſce periodos ipſum producere. Quos ſane circuitus ſive acceſſiones diſtinctas ac certas dari, complures recentiorum, ac vel etiam nos cognovimus; colligimus hos aut dari ſpecie diſtinctos (quod Hippoc. ſcriptum reliquit, & Galenus negavit) vel non ſpecie diſtinctos, ut Arabes voluerunt, qui ad quartanarum genus hos retulerunt, ex quibus dicamus quartanam febrem exquiſitam (de qua nunc agimus) moveri de quarto in quartum, alii vero circuitus, quippe quintani, ſeptimani, octomani, & nonani ſpuriæ ſive nothæ quartanæ erunt. at age de ſpuria quoque loquamur. Hanc (dictum eſt) febrem eſſe ab atra bile aliorum humorum conjunctione facta, extra venas putreſcente. Atram bilem fieri aliquando à flava bile & à melancholico ſucco, Galenus docuit, à qua putreſcente quartanam etiam febrem concitari expreſſum quoque reliquit. Arabes voluerunt craſſam quoque pituitam uſtam ad atram accedere, ac idcirco quartanam febrem facere. Signa quartanæ nothæ, ab iis, quæ ſecundum naturam ſunt, deprompta exiſtunt, ætas vigens, regio calida & ſicca, æſtas ſicca & admodum calida, corporaque ſiccis biliosis ſcatentia. & ab iis, quæ præter naturam ſunt, primum

In lib. 2.

In 1. epid. ſec. 3. tex. 2. & in tex. 7.

In lib. de ſymtomatis. cap. 5.

In 1. de diff. feb. cap. 5.

In lib. 5. controver. medic. c. 25.

Gal. in 1. prorrh. com. 4 & in 2. de vict. rat. in acut. com. 30.

In 3. prognoſt. com. 39.

eſt rigor (quo hæc febris invadit) acutus ſimilis tertianis, abſque ullo ſenſu frigoris, neque oſſium ,apparet dolorifica illa laſſitudo, quæ exquiſitæ quartanæ eſt propria. Calor acrior eſt, ac major in principio obſervatur, acceſſio brevior, quæ plerumque in ſudorem terminatur: pulſus in principio acceſſionis, & in declinatione non ita tardus & rarus. Urinæ in principio coloratiores apparent, breviori tempore hæc febris finitur, ſitiunt ægrotantes maxime in hac febre veluti in exquiſita, vel nihil vel parum. Quartana febris omnium eſt longiſſima facillima & ſecuriſſima. Hac ipſa laborantes magno morbo non capi, & complures morbos ſanatu difficiles reſolvi compertum eſt. Gal. ait: longam quartanam morbum comitialem diſcutere, ſed lienoſis eſſe valde incommodam, complureſque ipſorum exinde factos hydropicos mortuos ſe vidiſſe tradidit. Senibus, & præſertim debilibus lethalem eſſe, neminem Medicorum latet, quia humor melancholicus, atraque bilis omnium humorum ſit peſſimus, & ad coquendum tardiſſimus, ac difficillimus, qui propter temperamentum ſiccum & frigidum & ſubſtantiam craſſam & denſam, efficaci calore eget ut extenuetur, & coquatur; in ſenibus vero cum concoctrix facultas & expultrix langueat, ideo à quartana & ab aliis omnibus affectibus ab eodem ſucco obortis, ſenes maxime patiuntur, ſenes vero cum lienis tumore, ipſa brevi tempore ad exitium provehit. His præmiſſis ad curationem declinemus, quæ profecto efficacioribus laxantibus perficitur, quippe quod affectus adſtrictus ab humore craſſo & terreno foveatur, ideo fortioribus opus eſſe medicamentis etiam Dogmatici ſentiunt, ſcilicet quæ incidant, extenuent ac concoquant. At Methodici vere laxantibus hunc humorem ſuperari poſſe exiſtimarunt, ſcilicet calidis & humidis, quod humectatione hic humor atque calore egeat, ut coquatur. Quod dogma complures etiam rationalium Medicorum ſecuti, ad hunc coquendum & depurandum humorem, primum humectantibus opus eſſe cognoverunt (quando ipſius ſubſtantia humectata facile extnuetur à calore digeraturque) Quod vero pertinet ad victus rationem, aër primum ſit candidus, clarus, ægrotus hilaris ſit, & abſtineat ab iis animi paſſionibus, quæ cum

Hipp. in 6. epid. ſect. 3. tex. 4.
Hipp. in 6. epid. ſect. 6. tex. 7.
In 1. epid. ſect. 3. com. 4.

cum mærore, timore, ac triſtitia ſunt, quod hæ adſtrictum affectum foveant, neque humorem, fuligineſque exhalare per cutis meatus permittant. Experientia tamen obſervatum eſt, in robuſtis corporibus timorem vehementem repentine obortum multos plurimum juviſſe, & nonnullos omnino ſanaviſſe. Nos quoque meminimus, cum hac febre aliquando vexaremur, repentino nobis oborto ex inimicis invadentibus nos timore, majori ex parte eam febrem fuiſſe imminutam; ſed quomodo iſtuc? cum timores adſtrictum affectum augeant, meatus claudendo & calorem intus repellendo, calor enim cum ſanguine ad viſcera recurrit, extimæque partes ob id exangues, & adſtrictæ remanent. At quemadmodum alias fuit demonſtratum, aquam frigidam large affuſam revocatione, ut expreſſit Hippocrates, caloris plurimum calefacere, ita de timore vehementi dicendum, quippe ab ipſo calorem intus pelli, quem unitum atque auctum, poſtea ad partes, in quibus humor putridus melancholicus eſt, erumpentem, ipſum efficaciter extenuare, concoquere, & digerere, quod non niſi in corporibus robuſtis fieri poteſt, etenim in debilibus calor, nedum augetur, at quinimo extinguitur. Cibus erit mediocris, optimi ſucci, facilis alterationis, bis in die quietis cibum capiant, & ſemel in die acceſſionis, aut ante acceſſionem per quatuor horas, aut in febris declinatione, carnes opportunæ in cibis erunt pullorum gallinaceorum parvorum, vel phaſianorum, vel turdorum, vel perdicum, vel aliarum avium montanarum. Item carnes vitulinæ hædinæque, atque ova gallinarum recentia ſorbilia erunt utilia. Ab aqua in potu abſtinendum, vinum erit album, tenue, medium inter oligophorum, & vinoſum generoſumve. Incipienda curatio eſt, à medicamentis lenitoriis, ut alvus laxetur, excrementiſque exoneretur. In exquiſita quartana dabimus caſſiam cum diacatholicone, vel ſyrupum de polypodio laxativum ad unc. iiij. cum aliquo convenienti decocto, vel dabimus, diacatholiconis unc. ij. diſſoluti ex decoct. florum & fruct. cord. in ſpuria vero & notha, quæ à calidioribus humoribus foveatur, exhibent in potione ſy. roſ. ſolutivi vel mannæ electæ unc. iiij. cum ſero lactis caprilli, vel floris caſſiæ noviter

ter extractæ ʒ. x. confect. hamec. ʒ. ij. fiant boli. Methodicis vero quibuſdam viſum eſt, ab his potius abſtinendum, & quod ſtomachum avertant, & humores melancholici laxatorii educi nequeant. Accedit, quod catharticis eo humore ſæpe commoto febris augeatur, ac non raro ex ſimplici duplex, atque ex duplici continua evadat. Sed tamen hæc incommoda ſequerentur uſum catharticorum, non autem lenientium vocatorum, quare & iis utendum atque clyſteribus mollibus, quibus alvo laxata, ſanguis in corporibus aptis vacuandus erit. Galenus ait, ſecta vena ſiniſtri cubiti, aut interna, aut media, mittendum eſſe ſanguinem, modo ſit niger & craſſus, qui ſi flavus & tenuis fuerit, ab ejus evacuatione abſtinendum erit. Notæ ſunt ad mittendum ſanguinem, ſi corpus ſanguine abundaverit, ſi gracile ſit, venaſque turgidas habeat, non ex flatu, ſed ex ſanguine; ſi ſuppreſſi fuerint menſes, ex vena poplitis vel ex ſaphena pedis evacuabitur; eodem modo ſi hæmorrhoides interceptæ itidem fuerunt, præſtabit ſanguiſugis adhibitis ſanguinem educere. Non expectandum febris augmentum, pro mittendo ſanguine, ut alii faciunt, ſed ſtatim ipſo principio (auctore Galeno) mittendus erit, non in die paroxiſmi, & non in ipſius principio, at in præcedenti die illud eſt faciendum. Nonnulli poſtea ſalvatellam vocatam venam etiam aperiunt, repetuntque ſanguinis evacuationem. Gal. tamen ſplenicæ illius venæ & parvarum iſtiuſmodi venarum ſectionem ſæpe irridet: laxato quoque corpore ex ſanguinis evacuatione, concoctoriis medicamentis prorſus incumbendum. Quidam illud præſtare nituntur prius medicamentis humorem ſiccum, craſſum, & frigidum humectantibus, temperateque calefactoriis, humectatione enim aptior redditur is ſuccus, ut à calore coquatur, à temperato vero calore paulatim coquitur, cum valenter calidis humidum hauriatur, terreſtriorque ac minus naturæ, medicamentiſque cedens reddatur humor, poſteaque humectato humore laudant incidentium, ſubtiliantiumve atque aperientium uſum. Itaque primum ex ſyrupis commendatur qui recipit ſyrupi de pomis, de ſucco boraginis, de lupulis, an. unc. ſ. cum decocti boraginis, bugloſſi, lupulorum, althææ, paſſullarum enu-

In lib. de curat. per ſang. miſſio.

enucleatarum unc. iij. à quibus per dies quinque vel plures aſſumptis, poterimus alium exhibere, qui recipit, vel oxymellis ſimpl unc. ß. ſyrupi de epythymo unc. ß. cum decocto fumi terræ, meliſſæ, chamedrios, pulegii, epithymi, paſſullarum ſine nucleis unc. iij. Videtur loco ſyruporum utilior uſus juſculi pulli gallinacei parvi, in quo ebullierit borago, lupulus, ſuncus, aſplenium, radix petroſelini, liquiritia dulcis, pulegium, & paſſullæ enucleatæ, ad ſemilibram calidi epoti ſingulo mane in aurora. Corpore fluido reddito vel his vel aliis, purgationi incumbendum erit, vomitoriis, ſi ad ſtomachum humores inclinaverint, vel per alvum, per quem locum promptius hic humor (auctore Hippocrate) expurgatur. De vomitu complures à cœna faciendum voluerunt, quod humor miſtus cibo facilius evacuetur, vel quod ex cibo humor humidior & fluxilior reddatur. Galen. vomitionem moliri oportere in die præcedente acceſſionem conſulit. Ita enim habet de hoc: *Die eodem, quæ acceſſionem præcedit, vomitum à cœna commovi, poſtridie mane cremorem abſinthii exhibui, tum duabus horis ante acceſſionem theriacam, idque tam feliciter, ut non amplius acceſſio redierit.* Non vacuatur tamen vomitu materia febris conjuncta, ſed antecedens, niſi in ſtomacho ſit ſedes humoris putridi: vomitus vero ſolet eſſe magni adjumenti, quod, ut plurimum, copia ſucci melancholici in ſtomacho ad concitandam appetentiam contineatur. At ni vomitu fuerit opus, ventrifluis utendum erit, quæ humorem melancholicum laxando educant. At conſultius laxatoriis, catharticis prætermiſſis, complures etiam Dogmaticorum coctione ſola agendum eſſe putant; quod ſi purgandum ſit, coctionem omnino eſſe expectandam, qua obſervata, ad id præſtandum hoc utile erit apozema, quod accipit florum borag. bugloſſæ, violarum, fumi terræ an. p. ij. foliorum ſenæ, epithimi, polipodii, an. ʒ. ij. radicis ellebori nigri ʒ. i. cinnamomi minutim inciſi, Cariophyllorum, carpobalſami an. ſcrup. i. ligni dulcis deraſi & contuſi, paſſullarum ſine nucleis an. unc. ß. hæc in lib. 1. aquæ ebulliant, quoad tertia pars abſumatur, & colatum calidum ad unc. v. propinatur, in ipſo diſſoluta uncia mannæ calabræ, vel hæc omnia per noctem

In 4. aphoriſ. 9.

in vino albo calido infusa maneant, & percolatum infusum calidum exhibeatur cum prædicta manna ad ʒ. x. aut dabuntur boli parati ex confect. hamec ʒ. iiij. diacatholiconis ʒ. vj. vel ex syrupi ros. solutivi unc. iiij. electuarii len. ʒ. vj. confect. hamec ʒ. ij. cum decocto flor. & fruct. cord. facta potione, aut pilularum cochiarum cum elleboro nigro præparatarum scrup. iiij. mastichinarum scrup. iß fiant pilulæ 15. In quartana notha medicamenta debent esse ejusmodi facultatis, ut ustos humores contemperent, & evacuent. Unde decocta & infusa parabuntur, ex boragine, bugloſſo, sunco, endivia, hordeo, passullis, melissa; ex purgantibus, conveniet senna, epithymus, fumus terræ, elleborus niger, quibus per noctem in sero lactis maceratis, expressum cum cassia, vel manna vel syr. rosato solutivo, vel cum sero lactis, calidum dabitur; cum autem hæc febris à corporis vacuatione, purgationeque antegressa concoctione seu præparatione, non fuerit sublata, consulimus, ut per aliquid temporis à purgantibus atque ab aliis omnibus medicamentis, quæ plurimum agitant, quartanarii abstineant, solumque coctioni humoris incumbant, ita ut mane jus galli juvenis assumentes alteratum althæa, boragine, bugloſſo, melissa, sunco; fumaria, petroselini radice, agrimonio, passullis, glyzirrhiza, bibant calidum, foveant os ventriculi, lienem, & totum sinistrum hypochondrium aliquo ex oleis concoctionem juvantibus, digerentibusque, cujusmodi est, oleum chamomelinum, amygdalinum, utiles etiam erunt lenes ad totum corpus frictiones cum inunctione calida olei chamomelini aut amygdalini dulcis. Quibus addenda optima victus ratio, & in cibo & in potu, tum in aëre, tum in excrementis rejiciendis per omnes meatus corporis, sed præsertim per alvum, quam laxam esse perpetuo oportebit, quæ ni sponte fluens sit, clysteribus mollibus inditis, vel passullis in vino dulci vel in jure pulli decoctis cum saccharo sæpius assumptis, vel ex decocto mercurialis, althææ, betæ, blyti, malvarum ac similium herbarum laxantium parato, atque calido epoto, atque in hac simili curatione perseverandum erit, quoad symptomata & febris aliquatenus declinare cœperint, quo tempore ad usum illorum

rum medicamentorum cum internorum tum externorum, quæ humorem digerunt totiuſque corporis meatus laxant febremque omnino finiunt, declinandum itidem erit. Ex internis, quæ per duas horas ante acceſſionem calida exhibentur cum totius corporis leni frictione & calida inunctione poſterius dicenda, Dioſc. radices plantaginis ex vino potas, pro diſcuſſorio laudavit & heliotropium majus ſcorpiurum dictum. Alexander Trallianus credidit plurimum quartanarios juvare poſſe cimices lectulorum quatuor vel ſeptem fabarum cavitatibus clauſos devoratos. Non minus & Glyzirrizam ad ʒ. ij. tritam ex aquæ hæmina ante acceſſionem epotam, ſemen item hyperici ex vino, libanotidiſque radicem ex dimidia vini hemina, item bituminis ʒ. i. caſtorei ſcrup. ß. per duas horas ante acceſſionem. Galenus à vomitu poſt cœnam facto, craſtino mane exhibito cremore abſinthii, & ante acceſſionem theriaca ex vino, multos ſanatos fuiſſe, ſcribit. Piper item tritum quotidie mane bibendum dabat, atque etiam elleborum album ſcilicet in caſu difficilimo, ſed ab hoc ne dixerim medicamento, ſed lethali veneno abſtinendum eſſe duxerim, cum ipſius uſus hac ætate ſit admodum ſuſpectus; laſerpitium ſive ſuccum Cyrenaicum (quem aſſam fætidam officinarum eſſe alias demonſtravimus) ex vino ante acceſſionem plurimum contulit, dabitur vero fabæ magnitudine. Arabes ſerum quoque lactis extollunt, quod fortaſſe, ut Galen. docet, non ſit expers facultatis calidæ; ſed ipſius uſus convenit quartanis à calidioribus ſuccis obortis. Conſt. Africanus in exquiſita & in longiſſima laudavit petroleum, Yſaac radicem Caryophyllatæ ad ʒ. i. ex aqua vitæ, gentianæ item radicis ʒ. i. ex vino. Archigenes bitumen Judaicum, trifolium bituminoſum, hederæ folia, caſtoreum atque ſcorpiurum. Villanovanus pro ſecreto habuit exhibere tapſi barbati radicem ex vino per duas hora ante acceſſionem, & non minus etiam os de corde cervi ad drachmam, itidem ex vino alterato dictamno Cretico, ſalvia, chamedri atque chamepithi, & myrrham ex ſucco abſinthii ad ſcrup. ij. caſtorei etiam, & bituminis, an. ſcrup. ij. ex vino. Hollerius ranarum viridium decoctum ante acceſſionem commendavit, quod tamen vi potius venefica, quam

In 2. yporiß. cap. 22.

In 1. ad Glauc.

In 3. de alim facult.

vi aliqua occulta (ut recte Jacotius in ſcoliis ſentiit) illud præſtare credidimus; ligni Indi decoctum dilutum, atque ejuſdem ligni tenuiſſime triti ʒ. i. ex vino aromatico calido non parum multis profuiſſe deprehenſum eſt. Nonnulli aſarum decoctum ex melle, ſed in morbo crudo geminabit febrem, veluti in declinante, quod albi ellebori modo purget per vomitum, eam omnino tollet: decoctum item cardui benedicti, ac vel etiam ellebori nigri, ſumme juvat. Dantur quoque ſtibii præparati, gr. iiij. vel vinum malvaticum in quo per diem infuſum manſerit. Nos vero addimus oleum de chalcanto album & clarum ad ſcrup. i. ex vini albi aromatici unc. iij. Galenus ex compoſitis diatrion pipereon, diaſpoliticon, Theriacam magnam Andromachi apparentibus ſignis coctionis commendavit. Eſt & medicamentum Tralliani, quod accipit opoponacis, opii caſtorei, ſeminum alterci an. ſcrup. iiij. tritis ex melle fiunt paſtilli, datur ad ſcrup. ij. ex vino aromatico ante acceſſionem; eſt & Aetii medicamentum, quo utebatur eodem modo: quod accipit piperis longi, myrrhæ, opii, caſtorei an. ʒ. i. tritis ex melle parantur paſtilli, doſis eſt ſcrup. ß. ante acceſſionem ex hydromelle; & Haly Abbas habuit hoc familiare medicamentum quod accipit piperis albi, nigri, longi, an. ʒ. xx. xilobalſami ʒ. x. Zinziberis, apii, caſſiæ ligneæ, aſari, raſeni an. ʒ. i. ex melle parantur paſtilli; datur ʒ. i. ex vino calido ſupradicto modo. Yſaac dabat Theriacæ antiquæ ʒ. i. ex vino alterato menta, & mentaſtro, aut Theriacæ ʒ. ij. cum aquæ chamedrios unc. iiij. per horam ante acceſſionem. Aliqui mithridatium, aureamque Alexandrinam ex vino eodem modo atque eadem doſi exhibendam laudarunt; eſt & Hollerii medicamentum, quod paratur ex cinnamomi ʒ. ij. piperis ʒ. i. croci, myrrhæ, ſtyracis, ſagapeni, ʒ. ß. benzoini ʒ. iij. rad. gentianæ ʒ. ij. tritis ex melle depurato fit electuarium, cujus doſis eſt ad ſcrup. ij. ex aqua ſtillatitia fœniculi & apii calida. Nonnulli exhibent Theriacæ antiquæ ʒ. iß. ſucci mentæ depurati ʒ. i. vini albi odorati unc. iß. & datur calidum. Atque hæc ſunt interna medicamenta quæ exhiberi debent ante acceſſionem per duas horas, quibus externa quoque ſunt addenda, nam devoratis iis medicamentis, ex-

In 1. ad Glauc. In l. de Ther. ad Piſo. c. 28.

externis quoque eſt opus, ut ipſorum digerens & diſcuſſoria facultas augeatur; debent quidem corpora ægrotantium calido unguento vel oleo inungi, præmiſſis lenibus frictionibus, ut de eorundem medicamentorum uſu ad tertianas nothas quoque diximus. Itaque eaſdem illas inunctiones quartanariis quoque conducere dicimus quas ad tertianas meminimus. Ex antiquis Conſt. Africanus ad ſudorem movendum utebatur unguento marciato dicto, quandoque calido petroleo inunguendum corpus, privatimque dorſi & ſpinæ partes inunguendas voluit; balnea quoque ſulphurea calida commendantur, ſi ante acceſſionem immergantur ægroti & maneant, quoad febris acceſſerit atque declinarit. Recentiores laudarunt ſcapulas, brachia, ſpinamque ante acceſſionem inungi oportere oleo calido, vel chamomelino, vel de cucumeri agreſti, vel ex eo, quod paratur ex ſucci rutæ unc. ij. olei ſcorpionum unc. iiij. vini aromatici unc. iij. ferveant, quoad ſuccus abſumatur, & calido inungantur partes prædictæ; aliud ad idem. ℞. cinnamomi, piperis an. ſrup. ij. trita hæc inſpergito ſpinæ præunctæ oleo chamomelino. Alii ægrotos jubent ante acceſſionem ingredi balneum ex aqua dulci, in qua ſerpillus, pulegium, ſalvia, roſmarinum, chamomelum, & ſimiles aliæ herbæ digerentes ebullierint. Unguentum item Neſtoris Anglici laudatur, quo per horam ante febrem apud ignem ungatur ſpina dorſi uſque ad nucham, crura, ſplen, umbilicus, venter, renes, volæ manus & pedis ſiniſtri, à qua inunctione, æger ſtatim collocatur in lectulo & ſtragulis cooperitur, & ei datur aliquod ex antidotis prædictis diſcuſſoriis. Paratur vero illud unguentum ex ſucci abrotani, rutæ, arthemiſiæ an. ʒ. i. olei communis ʒ. ij. oleo laurini unc. i. bulliant quoad ſuccus abſumatur. Aliud. ℞. ſucci chamedrios majoris, matricariæ, axungiæ porcinæ, olei communis an. unc. iß. bulliant ad ſuccorum conſumptionem, & poſtea adde thuris pul. maſtiches an. ʒ. i. ceræ ſalis communis an. unc. iij. fiat unguentum. Aliud Arnoldi Villanovani. Recipe caſtorei, Theriacæ antiquæ; an. ſcrup. iiiij. myrrhæ, olei laurini, an. ſcrup. iiij. moſchi, ambaris an. ſcrup. i. mellis deſpumati lib. ß. miſce, fiat unguentum, quo illinantur tem-

pora, frontis pulſus, nares, ſtomachus, vola manus ſiniſtræ, & planta pedis ſiniſtri; additur cujuſdam Galli Medici ſecretum. ℞. farinæ triticeæ cribratæ, thuris maſculi an. unc. ij. cum ſucco menthæ, fiat emplaſtrum, quod exceptum linea petia calidum ante acceſſionem adhibeatur ſpinæ dorſi uſque ad caudam, & quoad ſponte decidat, teneatur. Quod ſingulare eſſe ad longam quartanam, compertum eſt. Ægyptii pro ſecreto habent, clyſterem paratum ex decocti majoranæ, lib. i. olei laurini unc. iij. ſimul miſtis; quo ſane & in aliis multis & in me ipſo olim quartana vexato ſumma cum utilitate uſus ſum; & nonnullos tribus ſolummodo hiſce clyſteribus uſos ſanatos fuiſſe vidimus.

CAPUT IV.

De quotidianæ febris curatione.

QUotidianam & amphimerinam Medici vocant, quæ à pituita extra venas putreſcente fit, & continuam, eadem intra venas putreſcente. Pituita vero multiplex eſt, una acida, ab acido ſapore dicta, altera vitrea à vitreo colore atque craſſitie itidem vocata, unde acida eſt craſſior; hæc fit à forti frigiditate, ex quo omnium pituitarum eſt frigidiſſima, qua homines famelici redduntur: tertia eſt, ſalſa, quam Arabes à mixta bile pituitæ ſalſam reddi dixerunt, nos vero & à putredine & à calore plurimo humidum abſumente fieri credimus. Demum omnium mitiſſima eſt dulcis, utpote quæ & à minori frigiditate fit, & ad nutritionem eſt utilis, quippe quæ majori à caloris alteratione in ſanguinem mutatur, atque ab hac fit exquiſita quotidiana, & ab aliis notha & ſpuria vocata. Signa quotidianæ ſunt in primis, quod invadit abſque rigore, ſed potius cum extremarum partium refrigeratione, quandoque cum horrore; at ſpuria quidem, minimeque exquiſita (ſcilicet quæ aut ab ipſa, putrefactione pituita acriori reddita, fit, vel à ſalſa, aut ab acida) calor ægre invaleſcit, ac diuturnior eſt, unde tardum habet augmentum, quia calor perinde atque ignis in lignis viridibus tarde accenditur, ita & calor febrilis in pituita

Gal. in 2. de diff. feb. c. 2.

tuita qualitas caloris eſt, ut ſit ſimilis ei, qui fumoſo igni comparatur, ita ut calor ſit fumoſus vapori multo ac inæquali permiſtus. Unde Hippoc. ait manui mitem eſſe, acrimoniam ſcilicet humiditate obtundente, & paulatim augeſcentem: Gal. dixit, calorem quidem eſſe cum quadam acrimonia, quæ non ſtatim manu admota, ſed poſtea innoteſcit. Paulus vero ait, hunc calorem neque ægros adurere, neque cogere ipſos, ut plurimum & crebro reſpirent, neque ſitim intenſam illis concitat; at quinimo ipſa levis eſt, pituita humiditate ventriculum humectante, & humoris caliditate ab humiditate multa obtuſa. Unde Galenus merito dixit hos & linguam, & totum corpus valde humidum habere. Vomitu & per alvum excernuntur pituitoſa & cruda, aquoſaque. Urinæ in principio tenues, albæ, aut craſſæ, turbidæ, ſi pituita per urinam excernatur, unde craſſæ morbo plerumque concocto mingi ſolent: at in morbo quoque crudo non raro (ut Gal. docet) multitudine crudorum humorum in toto corpore abundantium, craſſæ & turbidæ excerni ſolent. Pulſus ſunt quartanarum multo minores quam ſunt pulſus tertianarum. Acceſſio plerumque noctu & veſperi quam interdiu (quod eo tempore pituitoſus humor familiarius moveatur) invadit. Unde Hippoc. per nocturnas, amphimerinas intelligit. Durat acceſſio plerumque ad horas decem & octo, & plures etiam, à qua non omnino à febre immunes ægroti remanent, cum quædam veſtigia febris in ipſis relinquantur, unde quotidianam vere intermittentem non dari, multis eſt perſuaſum. Galenus non niſi paucas ad integritatem venire affirmavit. Paulus omnino negat aliquam venire ad integritatem. Quo rectius Avicenna inquit quotidianæ dimiſſionem non eſſe mundam. In ſudorem non erumpunt primis acceſſionibus, ſed poſtea humoris craſſitie a calore extenuata, & qui fiunt in principio à pituitæ copia ſymptomatice apparent. Siquidem ſolummodo progreſſu temporis, detenſa pituita, ſublatiſque obſtructionibus, ſudores à natura excerni ſolent, corpus eorum (Paulo auctore) albicat: gravitatem capitis & totius corporis Arabes addunt, ſoporem in principio acceſſionis, frigoris inæqualitatem partium extremarum, animi deliquium, ſyncopem ſto-

In 6. epidem. 1. tex. 29.

In 1. ad Glauc. c. 7.

Gal. 2. epidem. 1. com. 7.

In l. de urin. cap. 5.

Gal. ad Glauc. c. 7.

ſtomachicam, vitio quippe ventriculi refrigerati à crudis ſuccis obortam. Raro enim haſce febres abſque oris ventriculi læſione fieri, etiam Galen. expreſſit. Fiunt vero hæ febres familiarius in pueris, in infantibus, in ſenibus, vitamque ociosam agentibus, crapulis, ebrietatibus, uſuique dulcium balneorum indulgentibus, in hyeme, in cœlo conſtitutioneque frigida & humida. Hæc ſigna exquiſitæ amphimerinæ ſunt: nothæ vero febris ex acida pituita obortæ, præter dicta hæc ſunt: perpetuo cum calore rigent, nam hic humor (quod raro totus putreſcat) epialam facit, urinæ tenues ſunt albæque; in ſtomacho acidæ pituitæ ſenſus, dolor, & acidæ eructiones fiunt, horrere magis quam frigere febricitantes obſervantur: & in ea febre quæ à vitrea pituitâ fit, ſenſus in ea parte, cui adhæreſcit, intenſæ frigiditatis ſentitur; & quæ à ſalſa fit, habet urinas tenues, & rufas, in ore eſt ſalſedo, adeſt pruritus in corpore, ſitis intenſa eſt, ſudor in declinatione acceſſionis (quæ potius cum horrore, quam cum frigore invadit) apparet. Quotidiana longiſſima eſt, ac non ſine periculo, eoque periculoſior, ſi una cum ſyncope fiat. In hac febre illud quod præcipue indicat, eſt morbus adſtrictus, in meatibus corporis obſtructis, clauſiſque conſtitutus, qui pituitoſo humore fovetur, unde merito non leviter laxandum erit. Ceterum ſi hic humor non valde multus ſit, coctioni, & digeſtioni erit incumbendum, cum (ut & Galenus animadvertit) pituita dulcis non egeat purgatione, at concoctione, ut in ſanguinem vertatur, at ubi ipſius multitudo redundarit, profecto minuenda erit, ut reſiduum natura valentius concoquere queat, ideo inter laxantia præſidia illud primo occurreret faciendum, quippe ut aut vomitu, aut clyſteribus laxatoriis, vel cum irritantibus expultricem paratis pituita expurgetur, illaque potiſſimum ſubducatur, quæ nondum computruit, in primis quidem viis inhæreſcens; vomitu purgabit hydromel copioſius & calidum cum oxymellite epotum, aut aqua communis decocta cum ſeminibus fœniculorum, & liquiritia, aut hydromel dilutum cum corticibus raphani ebullitum, ad lib. iiij. cum unciis duabus vel tribus oxymellitis, vel ſyrupi acetoſi, & hoc ante cœ-

In 5. l. ſimpl.

nam

nam vel ante prandium fiet. Ni ad vomitum fuerit propenſio, parentur clyſteres ex decocto mercualis, malvarum althææ, chamomilæ, centauri minoris, ſem. fœnugræci, lini, fœniculorum, furfurum, & ſimilium, atque ex oleo dulci vel chamomelino, vel cum modico rutacei vel laurini, addito melle roſaceo ſimplici, atque ſale, vel addatur, elect. de hyera unc. iiij. diapheniconis unc. ij. aut aliquod aliud ſimile medicamentum phlegmagogum. Hujuſmodi clyſteres facilius utiliuſque pituitam per alvum purgabunt. Quibus alvo tum meatibus ad ſtomachum inteſtinaque pertingentibus laxatis, ad alterum ex laxatoriis præſidiis declinandum, quippe ad ſanguinis evacuationem, quem audacter evacuabimus, ſi præſertim vehemens fuerit febris, urinæque coloratiores fuerint, atque omnium maxime corpore plethorico exiſtente. Arabes in calida cœli conſtitutione dextri cubiti ſcindunt jecorariam, ac in frigida, ſiniſtri, modicum educentes; tertio coquendus eſt humor, ejus craſſities extenuanda, & detergendus, meatuſque omnes ab infarctu, & clauſu liberandi, quod ut aſſequamur, ſingulo mane dabitur pulvis chamedrios ex vino albo ad ʒ. ij. vel gentianæ radicis drachma, aut piper tritum ad ſemidrachmam ex aqua ſtillatitia betonicæ, vel foliorum betonicæ pulvis ad ʒ. ij. ex vino, vel ex aqua; agrimonii itidem aut eupatorii, aut origani, aut calaminthæ, aut thymi aut mentæ, aut abſinthii, aut radicis acori, vel iridis optimæ ſiccæ ex vino dabitur ad ʒ. i. ſed longe præſtabit, ut ex aliquibus iſtorum in aqua paretur decoctum, & exhibeatur cum melle, vel ſaccharo, aut cum oxymellite, melle roſaceo, vel ſyrupo de menta, vel de corticibus citri, vel de duabus radicibus; ex omnibus vero præſtabit, quod accipit oxymellis ſimpl. mellis roſ. ſimpl. ſyrupi de menta an. unc. ß. decocti (ex chamedrios betonicæ, apii, borag. ſunc. an. p. i. radicis iridis ſiccæ, gentianæ an. ſcrup. iß.) in libra aquæ parati unc. iiij. poſtea quam hiſce concoctoriis per multos dies ægrotus fuerit uſus, & urinæ craſſiores appareant; poterimus adhuc magis laxare ventrem clyſtere phlegmagogo cum laxatoriis parato, à pharmaciſque abſtinendum, quando maxime illis ſuſpecta eſſe debeant, propter ſtomachum, qui in

ſce febribus perpetuo in omnibus labefactatus eſt. Dogmatici vero clementer purgantia in his exhibent, è quibus optimum erit, quod accipit agarici th. ʒ. iß. zinzib. ſcrup. ß. per noctem in vino albo aromatico infuſi, expreſſioni addendo diacartami vel diaphæniconis an. ʒ. iß. ſyrupi de abſinthio vel de menta unc. ß. Avicenna dabat, quod accipit maſtiches, zinzib. turpeti an. ʒ. ſacchari albi ʒ. i. ex vino; vel pilularum aloephanginarum, de hyera ſimplici, aſſairet an. ſcrup. ij. vel pilularum de hyera Gal. ſcrup. iiij. agarici th. ʒ. i. maſtiches, roſarum, cinnamomi, galangæ an. gr. vj. ſaccharique in vino albo diſſoluti, ʒ. i. quibus fit medicamentum pro duabus vicibus. Rhaſis dabat turpeti optimi pul. ʒ. x. maſtiches, zinziberis an. ʒ. i. ſacchari omnium pondus; doſis à ſcrup. iiij. ad ʒ. ij. Alii ex recentioribus dant, agarici, turbith. an. ſcrup. i. ſpicæ, ſalis gemmæ an. gr. v. zinzib. ſcrup. ß. infundunt in vino & expreſſo addunt mannæ calabræ unc. i. Alii exhibent diaturbit ad ſcrup. iiiij. vel ad ʒ. ij. Nonnulli commendant claretum Arnoldi, trageamque, & alii ſyrupum, cujus ſemunciam utiliter exhibent ante acceſſionem per duas horas, quod parant accipiendo polypodii quercini ʒ. iij. ſ. fœniculi ʒ. iß. turbit, eſulæ, agarici an ʒ. iij. pruna damaſcena num. xxv. macerata in lib. aquæ ebulliunt, quoad tertia pars abſumatur, & cum ſaccharo fit ſyrupus; laxato bis vel pluries corpore laxatoriis medicamentis, ad alia laxantia declinandum, quæ humorem facientem paroxiſmum digerunt, & reſolvunt, quæ (ut de quartanis dictum eſt) dantur ante acceſſionem per duas horas, adjunctis frictionibus lenibus ad univerſum corpus, eo modo quo in quartanis faciendum diximus, ſcilicet cum calidis inunctionibus, quæ omnia ad quartanam à nobis præſcripta, quotidianæ etiam convenient. Itaque ex medicamentis internis primum commendatur, chamedrios folia trita ex vino albo ad ʒ. ij. epota ante acceſſionem per duas horas de quo medicamento merito Galen. dixit: *calidum eſſe & ſiccum, tenuis eſſentiæ, quo lien colliquat, urinam & menſes movet, craſſitudinemque humorum incidit.* Trallianus ait: *dato chamedrios decoctum iis, quos quotidiana febris, circuituſque affligit, urinas multas ducit*

In l. 8. ſimpl.

In l. 12. c. 7.
In l. 4. c. 88.

cit & levat. Aetius chamedrios decoctum aſſidue epotum quotidianam ſolvere tradidit. Jus quoque galli veteris cum ſale vel ſalſamento in ventrem ejus loco interaneorum repoſito erit utiliſſimum. De quo Serenus ait: *Febribus aut longis galli nova jura vetuſti ſubveniunt.* Dioſcorides commendavit vinum melitites, de quo ait: *Melitites datur in longis febribus, quæ ſtomachum infirmarunt, namque alvum emollit, urinam cit, ſtomachum expurgat.* Datur non minori cum utilitate, agarici th. ʒ. ij. ex vino, vel piper tritum, gentianæ radix, ariſtolochia ad ʒ. i. ex melicrato, iris itidem ex vino ad ʒ. ij. & caſtoreum ad ſcrup. ij. ex decocto calaminthæ; aſſa item fætida ad ſcrup. iß. Aliqui ſinapi triti ʒ. ij. ex hydromelite dabant; ex compoſitis Trallianus dabat fabæ magnitudine perunctis ex oleo & pipere medicamentum, quod accipit, ſtyracis, gummi, iridis, myrrhæ an. ʒ. iiij. opoponacis, piperis, aſſæ fætidæ, opii, an. ʒ. i. ex melle fiant paſtilli: Apud Aetium atque alios complura compoſita leguntur ad quotidianam reſolvendam. Utiliſſime datur Theriacæ, Mithridatii, an. ſcrup. ij. ex vino; item confectio diatrion pipereon, vel diacalamintham aut Auream Alexandrinam ex vino albo ad ʒ. i. Alii dant ante acceſſionem unc. iij. medicamenti, quod paratur ex zinzib. origani, ameos, an. ʒ. iij. coriandri præparati ʒ. iiij. roſarum, calaminthæ an. ʒ. iij. paſſullarum unc. i. coquuntur in lib. v. aquæ ad conſumpt. medietatis, & expreſſum datur cum ſaccharo calidum. Medicamentum, quo non fruſtra uſi ſæpe fuimus, quod datur ad ʒ. i. ex vino albo calido ante acceſſionem, accipit rad. gentianæ, agarici, rhabarbari, ariſtolochiæ rotundæ, zedoariæ an. ʒ. i. caryophyllorum, piperis, croci an. ſcrup. ij. tritis ex melle fiunt paſtilli: Item vinum, quod paratur ex origani, pulegii, chamedrios an. p. ij. cinnamomi, iridis radicis tritæ, calami od. galangæ an. ʒ. i. caryophyllorum, zinzib. piperis an. ſcrup. i. Vini albi tenuis aromatici, bulliant, quoad tertia pars abſumatur, doſis erit ſemuncia ante acceſſionem, additis ſupradictis calidis frictionibus & inunctionibus, ſudorificorum item uſus ante acceſſionem ex radice chinæ, calamintha, guajaco, ſmilace aſpera, milio & aliis ſimilibus, erit utiliſſimus, *li*per

In lib. 5. de mat. med.

aliquot dies exerceatur. Ex externis, oleum chamomelinum, ex calamintha, coſtinum, rutaceum, ex caſtoreo, ſinapi, cum modico piperis triti; & omnia medicamenta, quæ ad quartanas fuere à nobis præſcripta, erunt utilia. Non eſt omittendus in toto febris tempore uſus eorum, quæ os ventriculi calefaciunt, cujuſmodi ſunt, olea, vel unguenta parata ex oleo nardino, chamomelino, de menta, amygdalino, de nuce myriſtica, & ex aliis facultate ſimilibus, atque ex medicamentis aromaticis, cujuſmodi ſunt, cinnamomum, menta, caryophylla, nux myriſtica, piper, carpobalſamum, lignum aloës, & ſimilia. Item fomenta ex iiſdem in vino aromatico parata, atque particulatim ex foliis althææ, mentæ, chamomelo, fœnugræco, betonica, & ſimilibus. Ad hypochondria item, ſi tenſa fuerint, inunctiones digerentes & laxantes convenient, & præſertim ad ſiniſtrum hypochondrium, atque ad ventrem; ex oleo chamomelino, anethino, irino, amygdalino, de cappariibus & ſimilibus paratæ, item fomenta ex chamomelo, pulegio, althææ foliis, caulibuſque, & ex radice cyclaminis, iridis, bryoniæ, & ex ſeminibus malvarum, althææ, lini. fœnugræci, fœniculorum, liguſtici & ſimilibus in aqua parata, vel cum vini albi modico. His omnibus addenda eſt victus ratio accommodata in omnibus ſex rebus non naturalibus, aër primum deligendus eſt clarus, calidus, qui non ſit valde humidus, bene ægroti dormiant, vigilias devitent, quod augeant & cruditates, & pituitam; caveant ab animi paſſionibus, & præſertim à triſtitia, mœrore, timore, quod hæc affectum adſtrictum augeant: ſingulis diebus ſemel, vel bis cibum capiant, per horas quatuor ante futuram acceſſionem, quantitate exiguum, ne ſtomachus gravetur, qualitate calidum, optimi ſucci & multi alimenti, quod in hiſce febribus longis, vires manutenendæ ſint: ova ſorbilia recentia ſunt optima, carnes pullorum gallinaceorum juvenum, hædi, vituli lactentis, avium montanarum, ſcilicet, perdicum, phaſianorum, turdorum, turturum & ſimilium; à vino tantummodo abſtinebunt, quoad ſigna coctionis illuxerint, eritque album oligophorum, odoratum, vel vini loco aqua cum coriandris, vel cinnamomo de-

decocta, aut aqua pulli, vel jus ſtillatitium ex gallinaceo pullo parvo paratum.

CAPUT V.

De hecticarum febrium curatione.

HEctica febris (ut ſuperius dictum eſt) tertium genus febrium exiſtit, in cordis ſubſtantia conſtitutum. Quæ febris ſit, ubi calor febrilis cordis ſubſtantiam invaſerit, atque cœperit conſumere humorem in venis & in arteriis futurum nutrimentum, primique hæc hecticarum febrium eſt ordinis, ſchetica que Galeno dicta eſt. Hectica vero febris confirmata dicitur, ubi calor nedum corporis ſolidas partes occupaverit, at aliquid quoque utilium humiditatum conſumpſerit. Itaque tres hecticæ ſpecies obſervantur, quarum prima ſchetica dicitur, ea quippe, in qua calor ſolida occupavit, & humiditatem in venis, & in arteriis abſumere cœpit; altera eſt, ubi eo humiditatis conſumptio venerit, ut ros ille, qui veluti commeatus quidam & futurum alimentum ſpaciis inanibus corporis concipitur, abſumitur. Tertia ubi conſumptio & tabes eo aucta ſit, ut carnium pinguem ſubſtantiam fervidus calor conſumat, fibrarumque & aliarum ſolidarum partium humiditatem; atque hæc vera eſt tabes, & maraſmus poſtea dicitur ubi tota humiditas ſit conſumpta; ſummaque corporis ſcilicet ariditas appareat, quæ eſt inſanabilis. Fit quidem hectica febris plærumque ex ardentibus & colliquativis febribus. Quæ colliquatio aliquando paulatim fit, ut in vera hectica, maraſmo, & quandoque repente, uti in morbis acutis, exitialibuſque, in quibus Medici triduo obſervant (ut Hippocrates eſt auctor) faciem excarnem vulgo hoppocraticam appellatam. Aliquando colliquatio fit per apparentes evacuationes, ſcilicet per urinam, vel per dejectiones; illas febres Galenus vocavit oleagineas, quod in ipſis urinæ oleagineæ & pingues excernantur, quandoque per alvum rufa, craſſiuſcula, pinguia, viſcoſa, fœtidaque excernuntur. Quam excretionem cacoëthiam notare, & peſtilentis febris ſignum eſſe inſeparabile, ſuperius à nobis de-

In 2. meth. med. cap. 2.

In 1. prog.

In 6. epid. ſect. 1. com. 28.

demonſtratum eſt. Quandoque hæc colliquatio non apparet evidens, utpote quæ fit per inſenſibilem meatuum cutis tranſpirationem, uti in hectica & maraſmo. Aliquando ab ephemeris incipiunt, & aliquando etiam (quod tamen raro contingit) per ſe ac ſponte à triſtitia, aut à mœrore; aut à labore, aut à vigiliis, aut ab amore, aut inedia, ant ex ſimilibus cauſis. Quædam ſunt ſimplices, quædam complicatæ cum phlegmone, vel cum eryſipelate alicujus membri præcipui, ſcilicet vel ventriculi, vel hepatis, vel renum, vel uteri, vel jejuni, & coli, inteſtinorum, aut cum ulcere alicujus prædictorum membrorum, maximeque pulmonis, quem affectum Græci phthoem & phthyſim vocarunt, aut cum tumore, aut denique cum aliqua putridarum febrium. Nos de ſimplicibus nunc agimus. Quarum ſigna ſunt hæc, quippe pulſus primo durus ſiccatione arteriarum, debilis ex vitalis facultatis debilitate, frequens ob intemperiem cordis calidam & ſiccam, quandoque velocior, & frequentior, urgente quidem neceſſitate, uti à cibo, quo tempore hecticus calor non aliter efferveſcit quam calx viva, ſi aquam vel ſimile quoddam ſuperfundas; unde Medici in hecticis mutant horas prandii & cœnæ, & obſervant, an pulſus velocior frequentiorque reddatur, quod ſi fiat, hecticæ confirmatæ certum eſſe ſignum intelligunt, obſervant itidem calorem febrilem tunc auctum, perinde ac febris acceſſio fiat. Qui calor toto alio tempore æqualis apparet, ſine ullo dolore, ſine ulla inæqualitate, atque ita, ut ægri ſe febricitare non ſentiant, modo hectica aliis affectibus non ſit complicata, præſertimque febri putridæ (quod ſi ſit, calor inæqualis ſentitur, & ægri aperte intelligunt ſe febre detineri) oculi item in hecticis excavantur, naſus acuitur, tempora collabuntur, cutis ſqualeſcit, à cibo (uti dictum eſt) augeſcit calor, & pulſus, pedes quandoque intumeſcunt, calor manifeſtior (etſi in ipſis major revera non ſit) apparet in volis manuum, & in plantis pedum, videtur inquam manifeſtior, quod volæ manuum, & plantæ pedum aliis partibus corporis temperatiores ſint, ideo ad omnem mutationis ſive alterationis ſenſum ſentiendum aptiores reddantur. Primi ordinis hectica febris (ſchetica; potius quam hectica

Gal. in libro 5. ſimpl.

ctica dicta) ſanatu facillima eſt, veluti cognitu eſt difficilis, ſecunda cum difficultate ſanatur, atque tertia eſt inſanabilis. Indicant curationem in hac febre calor adſtrictus in ſubſtantia cordis vel in partibus ſolidis, qui ob id balneis rarefacientibus, digerentibus, ac inunctionibus ejuſdem facultatis laxandum eſſe indicat, ſcilicet ut calor is exhalet, & digeratur, poſtea vero in ſecunda tertiaque hecticæ febris ſpecie duplex eſt affectus, ſcilicet mixtus ex adſtricto atque ex laxo, adſtrictus calor eſt in ſubſtantia ſolidarum partium ſuſceptus, laxus vero eſt nimia conſumptio ſive reſolutio humidi, ab inurente calore facta, qui affectus (uti dictum eſt) colliquatio dicitur, in quo ſubſtantia humida corporis liquatur, profluit & evacuatur, unde Medici vel etiam Dogmatici huic affectui tanquam urgentiori occurrere (altero non neglecto) coguntur. Pro victus ratione inſtituenda, in primis aër ſit temperate calidus ambiens ſcilicet (quando frigidus, licet inſpiratione ad cor refrigerandum attractus videatur utilis, attamen ad cor non niſi temperatus pervenit, cum in via à calore frigiditas ipſius corrigatur) quod ſi ipſe vehementer frigidus, qualis hyemalis eſſe ſolet, ad cor hecticorum perveniret, non eſſet utilis; ſiquidem caloris febrilis in cordis ſubſtantiam ſuſcepti ac adſtricti (denſatis ejuſdem ſubſtantiæ cordis, incalefactæ à frigiditate ipſius aëris, meatibus) adſtrictus affectus & augeretur, & prohiberetur, quo minus idem calor febrilis occupans ſubſtantiam cordis, digereretur & reſolveretur. Eadem profecto ratione, qua Gal. damnavit ambientem vehementer frigidum, quod meatus cutis conſtipet, & vaporum exhalationem prohibeat. Unde non niſi toto corpore bene coopertos hecticos uti illo aëre Medici concedunt. Cibi ſint humidi ſuccique temperati & in hectica confirmata non facultate calidi, & faciles concoctu, uti eſt lac humanum, caprillum, aſininum, cremor ptiſanæ hordeaceæ, alica, cremor ſeminum frigidorum, ſcilicet, melonis, cucumeris, cucurbitæ, anguriæ, malvarum, althææ, portulacæ, endiviæ, & ſimilium; teſtes gallinacei, perdices, aviculæ montanæ, caroque cancrorum fluvitatilium ad ipſos in cibo commendantur à Dioſcoride. Recentiores adjunxerunt teſtudinum

Gal. in 10. meth. c. 8.

Car-

carnem, ex qua (cum difficilis coctionis ſit, & craſſæ ſubſtantiæ) elixata in aqua contuſum parant; ſed utilius eſt, ſi jus ex carne decocta, cum ptiſanæ cremore exhibeatur; ex piſcibus, laxatiles; ranæ, lucius, ſcarus; trocta & ſimiles ad uſum recipi debent, panis item in aqua hordei coctus cum ſucco granatorum dulcium convenit. Potus ſit vinum album, aut clarum oligophorum: vel aqua hordei, vel jus pulli gallinacei parvi, portulaca, ſunco & hordeo alteratum; ſomnus & vigilia ſit mediocris, fugiant omnes animi paſſiones, hilareſque ſint, & bene de ſalute ſperent. Victus vero præſcripta ratione; ad hecticarum febrium curationem deſcendimus, & cum triplicem eſſe hanc febrem dixerimus, quippe primam eſſe diariis ſive ephemeris ſimillimam, quam ſcheticam rectius dici quam hecticam ſtatuimus (in hac calor febrilis ſubſtantiam cordis invaſit, nondum tamen humiditatem ipſius conſumpſit) alteram, in qua calor febrilis humiditatum quippiam conſumpſit; atque tertiam, in qua omnes humiditates exhauſtæ ſunt, & ariditas exinde corporis apparet, quam tabem & maraſmum idcirco Medici nominarunt. Hæc veluti eſt omnino incurabilis (licet in hecticam vulgo ſenectutis, quam ſenium Philippus vocabat, poſſit mutari) quippe ſublato calore febrili balneis aquæ dulcis, lacte aſinino, inunctionibuſque tepidis, remanet ariditas, in qua ægroti vitam longius producunt, dico per dies & menſes. De hujus quidem curatione, nihil eſt proponendum, ſolo enim prognoſtico debent Medici eſſe contenti, ne medica ars infametur. De ſchetica vero dicta, aliter dicendum; hæc profecto ſola curam certam admittit quandoquidem ipſa ſi cognoſcatur, facillime ephemerarum remediis tollatur, ſunt itaque ephemerarum præſidiis ſchenticæ febres tollendæ. De his vero nunc agimus, quæ medii ſunt ordinis, in quibus calor in cordis ſubſtantia adſtrictus digerendus eſt, & humiditatum conſumptio, quæ affectus eſt profluens, prohibenda, iis, quæ caloris efficaciam obtundunt, & quæ denſando cogunt humiditates non diſſolvi. Conſumpta vero humiditas erit reſtituenda, humectantibus cum medicamentis, tum omnium maxime cibis. In primus ex medicamentis internis ea eligenda erunt, quæ cum medicamenta tum ali-

alimenta ſunt: cujuſmodi eſt lac humanum, caprinum, vel aſininum, hoc minus cum nutriat, plus refrigerat, ac refrigerando denſat meatus, prohibetque caloris effluvium, humiditateque caloris ignei efficaciam hebetat; caprinum efficacius nutrit, & calorem hebetat, humanumque magis nutrit, & promptius conſumptam humiditatem reſtaurat, caloremque item compeſcit, atque hebetat; lac ſugitur utilius ex feminarum papillis: caprillum, & aſininum itidem, ni ægroti abhorreant, ita exugere eos oporteret, quod ſi abhorreant, poterunt primum ſemel in die, mane quippe ante cibum ſpacio quatuor horarum, cum ſaccharo ſtatim emulctum actu calidum ad quatuor uncias bibere & mox uſque ad ſex itidem uncias aſcendere. Qui è papillis ſugunt, doſim ſervare nequeunt. Aliqui perinde ac pueri lactantes ſæpius in die lac exugentes ſibi ſanitatem procurant; præter lac ſunt alia humectantia, & caloris vim colliquantem hebetantia, uti eſt ptiſanæ hordeaceæ cremor, alica, cremor ſeminum melonis, cucumeris, cucurbitæ, anguriæ, malvarum, althææ, ſeſami, portulacæ, endiviæ & ſimilium ex jure pulli hordeo mundo alterato; panis ſæpius aqua hordeacea lotus iis utiliter datur. Item jus ex carne cancrorum fluviatilium, teſtudinumque nemoroſarum, & cochlearum, ex hordeacea aqua paratum. Hæc fuere quoque antiquis nota, & ſummopere commendata, non minus quam à recentioribus quoque factum ſit; neque immerito, cum hæc plurimum & ut medicamenta & ut nutrimenta humectent, pinguique humiditate calorem, quo minus liquetur, hebetent, ac quadam etiam refrigeratione quadantenus denſando ipſum itidem calorem diminuant, prohibeantque non minus humidi ſubſtantifici effluvium. Alvus ſi fuerit adſtricta laxanda erit, cum lacte aſinino cocto ad libras quatuor cum ſaccharo exhibito, aut cum lenibus clyſteribus, unde clyſteres admovebuntur ex lacte caprillo vel bubulo, vel aſinino cum ſaccharo & oleo violato, vel ex butyro recenti, cum decocto malvarum, althææ diſſoluto, & cum oleo violato parati; vel ex cremore itidem ptiſanæ hordeaceæ cum prædicto oleo & ſaccharo parabitur. De externis medicamentis, balnea conveniunt ex aqua dulci, aut ex aqua alte-

rata althæa, malva, violis vel aliis ſimilibus. In Ægypto ex lacte aſinino & camelino, vel equino balnea tepida inſtituunt pro magnatibus; epithemata itidem atque inunctiones commendantur. Ex balneis tepida conveniunt, atque frigida, illa humectant ſolidas partes, fuligines fumidaque excrementa digerunt, corpuſque recte tranſpirabile reddunt, & remiſſa caliditate, etiam calorem intenſum hebetant; hæc refrigerant, cutim denſant, virtutem, calorem (revocatione caloris ut docet Hippoc.) augendo, roborant; ſed non in excarnibus corporibus, & valde prælanguidis tutum erit admodum frigidis uti balneis, quando nedum (uti Gal. quoque ſentit) hæc calorem augebunt, ſed quinimo prælanguidum extinguent; in robuſtis vero erunt utiliſſima; ſed quod valde frigida craſſarum ſint partium & ob id partes penitius invadere nequeunt, ob id præmittunt balneum tepidum in tina, in quam aqua tepida plenam quatuor homines, lintei, quo hectici obvoluti ſunt, capitibus manibus apprehenſis, è lectulo exceptos ægrotos, immergunt toto corpore (capite excepto) eoſque detinebunt, quoad carnes extumeſcunt, quos tunc ex tina aquæ tepidæ eductos, in alteram aquæ frigidæ repente operarii reponent, in qua ægroti ad virtutis tolerantiam manebunt, vel per quadrantem horæ, vel per medietatem, modo (uti dictum eſt) vires ferant; exemptique ægroti, in lectulo calido ſunt reponendi, totiuſque corporis partes leniter ſpongia molli, vel molli linteo deterſæ, oleo violaceo tepido, vel communi dulci, vel nenupharino inungentur, à quibus præmiſſis per horam poſtea prandium ægroti aſſument; robuſti bis in die, ſcilicet mane & veſperi, ante cibum hiſce balneis utentur, ſemel vero debiles. Nonnulli non vehementer frigida balnea, ſed leviſſimæ frigiditatis utiliora & magis tuta eſſe volunt, ideoque primum ægrotos in balneum temperate calidum ducunt, & mox in leviter frigidum, ita ut tepidum potius ſit, ſive leviuſcule frigidum. Ægyptii & Arabes uti ſolent balneis ex aqua fluminis Nili, ex lacte camelino, vel equino, vel aſinino vel caprino; epithemata item thoraci, hepati, ventriculo, renibus ex lacte oleoque violato, roſatoque tepido, aut ex ſucco lactucæ, ſunci, endiviæ, por-

In 5. aphoriſm.

portulacæ, polygoni, lenticulæ paluſtris, nenupharis & ſimilium, cum modico lactis, & croci ad penetrationem. Ad eaſdem partes & ad omnes quidem cutaneas, bis, terque in die affectant uſum inunctionum tepidarum ex oleo violato, nenupharino, communi, atque ex ſeminibus frigidis paratum.

CAPUT VI.

De ſymptomatibus febrium, quæ in ipſis curationem expetunt, & primum de eorum curatione, quæ adſtrictorum morborum genere comprehenduntur; atque primum de medicamentis ad dolorem capitis ſtomachi atque ventris.

EX affectibus, qui ſolent una cum febribus complicari, quidam ſunt actiones læſæ, quidam excrementorum evacuatorumque exceſſus, atque alii, qualitates corporis mutatæ. Hi ſunt, veluti colores mutati, frigiditates, caliditates, ſcabricies & ſimiles alii; veluti in excrementorum evacuatorumque exceſſu, ſunt omnes tum ſuppreſſæ evacuationes, tum immoderatius fuſæ; ad actiones vero læſas pertinet, ſomnus, vigilia, dolor, ſyncope, & ſimiles alii affectus. Horum vero affectuum, cum quidam ad adſtrictum & quidam ad laxum referantur, in præſentia de adſtrictis agemus, qui ſunt, exempli gratia, dolores capitis, ſtomachi, & ventris, ſomnus, frigiditas, rigor, tuſſis, cibi faſtidium, caninus appetitus, linguæ ſcabrities, nigritieſque, nauſea, ſingultus, inquietudo, alvus atque urina ſuppreſſa. De laxis vero (qui itidem ſunt: Vigiliæ, ſincope, ſanguinis evacuationes immoderatæ, ſudores, vomitus, alvi profluvium, urinæque itidem profluvium) poſterius ſermonem habebimus. Nunc vero ad adſtrictos venimus, & primum ad dolorem capitis demulcendum, deſcendimus; ſolent frequentius febricitantes capitis dolore vexari, qui ni criticus ſit, nimirum quod ab eo aliqua criſis futura prænoſcatur, omnino tollendus erit, nam perſeverans præter magnam quam affert moleſtiam, minatur vigiliam, delirium, phrenitim, ſyncopen-

In 6. aphor. com. 10.

penque, caput vero dolere Galenus docet, aut ob aliquam inflammationem, aut ob humores crudos in capite coacervatos, aut ob ſpiritum aliquem flatulentum, aut ob ſanguinis copiam, aut ob bilem mordacem, aut ob aliquam obſtructionem, aut denique ob aliquod qualitatum temperamentum. Inflammationem capitis notat febris, atque delirium perpetuum: ſi cum pulſu dolor fiat, ſubſtantiam membranoſam eſſe inflammatam indicatur; ob plenitudinem vero humorum, dolor erit cum capitis gravitate: ſi humores crudi ſint, caput abſque febre & calore dolebit: ſi à ſanguine, tota facies rubeſcet, intumeſcetque, venæque rubræ ac ſanguine turgentes apparent: ſi à bile, dolor eſt cum acrimonia atque calore: ſi vero dolor fuerit diſtenſivus abſque gravitate, flatuum erit inditium, calidorumque & acrium, ſi itidem dolor cum morſu fiat: cum gravitate vero in aliqua capitis parte dolor inhærens obſtructionem ſignificat, abſque gravitate vero tenſione & morſu à temperamento aliquo dolorem fieri nobis innoteſcit. Ceterum etſi dolores ab hiſce cauſis fiant, tamen caput in febricitantibus ab humoribus, vel vaporibus calidis diſtendentibus aut mordentibus plærumque dolet. Itaque ad illos curandos clyſteres maxime conducent laxatorii, vel quadantenus irritantes; eoque facilius juvabunt, ſi fæces retentæ fuerint; laxatoriis vero clyſteribus (vulgo communibus dictis) ſcilicet ex decocto malvarum, violarum, althææ, furfurum triticeorum, oleo violaceo, atque ſaccharo rubro, cum modico ſalis paratis utendum erit, qui ſi etiam modicum caſſiæ catharticæ, ſcilicet ad unciam illius pulpæ, vel ex melle roſaceo, unc. iij. vel ex compoſitis unciam electuarii lenitivi recipient, erunt longe efficaciores; ſolent etiam parari ex cremore ptiſanæ hordeaceæ, cum oleo & reliquis nuper dictis: balani etiam ex melle & ex ſale erunt accommodati. Alvo ſubducta erunt utiles frictiones ad crura, brachia atque ad dorſum deorſum verſus factæ; ubi vero vires permiſerint, modicum ſanguinis quoque erit evacuandum, aut ſcarrificatis cruribus more antiquorum, aut dorſo & occipiti cucurbitulis cum ſcarrificatione adhibitis, aut hirudinibus appoſitis hæmorrhoidibus, quæ vel etiam non minus poſt aures

venis

venis erunt affigendæ, non ſemel ſed bis, ter atque pluries; utiliſſimum erit ſi ſecta vena frontis ſanguis vacuabitur. Nihil profecto utilius in dolore capitis, qui morbus eſt adſtrictus, quam uti etiam majoribus laxatoriis cum internis tum externis, pro internis hæc ſufficient, & pro externis hæc itidem maxime erunt convenientia: ſtillicidia nimirum ad ſuturam coronalem ex aqua tepida dulci fluviatili, aut ex decocto malvarum, althææ, fœnugræci & ſimilium: ſolent vero Medici uſurpare medicamenta pro externis capitis partibus fovendis, actu facultateque laxantia: cujuſmodi omnia ſunt, quæ facultate calida atque humida valent, ut oleum dulce tepidum, amygdalinum, irinum, aquæque ſtillatitiæ, vel decocta ex althæa, chamomelo, ex fœnugræco, meliloto, & ſimilibus. Alii vero plus laudant, laxantia quæ ſolummodo actu ſunt, minimeque facultate calida, ne calefaciendo adſtrictum affectum calidum augeant, hujuſmodi ſunt omnia medicamenta quæ frigida ſunt atque humida, ſi modice ab igne incalefiant, & temperate calida adhibeantur; talia ſunt, oxyrrhodina ex oleo roſaceo, violato, nenupharino, ex ſucciſque polygoni, malvarum, endiviæ, roſarum, nenupharis & ſimilium herbarum, aut aquæ ſtillatitiæ ex iiſdem paratæ, vel etiam fluviatiles ſimplices modice incalefactæ; hæc ſunt laxantia non calida, ſed refrigerantia, ex quibus & oxyrrhodina, addito modico aceti, & epithemata ad dolorem capitis à Dogmaticis comparantur. Itaque ad hunc uſum laudatur oxyrrhodinum quod ex oleo dulci tepido & modico aceti paratur, frontique & temporibus adhibetur, aut quod accipit olei violati unc. ij. chamomelini unc. i. aceti unc. ß. mixtum tepidum apponito. Aliud. Accipiunt olei dulcis, communis amygdalini, è ſeminibus lini, lactis humani partes æquales, cum modico itidem aceti; vel quod accipit olei roſati, violati, lactis muliebris an. partem unam, aceti partem mediam, vel croci, gr. quinque. Avicenna recte cum Methodicis ſentiit, ſcilicet in doloribus capitis in febre, eſſe abſtinendum à ſtypticis & à valde frigidis; ſiquidem ex illorum uſu timet ne inde humores, aut vapores, qui digeri reſolvique debebunt, intus compingantur & craſſeſcant; ideoque Methodici,

plus nocumenti ab uſu repellentium quam juvamenti eſſe timendum putarunt & merito ſane, cum humor atque vapor dolorem faciens ſit digerendus atque exhalandus; at de hac re poſterius nos accuratius. Nonnulli deraſo capite, perſeverante dolore, ſincipiti fomentum adhibent tepidum ex decocto chamomeli, althææ, malvarum, fœnugræci, radicis iridis, roſarumque paratum. Celſus roſas aceto maceratas faſcia involvit, & Dioſcorides roſas eaſdem in vino decoctas calidas adhibet: atque hæc ad capitis dolorem in febribus. Ad ſtomachi vero dolorem, ſi in principio febris fiat, vomitus erit provocandus cum jure pulli vel aqua calida cum ſyrupo acetoſo, vel cum aceto, & poſtea inungendum erit os ſtomachi oleo amygdalino, chamomelino roſaceoque mixtis, aut fomentum adhibendum erit ex decocto chamomeli, abſinthii, roſarum, althææ, fœnugræci & betonicæ, ni fuerit in febris principio (namque hoc tempore à medicamentis abſtinere oportet, quod dolor ex motu humoris fiat, ſatiſque erunt, quæ dicta ſunt adhiberi) ſi vero diu aliis quoque à principio temporibus perſeveraverit, adhibebis vinum album, in quo roſa, althæa, & fœnugræcum fuerit decoctum, ſi venter doluerit, obſervandum erit an alvus ſit adſtricta, quæ ſi ita erit, clyſteribus laxatoriis communibus laxabitur, vel ſi dolores fuerint tenſivi, cum oleis & decoctis reſolventibus, ut (exempli gratia) ſi accipiatur, foliorum althææ, malvarum, mercurialis, betæ, furfurum triticeorum an. p. ij. ſem. fœnugræci lini an. unc. iij. bulliant in duabus libris aquæ ad conſempt. tertiæ partis, poſtea accipe hujus decocti lib, 1. olei dulcis communis, vel ejus loco olei violati unc. iij. ſacchari rubri unc. ij. ubi vero tenſio obſervatur cum dolore, in decocto addetur chamomelum, anethum, ſemina fœniculi, aniſorum, linique & oleum chamomelinum, vel anethinum, & ſi adhuc perſeveraverit, adde electuarium de hyera, ad ſemunciam; ſi vero dolor fuerit cum acrimonia, parabis clyſterem ex lacte caprillo, vel ex hydromelle, vel ex cremore ptiſanæ hordeaceæ cum jure capitis caſtrati, addendo vel caſſiæ, vel electuarii lenitivi ℥. i. vel aliud ſimile, quo humores acres per alvum educantur; fomenta quoque ſuper ventrem calida

da imponantur ex decocto chamomilæ, althææ, malvarum, meliloti, fœnugræci, aut (ſi flatus copia adfuerit) etiam foliorum rutæ, & hæc de doloribus in febribus, qui aliquando ad ſe magnitudine trahunt curationem.

CAPUT VII.

De medicamentis, quæ faciunt ad ſomnum in febribus tollendum, ad rigorem, & frigiditatem, ad tuſſim, ad cibi faſtidium, bulimon, appetitum caninum, ſitim atque linguæ aſperitatem.

DE ſomno, qui in febribus ſæpe cum moleſtia obſervatur, nunc agimus. Ipſum vero ſomnum Ariſtoteles ſenſus quodammodo immobilitatem & quaſi vinculum eſſe voluit, cujus relaxatio & ſolutio ſit vigilia. Galenus hanc animæ diffuſionem facit, atque illum, quippe ſomnum, comprehenſionem. Methodici præternaturalem ſomnum adſtrictum affectum fecerunt, preſſuramque in cerebro eſſe voluerunt, quod nimirum vel vapores vel humores inibi adſtricti hunc affectum conſtituant; à qua ſententia neque Peripatetici diſſentire viſi ſunt, qui de ſomno diſputantes dixerunt, ipſum eſſe ſenſitivæ facultatis veluti imbecilitatem ab alimenti exhalatione factam, quippe calore innato (quem animam vocant) à copia vaporum aſcendentium veluti refrigerato, atque conſopito, ſeu preſſo; unde à cibis, & ab ebrietatibus ſomnos fieri profundos & diuturnos, obſervamus. Humidum quidem exhalatione ad cerebrum ſub vectum, ejuſque frigiditate (frigidioris enim temperamenti hoc viſcus eſſe omnes receperunt) incraſſatum vias & loca ejuſdem prehendit, impeditque, quo minus calor ad extimas corporis partes, iiſdem viis veluti clauſis, dimoveri queat. Quo adſtrictus, ac veluti humiditate illa preſſus, inibi conſopitus, perinde atque immobilis manere cogitur, quoad eam humiditatem extenuarit, atque reſolverit. Eodem itidem modo inquit Ariſtoteles ſomnum præternaturalem ab humoribus & vaporibus ad cerebrum ſublatis, in febribus concitari; hinc Galenus

In l. de ſomno & vigilia.

lenus humiditatem ſomni propriam eſſe ſtatuit, vigiliarumque ſiccitatem; frigiditatem vero fatuitatis potius atque inſenſibilitatis, veluti deliriorum cauſa propria calor itidem æſtimatur. Veruntamen Galenus cum vigiliarum tres cauſas eſſe docuerit, ſcilicet, caliditatem, ſiccitatem, atque dolorem, frigiditatem ac humiditatem ſomni cauſam conſtituiſſe, haud dubium eſt, à quo Methodici non diſſenſiſſe viſi ſunt, ſomnum ſcilicet præternaturalem, viis in cerebro ab humore denſatis, preſſuram facientes. Etenim frigiditatis proprium eſt denſare. Quare aut à refrigeratione meatus cerebri denſante, aut ab humiditate obſtruente, aut ab utraque cauſa cum ſomnus in febribus fiat, propterea in ejus curatione, ſcilicet ad inducendam vigiliam, laxatoriis præſidiis (quippe quæ ſunt calida & humida) erit opus, atque quovis modo calorem innatum augeſcentibus (cum calore humidum digeratur, meatuſque aperiantur) nempe exinde viis cerebri, meatibuſve laxatis & apertis. Ex quo amplos meatus habentes pauci ſomni, anguſtos atque exiles, prolixioris, & multi eſſe, Ariſtoteles ſcriptum reliquit. Ceterum his præmiſſis ad medicamenta nunc deſcendimus, quibus ſomnolenti homines ad vigiliam revocantur. Itaque ad iſtud præſtandum, complura utilia ſunt, primumque ex iis erit, ſtrepitus, clamorque magnus, acutuſque olfactus, quippe ex acerrimo aceto, in quo ſemina nigellæ trita fuerint macerata aut thymus, vel pulegium, vel origanum decoctum ſit. Quibus ni ad vigiliam ægroti revocentur, procuranda erunt ſternutamenta, pluma, aut palea, aut foliis mari, vel ptarmicæ detritis, in nareſque inditis, vel his non promoventibus ſternutamentum, efficaciora indantur in nares; hujuſmodi ſunt, piper tenuiſſime tritum, aut ſinapi, aut elleborus albus itidem tritus, aut ſtaphydis agria aut aliud ſimile. Poſt hæc adhuc perſeverante ſomno fronti, capitique, pilis deraſo, oxyrrhodum in ex oleo irino, rutaceoque calido cum modico aceti, vel ſinapi ex aceto albo lævigatum petia linea exceptum calidum imponendum erit, vel caſtoreum eodem modo ex oleo lævigatum, vel ex aceto albo; radix item peucedani trita vel aſſa fætida itidem ex calido aceto. Nonnulli rutam viridem contritam ex melle

In 3. de cauſis pulſus.

In lib. de ſom. & vig.

melle & nitri modico calidam imponunt. Eodem tempore frictiones dolorosæ moliendæ erunt, atque artuum ligaturæ itidem cum dolore. Dolor item qui fit evulsione pilorum barbæ, atque pudendorum valde est efficax ad excitandos à somno somnolentos. Ni his etiam à somno revocentur, utendum erit rubefacientibus atque ulcerantibus medicamentis, non solum in cruribus atque brachiis, at quinimo etiam in capite adhibitis, hæc parabuntur aut ex sinapi, aut ex euphorbio, aut ex allio, aut thapsia, aut clematide urente, scilicet ejus foliis tritis, aut ex radicibus ranunculi itidem tritis ex aceto scillino levigatis. His addimus stillicidium ex aqua, in qua ebullierint radices iridis, vel acori, vel peucedani, vel cyclaminis, vel chamomelum, ruta atque serpillum; stillicidium ad futuram coronalem calidum ex alto decidat atque hisce medicamentis somnus depelletur. Sed jam ad immodicam perfrictionem atque rigorem, qui in febricitantibus fieri solet, veniamus, cum plurimum molestiæ febricitantibus esse soleat, scilicet in principiis accessionum, quo tempore calor intus retrahitur, extimæque corporis partes idcirco algent. In his ante accessionem ægroti cooperiuntur calidissimis stragulis, sed prius aliquod decoctum ex discussoriis, cujusmodi est, quod paratur ex calamintha chamedri, origano, pulegio atque ex similibus: perfricant universum corpus, maxime vero dorsum, quod inungunt calidis oleis, pipere pulverizato, aut costo, aut ruta, aut pyretro, aut castoreo, aut alio simili medicamento calido pulverizato, ipsis in oleis calidis macerato vel decocto; oleum erit chamomelinum, vel rutaceum, vel laurinum, vel irinum, vel his simile. Ad tussim vero quæ sepius una cum accessionibus excitari solet, quæque plærumque fit à frigiditate in principio comprimente, aliquamque ad pectus faciente distillationem; hanc lenient omnia dulcia, cum intus assumpta, tum exterius, scilicet pectori adhibita, saccharum violatum atque rosatum ore contentum liquescens descendensque solet tussim maxime lenire, radix item liquiritiæ contusa & in juleb violato macerata si dentibus molle tractetur idem faciet; lambitivum itidem vulgo dictum, erit ad id opportunum, quod accipiet (exempli gratia) syrupi ace-

toſi, violati, de liquiritia, de farfara, ſingulorum partes æquales, vel etiam ſimplex ſyrupus acetoſus, vel de liquiritia, ſæpius ægroti ipſos lambentes plurimum juvantur, quod leniat pectus, faciliteteque humorem ad extuſſiendum: erunt itidem utiles inunctiones calidæ ex oleo amygdalino dulci, butyro recenti, aut ex adipe gallinaceo calido ad pectoris partes: hæc quidem tuſſim maxime lenire poterunt, in principio febris excitata, quæ poſtea à calore febrili in ſtatu aucto ſolet reſolvi. Plures etiam cibi faſtidium ita patiuntur, ut cibos fere omnes abhorreant; quod ſymptoma plurimum negocii facit, ad vires manutenendas, plures deprehendimus mori potius voluiſſe, quam quicquam cibi vel potus deguſtare voluerint. Solet vero potiſſimum à duabus cauſis in febricitantibus diſſolvi appetentia ciborum, ſcilicet vel ab humoribus vitioſis, quos imbibit ventriculus, aut à virtutis imbecillitate plærumque caliditatem præternaturalem ventriculi ſubſecuta. Præſtabit igitur in primis revocare appetitum, iis profecto cibis, quibus alias homines magna cum voluptate veſcebantur, licet hi haud plane boni ſucci ſint, neutiquamque febri, atque ipſius cauſis convenire videantur; de quo & Hippocrates dicebat: paulo pejor ſed ſuavior cibus ac potus, meliori quidem at ingrato præferendus. Unde in nonnullis appetitu fere omnino deſtitutis, appetentia cœpiſſe viſa eſt aut ab aliquo piſce vel ſaxatili vel marino, aut quandoque etiam à ſarda ſalita deguſtata, ideoque lactucam decoctam in acetariis, vel radices cichorei itidem decoctas, aut boraginem Medici fere omnes ægrotis ad excitandum appetitum concedere ſolent: & aliquibus capparos ſalitos decoctos ex oleo, aceto ſaleque conditos, non pauciſque ferculum ex braſſica, aut ex atriplice, aut ex lupulorum, aut ex malvarum aſparagis conceditur. Aliquando ægroti appetitum excitarunt ab eſu aviculârum montanarum aſſatarum: maxime etiam faciunt ſucci acidi, auſterique atque dulces ad cibos guſtui gratos reddendos, in uſuque ſunt malum aurantium, citrium, limonium, cytonium, atque granatum; horum profecto fructuum ſuccus plurimum facit in cibis ad reſtituendum ſeu movendum appetitum; fructus etiam decocti cum ſaccharo & exhibiti idem faciunt, cujuſmodi ſunt varia pyrorum ge-

genera, poma quædam, & mala cytonia; dantur etiam ceraſa acida ſaccharo condita; & ut ſummatim dicam, omnia quæcunque vel jucundo odore vel grato ſapore ſunt à ſtomacho maxime expetita; ſi his minime appetitus redeat, vomitu ſtomachus à pravis humoribus erit purgandus, vel clyſteribus, vel aliquo etiam medicamento (quod ſtomachus non abhorreat) alvus erit ſubducenda, omniumque maxime ſi antea ipſa fuerit adſtricta. Aptum vero medicamentum erit (quod natura haud in multis abhorret) jus ex cimis braſſicæ laxatorium, aut jus betæ vel mercurialis, cum oleo dulci, & ſale copioſius epotum ante prandium, aut ſerum lactis caprilli ad libras II, vel cum melle, vel cum ſaccharo epotum; caſſiæ pulpa cum tamarindorum etiam pulpa in parva quantitate ante prandium, vel ante cœnam, multis haud eſt ingrata, cujuſmodi erit ſi accipiet caſſiæ nempe extractæ drachmas tres vel quatuor, pulpæ tamarindorum per cribrum extractæ drachmas duas: ſunt etiam paſſulæ decoctæ in jure pulli vel in vino dulci, aut pruna damaſcena itidem in vino dulci decocta, cum multo ſaccharo aſſumpta, ipſorumque vino dulci itidem epoto antequam alius cibus aſſumatur. Rhabarbarum ad ſemi drachmam aut ex vino epotum aut quovis alio modo aſſumptum erit medicamentum aptiſſimum; longe plura habent ſtudioſi quibus pro iſtac cauſa uti poterunt. Exterius etiam convenient ad ſtomachum oleorum moderate calidorum inunctiones, cujuſmodi erit, chamomelinum, de mentha, permixto amygdalino dulci. Quandoque febricitantes ingenti fame conflictantur, multos novi maximeque ex pueris qui cibis nunquam ſatiari (etſi multum accepiſſent) videbantur, quæ paſſio non videtur bulimus (qui affectus ſit laxus, unde coguntur Medici cibos pleniores exhibere, & qui non ita facile reſolvuntur) ſed pertinere ad appetitum caninum. Nam bulimum intelligunt affectum laxum, in quo aſſumptus cibus uſque adeo facile à calore coquitur & digeritur, ut corpus maxime reſolvatur, unde cibi illis pleniores, non ita facile alterabiles à Medicis exhibebantur. At appetitus caninus (immodicam ciborum quantitatem, vel qualitatem quandam pro cauſa habens) medicamentis incidentibus deterſoriiſque opus

Paul. in 2. libro cap. 52.

habebit, atque poſtea vomitum cientibus, quippe laxatoriis; hujuſmodi ſunt dulcia, pinguia, & omnia alia ex largiore oleo præparata; ſi his non ceſſerit affectus, ſalſamenta omnia erunt aptiſſima, quippe, quæ craſſum humorem detergendo ſtomachum purgabunt, à quo his appetitus vitiari ſolet; his adſtrictis affectibus ſitis ſuccedit aliquando ita urgens præ inſigni moleſtia, ut ad ſe conſilium curationis etiam trahat. In febribus aliquando fovetur, (ut ait Galenus) à caliditate & ſiccitate partium internarum, aliquando à præſentia calidorum humorum, ſcilicet bilioſorum, aut à phlegmone eryſipelaceo; utcunque ſit, hic affectus adſtrictus eſt; quandoque vero habet etiam laxum affectum conjunctum, nimirum ubi ab intenſiſſimo calore nimium in corporibus humiditas diſſolvitur, ut in febribus ſynochis, ardentibuſque maxime æſtuoſis, in quibus frigidam aquæ potionem convenire, alias à nobis etiam ex Methodicorum placitis demonſtratum eſt; itaque ad conſuetam ſitim in febribus extinguendam, aut compeſcendam convenit aqua dulcis actu temperate calida, aut ſaltem tepida, ſimiliterque ex aquis ſtillatitiis, eæ omnes, quæ ex herbis poteſtate frigidis proliciuntur, actu tamen quæ (ut dictum eſt) calidæ exhibentur; actu vero frigidæ nedum ſitim (ea excepta, quæ habet etiam laxum affectum conjunctum, ſcilicet ubi præ ingenti caloris actu humiditas corporis partium ſolidarum immoderate diſſolvatur, in quibus ſane frigidæ magis quam calidæ ſitim reſtinguere aptæ ſunt) compeſcunt, at quinimo eam actuali frigiditate meatus denſante calorem vel humorem ipſam foventem, quo minus exhalet, & reſolvatur prohibendo, augebunt. Itaque potiones actu temperate calidæ eſſe debebunt, & humidæ, & quæ humidum habent pingue (quia partibus diu in eſt, longiuſque durat, quam humidum ſimpliciter aquoſum, quod cito defluit) eo ad ſitim tollendam ſunt aptiores; hinc jura pinguia ex carne vel vitulina, vel hædina vel ex gallinaceis pullis parvis, ſine ſale parata aptiſſima ſunt, ut ſitim compeſcant. Nonnulli exhibent, ut etiam meminimus, aquam coctam hordei ex ſaccharo cum modico acido vel citri, vel limonis, vel aceti (unde apud antiquos oxicratum fuit in uſu) ſci-

ſcilicet ad penetrationem. Alii miſcent aquæ juleb roſatum vel violatum, aut conſervas aliquas (cujuſmodi eſt quod ſaccharum roſatum, vel violatum vel boraginatum, vocant) maceratas in aqua & poſtea colant & exhibent. Ægyptii, Arabeſque parant ad ſitim reſtinguendam ex aqua Nili fluminis, ſaccharo & modico ſucci limonis potum guſtui jucundiſſimum, quem ſarbet appellant; in malignis febribus peſtilentibuſque fructus berberis maturos ſiccatos in aqua macerant per plures horas, mox aquam percolant, additoque ſaccharo in ea quantitate, qua aciditas berberorum maxime refringatur, ſervant ad potum. Nos in iis locis aliquando febre vexati peſtilente, quantum ſuavitatis jucunditatiſque, habeat hujuſmodi potus, ſumma cum voluptate deguſtavimus. Nonnulli ad ſitim demulcendam in ore tenent ſaccharum candidum vel roſatum, vel violatum, alii radicem glyzyrizæ recentem, alii folia lactucæ, alii ſemina lactucæ devorant, ſive melius lac ex ipſis expreſſum, ex aliqua aqua ſtillatitia aut ex ſimplici fontana bibunt, alii ſemina cucumeris ad ſitim demulcendam ore continent. Paulus commendat pilulam in ore contentam, quæ paratur ex ſeminum cucumeris domeſtici ʒ. viij. tragacanthæ, ʒ. iiij. ex tragacantha albumine ovi recentis diſſoluta ſeminibuſque tritis ſimul permiſtis, pilulæ parantur, quæ in umbra ſiccantur. Archigenes ſalem Indicum, (quo nomine ſaccharum noſtrum intelligit) ore detentum, atque fabæ magnitudine devoratum commendavit; eadem fere faciunt ad linguam ſiccam & ſqualidam, quam humectabimus aut hydrelæo ex oleo dulciſſimo, vel aqua tepida in qua decoctum ſit ſemen lini, vel cytoniorum, vel althææ, vel malvæ, vel radices itidem althææ; mox abluta lingua, ſæpius detergenda erit panno lineo aſpero, vel cochleari argento. Aurelianus ait, linguam ſpongia aqua calida imbuta eſſe abſtergendam & humectandam. Celſus ex penicillo è carpto aqua calida imbuto fovet linguam, mox ungit melle, & roſaceo oleo; in uſu eſt apud juniores ſæpius linguam illinire mucagine à ſeminibus cytoniorum, althææ, aut pſyllii maceratis in aqua dulci, expreſſa; ſed age medicamenta alia proſequamur, quæ faciunt ad reliquos adſtrictos affectus: primo ab icterico colore principium facientes. In l. 2. c. 54.

CAPUT. VIII.

De medicamentis ad ictericum colorem, ad inquietudinem, ad nauſeam, ad ſingultum, ad alvum atque ad urinam adſtrictum.

IN febribus corpora ægrotantium ſæpe colore flavo, & aliquando nigro vitiantur, quem affectum alii morbum regium, alii icterum, & alii arcuatum appellant: fit vero hæc paſſio ubi bilis aut melancholicus humor ſanguini mixtus in cutem erumpit, ipſamque ſuo colore inficit. Erumpit vero aliquando, cum aut non recipiatur in propria vaſa, aut cum per proprios ductus viaſve commode non expurgatur, quod aut viis ab humoribus obſtructis, aut propter aliquam vel inflammationem, vel tumorem in hepate vel in liene conſtitutum, fieri ſolet. Aliquando autem in febribus natura critice noxium humorem ad cutem expellente efficitur, qui à priore diſtinguitur, quoniam in critica icteritia urinæ non ſunt ictericorum modo coloratæ, croceo quippe colore tingentes, neque fæces albæ dejiciuntur, neque hypochondria tenſa ſunt. De quo affectu agimus nunc, qui etſi critice in corporibus fiat, tamen cum vel propter craſſitiem vel lentorem biliosi humoris diu duret, neque cito reſolvatur, videtur quadantenus ad ipſius curationem Medicum movere; de illo, qui fit ex cauſa morbifica alias agemus, nunc de illius curatione agentes, dicimus, laxantia per exterius maxime convenire, quæ internos meatus rarefaciant, humorem extenuent, detergant, ſudoremque moveant: provocato enim ſudore plane in cute color ictericus digeritur. Oculis conveniunt fotus ex aqua temperate calida vel ſimplici, vel in qua ebullierit chamomelum, vel althææ folia, vel radix, vel ſemen lini, & fœnugræci; balnea aquæ dulcis calida erunt aptiſſima; addimus nos ſudorifica omnia tum interna tum maxime externa, præſertim ſi ſudor calore humido moveatur; hoc quidem præſidio hic affectus plane, citoque finitur. Aliquando febricitantes inquieti & anxii redduntur uſque adeo, ut ipſis Medici ſuccurrere debeant; ſi id fiat, quod ab æſtuoſo vel à maligno calore nimium

mium ſpiritus reſolvantur, virtuſque ita collabatur ut paſſio laxa fiat, & idoneis cibis illis erit occurrendum, & quandoque concedendo vinum oligophoron odoratum, ni adfuerint, quæ prohibeant; hinc Medici uſum aliquando in ipſis refrigerantium meatuſque denſantium laudarunt; de his vero paulo poſt, cum de ſyncopes curatione ſermonem inſtituerimus, agemus; nunc ad eam inquietationem, quæ adſtrictus eſt affectus, nimirum quæ à læſo ſtomacho aut à cibis, aut ab humore os ejus tenente fit; etenim quandoque cibus intempeſtivus, aut tardius aſſumptus inquietationem facit, cui occurrimus cibum idoneum debito tempore exhibentes, vel ſi quam par ſit multus exhibitus eum faciat affectum, minuendus erit; ubi vero ab humore os ſtomachi vexante fiat, cujus ſymptomatis ſignum erit nauſea, vomitus medicamentis laxatoriis ſcilicet decocto althææ, fœnugræci ex aqua dulci parato copioſe exhibito actu calido ſeu tepido movendus erit; ad id etiam jura parvi pulli gallinacei aquoſi maxime convenient, vel ex carne hædina aut vitulina parata, Clyſteres etiam erunt utiles, quibus venter moveatur, aut caſſia, cum tamarindo ad geminas drachmas aſſumpta cum ſaccharo idem præſtabit, aut ſyrupus roſaceus ſolvens ad geminam unciam. Quibus etiam medicamentis nauſeabundi uti debebunt; ſingultus quoque, qui adſtrictus itidem eſt affectus, quippe, qui vel ab humoris copia vel moleſta qualitate fit, iiſdem medicamentis tollitur, ſcilicet ſi fieri poteſt, ut vomitu humor expurgetur, hoc erit ex præcipuis præſidiis ad hunc affectum tollendum; decocta item ex aqua in qua malva, aut althæa; vel ſuncus ebullierint, erunt utilia, vel his utiliora jura pinguia gallinarum parvarum vel carnis hædinæ, vel vitulinæ abſque ſale æſtimanda erunt; aliquando etiam hydrelæum calidum ex oleo dulci amygdalino plurimum conducit epotum. Ad alvum vero adſtrictam convenient jura pinguia tum carnium, tum piſcium, non minus decoctum ex paſſulis, prunis, ſebeſtenis, malvarum foliis, mercurialis, betæ, & ſimilium; aut geminæ drachmæ vel tres floris caſſiæ cum ſaccharo candido vel cum pulpa tamarindorum ad drachmas itidem duas cum ſaccharo; non minus utile erit ſerum lactis

ctis ad libras tres cum cochleare mellis, vel cum ſyrupi roſati laxativi duabus unciis; clyſteres ceteris aliis præſidiis laxatoriis merito præferuntur, quod nedum ſtomachum offendant, at quinimo ipſum vel etiam ab humoribus gravatum ſublevent; ad hoc ſunt accommodatiſſimi, qui parantur ex decocto malvarum, althææ, betæ, mercurialis, fœnugræci, ad libram, & ex oleo dulci communi, aut amygdalino, vel chamomelino ad uncias quatuor, ex ſaccharoque rubro vel ex melle ad unc. ij. cum ſale trito ad geminas drachmas: his addimus balanos (vulgus vocat ſuppoſitoria) quæ vero ex ipſis ad hunc uſum convenient, ſunt radix betæ vel althææ vel malvæ, vel cucumeris ſylveſtris ſub cineribus incalefacta, oleo illita cum modico ſalis, atque indita: vel conficiuntur ex melle cocto cum ſale, vel nitro; quod ſi efficaciores deſiderentur, poterit permiſceri melli modicum laxatorii purgantis, ut (exempli gratia) ſi acceperimus mellis unc. ij. ſalis ʒ. i. trochiſcorum alhandal vel ſcamonii, vel elaterii, vel agarici, vel centauri minoris pulverizati, vel turpeti, vel hermodactilorum, vel ſimilium ſcrup. ij. Ad ſuppreſſam vero urinam utimur internis atque externis medicamentis; ex internis datur aqua radicum eryngii ſtillatitia, vel fabarum, vel radicum ononidis ad uncias quatuor, aut ex vino albo dantur ſemina eryſimi ad geminas drachmas, tenuiſſime trita; longe plura in quarto libro ad hoc propoſitum facientia ſcripſimus, atque in undecimo ſcripturi ſumus. Ex externis ſunt balnea aquæ dulcis temperate calidæ, in qua ebullierit malva, althæa, chamomelum, perdicium; vel fotus ex iiſdem parati, atque inferius ſcilicet pubi, totoque abdomini adhibiti: inunctiones ex oleo amygdalino dulci, irino, lilino, atque omnium maxime chamomelino, & ex eo quod ex ſcorpionibus paratur, maxime uſui erunt; frigunt nonnulli in ſartagine ex oleo chamomelino vel amygdalino dulci folia perdicii, vel flores chamomeli, & calidos imponunt. Non ſpernendus erit quoque uſus lactis ſeminum melonis, cucumeris, althææ, malvarum, atque portulacæ, hoc enim lac ſolet movere urinam; ſed qui plura deſiderant, ad undecimum librum remittimus. Quandoque urina cum ardore & mordicatione exit, ſumma pro-

profecto cum ægrotantium moleſtia, cui medebitur decoctum malvarum vel ălthææ, vel fructuum ſolani veſicari calidum ad uncias quatuor ante cibum epotum cum ſaccharo candido, vel decoctum glyzirizæ recentis cum ſaccharo candido dabitur; ſi vero exhibetur flos caſſiæ catharticæ (Abiſſinæ vocatæ, nimirum ejus, quæ corticem rubrum habet, hæc enim ceteris ad hoſce affectus præferri merito debebit) ad unciam cum ſemidrachma ſucci glyzirizæ, & ſaccharo candido, plurimum commodi illis afferemus. At his ſymptomatis febrium conſideratis quæ genere adſtrictorum affectuum comprehenduntur, reſtat, ut illorum quoque ſymptomata & cognoſcamus, & tollamus, quæ ad laxum referuntur.

CAPUT. IX.

De medicamentis, ad vigiliam, ad ſincopen, atque ad hæmorrhagiam ſanguinis.

DE vigilia præternaturali in febricitantibus compeſcenda nunc quoque agimus, quam in primis, cum ſomno ſoporive, qui adſtrictus affectus eſt, ſit contraria, merito laxum affectum eſſe dicemus, neque hoc profecto injuria, etſi videatur & à dolore, & à calore concitari, non tamen perſeverat, niſi capitis humidum plurimum abſumatur, unde Medici omnes dixerunt, vigiliarum ſiccitatem, atque ſomni humiditatem eſſe propriam, quaſi hic ab humiditate, & vigilia à ſiccitate ſemper fiat. Itaque medicamenta ad ſomnum excitandum adſtricti generis eſſe oportebit. Cujuſmodi ſunt poteſtate frigida, meatus denſantia & replentia; actu tamen tepida adhibenda erunt, nimirum, ut à calore citius actuentur, intuſque vehantur. De internis vero, quæ ad conciliandum ſomnum per os aſſumuntur, ſunt aquæ ſtillatiæ lactucæ, ſolani, portulacæ, ſunci, aizoi, & ſimilium, quæ dantur actu moderate calidæ ab unciis duabus ad uncias quatuor; ſunt etiam emulſiones ſeminum, melonis, cucumeris, cucurbitæ, portulacæ, lactucæ, endiviæ, ſed omnium maxime ſeminum papaverum alborum;

hoc medicamentum eſt admodum familiare, exhibetur lac ex aqua hordeacea aut jure pulli aquoſo ad uncias quatuor, à cœna poſt horam, vel paulo poſt; efficacius erit, ſi ex aqua lactucæ vel ſolani lac ſeminum papaverum alborum exhibeatur. Ægyptii & Arabes fuere in uſu medicamentorum ſomniferorum admodum audaces, ſiquidem dabant per os opium ervi magnitudine quantitateve vel per ſe ſolum à cœna, vel ex aqua lactucæ; alii myrrham ex eadem aqua, ad fabæ magnitudinem, diſſolutam exhibent. Alii hoc compoſitum habuerunt ſatis familiare, ſcilicet, quod accipit, meconii ʒ. i. ſtyracis, myrrhæ aā. itidem ʒ. i. ex melle maſſam conficiunt, dantque trium ervorum magnitudinem dormituris; verumenim vero ab horum uſu, modo neceſſitas ſumma non urgeat, abſtinendum erit, quoniam, ut recte Aurelianus animadvertit, ex horum quidem uſu homines vigiles facile ad lethargicum ſomnum deducuntur. Unde mitiorum uſus erit perpetuo obſervandus, nimirum quo ad ſomnum naturalem ægroti reducantur. Ex externis accommodatiſſimum erit aquæ dulcis fluviatilis tepidæ ex alto cadentis ad ſuturam coronalem ſtillicidium; hoc ſolo præſidio ſcimus multos vigiles in ſomnum naturalem fuiſſe reſtitutos; addimus vulgo oxyrrhodina vocata, quæ parantur ex aquis vel ſuccis portulacæ, roſarum, lactucæ, ſunci, ſempervivi, ſolani, & ſimilium; & ex oleis, vel roſaceo, vel violaceo, vel nenupharino, vel ex ſeminibus papaverum alborum, cum modico aceti, vel ſucci citri vel limonis ad penetrationem; (exempli gratia) parabitur oxyrrhodinum, ex aquæ roſaceæ, ſucci lactucæ an. unc. i. olei roſati unc. ij. aceti albi unc. ß. Miſce, & tepidum fronti, & temporibus linea petia exceptum adhibeatur, inungunt etiam à cœna dormituris tempora unguento populeone vocato in oleo nenupharino diſſoluto, tepido; hoc erit etiam valde utile. Accipe olei de ſem. papaver. alborum unc. 1ß. unguenti populeonis unc. i. ovorum albumina duo ex aqua prius conquaſſata & deſpumata, lactis muliebris unc. ß. Miſce & tepidum fronti, & temporibus adhibeto; ſonus aquæ ex alto cadentis, atque illius murmur ſomnum conciliare ſolet; lotiones item ad pedes poſt cœnam erunt utiles ex aqua dulci te-

tepida, in qua chamomelum, lactucæ folia, vitis germina, vel capita papaverum alborum ebullierint; ſi inſuper eadem hora propinaveris lac ſeminum papaverum alborum ex aqua lactucæ (uti nuperrime dictum eſt) efficacius, atque tutius ſomnum procurabis. Verum aliquando vigilia eſt morbus adſtrictus, utpote cum à ſanguine, vel à bile in capite vel à calidis vaporibus ab infernis partibus delatis vigiles redduntur, quæ vigilia comitem habebit delirium, quo adſtrictus eſſe morbus dignoſcetur; unde ad eam tollendam ſanguinis vacuatio à cruribus ſcarificatis, vel ab hæmorrhoidibus adhibitis hirudinibus, aut dorſo & collo adhibitis cucurbitulis cum ſcarificatione, & tandem etiam ſanguine à venis capitis evacuato ſcilicet à venis poſt aures appoſitis hyrudinibus, aut à vena frontis, ſed de hac ipſa in poſtremo libro agemus. At ad ſincopen nunc accedimus, quæ omnium conſenſu eſt præceps virium omnium lapſus præſertimque vitalium, ἔυλυσις eſt leve animi deliquium, λειποψυχία, & λειποθύμια, majus & gravius, non tamen quod ad ſudorem uſque accedat, hoc enim ſyncopes eſt proprium, atque etiam refrigeratio; ſiquidem in iis, qui ſincope tenentur, nullus fere pulſus, atque reſpiratio apparet, omniſque ſenſus & motus ſublatus eſt, in facie pallor, extrema algent, & ſudant ſeu madent, in ipſiſque ipſiſſima mortis imago conſpicitur. Fit vero hic affectus eo toto immoderatius profluente in quo vires ſubſiſtunt, vel ſit calor innatus inſituſque, vel humor primogenius ſolidarum partium cordis; itaque à quocunque calidum innatum, humoremque ſubſtantificum primigeniumve diſſipante exolventeque ſyncope cauſam habebit: lipothymiam dicunt fieri, ubi ſpiritus vitales quocunque modo, vel diſſipatione, vel ſuffocatione, vel corruptione, vel alteratione (ut ajunt) plurimum exhalant, atque deficiunt, ſincopen vero, ubi etiam nativum humidum à ſolidis partibus (facultate uſque adeo extincta, ut partes proprium humidum continere nequeant) immoderatius apertis meatibus effluat: unde extremæ partes, fere extincto aut retracto calore, algent, extinctaque partium ſolidarum facultate contentrice, humido profluente, ſudant, madentve. Quis vero erit, qui ſyncopen

haud laxum morbum esse fateatur? Neque est, quod innumeræ sint (ut Dogmatici docent) occasiones, à quibus corpora in syncopen labuntur, tamen natura essentiave istius affectus tota laxa est, à qua præsidia adstringentia, densantia seu cohibentia dicta maxime indicantur, nimirum ut prohibeatur, quo minus totus calor nativus exhalet, atque profluat, simulque & calidum innatum. Unde frigida aqua asperguntur syncope detenti, nares ipsorum comprehenduntur, ipsisque naribus odorata offerunt; ut acetum rosatum, aqua stillatitia rosarum, myrtus, atque alii odores roborantes vinum aromaticum olfactu recreat vires, si vero aperte hunc affectum subsecutum esse profluvium vel sanguinis vel excrementorum cognoscatur, cohibere illas fluxiones simul debebimus; præterea vinculis doloris deligamus artus, perfricamus asperis pannis, aliquando vinum odoratum cum aqua concedimus, vel bucellam panis in eo tinctam afferimus, vel eandem succo granatorum acidorum imbutam si immodica inedia præcesserit; dandum & vinum erit (modo non sit quod prohibeat, scilicet, aut vehemens adsit capitis dolor, aut viscus fuerit aliquod inflammatum, aut mentem turbans aliquis affectus, vel febris ardens adprime maligna sit) & jusculapinguia pullorum gallinaceorum copiosius erunt offerenda, vel cremor ptisanæ, vel hydromel. Macellarius Campi sancti Petri cum in quadragesimæ hebdomada sancta duos integros dies jejunasset, in syncopen exitialem incidit, ad quem accersitus, cum os clausum dentibus teneret, instrumento ferreo ore adaperto, cum nihil aliud adesset, paulatim vinum aromaticum deglutiendum dabatur; & mox jus pulli gallinacei, quod cum multis vicibus copiosum illi fuisset exhibitum, confertim vomitu excitato vomuit complura, quæ omnino & calore & substantia viscum Damascenum æmulabantur, quo statim convaluit; itaque primo incipiente syncope, frigida aspergenda, præsertim si immodicum sanguinis vel excrementorum profluvium sequatur, aut caloris æstum, aut longiorem moram in calido balneo, vel ex immodica vel ira, vel gaudio vel risu fiat: odorata erunt offerenda, nares tractandæ, & postea artus deligandi, fricandique erunt etiam asperis pannis,

Gal. 1. ad Glauc. cap. 14.

nis, ad hoc, ut calor retractus attrahatur, si enim suapte natura fortis sit intus roboratus ad extimas erumpit, si debilis vero sit, unde timor sit, ne extinguatur, frictionibus, & ligaturis & hujusmodi aliis erit attrahendus ad extimas partes. At de horum affectuum curatione alias accuratius tractabimus.

CAPUT X.

De profluvio sanguinis, de sudore, de vomitu, ventrisque fluxu atque de urina immoderatius profluente, cohibendis.

SI sanguis profluat vel ex naribus, vel ex ore, vel ex vesica, vel ex ventre vel ex hæmorrhoidibus, vel denique ex utero, videndum erit, si critice exeat, vel symptomatice: critice ipsum emanare cognoscimus, ubi jam concocto morbo apparuerit, scilicet jam conspectis signis coctionis in urinis atque in aliis excrementis, à quo febris aut omnino tollitur, aut maxima ex parte, sumptomataque levantur, quam (licet immodica videatur sanguinis evacuatio) ægrotantes facile ferunt. Nos alias nobismetipsis sanguinis hæmorhagiam ex ore in qua ultra quinque libras sanguinis profluxerat, criticam fuisse febremque quartanam, quæ multos menses perduraverat, judicasse, eo argumento cognovimus, quoniam facile eam tulimus, atque molestissima siti, à qua antea semper exarsimus, fuimus liberati, unaque & febris postea ex toto sublata fuerit: itaque si critica fluxio sit, erit permittenda, quinimo si imperfecta videatur, eam nos augere oportebit præsidiis laxatoriis, scilicet, aut lavacris, aut balneis, aut suffitibus laxatoriis. Ubi vero sanguis immoderatius emanaverit, in morbo crudo, à quo neque morbus allevatur, ægerrimeque ægrotus eam vacuationem tulerit, ne in syncopen corpus delabatur, statim medicamentis adstrictoriis fluxio erit cohibenda; extrema valide ligantur, aqua frigida cum aceto misto aspergatur frons & tota facies, fronti temporibusque densantia emplastra adhibeantur, cataplasmata scilicet ex bolo armenio, vel ex san-

guine draconis, vel ex gypſo, & ex albumine ovi, vel cum ſucco plantaginis, equiſeti, rubi, mali granati, aut cum ſimilibus aliis; de his vero ſingulis morbis profluentibus laxiſve poſterius accurate acturi ſumus, ſcilicet poſteaquam curationem ſingulorum omnium morborum adſtrictorum abſolverimus. Pauca ad hæc eadem ſymptomata nobis hic dixiſſe ſat erit, quando ibi ex profeſſo de iiſdem accuratius denuo acturi ſimus. Eodem itidem modo immoderati ſudores, maximeque non ex natura, ſed ex vi morbi erumpentes, adſtrictoriis opus habent. Quomodo vero & ſudores & aliæ ſingulæ excretiones criticæ, id eſt, juvantes deprehendantur à ſymptomaticis diſtinctæ, nos in libris de præſagienda vita & morte ægrotantium abhinc annos plures evulgatis, ſatis congrue tradidimus. Itaque ad ſudores cohibendos, cutis meatus (ut & Gal. docet) erunt adſtringendi. In ipſis itaque erunt levanda operimenta, aëreque frigido ægroti erunt recreandi, ſomnus multus hoc negotium juvabit, pulvereque rerum adſtringentium ſcilicet myrti, roſarum, equiſeti, corticum granatorum, & ſimilium corpus aſpergatur, vel facies poſca frigida itidem aſpergenda, vel frigida aqua; cibus ſiccus humidusque ſit oportet, & vinum nigrum adſtringens ſi morbus ipſum permittat. Ad vomitum vero aſſiduum, ex quo ſæpius ægroti cibum ullum continere nequeunt, iiſdem adſtringentibus cum per os devoratis, tum exterius ſtomacho admotis utendum erit; quæ ex ſimplicibus erunt fomenta ex vino nigro auſtero ſpongia excepta atque appoſita & maxime ſi vinum fuerit alteratum, gallis tritis vel acacia orientali, vel hypociſtide, vel balauſtio, vel roſis, vel abſinthio, vel ſimilibus aliis; cataplaſmatis modo appoſita efficax eſt pulpa cytonii, in aceto decocta, cum pulvere acaciæ, balauſtiorum, maſtiches, vel gummi Arabici, dabitur etiam per os mica panis toſta, vino nigro auſtero imbuta, vel ex vino granatorum, vel ex ſucco cytoniorum; juvabit itidem efficaciter, ſi acaciæ orientalis, vel hypociſtidis, vel meſpili immaturi ſiccati pulverizati, vel myrtyllorum drachma trita ex vino ante cibum per aliquot horas exhibeatur. Quomodo vero venter laxus & profluens cohibeatur,

In lib. 7. cap. 2. In 1. ad Glauc. c. 14.

tur, & urinæ profluvium itidem tollatur, poſterius (uti dictum eſt) docebimus. Ad alvum cohibendam eadem utilia erunt, quæ & vomitum cohibere firmareque apta nata ſunt, externa toti ventri admovebuntur, clyſteres adſtringentes ex decocto foliorum, vel florum, vel ſucci acaciæ Ægyptiæ, vel rubi, vel balauſtiorum, vel gallarum, vel nucum cypreſſi, aut equiſeti, aut prunorum ſylveſtrium, vel aliorum ſimilium adſtringentium, & ex ſuccis conveniet ſuccus plantaginis, vel equiſeti, vel menthæ, vel ſimilium; & ex oleis, roſaceum omphacinum, myrtinum atque chamomelinum. Ad urinam vero profluentem firmandam ſudor copioſus ad divertendam materiam à veſica erit maxime opportunus: præterea, præter epithemata, cataplaſmataque & unguenta cum refrigerantia tum adſtringentia, maxime opportunus erit uſus aquæ ferratæ, atque illius in qua ebullierint folia plantaginis, ſolani, equiſeti, rubi, polygoni, & fructus adſtringentes, cujuſmodi ſunt rhibes, oxiacanthæ, pruna item ſylveſtria, pyra ſylveſtria, meſpilus ſaronia ſiccus, ſetoniaque immaturus & ſimiles alii fructus adſtringentes.

CAPUT XI.

De dolore oris ventriculi, quem cardiagliam Græci vocant, quod ſymptoma ſolet eſſe familiare in febribus bilioſis intermittentibus, potiſſimumque in tertianis atque ſemitertianis.

SOlet in febribus tertianis, ac ſemitertianis vocatis familiarius dolor in ore ventriculi excitari, vel angor quidam cum anxietate, nauſea, & vomitu bilioſorum acrium excrementorum, à quo ægroti ſublevantur; & plerunque fit, ut acceſſiones hoc ſymptomate invadant, & nunquam finiantur, niſi multa copia eorundem acrium bilioſorum excrementorum fuerit per vomitum excreta & quandoque etiam per ventrem. Quo apparet hunc affectum (quem cardiagliam Græci appellarunt) cum cholera vocata paſſione maxime convenire; de quo affectu

ctu accuratius agemus in ultimo libro in capite de cholera. Fit cardialgia (ut dictum eſt) familiarius in febribus tertianis & ſemitertianis, quæ in æſtivis caloribus vagantur. Quarum proprium hoc ſymptoma eſſe videtur, quod nimirum humores febrem facientes ad ſtomachum è venoſo genere confluant, atque criticam excretionem faciant, febriſque acceſſionem finiant. De hoc affectu pauca hic obiter perſtrinximus, quod accuratius à nobis agendum ſit in ultimo libro iſtius operis, in quo de morborum mixtorum ex laxo & ex adſtricto curatione ſermonem inſtituemus. Hoc unum dicemus, hunc affectum majori ex parte eſſe adſtrictum, licet aliquando ſimul etiam in ipſo laxa paſſio ita urgeat, ut & in magnos angores & faſtidia, & in ſyncopen etiam exitialem non raro ægroti labantur. Omnes quidem Medici principio laxatoriis utuntur, vomitoriiſque præſertim, ut vomitiones facilitentur. Unde alii exhibent aquam ſimplicem calidam, aut hordeaceam, aut cum althæa, vel fœnugræco decoctam, aliquando modicum vel aceti vel ſyrupi acetoſi permiſcentes. Alii jus pulli parvi ſine ſale cum ſyrupo acetoſo, & alii hydrelæum calidum, aliique oleum dulce calidum vel amygdalinum propinant, exterius etiam ad cardiogmum compeſcendum inungunt os ventriculi oleo amygdalino, aut chamomelino, aut roſaceo calido; & plærique ſtomachum laxari, quam adſtringi oportere ad facilitandam humoris excretionem merito exiſtimarunt.

FINIS LIBRI SEXTI.

PROSPE-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De phlegmonis internis adſtrictorum morborum genere comprehenſis eſſe agendum, & primum partes corporis, quæ ſolent eo morbo tentari, in medium afferuntur.

EX morbis adſtrictis, poſt febres phlegmonæ ſuccedunt tractandæ, cum ipſas etiam adſtrictos affectus eſſe neminem lateat. Ab internis vero exordiemur, de quibus in hoc libro agemus, & poſtea de externis. Sed priuſquam ſingularum partium inflammatarum curationem tractemus, quædam univerſalia primum conſiderabimus, maxime ad inflammationum, phlegmonumve notitiam facientia; primum (quod plurimum ad propoſitum noſtrum noſtrumque ad inſtitutum faciet) nos particulatim omnium partium inflammatarum notitiam Medicinæ ſtudioſis trademus. Quam profecto cognitionem pauci vel nulli hactenus exacte tradidiſſe viſi ſunt, præſertimque earum, quæ in partibus ſenſus expertibus fieri ſolent; nulli (ut animadvertimus) de his exacte ſcripſerunt. Præſtabit tamen priuſquam rem hanc

parcius complectamur, ut in primis partes omnes noſtri corporis quæ inflammari ſolent, probe cognoſcamus: & poſtea, quid ſit phlegmone, quotuplex ſit, & à quibus cauſis oboriatur, dicamus; atque tertio de ſignis, quibus interna viſcera inflammata nobis innoteſcunt, accuratius agamus. Quibus præmiſſis, de ſingularum inflammationum curatione ſermonem habebimus. Nunc ad partes corporis cognoſcendas accedamus, quæ phlegmonis deprehendi, & vexari ſolent. Quarum, ut à capite exordiamur, prima erit cerebrum, ejuſque membranæ, quæ ſæpius inflammationibus pervaduntur, cujuſmodi eſt phrenitis, & lethargus; aurium quoque internæ partes & oris maximeque glandulæ ſive tonſillæ vocatæ, ſæpe phlegmone vexari ſolent, non minus quam gula, guttur, cordis pericardium, pulmones, pleura membrana, muſculi intercoſtales dicti, diaphragma, ſtomachus, ejuſque os, pancreas, meſenterium, ſeu meſeræum, & meſocolon, omentum ſive epiploon, peritonæum, hepar, lien, vena porta, vena cava, & reliquæ venæ, & arteriæ; inteſtina quoque, quorum ileon vocatum exitiali phlegmoni eſt obnoxium; vaſa uretera, renes, veſica, atque uterus ſæpe itidem phlegmone vexari ſolent. Phlegmonum vero quædam propriis nominibus vocantur, ut phrenitis, lethargus, angina, pleuritis, peripneumonia: quædam à partibus inflammatis dicuntur, ut aurium inflammatio, faucium, tonſillarum, æſophagi, diaphragmatis, muſculorum intercoſtalium, pleuræ membranæ (unde Græcis pleuritis) ſtomachi, hepatis atque aliarum nuperrime dictarum partium; ſed hiſce propoſitis, nunc ad ipſarum inflammationum cognitionem deſcendamus. Itaque in primis quid ſit phlegmone inflammatiove dicemus, quotupliciſque ſit differentiæ, tertio ipſarum generationis notitiam complectemur, atque demum de iis dignoſcendis accurate agemus.

CAP.

CAPUT II.

Quid phlegmone ſit, & quibus differentiis interſtinguatur, quomodoque generetur.

EX affectibus noſtri corporis, quem Græci φλεγμονὴν, Latini inflammationem appellarunt, eſſe affectum calidum & ſiccum, quo qui vexantur, veluti peruri, ſuccendi, ignirique ab antiquioribus Medicis proditum ſit, non eſt Medicorum qui ignoret. *Phlegmone autem* (inquit Galenus) id eſt, *inflammationes, à veteribus vocabantur, quæ ſunt veluti phlogoſeis, id eſt, inflamina vel incenſiones: à junioribus autem non omnes, neque enim herpetes, neque eryſipelata neque tale aliquid inflammationibus annumerant, ſed uni tantum, affectui ex calidis, qui fit cum tumore duro, atque dolore pulſatili, hoc nomen accommodant*; ex quibus per inflammationem, duplicem affectum antiquos intellexiſſe conſtat, ſcilicet unum calidum & ſiccum morbum abſque ullo humore concitatum, quem Græcis φλογωσὶν appellarunt, qui nihil aliud erit quam ſimplex intemperies ignea, qua partes corporis veluti peruri, atque igniri videntur: atque alterum eſſe eundem affectum cum humoris præſentia, quem proprie Græci phlegmonen merito dixerunt; huncque ab altero quippe à phlogoſi diſtingui, quod cum tumore, doloreque pulſatorio fiat: atque hæc eſt prima inflammationis differentia, ſecundum quam, hanc quidem humidam, hanc vero ſiccam eſſe contingit, humidam quidem, quæ ex calida fluxione membrum occupante contingit: ſiccam vero, quando nullo humore influente calor naturalis igneſcit. Hanc etiam veluti alicujus partis quandam particularem febrem eſſe deprehenditur, morbuſque eſt plane ſimplex, atque immaterialis. Phlegmone vero & ipſa calidus quidem affectus eſt, cum tumore atque dolore, aliquando pulſatorio, non tamen ſemper; vel ipſe tumor eſt, calidus, doloroſus. Hæ vero phlegmonæ, quod ex humoris fluxione fiant, variis quoque ex humorum varietate differentiis mutuo interſtinguuntur, quando aliæ ex ſimplici puroque ſanguine fiant, quæ idcirco pro-

Gal. in 1. prog. com. 27. In 1. ad Glauc. c. 15.

Galen. in l. 13. meth. med. cap. 1. Gal. in 2. ad Glauc. c. 1.

priæ ſunt, & ſimpliciter phlegmonæ dicuntur, ab aliis ſanguineæ itidem ab humore vocatæ: aliæ bilioſæ, ut vera cum phrenitis, tum pleuritis eſt: aliæque ut herpetes, eryſipelata. Quædam vero ex ſanguine impenſe calido & craſſo fiunt, quas carbunculos Medici appellant; quædam vero non ex ſimplici ſanguine, at aliis humoribus mixto generantur, & phlegmonæ vocantur ab humore, qui ſanguini mixtus fuerit, unde ſi ex ſanguine cum bilis mixtione inflammatio excitetur, phlegmone, ſive inflammatio eryſipelatodes dicitur, & quæ ex pituitæ mixtione œdematodes. Itaque phlegmonæ omnes ita à junioribus Medicis vocatæ (quando, uti dictum eſt, inflammationem phlogoſin Græcis dictam, non Hippocrates ſolum, ſed omnes fere alii, qui ante Eraſiſtratum fuerunt, phlegmonen nominarint) calidi tumores ſunt, cum calore præternaturali, & dolore, & quandoque etiam cum rubore, quod in externis facile comprehenditur. Rubeſcit vero ubi ex ſanguine vel impenſe calido & craſſo fit; flaveſcit in eryſipelate & phlegmone eryſipelatode; nigreſcit, ſi ex ſanguine permixto melancholico humori; & albeſcit, ſi ex pituita, uti eſt phlegmone œdematodes. Omnis vero phlegmone ex humoris fluxione generatur, quæ fluxio fit ad partes corporis imbecilliores, debilioreſve, ex partibus robuſtioribus humorem demandantibus, ſcilicet partibus vel ab humoris qualitate moleſta aut à quantitate ad protrudendum humorem concitatis. Quomodo vero phlegmone ab eo confluxu humoris fiat, hiſce verbis Galenus nobis expreſſit, dicens: *Quippe calida fluxio ubi in muſculum procubuit, primum majores arteriæ venæque opplentur ac diſtenduntur, ab iis minores, atque ita res procedit donec ad minimas ſit perventum. In iis ubi valenter impacta fluxio eſt, nec amplius contineri poteſt, partim ejus per ipſarum ora, partim per tunicas colatum foras tranſmittitur, tum vero ſpacia ipſa vacua, quæ inter prima ſunt corpora, fluxione implentur; ſic omnia ex humore omnique ex parte incaleſcunt, ac perfunduntur; ea ſunt, nervi, ligamenta, membranæ, caro ipſa: Anteque hæc, arteriæ & venæ, quæ ſcilicet & primæ, & præter cætera vario dolore afficiuntur. Quippe interius à fluxione, tum excaleſiunt, tum diſtenduntur ac divelluntur.*

Gal. in de difficult. reſp. cap. 5.

Galen. 13 meth. cap. 2. cap. 9.

In l. de inequali intemp. cap. 3.

Ex-

Exterius non modo excalefiunt, ſed etiam premuntur, ac degravantur. Sanguine igitur optimo, ſi de vera phlegmone loquamur (ait itidem Galenus) *ac mediocrem craſſitudinem habente ad particulam aliquam univerſim fluente, atque ob multitudinem conculcato, vehemens dolor arripit hominem niſi membrum ſenſum omnino hebetem habuerit: pulſuſque in profundo moleſtus accidit, tendique omnia, ac contundi membrum apparet, & vehementem calorem perſentit, adeo, ut comburi videatur, & refrigerari deſideret; taliſque rubor per ſumma viget, qualis ex balneis advenit, aut ex igne aut quovis alio modo calefactis.* Atque hæc eſt phlegmonum generatio. Variæ vero ſunt, ex vario humore, vel ſimplici vel mixto, tum ex variis partibus, quæ inflammantur; hactenus quid phlegmone ſit, oſtendimus, quotuplex ſit, atque quomodo in qualibet parte corporis generatur, nunc ſuper eſt, ut de ipſius cognitione agamus. In 1. lib. ad Glauc. c. 1.

CAPUT. III.

De phlegmonum cognitione in communi, & primum de phlogωſis internæ cognoſcendæ ſignis.

CUm dixerimus phlegmonum nomine duo deprehendi, quippe flammeum affectum, calidum nempe & ſiccum ſimpliciſſimum abſque ulla præſentia humoris quem Græci Φλογωσεὶν appellarunt, atque alterum affectum ſane calidum cum tumore. Quo nomine nos comprehendi eos omnes affectus volumus, qui fiunt à fluxione humorum, vel ſuapte natura calidorum, cujuſmodi eſt vera phlegmone, eryſipelas, herpes & ſimiles alii; vel etſi natura frigidi ſint, qui putredine vel calidorum humorum permixtione incaleſcunt. De harum igitur phlegmonum cognitione acturi, primo ſigna proponemus quibus phlogoſes internæ nobis innoteſcant; deinceps, quibus ſignis nos calidos tumores, qui veræ phlegmonæ ſunt, deprehendamus; tertio quomodo internos itidem tumores, quoſcunque & abſceſſus cognoſcere poſſimus, accurate perſcrutabimur. Quod igitur ad primum attinet, nimirum, ut phlo-

gωsim in corpore adesse cognoscamus, signa hujusce siccæ phlegmones accurate & proponere & considerare debebimus. Quæ si accendatur in partibus corporis sensu præditis, hæc profecto erunt; scilicet in parte inflammata aderit summum caloris incendium, sive calor intensissimus erit, una cum dolore, ab iis non dissimili, quos igne usti sentiunt; febrisque accendetur ardens continua, æqualis, colliquans, plane ei, quam patiuntur igne usti, simílis; si viscus internum, quod similem phlegmonen patitur, sit nobile, brevi moriuntur, si ignobile & à principibus remotum, diu vivunt, sed ad tabem deducuntur. Accedit etiam, quod si affecta pars ex principibus sit, perpetuo, ubi vehemens sit inflammatio, aut totum corpus aut saltem extimæ partes refrigerantur, diuque frigidæ manent. Itaque si ex internis partibus cava jecoris pars phlogωsim (exempli gratia) patiatur, necessario aderit intensa caliditas primo in dextro hypochondrio juxta hepatis regionem, quæ postea etiam ventriculo communicabitur, aderit etiam dolor circa dextrum hypochondrium sub costis præsertim spuriis, acutus absque ullo tumore sed tractu temporis hypochondrium tenditur, & febris ardens accedet cum siti inextinguibili, & si inflammatio sit vehemens, aderit itidem magnus caloris æstus, atque frigiditas in extremis partibus. Itaque hisce signis haud injuria, interna inflammatio nobis significabitur. Ceterum si in aliqua parte ex iis quæ aut nullum sensum, vel ipsum maxime hebetem habent, cujusmodi sunt pulmones, cerebri substantia, pancreas, mesereon, mesocolon, epiploon, sive omentum, & similes partes, phlogosis excitabitur nullus vel maxime hebes sensus in ea parte & caloris & doloris percipietur, tamen febris accedet lenta hecticis similis, qua corpora colliquantur & contabescunt; & colliquamenta cum in fæcibus tum in in urinis apparent, quod signum sane fiet, atque observabitur ex inflammatis partibus etiam sensibilibus non principibus, si diu inflammatio duravit; sed transeamus ad phlegmonem, quæ non sola est ignea intemperies, sed habet humorem conjunctum, quam Galenus statuit esse inæqualem intemperiem cum affluxu humoris; unde necessario hæc cum partis tumore est, atque do-

In l. de inæq. intemperiei

lo-

lore ſeu cum triſti quadam ſenſatione: tumores doloroſos phlegmonum eſſe proprios ex Hippocrate Galenus tradidit; ſed age de ſignis, ad eas deprehendendas agamus: In partibus externis facile cognoſcuntur, cum partibus inflammatis neceſſario contingat, ut rubeſcant (loquimur de vera phlegmone quæ ex puro ſanguine fit) tendantur, renitantur, intumeſcant & doleant. Ita ut præter phlogoſim partes inflammatæ & dolorem & tumorem neceſſario habere debeant. Harum atque aliarum etiam cujuslibet generis in viſceribus ipſorumque partibus concitatarum, haud facilis erit cognitio, omniumque maxime illarum quæ in partibus aut hebetem ſenſum aut nullum habentibus, fiunt. Nos vero plurimum laborabimus, ut eas propriis ſignis internoſcamus. Itaque, ut rem ipſam aggrediamur, in partibus internis phlegmone obſeſſis, aut dolor ſane manifeſtus, qui in ſenſu præditis percipitur, aut aliquis ſaltem obſcurus, & vix apparens, qui aliquando tactu, parte inflammata compreſſa, deprehenditur. Quod ad ipſum dolorem pertinet, nimirum in partibus ſenſu præditis, conſtat varias dolorum ſpecies ex variis partibus excitari ac deprehendi. Namque ſi phlegmone arterias notatu dignas opprimat, aut partem in qua ſint plures arteriæ, ſitque notatu digna inflammatio, dolor cum pulſu ſentietur, quem merito pulſatorium omnes appellant, niſi phlegmone tranſierit ad ſuppurationem, quando in parte etiam ſuppurationem habente dolor pulſatorius fiet; ſi vero membranas phlgmone deprehenderit, dolor ſi ab humore acuto, punctorius, & ſi à puro ſanguine diſtendens erit, etiam inflammati nervi, arteriæ atque venæ dolorem per longitudinem tenſivum patiuntur; dolor aliquando deprehenditur, veluti palo fixus, qualis in ureteribus atque in renibus apparet; verumenimvero hujuſmodi dolores, ſi inflammatio levis ſit, leves; ſi fortis, fortes ſentientur; præſertimque in partibus maxime ſenſibilibus, uti eſt os ventriculi. Obſcuros vero dolores nonnunquam phlegmonæ licet ſint vehementes in partibus hebetem ſenſum habentibus concitare ſolent. Quorum alii graves ſunt, cujuſmodi exiſtunt qui pulmones opprimunt, hepar, renes, adenes, lienem, cutem, membranamque cuti ſubſtratam. Pulmones nunquam

In 6. epid. ſect. 1. com. 2.

Gal. in 2. de loc. affect. cap. 7.

Gal. in 2. de criſib. c. 10. Galen. 2. de loc. affect. cap. 7. Gal. in 2. de loc. affect. cap. 5.

quam dolore vehementi cruciantur, verum quendam gravitatis ſenſum, & aliquando extenſionem quandam vel ad os pectoris vel ad ſpinam provenientem ægrotantes ſentire, Galenus tradidit. Aliquando enim ſi ſubſtantia ipſorum inflammationem patiatur, membrana eos circumvolvens gravatur atque diſtenditur; eodem modo & hepatis carnoſa ſubſtantia, lienis, renum, adenumque phlegmone gravata fit dolor gravis cum diſtenſione quadam; ſi vero horum viſcerum, præſertimque hepatis vaſa, vel tunica inflammetur, ſentiunt dolores acutos. Ceterum ex iis partibus inflammatis ſatis aperte dolores, qui oboriuntur, deprehendi circumſcribique poſſunt, at aliis partibus nullo ſenſu aut obſcuriſſimo præditis phlegmone obſeſſis, etiam notatu digna non niſi magna cum difficultate deprehendi poſſunt. Atque hinc fit, ut provincia in hiſce partibus (quas alias diximus eſſe pancreas, epiploon ſive omentum, meſeræum, meſocolum partes inter muſculos ventris interiacentes) phlegmonas, tumores, atque abſceſſus cognoſcendi ſit difficillima. Quo Medicos alioquin eruditiſſimos ſæpius nullam de interna phlegmone, quæ tamen quampiam prædictarum partium tenebat, ſuſpicionem habentes, illa poſtea ab erumpente vel pure vel ſanguine deprehenſa, deceptos fuiſſe, haud mirum eſt. Ex quibus plæriſque creditum eſt, internas phlegmonas, abſceſſuſque in pancreate, meſeræo, meſocolo, & omento neutiquam deprehendi poſſe. Verum ſi horum affectuum cognitio quæpiam haberi poterit, ab his quidem & non ab aliis ſignis aſſequemur, quod nimirum (licet aperte neque dolor neque tumor uſquam in corpore ſentiatur conſpicuus) ægroti quendam gravem ſenſum, aut anguſtiam, aut pondus in ventre vel in hypochondriis ſentire animadvertant, quem moleſtum ſenſum longe manifeſtius ſenſu tactus percipiunt & animadvertunt, ſi digitis accurate totus venter comprimatur, non tamen admodum valide, at leviter quidem, ſenſimque ac ſenſim venter erit comprimendus: præter hoc aderit febris continua, non admodum vehemens, quæ initio horroribus invaſit, & quæ etiam plærumque horrores inordinatos habet, præſertimque, ſi fluxio renovetur, aut affectus ad ſuppurationem tran-

In l. 4. de loc. affect. cap. 8.

tranſeat; adde pulſus inæquales veluti ſerrantes, non tamen multum duros animadverti; reſpiratio vero quadantenus inæqualis atque impedita erit. At de his nunc obiter, quando de ſingulis nunc longe accuratior à nobis ſermo ſit futurus. Itaque ex præmiſſis conſtat phlegmonas internas cognoſci primo ex doloribus, aut ſaltem à quodam ſenſu in parte inflammata moleſto, vel gravitatis, vel diſtenſionis, vel anguſtiæ, qui aliquando non niſi viſcerum accurata compreſſione deprehenditur. Secundum ſignum erit in aliqua parte ventris durities, quæ digiti compreſſu maxime percipitur, de qua auctor Coacorum præſagiorum dixit: *Durities circa ventrem cum dolore in febribus horrificis, ægro cibos averſante, & alvo parum ſoluta, ſiquidem non expurgantur, ad ſuppurationem veniunt.* In l. 3. ſect. 2. tex. 34. Tertium ſignum ex rigore vel ex horrore aſſumitur. Phlegmone quidem deprehenſi principio rigent, aut horrent, aut refrigerantur, nimirum humore acri aut ſalſo, aut acido à venis protruſo ſenſibiles partes lædente, quo mirum non eſt, ſi cum horroribus inordinatis febres quoque accedant. Cujus ſane ſigni rationem Deſiderius Jacotius Medicus olim eruditiſſimus in Coacorum præſagiorum commentariis perbelle ita expreſſit, dicens: *Horrificas autem febres Hippocrates vocat non inrermittentes, ſed ſymptomaticas, & phlegmonum interiorum proprias.* Hipp. in 1. epid. 1. tex. 23. *Quibus horror duobus modis ſupervenire conſuevit, uno propter exacerbationem, quam habent; & interdum typum à varia putredine humoris, cujus pars in venis continetur, pars extra venas jam collecta eſt, & intra abſceſſum. Unde Hippoc. in lib. de vict. ratione agens, meminit frigoris pedum. Altero ratione ipſius phlegmones, idque tripliciter, initio quidem fluxionis ad interiora, quæ habitum corporis refrigerat; & inæqualis ſpirituum caloriſque nativi ad viſcera contractionis cauſa eſt, deinde concepto jam abſceſſu ad ſuppurationem tendente: quo tempore ſuppurans vapor per morſum rigorem concitat, aut ad ſuppurandum congregatus calor in reliquis membris horrorem parit. Poſtremo ſanie effuſa, & membranas vellicante; ex quo Hippocrates effecit, horrorem, qui ſine ratione invadit una cum febre, inflammationis interioris notam eſſe, & ſuppurationis.* Hæc Jacotius: quibus ſane comprehenditur, quomodo rigor

atque horror ſolet eſſe nota interioris phlegmones. Pulſus quoque inæqualis, vulgo ſerrans & ſerrinus ab inæqualitate cum quadam duritie dictus, aliquid vibrationis præ ſe ferens, phlegmones interioris indicium confirmabit. Reſpiratio itidem in omnibus inflammationibus difficilis obſervatur: frequens enim ſpiritus in iis ſemper eſt, & magnus etiam (niſi dolor urgeat, teneatque quampiam ex partibus reſpirationi ſervientibus, tunc enim parvus & creber fit.) Ubi vero phlegmone fuerit, vel in pancreate, vel in meſenterio, vel in omento vel in adenibus, reſpiratio quidem cum anguſtia erit & crebra & non parva; hiſce omnibus ſignis additur febris quoque continua, quaſdam exacerbationes habens, at non ſemper, quoniam niſi humoris ad partem inflammatam fluxio renovetur, neque ad ſuppurationem inflammatio venerit, nullus rigor vel horror, ab initio ad finem uſque obſervabitur; atque hæc de phlegmonum cognitione in communi nobis ſufficiant, nunc ſingularum particularum & notitiam & curationem dicemus.

Gal. de pulſib. ad Tyr. cap. 11.

CAPUT IV.

De medicamentis ad phlegmonas internas, & primo de illarum, quæ phlogωſes ſeu inflamina dicuntur, curatione.

PHlegmonas ſimplices, quæ in ſola caliditate ſiccitateque partem veluti perurente, inflammanteve conſtitutæ ſunt, in corporibus concitari ex Hippocrate ac ex aliis antiquis Medicis à nobis nuper demonſtratum eſt, hancque inflammationis ſpeciem Græcos phlogωſim appellaviſſe. Verumenimvero, hujuſcemodi inflammationem raro exquiſitam (nimirum quæ intemperies ſimplex calida ſiccaque ſit, nullo humoris confluxu accedente) obſervari ſolet, & tantummodo per initia; loquor de iis, quæ effatu dignæ ſunt. Etenim in his ſingulis cum pars inflammata & vehementer doleat, & vehementer incaleat, diu abſque humoris fluxione eſſe non poterit, nam, ut & Galenus docuit, calor atque dolor ſunt cauſæ præcipuæ phlegmo-

In l. 13. meth. med. cap.

monum materialium, ſiquidem ex dolore atque ex calore humores ad partem inflammatam attrahuntur; unde phlogoſis exquiſita ſi magna vehemenſve ſit, diu exquiſita manere non poterit, nam ex dolore caloreque ſanguine attracto tumoroſa phlegmone evadet; ſi vero non magna ſit, vel ſi magna, partes ſenſu hebetes, vel non ſentientes occupet, poterit quidem exquiſita & ſimplex ſervari, cum ſublato partis ſenſu humoris fluxio non ſit futura. Phlogoſis, ſi quampiam ex nobilibus partibus occupat, vehemenſque ſit, profecto morbus erit & acutiſſimus, & maxime periculoſus. Ad quem quidem affectum (quod & ipſe morbus adſtrictus ſit magnus & pro curatione laxatoria præſidia indicabit magna) conveniet quam primum ſanguinis evacuatio tanquam magnum laxatorium, aut vena ſecta, aut ſcarificatis cruribus, aut adhibitis cum inciſione cucurbitulis, antequam vero Medici eam moliantur, alvus clyſtere mollitorio erit laxanda; & ſanguinis copia ex viribus, atque ex morbi magnitudine metienda erit; per os convenient aquæ ſtillatitiæ ex herbis facultate frigidis, actu tamen calidæ exhibitæ. Dabitur decoctum paratum in aqua ex foliis malvæ, althææ, violæ, endiviæ atque ex ſeminibus itidem malvæ, althææ, portulacæ; melonis, endiviæ & ſimilibus. Niſi febris vehemens ſit poterit per os exhiberi actu calidum lac aſininum, aut equinum aut denique caprinum, camelinum, ſi haberi poterit, omnium erit maxime ad hoc negotium accomodatum, dabitur ad uncias quatuor calidum. Balnea aquæ dulcis calidæ erunt utilia; extimis partibus, ſi juxta ipſas ſubſit phlogoſis utiliter adhibebuntur fomenta itidem ex decocto althææ, malvarum, ſunci, fœnugræci, hordei, temperate quidem calida. Epithemata ex ſimplici aqua tepida, vel ex alterata nuper dictis ſimplicibus medicamentis. Victus ratio erit humida, poteſtateque non calefaciens, ut ptiſana hordeacea cum lacte ſeminum melonis & ſaccharo candido; aut lac ipſum ſeminum malvarum, althææ, melonis, cucumeris, portulacæ cum modico panis triti diſſoluti, ſaccharoque candido. Potus erit aqua hordeacea, vel ſtillatitia, cichoreæ, ex foliis vel endiviæ, vel boraginis cum modico ſacchari, vel julep, vel

ſyrupi violati, clyſteres, niſi alvus ſponte laxa ſit, ſaltem alternis diebus mollitorii erunt injiciendi. At ad phlogoſes cum tumore, perſanandas declinemus; quæ cum plures ſint, ſcilicet, cerebri, cujuſmodi eſt phrenitis, lethargus, aurium, gulæ, & gutturis, ſtomachi, hepatis, lienis, inteſtinorum præſertimque ilei vocati, venarum atque arteriarum effatu dignarum, renum, veſicæ, uteri; pleuræ membranæ & muſculorum intercoſtalium, ut pleuritis, pulmonum peripneumonitis dicta; diaphragmatis, cordiſque pericardii: nunc de iis agamus, quæ cerebrum ſeu caput occupent.

CAPUT V.

De phrenitidis curatione.

JAm ad phlegmonas accedimus perſanandas, quas, cum tumore etiam fiant, merito inter morbos adſtrictos adnumeramus. In quibus tractandis, ab iis, quæ capitis partes vexant, exordiri libuit. Harum vero præcipuæ ſunt, quæ cerebrum, ipſiuſque membranas occupant, cujuſmodi eſt phrenitis, lethargus, & phlegmone cerebri, ex Paulo, atque Demetrii Ægyptiorum. Quarum quidem nunc medica præſidia tractabimus, à phrenitide exordientes; quam omnes affectum eſſe intelligunt, in quo φέρνα, id eſt, mentem læſam deprehendunt. Aurelianus putat phrenitim dictam fuiſſe à difficultate mentis, ut dyſuria à difficultate urinæ. Galenus ait: μαίνεσθαι *ſiquidem, id eſt, inſanire omnes homines dicunt eos, qui deſipiunt citra febrem*; φρενιτίζειν *vero, qui cum febre id patiuntur.* Quod vero in febris vehementis vigore accidit, appellant & παραπόψαι, & παραχθῆναι, & παραληρῆσαι, & παραφονῆσαι: Phrenitim vero non appellant, niſi febriat æger & continue deliret, quo merito plærique Dogmaticorum definiunt hunc affectum, quod ſit delirium perpetuum cum febre aſſidua. Herophylus, eſſe vehementem delirationem cum febre deſinentem in brevem interitum tradidit; & Aurelianus inquit eſſe celerem mentis alienationem cum febre acuta, atque manuum vano errore, ut aliquid ſuis digitis phrenetici attrectare videantur, quod

Gal. in 1. prorrh. 4 In 1. lib. acut. In 1. prorrh. com. 1.

quod Græci Crocydiſmon, ſive carphologyam vocant, & parvo pulſu ac denſo, ſive crebro. Plures quidem notæ ad phrenitidem veram cognoſcendam, quæ, ut ajunt omnes, cerebro primario affectu læſo oboritur, à Medicis animadvertuntur, quibus & cognoſcitur, & ab iis quæ aliunde ab infernis partibus excitantur, diſtinguitur. Inter has vero (uti dictum eſt) præcipuæ ſunt, delirii, febriſque continuitas. Itaque omnium Medicorum ſententia in phrenitide febris eſt aſſidua, ſed id proprii habere videtur, quod in partibus extimis non ita acuta & evidens deprehenditur. Delirium vero magnum eſt quandoque ad læſam imaginationem, quandoque ad memoriam, quandoque ad diſcurſum, & nonnunquam ad haſce omnes facultates læſas pertinens, quod & quandoque cum riſu, cantu & ſimilibus fit, & quandoque (ut ait Hippocrates) cum ſtudio ſeu contentione, & nonnunquam cum effreni, ferocique operatione. Plerumque ſolet in phreneticis obſervari manuum geſticulatio, floccorumque & feſtucarum collectio, quæ deliramenta Aurelianus vocat carphologyam & Crocidiſmon. Unde auctor libri Medici vocati Galeno attributi dicebat: *Phrenitidis notæ ſunt inſania vehemens, temeraria manuum geſticulatio, floccorum, & feſtucarum collectio & febris acuta.* Pulſus in iis eſt parvus, creber, atque durus, facies rubra, itemque oculi, & calidi, reſpiratio magna, hypochondria haud in principio tenduntur, ſed poſtea, quibus diſtinguitur ab illa amentia, quæ ſepto tranſverſo (phrenem Græci vocarunt) læſo oboritur, in qua neque facies, neque oculi incaleſcunt, neque rubeſcunt; & reſpiratio eſt inæqualis, ſtatimque morbi principio hypochondria tenſa apparent. Urinæ ſolent quandoque coloratæ & quandoque tenues & decolores obſervari: plerumque vero in principio in ipſis ſuſpenſum veluti in circulum elatum videri ſolet, quod & Aurelianus animadvertit; atque hiſce notis cuique phrenitis innoteſcet. Dogmatici dicunt hunc affectum excitari à cerebri, ejuſque involucrum (quas membranas Græci meninges appellant) phlegmone, aut ex ſanguine, aut ex bile flava, aut ex uſta effecta. Quo Hippocrates merito dixerat: Deſipientias quaſdam eſſe cum riſu, ſcilicet quæ à ſanguine, &

C. Aur. 1. acut. c. 3.

Gal. 5. in de loc affect. c. 4. In 6. aphor. 53.

quaſdam cum ſtudio, quippe à bile, & quaſdam, ut expreſſit Galenus, cum temeritate, ab eadem retorrida bile obortas. In 1. acut. c. 9. Cap. 15. Aurelianus inter Methodicos magni nominis Medicus phrenitim à ſtrictura fieri, quam poſtea tumoris nomine expreſſit. Quam ſententiam ab omnibus quidem Methodicis confirmatum iri, haud fore dubitandum putamus, cum omnes phlegmonæ ad morbum adſtrictum referantur. Quo non ſine magno errore Aurelianum in 1. libro acutorum affirmaſſe, phrenitim fieri quandoque à ſolutione, credidimus; ita is habet: *Nos vero aliam dicimus eſſe ex ſtrictura, aliam ex complexione ſtricturæ atque ſolutionis*; quod poſtea quoque ſæpius confirmavit; perinde ac ſi dixerit, phrenitim aliam eſſe morbum adſtrictum, atque aliam laxum. Quæ opinino plane à veritate abhorret, ſi quidem verum ſit, omnem phrenitim, fieri ex phlegmone in cerebro & in membranis, nullamque ab evacuatione. Neque eſt, quod dicat: at ſi adjuncta fuerit ſtricturæ ſolutio, ut aut venter fluens aut ſudores eſſe videantur; quoniam phrenitis nunquam ex aliqua evacuatione, licet immoderata ſit, vires plurimum reſolvens, fieri poteſt, namque nullus etſi immoderatius reſolvatur, phreniticus (etſi poſſit quidem delirare) eſſe poterit, cum neceſſario ad hunc affectum faciendum humor requiratur, tumorem, atque obſtructionem faciens, ut ipſemet Aurelianus non negavit; quem affectum vocat, ſtricturam corpulentam atque calidam. Non negamus tamen phrenitidi, quæ eſt morbus adſtrictus, poſſe conjungi morbum laxum, cujuſmodi ſunt ſudores aſſidui, fluores ventris & ſimiles alii affectus. Non tamen hi phreniticam alienationem faciunt. Cognitis hujuſce morbi cauſis, præſtabit, antequam ad medicamenta, quibus phrenetici ſanantur, declinemus, nos prænoviſſe, quales phrenitides ſint ſanabiles, & quales curationem non admittant. Tametſi phrenitis omnis, quod princeps ſedes cerebri ſit affecta, exitialis habeatur. Hippocrates, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores fecit. Gal. vero in commento dixit, nullam deſipientiam ſecuram eſſe, ſed quæ cum riſu fit eſſe minus periculoſam. Minus malum eſt, ſi delirium non vehemens ſit, & ægroti dormiant, à ſomnoque in pejus non abeant, longeque melius ſi à ſomno

In cap. 9. Cap. 9. Gal. in 1. progn. 24. In 6. aphor. 53.

mi-

minus delirent & quietiores reddantur, ſi hæmorrhagia copioſa in die decretorio apparuerit, vel ſudor copioſus, præcipue ſi ex capite multus & calidus fluxerit, ſudante ſimul reliquo corpore; his enim evacuationibus phreneticos aliquando judicari Galenus tradidit. Phrenitis vero contrario modo ſe habens ſummopere formidanda, & plærumque lethalis erit, quippe illa, in qua delirium præterquam quod eſt continuum, etiam vehemens itidem ſit, & omnium maxime effrene atque ferinum ſi fuerit, cum aſſiduis vigiliis, vel ſi ſomnum habeant maxime turbulentum, atque ab eo nedum delirium non miteſcat ſed augeatur, vehementiuſque eos vexat. At non ſolum ferinum eſt exitiale ſed aliquando quod obſcurum eſt & blandum videtur, ut auctor prorrheticorum expreſſit; & Galenus in commento dixit, haſce phrenitides eſſe ſumme exitiales, & fieri aut quia ſtatim habent conjunctam comam, de quibus Hippocrates in epidemiis ait: *Nullus phreneticorum vehementer inſanivit, veluti in aliis uſu venit; ſed alia quadam veternoſa ad ſomnum inclinatione capite gravati peribant*; aut quia virtus ſumme languet, & quaſi hecticam deſipientiam Galenus vocandam exiſtimavit: illæ deſipientiæ etiam in principio, atque hæ poſtea apparent; phrenitidis vero generationem ita expreſſit: *Phrenitide igitur ipſa ex bilioſo ſucco generationem habente, cum is in cerebro decubuerit, principio quidem qualitate ipſius nondum toti cerebri corpori permiſta, confuſaque, tumultuoſæ fiunt deſipientiæ; procedente vero tempore ſimile quippiam contrahitur lanis, quæ à tinctoribus appellatis tincturam accipiunt. Nempe & hæ vix eluibiles reddantur, non ſecus, quam quæ proprium ab initio colorem habent.* Talis igitur cerebri veluti tinctura deſipientiam hecticam habet, atque ob id affectio horum, ut febrium hecticarum, prava eſt, quas quidem cum incipiunt conſtitui, vix ſolvi, exquiſite vero conſtitutas, abſolutaſque ſolvi non amplius poſſe demonſtravimus. Utroque modo facta exitialis eſt, quo recte dicebat auctor prorrheticorum: *Tremulæ, obſcuræ, blandæque & contrectabiles deſipientiæ valde phreneticæ.* Ubi vero phrenetici maxime inquieti ſunt, anxii, jactabundique, plurimum eſt timendum, non minus quoque periculi eſſe intelligemus, ubi urinæ albæ & periſpicuæ erunt, al-

In 3. de criſib. cap. 2.

Hipp. in 2. aph. 2.

In 1. prorrh. 33.

In 3. epid. ſect. 3. tex. 45.

1. prorrh. tex. 33.

albæque itidem fæces ſi excernantur; de illis Hippocrates ſcripſit: *Quibus urinæ albæ perſpicuæ, malæ, præſertim ſi in phreneticis appareant*; & Galenus dixit: *Nullum vidi phreneticum, in quo talis urina apparuiſſet, ſervatum.* De dejectionibus vero albis itidem judicium fieri oportet. Quod auctor, prorrheticorum ita expreſſit: *phreneticis alba dejectio mala eſt*; cum quibus excrementis rigor ſi apparuerit, erit peſſimus, atque ab ipſo ſanguinis è naribus ſtillæ exitium prænúnciant, non minus quam faciunt, ſudores, alvi fluores & omnes aliæ vacuationes, præſertimque ſi & ipſæ haud bonæ fuerint. Accedit manuum geſticulatio, de qua etiam Hippocrates ait: *Qui in febre acuta, aut in phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus ob os fert; aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte evellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit, id omne malum, exitialeque eſt.* Si vero in phreneticis poſtea vel tremores, vel convulſiones apparuerint, ægrotos certo morituros prædicemus, videntur enim hæc ſymptomata eſſe exitialium phrenitidum propria. De tremoribus in prorrheticis ita ſcriptum eſt: *Phrenetica vehementer trementia finiuntur.* Galenus vero ait: *Non autem phrenetici omnes tremorem incurrunt, ſed qui deterrime habent*; & de convulſionibus Galenus itidem dixit: *ſuccedit maxime exitiali phrenitidi, nec ſanatum quempiam ita convulſorum aut ipſe vidi, aut alium narrantem audivi.* Quare & ſingultus ob id, ut Aurelianus etiam notavit, erunt in phreneticis peſſimi. Unum aliud Aurelianus addidit, eam phrenitidem eſſe lethalem, quæ in febricitantibus poſt primum diatritum fit, eaque præſertim ratione quod tunc vires prædebilitas vexet. At his præcognitis, opportunum erit ad hujus phlegmones curationem accedere. In qua primum vivendi ratio inſtituatur, quæ erit, ut ægroti collocentur in aëre quidem temperate calido & humido, lucido, non obſcuro, quod talis aër conducat ad omnes adſtrictos affectus, atque hunc aërem laudavit inter Dogmaticos Aſclepiades Medicus; decumbant præterea in lectulo molli, pluresque ſint ad illorum curam, ſin minus fieri poteſt, arcte ligentur ad cubilis partes, ſomnum procurent, hilares quoad fieri poteſt, quietique maneant. Quo

In l. 4. apor. tex. 72.

Gal. in 1. prorrh. com. 13.

In 1. prognoſticorum tex. 23.

1. prorrh. tex. 9. in comm. 16.

In lib. 13. meth. med. cap. 8.

non

non paucis viſum fuit, phreneticos non harmonia atque muſica (ut aliquibus videbatur) revocari poſſe: iram, atque excandeſcentiam fugiant. Cibus ſit actu calidus & humidus, tenuis, paucus, bis in die datus; cujuſmodi erit cremor ptiſanæ, panis item in jure tenui aquoſoque coctus, vel lac feminum melonis, cucumeris, papaverum alborum, cum modico panis parato: potus ſit aqua ex hordeo decocta cum ſaccharo vel ſtillatitia actu tepida; à vino omni plane abſtinendum; ſi alvus adſtricta ſit, clyſteribus mollitoriis laxetur, ſcilicet iis, qui parantur ex decocto malvarum, althææ, violarum, ex oleo vel dulci communi, vel violaceo, melle roſaceo, atque modico ſalis, vel ſint ex cremore ptiſanæ hordeaceæ, oleo atque ſaccharo & modico ſalis: qua alvo emollita ſtatim ita indicante morbi adſtricti magnitudine atque viribus permittentibus, ſecta vena jecoraria primum, & mox cephalica, mittatur ea copia ſanguinis, quam vires permittent, quæ evacuatio ſtatim in principio facienda erit. Unde Aurelianus merito dixit faciendam intra diatritum aut in ipſo diatrito. Ægyptii maxime proficuam agnoſcunt eſſe ſanguinis copioſam evacuationem, quæ fit cruribus ſcarificatis, eo modo, quem nos in libris de Medicina Ægyptiorum alias docuimus. Non pauci ſunt qui ſanguiſugis hæmorrhoidibus appoſitis ſanguinem evacuant; poſt haſce communes ſanguinis vacuationes, ita magnitudine morbi ſuadente, exiſtenteque virium robore, aliæ ad capitis partes (capite prius raſo) particulares ſanguinis evacuationes cum ab antiquis tum à recentioribus Medicis commendantur, ut capitis partes tumentes magis laxentur. Unde hirudines ſæpius ad venas retro aures poſitas adhibent, idque ſemel vel bis in die, modicum ſanguinis evacuando; ſumma cum utilitate ſecta vena frontis ſanguis mittitur. Aurelianus capiti quatuor cucurbitulas cum modica flamma adhibendas cenſuit, à quibus ſi pars erubuerit, erit leviter ſcarificanda, modiceque ſanguis detrahendus. Quas etiam adhibebat cum ſcarificatione (morbo indicante majus laxamentum) præcordiis, pubi, coxendicibus, atque aliis ex infernis partibus; verum in tempore, quo ſint adhibendæ, deceptus eſt, qui poſtea & non in principio adhibendas conſulverit, cum

C. Aurel. l. 1. acut. c. 10.

principio ad revellendum hujuſmodi præſidia hæ uſui veniant, & poſtea, quæ à parte affecta evacuant; his præmiſis evacuationibus, capiti apponendæ ſunt ſpongiæ ex aqua calida expreſſæ, & aliquando ex oleo dulci calido, quo partes fovendæ erunt; frictiones ad totum corpus cum inunctione conveniunt, adſtrictum enim corpus laxant. At perſeverante phrenetico affectu, ſi fieri poteſt, utendum erit ſtillicidio bis in die ex aqua dulci temperata ſpacio unius horæ. Oxyrrhodina temperata, actu calida capiti appoſita ex oleo dulci & modico aceti ad penetrationem juvant; ſed actu frigida improbantur, cum adſtrictum augeant, digeſtionemque humoris impediant, flammeumque calorem intus cohibeant, augeantque non injuria affectionem adſtrictam. Dogmatici plura medicamenta adhibebunt ex herbarum ſuccis, & aquis, cujuſmodi eſt aizoi, polygoni, portulacæ, nympheæ, lactucæ & ſimilium, oleiſque & unguentis poteſtate frigidis, quæ non ſine errore actu frigida nonnulli adhibere ſolent; ſi actu calida adhibeantur, minus malum eſt, ſed uſus aſſiduus frigidarum facile phrenitim in lethargum, qui majus malum eſt, mutat. Quare præſtabit cum Methodicis Medicis uti laxantibus, ut humores ſtricturam facientes exhalent, digeranturque. Itaque (uti dictum eſt) ſtillicidium ad ſuturam coronalem ex dulci aqua modice calida utiliſſimum erit; quoſdam vidimus ſolo hoc præſidio prudentes evaſiſſe; fomenta quoque ex aqua, in qua malva, althæa, fœnugræcum & ſimilia ebullierint, ſpongia excepta & adhibita moderate calida, erunt utilia, item ex oleo dulci amygdalino calido appoſita. Juvabunt ovium, vel caſtratorum pulmones ſtatim ex animali extracti, & calidi capiti impoſiti, item pulli gallinacei medio diſſecti, omniumque maxime columbi eodem modo capiti adhibiti; etenim calor illorum animalium plurimum facit ad humorem intra capitis membranas adſtrictum digerendum, atque ad eas partes adſtrictas laxandas; longe plura medicamenta ſcio ab aliis inventa, ſed hæc à nobis propoſita, tuto phreniticos qui ſanari queunt, priſtinæ valetudini reſtituere, apta erunt.

CAP.

CAPUT. VI.

De medicamentis ad alias phlegmonas cerebri, ſed præſertim ad eam quam Ægyptii Dem el muia appellant.

CErebrum phlegmone vexatum ſæpe, ut aliqui veterum Medicorum cognoverunt ita intumeſcit, ut capitis ſuturæ diſtendantur, dolorque eos vexat maximus, diuturnus, angor, rubor multus in facie, cum tumore molli, oculi fiunt emiſſitii, atque caput inturgeſcit. Quandoque etiam cerebrum eryſipelate vexari deprehenſum eſt, in iis caput univerſum dolore vexatur, adeo ut flammis uri videntur, os ſiccefcit, valde ſitiunt, facies tamen ſubpallida atque frigida eſt. Ad hos omnes præmiſſo clyſtere mollitorio, ex oleo violato, ſaccharo, vel melle roſaceo, & ex decocto malvarum, violarum, mercurialiſque parato, ſanguis mittendus erit primo ex vena, modo plenitudo adſit, vel ex cephalica, & poſtea ſecta vena frontis, utile erit etiam adimere ſanguinem cucurbitulis cum ſcarificatione capitis partibus adhibitis, collo & ſpatulis; ſimili modo non ſpernenda erit ſanguinis evacuatio ſanguiſugis appoſitis hæmorrhoidibus. Quibus præmiſſis vacuationibus, omnia tentanda erunt capitalia medicamenta, quæ ad phrenitim à nobis in altero capite præſcripta fuerunt. Huic phlegmoni capitis ſimilis videtur eſſe morbus, qui ſingulis fere annis Ægypti populos campſinis ventis ſpirantibus in prima æſtate divexat, aliquando non minorem ſtragem faciens, quam ſi magna peſtilentia eſſet, hoc enim affectu, quem Dem el muia Ægyptii appellant, innumeri repente eodem tempore moriuntur, Noſque ipſum in magna Cayri civitate epidemice anno 1583. Menſe Majo, graſſantem obſervavimus, innumeri tunc temporis per univerſam civitatem quaſi repentina morte moricbantur. In iis præcedit capitis dolor cum vigilia per aliquot dies ante non admodum gravis & poſtea in altero angulorum oculorum interno exilis quidam tumor rubens efflorefcens apparet, quaſi exinde eryſipelas ſit futurum, qui tumor paulo-

Paul. in l. 3. cap. 7.

poſt, ſpacio quippe duarum aut trium horarum ad plus intro recurrit, atque evaneſcit: à quo fere continuo homines obmuteſcunt, atque manibus delira facientes apoplecticorum modo extinguuntur. Hoc genus morbi excitari ab humore præ inſigni putredine quaſi veneno exitialiſſimo reddito, apud omnes Medicos Ægyptios conſtat. Hujuſmodi vero excellens putredo ab aëris (permultos dies ventis ex meridie ſumme calidis, quos campſinos vocant, ſpirantibus) immodico æſtu fit, atque etiam, quia humores in Ægyptiorum corporibus exuperantes (ob ipſorum pravam victus rationem) magnam ad vehementer putreſcendum aptitudinem habentes, ex aëris illo æſtuoſo calore ſumme computreſcunt. Galenus quoque fatetur ab intenſa aëris caliditate tantam putredinem humores nanciſci poſſe, ut exinde peſtilentia fieri queat; quod vero ex ambientis æſtuoſo calore caput maxime incalefactum lædatur, quippe ob eam cauſam quaſi à calore attracti humores ex corpore univerſo in caput delati, exitialem phlegmonem faciunt, omnes Medici, antequam tumor in interno angulo oculorum conſpiciatur, ſtatim præmiſſo clyſtere laxatorio, ſecta vena dextri cubiti interna primum ſanguinem mittunt ad minus ad libram, & altera die altero brachio eandem vacuationem repetunt. In mulieribus, eunuchis atque pueris mittunt ſanguinem à ſcarificatis cruribus, utiliſſima quoque eſt poſtea repetita ſanguinis evacuatio adhibitis cucurbitulis cum ſcarificatione dorſo & ſpatulis: etiam ſecta vena cephalica, poſt ſectionem internæ, repetunt eductionem ſanguinis, ſi modo vires permittant; quibus præmiſſis evacuationibus balneum vaporarium ingreſſi ſudare eos jubent atque ex calida aqua lavari. Aliqui poſt ſanguinis evacuationem, in balneo devorato decocto ex dulci ligno liquiritiæ & modico ſeminum fœniculorum parato, vomere plurimum coguntur, per vomitumque expurgati per horam ſudant. Quæ præſidia ſtatim; incipiente dolore capitis, adhibita, plures à morbo præſervarunt.

In lib. 2. de diff. feb.

CAP.

CAPUT VII.

De medicamentis ad lethargicos.

LEthargum antiqui vocarunt ἀπὸ ταὶ λήθης, & ἀργῆς quasi iners oblivio, cum in ipso marcor & inexpugnabilis pene dormiendi necessitas deprehendatur. Methodici strictu-ram vocant vehementem: Dogmatici esse continuum soporem cum oblivione, amentia, atque cum febre assidua dixerunt; symptomaque idcirco esse facultatum animalium deprehenditur, namque (ut Galenus docuit) memoria, ratio, atque etiam imaginatio læditur infirmave redditur. Memoria vero plusquam aliæ animales facultates læditur in lethargicis. Quo cerebrum itidem lædi (dicant quicquid velint Methodici) cum animalium facultatum sit sedes, omnibus plane constabit; unde Dogmatici merito dicunt hunc affectum esse delirium itidem (ut de phrenitide dictum est) continuum, cum febre, sopore atque oblivione; lethargici omnium, veluti amentes, obliviscuntur, alto sopore tenentur, eosque concomitatur febris lenta assidua, non impense actis. Pulsus in ipsis magni, rarique sunt & undosi, respiratio nimis rara & imbecillis; somno perpetuo premuntur, à quo ægre possunt excitari, & quocunque modo excitentur, vix respondent, oblivioso, mente capti, oscitante crebro & hiante ore aliquando persistunt, tanquam claudere id obliti, dejiciunt per alvum complures liquidiora, nonnullis contra venter inarescit; urinam reddunt jumentorum lotio similem; ex ipsis quidam tremiscunt, & undiquaque desudant. De lethargicorum symptomatibus, quæ tum affectum concomitantur, tum quæ postea sequuntur, Hippocrates in Coacis præsagiis ita scripsit: *lethargici manibus intremiscentes, somniculosi, male colorati, subtumidi, pulsu segni, quæ sunt sub oculis inflatis & sudores superveniunt, & alvi tument biliosis & meris; sin obaridas habuerint urina & alvi excrementa exeunt præter voluntatem, urina veluti jumentorum est, potum non expetunt, neque aliud quicquam; postquam respuerint, collum doloro sum se habere dicunt & sonitus per aures transire.* In

C. Aurel. 2. acut. c. 1. Gal. in 3. de loc. affect. c. 5. & lib. de diff. sympt. c. 3.

Paul. lib. 3. cap. 9.

In l. 4. com. 1. tex. 26. & 27.

quo affectu perpetuo somniculosi sunt, oblivioſi, male colorati, subtumidi, neque potum neque quicquam expetentes; his supervenit aliquando sudor & aliquando alia excretio. Archigenes & Possidonius vitio earum partium, quæ in hypochondriis sunt, fieri voluerunt. Aurelianus voluit in hoc affectu totum corpus esse affectum, sed principaliter caput; nulli dubium est, fieri verum lethargum læso capite, primario affectu ex pituitoso humore cerebrum, ejusque membranas obsidente: aut à pituita etiam inibi putrescente. Non raro in febribus pituitosis circa accessiones fieri observamus hunc affectum à vaporibus ex infernis partibus in caput sublatis; at hic non est assiduus affectus, sed per accessiones potius fiunt somniculosi & oblivioſi. Methodici affectum idcirco esse adstrictum exinde dixerunt, quod nimirum cerebri membranæ in tumore constitutæ sint, atque in viarum densitate constrictæ. Affectus plærumque lethalis est. Galenus ait, esse hunc morbum longe lethaliorem peripneumonia, quæ phrenitidi supervenit, & omnium maxime judicatur lethalis, quod nimirum fiat refrigerato propter innati caloris resolutionem cerebro; lethalis etiam esse solet hic affectus, qui vel sudore superveniente, vel alvo plura excernente, vel aliqua alia excretione apparente, non minuitur; sed his præmissis ad curationem instituendam nunc descendimus, in qua illud primum attenditur, ut lethargici, in loco lucido, calido, reponantur, victusque itidem tenuis actu calidus atque humidus instituatur, à vino abstineant (quod non nisi virium manutenendarum causa, oligophorum seu pauciferum, vel aqua dilutum concedetur) hujus loco aqua cum modico cinnamomi decocta ipsis concedatur, vel aquosa carnium jura. Omni studio, si immoderatius somno premantur, erunt expergiscendi, primo clamoribus, mox aliqua dolorifica attrectatione; & cum hic affectus sit perinde ac phrenitis morbus adstrictus, ideo iisdem est opus medicamentis laxatoriis. Neque est, quod Methodicis aliqui objiciant, curam debere esse multum differentem ab ea quæ fit in phreneticis, cum in his omnes fere admiserint usum medicamentorum refrigerantium, & in lethargicis calefacientium. Dictum profecto est,

Aurel 2. acut. c. 6. Gal. 4. de cauſ. pulſuum. c. 13.

etiam

etiam in phrenetico affectu ſumme calido convenire balnea temperate calida, ex aqua dulci parata, nunquam frigida; ſtillicidia etiam aut ex eadem aqua, vel ex oleis, quæ licet poteſtate frigida ſint, tamen cum actu calida exhibeantur, potius modice calefacere quam refrigerare fateri oportebit, ſi verum eſt, quod Galenus ſæpius de aqua & de aliis medicamentis poteſtate frigidis memoriæ prodidit, quippe hæc ſi actu calida adhibeantur calefacere; neque credendum eſt hæc intra corpus recipere refrigerandi facultatem, cum calor partium læſarum & nativus, & externus ſcilicet inflammatorius, vel febrilis nunquam permittat medicamentum refrigeſcere. Quod Medici praxim exercentes quotidie obſervant in uſu medicamentorum refrigerantium ad calidos morbos exterius adhibendorum, quandoquidem cum emplaſtra, tum epithemata, actu frigida partibus adhibita, jubent ſæpius mutari, quoniam quæ diu adhærent, incalefiunt, atque idcirco deinceps etiam incalefaciunt, itaque multo magis Dogmatici concedent in lethargo uſum habere calida medicamenta, cum ſumme calidorum uſum omnes Dogmatici etiam admittant, & in medendo affectent. Mirum itaque haud erit, ſi etiam ad lethargum opus ſit medicamentis laxatoriis, quo magnitudine paſſionis ita indicante viriumque robore permittente, nimirum ubi vehemens ſit phlegmone, adſitque febris etiam magna, omnes ſane & Dogmatici utuntur ſanguinis miſſione tanquam præſidio laxatorio magno, cucurbituliſque non minus cum ſcarificatione ad occiput, & ad dorſi, atque ad crurum partes, aliquando etiam capitis partibus ſanguiſugis appoſitis ſanguinem evacuant; venis & retro aures & fronti utiliter hirudines (ſi opus ſit copioſiori ſanguinis vacuatione) poterunt adhiberi. Clyſteres quoque, ſi alvus adſtricta ſit, laxatorii utiles erunt, cum ſimplices (ſcilicet ex oleo, melle, & decocto malvarum, mercurialis, betæ, furfurum) tum compoſiti purgatorii, cujuſmodi erunt, qui parabuntur, accipiendo (exempli gratia decocti malvarum, mercurialis, betæ, centaurii minoris libram, mellis ſimplicis, vel roſati, atque olei communis ſingulorum uncias tres, electuarii leniviti unciam, & diaphæniconis drachmas tres; uſu veniunt

In 1. 1. ſimpl.

Gal. in lib. 11. meth. cap. 31.

etiam

etiam caputpurgia, ſcilicet errhina, apophlegmatiſmata, ni-
Inl. 3. c. 9. mirum ad pituitam ex capite purgandam; unde Paulus dicebat: os ungi oportere, & palatum ex detrito ſinapi cum mellis momento, conarique oportere pituitam indidem affixam digitis ejicere; ad idem etiam apophlegmatiſmi uſus erit opportunus ex oxymellite cum hyſſopo, aut pulegio, aut origano, aut cum ipſo quoque ſinapi paratus. Neque Aurelianus hæc quod vehementer calida acria ſint ullo pacto reprehendere debuerat, cum ipſa ut laxantia purgatoria & ut metaſyncritica conveniant. At quid? an non uſus vehementer calidorum lethargicis, ut omnes Dogmatici medendo obſervant, utilis eſſe deprehenditur? Siquidem ex oleo diſſolutum caſtoreum, ſinapi, origanum, pulegium, peucedanum & ſimilia maxime accomodata huic affectui fere ab omnibus cognita ſunt. Dogmaticis quidem, quoniam indicentur ab humoris phlegmonem facientis frigiditate, atque craſſitie; ſi fortis fuerit inflammatio, atque cum ea febris quoque vehemens neque in via etiam Dogmaticorum ea medicamenta acria (quod & inflammationem & febrem augere queant) utilia eſſe poterunt, at ex oleo miſta, remiſſa ipſorum caliditate ad laxantium naturam accedent, atque idcirco hæc laxantia convenient, deraſo capiti adhibita, atque etiam naribus objecta. Aurelianus vero damnavit uſum odoratorum, & maxime fætentium, quod repleant caput ſtricturamque augeant. At hæc ex modico aceto mixta naribus admoveri poſſunt, quod humorem in capite adſtrictum extenuando, digerendoque capitis adſtrictas & denſatas vias laxent, laxatoriorumque idcirco genere & ipſa comprehendi oportere nos alias oſtendimus. Oxyrrhodinorum vero uſum, quem in iſtius morbi principio, omnes fere ſectæ dogmaticæ ſequuntur, merito à Methodicis non minus in lethargo quam in phrenitide etiam damnantur, ſiquidem cum ſint adſtringentia vel frigida, à capitis cute ad affectas partes humores & vapores impingunt, quo nos alias animadvertimus nunquam in partibus nobilibus, in viſceribuſve proximis eſſe utendum repellentibus medicamentis. Demum ad univerſum corpus lenes frictiones, & inunctiones ad ipſum ſane corpus laxandum utiles erunt, ad rarefaci-

ciendoſque meatus cutis, per quos humoribus exhalantibus, minus ipſorum copiæ ad cerebrum efferatur; atque hæc ſint dicta de lethargo; cum vero ſepius phlegmonæ aurium internas partes haud cum parvo periculo divexant, de medicamentis ad eas perſanandas quoque à nobis in præſentia eſt agendum.

CAPUT. VIII.

De medicamentis ad internas aurium phlegmonas.

AUrium partes internas (ſcilicet in meatu auditorio nervum non ex longo ſpacio cerebro copulatum, atque tenuem cartilaginem) ſæpe cum ingenti dolore atque febre vexari ſæpiſſime deprehendimus, & non abſque multo ægrotantium vitæ diſcrimine; ita, ut plures & deliri evadant, & convulſi moriantur; ſigna harum phlegmonum ſunt, dolor acutus pulſatorius, & inſignis, ut ab eo ægroti moleſtiſſime agantur, & in periculum phrenitidis, atque ſpaſmi ſæpius provehantur, hunc dolorem concomitatur febris aſſidua, dolorque eſt firmus, fixus in parte, acutus, atque non ſine pulſu; quod ſi malum augeatur, delirium quoque cerebri vicinitate phreneticum fit, convulſioneſque malo ad exitium venientè etiam apparent. Hunc morbum fieri ab humore acuto bilioſo, nervum atque membranam in aurium cavitate poſitam inflammante; unde merito adſtrictus morbus eſt, unde ad hujus curationem laxantibus præſidiis erit opus. Sanatio vero eſt difficilis & morbus lethalis, niſi humor in aure ſuppuretur. In omnibus ſane qui evadunt, ſolet pus copioſum per aurem inflammatam excerni, quod ni obſervetur, periculum in malo augetur. Quod Hippocrates in prognoſticis ita expreſſit: *Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi difficilis eſt, periculum enim delirii abolitioniſque immminet. Natu minores ſeptimo die aut citius ab hoc morbo interimuntur, natu vero majores tardius. Febris enim ac delirium minus eos infeſtant & aures in eis antea ſuppurantur.* Quare ſi pus excernitur album in die critico, & ægroti allevantur, ſalutiſque ſpes concipitur futuræ. Ne vero dolor delirium atque febrem faciat, medicamentis continuo

In lib. 3. tex. 13.

Tex. 14.

erit occurrendum; primum itaque, ni alvus laxa erit, clyſter laxatorius erit injiciendus, ſcilicet ex oleo, melle & decocto laxatorio communi (ſcilicet ex malva, althæa, mercuriali, fœnugræco & ſimilibus) parato: quo excreto, ſecanda erit vena virium robore permittente vel interna, vel cephalica, vel utraque in brachio ad aurem dolentem directe poſito, mittenduſque erit ſanguis, ut affectus magnitudo expoſcere videbitur, atque virium robur permittet. In pueris primum ſcarificatis cruribus Ægyptiorum modo & poſtea adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis ſanguis mittendus erit; ſi malum perſeveraverit, poterunt etiam hirudines venis poſt aures poſitis adhiberi, ſed præſertim poſt aurem inflammatam; hæc quidem ſanguinis evacuatio plurimum juvabit. Qua præmiſſa ſanguinis evacuatione ad topica medicamenta erit deveniendum. Unde juvabunt inunctiones ad omnes auris dolentis extimas partes, ex oleo amygdalino dulci, recenti, vel ex chamomelino, vel ex communi dulci tepido, vel lilino, vel ex eo, in quo althæa aut fœnugræcum, aut melilotus, aut ſemen lini ebullierit, calido auris fovebitur, & intra meatum auditorium idem calidum injicietur, vel hydræleo calido, vel butyro liquefacto, vel mulſa partes circum aurem dolentem illinentur, vel ſpongia iiſdem oleis calidis imbuta & expreſſa utiliter totius auris externæ regioni adhibebitur; fomenta etiam ex decocto althææ, malvarum, fœnugræci, lini, cymarum ebuli erunt accommodatiſſima: poſteaquam vero pus effluxerit, hydromel erit calidum injiciendum, diuque continuandum (ut pus effluat) quoad omnis morbi cauſa erit ſublata; haud erunt in principio negligendæ frictiones deorſum verſus in brachiis, dorſo & cruribus factæ, & poſtea ad univerſum corpus eædem fient, cum inunctione calida ex oleo amygdalino dulci, ut corpus totum diffletur, fulignoſique humores per poros cutis exhalent. Hac enim impedita evacuatione, humores tenues fuliginoſi intus clauſi, neceſſario in caput deferuntur, malumque augebunt.

CAP.

CAPUT IX.

De uvulæ, & glandularum juxta linguam poſitarum phlegmone curanda.

ORis partem, quæ gurgulio & uvula & columella dicitur, ſæpius inflammari & vehementer quidem inflammari, non eſt Medicus, qui non obſervaverit, non minus etiam eas glandulas, quas Græci antiadas & Latini tonſillas vocarunt, phlegmone frequenter ob ipſorum calidam humidamque naturam vexari, omnibus itidem notum eſſe non ignoramus. In qua nonnunquam tunica, nonnunquam ſubjecti muſculi patiuntur. Uvæ vero ſeu columellæ phlegmone, ſi quis aperto ore linguam comprimat, ſtatim aperte ex tumore, rubore, dolore, deglutiendique difficultate, cuique innoteſcet. Antiadarum vero phlegmonen iis ſignis deprehendemus: ſcilicet, rubore itidem, tumoreque exterius apparente, ſeu duritie juxta ipſas cum dolore, quæ aperte innoteſcet, ſi digitis pars comprimatur, adeſt quin etiam tranſglutiendi difficultas, & ſi malum ad gutturis partes proprius acceſſerit, etiam reſpirandi difficultas; hanc inflammationem effatu dignam ſequitur febris, quæ inflammata uva non apparet, vel levis quidem. Uterque affectus cum morbus adſtrictus ſit, laxatoriis utendum erit; dico utendum eſſe laxatoriis ubi affectus perfectus ſit, quo tempore humor majori ex parte ad partem inflammatam defluxit. In principio vero, quo tempore humor fluit, non laxatoriis (quod nondum factus ſit morbus adſtrictus) ſed adſtrictoriis erit opus. Quamobrem tali tempore convenient per os gargariſmata adſtringentia, ut fluxionem prohibeant, ſeu repellant; hujuſmodi autem medicamenta erunt, aquæ ſtillatitiæ roſarum, plantaginis, lenticulæ paluſtris, polygoni, rubi, & ſimilium, vel decocta in aqua parata ex prædictis herbis, cui decocto poterit permiſceri ſyrupus aliquis adſtrictoriæ facultatis, cujuſmodi erit, qui ex ſucco mororum paratur, ex roſis ſiccis, ex granatis, atque ex myrto; aqua itaque conveniet pro gargariſmate hujuſmodi, quæ (exempli gratia) accipiet, aquæ plantaginis libram, ſyrupi è ſucco mororum (diamorronis vocati)

uncias duas, ac poſt principium erunt neceſſaria gargariſmata laxatoria, quæ erunt ex decocto malvarum, violarum, althææ, fœnugræci, caricarum pinguium, hordei, cum ſyrupis vel de glyziriza, vel violato, vel hydromele, vel ſimilibus; exterius vero convenient inunctiones calidæ ex oleis dulcibus laxatoriis, cujuſmodi eſt commune dulciſſimum, amygdalinum itidem dulce, lilinum, irinum, & ex radice cucumeris ſylveſtris, vel althææ paratum; fomenta itidem ex decocto althææ, meliloti, fœnugræci ſeminis lini, ſpongia excepto & calidè gulæ & extimis partibus appoſito, hæc vero ſingula prædicta medicamenta non prius admovebuntur, quam præmiſſo clyſtere mollitorio, fuerit (ita requirente phlegmones magnitudine) ſanguis evacuatus primo, aut ſecta vena interna dextri cubiti, aut ſcarificatis cruribus, & mox ſectis venis ſub lingua poſitis, ſcilicet morbo adhuc minime cedente. Principio convenient frictiones extremorum ad humorem revellendum, balnea ad pedes calida, in quibus bis in die ante cibum pedes immerguntur, quoadque plurimum rubeſcant, detineantur. Demum lenes frictiones fient, ex oleo calido dulci, ad omnes corporis partes, ut fuliginoſorum excrementorum evacuatio per poros cutis adjuvetur. Victus iis congruet tenuis, boni ſucci, modicus (cum plenus, & craſſus tumentiam in corpore augeat) à vino etiam abſtinebunt, cujus loco bibent ægroti, aquam hordei cum ſaccharo, vel mulſam dilutiorem.

CAPUT X.

De medicamentis ad gutturis phlegmonem, quam anginam vocant.

PHlegmonem gutturis fauciumque muſculorum cum externorum tum internorum Græci ſynanchen, à ſuffocatione, quam inducit, appellarunt, Latini vero anginam; juxta vero varias faucium, gutturiſque læſas partes, variis nominibus Græci hunc affectum nominarunt; ſiquidem inflammatis gutturis muſculis internis, σκυνάγχην & externis παρασκυναγχην dixerunt; & faucium muſculis itidem internis affectis συναγχην, &

& παράσυνάγχην externis. Compluribus cynanchen, à canibus, lycanthen à lupis, atque à ſuibus (qui & ipſi hoc malo vexari ſoleant) chyanchen, hunc affectum vocatum fuiſſe, viſum eſt; cum vero angina omnis, (ea excepta, quæ cervicis vertebris (auctore Galeno) intro verſis luxatiſque, atque gutturis, fauciumque muſculis vehementer ſiccatis fit) gutturis aut faucium muſculis inflammatis oboriatur, neceſſario in ipſa hæc ſigna elucebunt; ſcilicet omnibus anginoſis cum ſpirandi, tum deglutiendi difficultas aderit, reſpirandi difficultas major obſervabitur, gutturis muſculis plus phlegmone vexatis, & deglutiendi major erit itidem difficultas gulæ muſculis plus laborantibus. Primo itaque ab hoc affectu homines in ſpirandi & deglutiendi difficultatem incidunt, cum gutturis vel faucium dolore atque febre; verumenimvero ſynanche abſque dolore quoque non raro fit à defluxu humoris pituitoſi; in quam cauſam Aſclepiades hunc affectum retuliſſe (cum ipſe anginam rheumatiſmum eſſe voluerit) viſus fuit. In omnibus fit deglutiendi difficultas, maxima in gula inflammata, & minor (uti dictum quoque eſt) ſi guttur phlegmone vexetur quo fortaſſe non injuria Soranus definiendo hunc affectum, dixit: *eſſe difficultatem tranſvorandi cum acuta præfocatione, atque febre.* Dividunt aliqui hane phlegmonen, in occultam, atque in apparentem: In hac depreſſa lingua apparet, tumor, & rubor, vel circa externas gutturis partes, in collo, ſub mento, vel in cervice, aut in pectore, atque hæc minoris eſt periculi. In occulta nuſquam exterius, neque in oris partibus, neque in collo vel in alia parte tumor, & inflammatio conſpicitur, atque hæc eſt ſumme exitialis. Alii triplicem faciunt, primam in faucibus, quæ non eſt periculoſa, in qua lingua depreſſa tumor apparet magnus, rubens in faucibus iſtique difficulter deglutiunt, difficulter reſpirant, atque difficulter itidem loquuntur; abſque febre, ni vehemens fuerit inflammatio. Altera in gula fit, quæ eſt periculoſa, ni cito præſidia adhibeantur, in eaque tumor in gula, & in collo obſervatur, vix loquuntur & ſumma cum difficultate, ſi vehemens ſit, reſpirant, cervicem torquere nequeunt. Tertia in gutture, quæ

Gal. in 4. de loc. affec. c. 3. & 4. aphor. com. 34. & in 4. de vict. rat. acut. In 4. aph. com. 35. In 4. de loc. affec. cap. 5.

Gal. 4. aphoriſ. com. 34. Aurel. 3. acut. cap. 1.

vel ſummas ipſius partes occupat, vel internas, quippe tracheæ arteriæ muſculos, hæc verius ſynanche dicta eſt, quaſi ſuffocatio, quod in hoc affectu ſuffocatio ſit præcipua, veluti illius, quæ in gula eſt, tranſvorandi difficultas. In hac ipſa anginæ ſpecie ægrotantes ſuffocantur, reſpiratio idcirco difficillima eſt, unde recta cervice ſpirant, at ingraveſcente morbo ſupini jacent, cibus etiam liquidus guttur non pertranſit; per nares effluit, pulſus eſt parvus, extremaque frigida. Quorum aliqui ſpacio horarum viginti quatuor ſuffocantur, alii tertia die intereunt; hæc ſumme exitialis eſſe creditur; minori vero cum periculo eſt, ubi vel in faucibus vel in collo, rubor & tumor erumpit, perſeverat, atque augetur. Porro non perpetuo rubor atque tumor in faucibus, & in collo apparens ſalutem ſignificat, aliquando enim æque internas atque externas gutturis partes vehemens phlegmone occupat. Quo merito Hippoc. de anginoſa, quæ interiit, ait: *Tertio, rigor, febris acuta, tumor colli & pectoris ex utraque parte ſubruber, durus: extrema frigida & livida, ſpiritus ſublimis, potus per nares effluebat, devorare non valebat.* At exitialis non erit, ſi tumores externi, & perſtiterint, & plurimum aucti fuerint de qua Hippoc. ait: *Angina correpto ſi tumor appareat in collo, bonum, foras enim morbus exiſtit*; ſiquidem ex profundis & principalibus partibus morbos ad cutem transferri utile eſt. Ab hujuſmodi anginæ ſpecie anno à Virginis partu MDCV. nos fuimus magno cum vitæ diſcrimine vexati: in hac tumor ſub mento tertia die exiens, dein plurimum auctus, quoad morbum reſolvit, perſeverans, me ſervavit. Perpetuo ſumme exitialis eſt, ubi cum difficillima reſpiratione, deglutitioneque ægroti, nullum externum tumorem habeat; de qua Hippocrates dixit: *Angina graviſſima eſt, ac celerrime interimit, quæcunque nec in cervice, nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit.* Hunc morbum ſtrictūram (ex tumore aut faucium aut gutturis in muſculis adſtrictum faciente) Methodici fecerunt. Quem concitare ex cauſis procatarticis poſſe vomitum laborioſum, ebrietatem, vehementem exclamationem, nivis potationem, cibos acriores, violentam per elleborum album purgationem, & quæcunque alia quæ fluxionem,

In 3. epid. com. 2. tex. 4.

In 6. aphor. 37.

In 3. prog. tex. 16.

nem, & rheumatiſmum movere poſſunt, tradiderunt; quando angina omnis fiat ab humorum fluxu, aut calidorum tenuiumque venas vel etiam ſubtiles obſtruentium, aut craſſorum, ſcilicet pituitoſorum, atque melancholicorum, quarum fluxio ſolet fauces atque ſpacia ampla occupare. In hoc morbo, qualiſcunque ſit, opportuna erunt præſidia omnia laxantia, inter quæ primum locum habebit phlebotomia; primum enim præmiſſo clyſtere laxatorio, ſecta vena interna cubiti, ſanguis copioſior, permittente virium robore, evacuabitur. Qua facta ſanguinis vacuatione, eaque corpore laxato, ni morbus ceſſarit, Hippocrates conſulit, ut ſectis venis duabus ſub lingua poſitis, miſſio ſanguinis repetatur; in me eo morbo vexato primum ſecui venam internam dextri cubiti, ex eaque ſanguinis libram detraxi, & mox cucurbitulis ſex adhibitis ſpatulis atque lumbis cum ſcarificatione iterum ſanguis detractus eſt, qua evacuatione minime diminuta phlegmone, demum ſectis venis ſub lingua poſitis ambabus ſanguis etiam ad libram fere eductus eſt, quo præſidio morbus ita diminutus eſt, ut in ſecurum ſtatum ſalutis fuerim (Deo optimo maximo laudato) reſtitutus. Aurelianus, ſi vehemens paſſio ſit, cito ob celerrimum laxamentum, phlebotomiam fieri voluit, laudavit non minus cucurbitulas collo, gutturi, atque cervici cum ſcarificatione adhibitas; non minus etiam utilem eſſe voluit, ſcarificationem linguæ, faucium, atque palati, quoniam, ut ille ait, locali ſanguinis detractione tumentia relaxantur; ex quo non recte ipſum venarum ſub lingua poſitarum ſectionem tantopere ab Hippocrate commendatam damnaviſſe nobis liquido conſtabit; incipiente ſtatim phlegmone, ſeu (rectius ut dicam) fluxione ad faucium vel ad gutturis partes, adſtringentium, repellentiumque uſu erit opus; unde gargariſmata ex aquis adſtringentibus, vel decoctis ex medicamentis adſtrictoriis paratis, erunt utiliſſima, utpote, quod partes roborent, quo minus humoris fluxum recipiant, ab iiſque partibus affectis ipſum humorem repellant. Quæ ex medicamentis adſtringant, alias abunde oſtendimus (exempli gratia) hujuſmodi gargariſma erit opportunum, quod recipiet aquæ plantaginis vel polygoni, vel ſo-

In 3. acut. c. 3.

ſolani, vel portulacæ, vel roſarum, aut ſimilium libram; ſyrupi diamoronis uncias duas; vel quod accipit decocti foliorum plantaginis, portulacæ, cymarum rubi libram, ſyrupi myrtini, de roſis ſiccis ſingulorum unciam, aut ſacchari roſati unciam & ſemis. Itaque fluxione incipiente, quo tempore nondum eſt perfecta phlegmone, adſtringentium uſus erit ad internas faucium gutturiſque partes convenientiſſimus; vel decocta ſint, vel aquæ ſtillatitiæ, vel ſucci ex medicamentis adſtringentibus expreſſi: cujuſmodi erunt, plantago, roſa damaſcena, polygonon, rubus, equiſetum, myrti cum folia tum fructus; cichoreum, ſolanum, aizoon, balauſtium, hypociſtis, acacia & ſimilia. Sed dices quamobrem in phlegmone, quæ morbus eſt adſtrictus, uſus adſtringentium erit utilis? Nos alias ex Methodicorum placitis utile eſſe oſtendimus, ut in phlegmonum principiis adſtringentia, minimeque laxantia conveniant, eaque præſertim ratione, quod in principio, ſcilicet fluente humore, nondum facta ſit phlegmone, quæ eſt morbus adſtrictus, at in perfecta phlegmone premiſſa ſanguinis vacuatione laxantia ſolummodo convenient cum interius tum exterius. In principio vero per interius gargariſmata mediocriter adſtringentia, repellentiaque utilem uſum habebunt. Non tamen per exterius adhibenda erunt adſtringentia, quod cum magno errore nonnulli hujus temporis Medici facere obſervantur, quinimo perpetuo in externis partibus laxantia convenient; adſtringentia enim humorem compellendo intus internam phlegmonen adaugebunt. Unde gargariſmata convenient ex decocto hordei, althææ, fœnugræci, lini, paſſularum & ſimilium cum ſaccharo candido, vel ſyrupo de liquiritia, vel melle roſaceo ſimplicis infuſionis; prædicta autem medicamenta in aqua parum ebullient, ut decoctum viſcidum non reddatur, tepidumque adhibeatur. Aurelianus parabat hoc decoctum ex mulſo, quo pro gargariſmate utebatur. Exterius gulæ partibus convenient calidæ inunctiones ex dulci oleo, cujuſmodi eſt amygdalinum recens, irinum, lilinum; colloque & gutturi ſpongia vel ex aqua calida & oleo dulci, vel ex decocto althææ, ſeminum lini, fœnugræci & ſimilium, fomenti modo adhi-

be-

bebuntur: in principio plurimum adjumenti erunt pedum lotiones ex aqua calida, quoad pedes rubeſcant, frictioneſque partium extremarum; ac poſt principium præmiſſa vacuatione ſanguinis ad totum corpus leves frictiones, & inunctiones calidæ ad univerſum corporis habitum laxandum convenient; clyſteres item laxativi utiles erunt ex decoctis herbarum laxatoriarum (cujuſmodi eſt malva, althæa, mercurialis, fœnugræcum, & linum, & beta) & ex oleo dulci, atque melle, vel ex ſaccharo, aut melle roſaceo parati. Victus tenuis, liquidus, temperate calidus, atque humidus conveniet; à vino abſtinendum omnino, cujus loco aqua hordeata cum ſaccharo erit accommodata.

CAPUT. XI.

De medicamentis ad phlegmonen membranæ coſtas ſuccingentis.

PLeuritim affectum veteres dixerunt, à loco affecto, qui eſt membrana coſtas ſuccingens, pleura Græcis dicta: Hippocrates morbum lateralem vocavit, quod latera vexet; nam ea membrana præcipue in hoc affectu patitur; licet etiam in coſtarum muſculis internis hæc paſſio aliquando fiat, & aliquando in externis; ſed hic affectus exquiſita pleuritis non eſt, at ſpuria & notha vocata; ſola enim membrana hæc ipſa patiente fit hic affectus. Veteres variis modis hunc affectum definierunt, plærique vero dixerunt, eſſe dolorem vehementem interiorum lateris partium, cum febre acuta, atque tuſſi, cum qua variæ qualitatis humor excluditur. Innoteſcit hæc ægritudo primo ex dolore oborto in altero thoracis latere, vel in utroque, aliquando uſque ad jugulum, vel ad ſpatulam perveniente, brachium (ut Aurelianus notavit) etiam attingente, vel inferius ad hypochondrium itidem perveniente, plærumque uni parti affixo, aut non ſtabili, in exquiſita pleuritide punctorio, & in ſpuria tenſivo: tuſſis quoque una adeſt, & difficultas reſpirandi, cum ſputorum excretione; ſputa vero aliquando cruen-

ta, aliquando flava, vel pallida, aliquando pituitosa & aliquando nigra vel æruginosa apparent. Quæ plærumque quarta die conspici solent, & aliquando tardius, cum his omnibus adest febris acuta, continua, quæ solet alternis diebus accessionem habere. Pulsus durus, inæqualis suo percussu pressuram notans, in hoc morbo percipitur. Duplex est hic affectus, exquisitus, qui sectarum omnium consensu Medicorum fit à phlegmone membranam costas subcingentem internam invadente, à sanguine tenui bilioso facta: & non exquisitus, ubi à crudis, crassisque humoribus, non membranam (quando hi præ crassitie ipsam ob venarum angustiam inflammare nequeant) sed musculos intercostales internos, vel externos afficientibus, in ipsisque strictura seu adstrictum affectum inducentibus. In hoc affectu dolor tensivus est, non ita acutus, neque febris ita acuta existit, ut in exquisita observatur, in qua dolor (ut etiam dictum est) punctorius, & vehemens percipitur; febrisque itidem acuta. Mirum est, quod Aurelianus & alii diarrhœam tanquam symptoma pleuriticorum meminerint, ex quo ipse putat, quandoque hunc morbum à fluxu fieri potuisse, & hoc non sine errore, cum pleuritis omnis sit morbus adstrictus; de quo symptomate alii quidem vel etiam ex Dogmaticis non meminerunt; solet hic morbus grassari in vere, vigente aquilonia constitutione, atque non raro oboritur à potu aquæ gelidæ post exercitium, nec non etiam à vini potu, si posteaquam corpus præ exercitio plurimum incaluerit, ebibatur. Hunc affectum persanandum speramus, si dolor mitis, febrisque atque tussis non admodum vehemens sit, & quod expuitur, cito prompteque sine dolore excludatur, quod quidem aut cruentum est, aut flavum & (ut Hipocrates expressit) excretioni admodum permixtum; aut denique concoctum, scilicet album, leve, æquale: quandoque septima die, plærumque decima quarta humor phlegmonen faciens coquitur, atque expuitur per tussim; aliquando vero diem vigesimam etiam attingit. Nisi vero intra hoc tempus humor expurgetur, aut suffocat, aut in pus versum empyema facit. Unde quo citius sputum apparet, eo morbum breviorem præsagit.

Hippoc. 5. aph. 8.

git. Galenus ait: ſi circa initia ſtatim in morbo laterali ſputum appareat, morbum breviat: ſi vero poſtea appareat, ipſum producit; primum in pleuriticis humor tenuis tuſſi excernitur, mox craſſior, tandemque concoctus, qui ſi die tertia, aut quarta excerni incipiat, morbus ultra diem ſeptimam non perdurabit; ſi critica ſanguinis excretio apparuerit, & copioſa, vel alvi dejectio, vel per urinam craſſum ſedimentum copioſum exierit, ſalutem præſagit; aliquando enim ſputa ſuppreſſa Medicos fallunt, qui exitium exinde futurum timent, cum tamen ſæpius humore per urinam plurimo excreto, plures ſerventur. Baſſiani in Ædc Hermetis Forcaturæ juvenis plutritica cum peſſimis ſputis omnino ſuppreſſis, quo pulſus intermittens fuit, materia per urinam die quinta excreta, evaſit. Contra pleuritim vehementem, atque ſævam judicabimus, in qua oppoſita ſymptomata obſervabuntur, utpote ſi dolor vehemens fuerit, aſſiduus, vel utrumque latus tenens, aut alteri affixus, nullatenus remittens, neque medicamentis cedens: præterea ſi & febris acuta ſit, & vehemens, & tuſſis fiat admodum moleſta, ſicca, vel in qua cum magna difficultate expuant, ægroti: vel etiam ſi tarde ſputum appareat, pravumque ſit. Dictum eſt, quod pleuritici ni ſpacio quatuordecim dierum, vel ad plus viginti probe per tuſſim expurgentur, ipſos aut ſuffocatum iri aut in empyema malum verti. Siccæ pleuritides idcirco maxime damnantur, de quibus Hippocrates dicebat in epidemiis: *Multi infeſtabantur arida tuſſi, nihilque excreabant.* Hoc crudiſſimum morbum oſtendere, coctuque difficilem, atque fore diuturnum, vel lethalem decernit. Prava quoque ea pleuritis eſt, in qua aliquid excernitur, vel cum dolore, aut dolorem non levans, & cum magna quidem difficultate, omniumque maxime (quod ſuapte natura pravum eſt) cruentum, vel flavum, vel ſincerum excretioni non probe permixtum; vel album, craſſum, viſcidum, merum, pituitoſum; hoc enim ſputum in pleuritide ſolet eſſe lethale, quod nobis ſit indicio nihil humoris phlegmonen foventis expurgari, ſed totum intus cohiberi. Quæ ſputa nos abhinc plures annos vidimus in pleuritidibus, quæ peſtilenter graſſabantur, quæque omnes tertia

In 5. aphor. 12.

In 1. epid. com. 1. tex. 12.

Galen. in 2. de criſib. c. 10. & 1. aph. 10.

vel quarta vel ad plus ſeptima die ægrotos interimebant: peſſima ſunt, ſputa æruginoſa, nigra & livida, hæc cum malis ſignis, certum exitium portendere ſolent, hiſque etiam non minoris periculi videntur, verſicoloris atque varia. Denique non minus prava ſunt ſputa omnia, quæ nedum dolorem, tuſſim, febremque levant, ſive non diminuunt, at quinimo magis ſymptomata augent, atque febrem. Pleuritis aliquando tranſit in pulmoniam, Græcis peripneumoniam vocatam, quæ (auctore Hippocrate) affectus eſt periculoſior, quippe quod vires prælangueſcentes offendat. Indicia hujus affectus in pulmoniam tranſeuntis erunt, ſi ægrotis pejorantibus dolor miteſcet, & jacendi poſitio ex parte affecta reddatur facilior, aucta reſpirandi difficultate, atque aucto genarum rubore, pulſuque molliori reddito. In pleuritidis curatione, primum victus ratio præſcribenda eſt, quæ erit, ut ægroti in aëre lucido, calido maneant, ſupinique in lectulo molli decumbant, cibus ſit tenuis actu calidus & humidus; cujuſmodi eſt ptiſanæ cremor dilutus, cum tertia parte lactis è ſeminibus melonis expreſſi, atque modico ſacchari candidi: bis in die cibum aſſumant, nonnulli adjungunt luteum ovi ſorbillum cum ſaccharo. Ægyptii, & Arabes exhibent aut juſculum è furfuribus triticeis, aut hordeaceis cum ſaccharo, vel lac variorum ſeminum cum ſaccharo candido violaceo ex aqua hordeacea vel ex juſculo pulli expreſſum ægrotis ſufficere exiſtimant, at de his cibis in libris de Medicina Ægyptiorum nos ſatis egimus; pro potu aqua hordeacea non frigida cum ſaccharo, vel cum julep violato erit opportuna; ſed jam ad medicamenta, quibus hic affectus tollitur, deſcendere eſt opus; qui cum ex adſtrictis ſit morbis, merito laxantibus utendum erit. Non poſſum non magnopere Aurelianum admirari, qui viſus fuerit pleuritim & à fluxu fieri voluiſſe, eo fortaſſe argumento, quod huic morbo fluor ventris ſoleat aliquando complicari, cujus quidem ſymptomatis nulli veterum, recentiorumque Medicorum meminerunt; forte Aurelianus in Africæ locis, in quibus conſtat Medicinam feciſſe, ventris cum fluore morbum lateralem ferequentius graſſari (etſi hoc ſymptoma ex pathognomonicis non ſit) obſervavit; ſed

ad

ad rem redeo, & dico ſemper hunc morbum adſtrictum eſſe, nunquam à fluxu laxove fieri, licet ei alterum quoque morbum, qui ſit laxus, poſſe nonnunquam conjungi, negandum non ſit. Quo merito in hoc affectu laxantium uſus erit ad medendum opportunus; ſi verò lateralis morbus vehemens, magnuſque fuerit, majoribus quoque laxatoriis opus erit, inter quæ præcipuum locum habebit phlebotomia, quæ virium robore permittente, continuo morbo incipiente ex oppoſito latere atque jam incepto ex eodem, ſecta vena interna erit facienda, præmiſſo clyſtere laxatorio, vel medicamento leniter purgante, ut eſt caſſia cum ſaccharo ad unc. iß. vel ſeri lactis lib. iij. cum uncia caſſiæ, vel tribus mannæ electæ: quantitas ſanguinis detrahenda ex virium ſtatu conjicitur; à multis damnatur quæ fit ad animi deliquium, quod vires nimium reſolvat; etenim in thoracis partium phlegmone expugnanda, robur virium (auctore Galeno) maxime requiritur. In pueris ſat erit ſanguinem miſiſſe ex cruribus ſcarificatis, vel ex adhibitis ſpatulis atque dorſo cucurbitulis cum ſcarificatione. Hippoc. dolore petente, ſcilicet vel claviculam; vel mammam vel brachium attingente, ſanguinis vacuationem laudavit, & deorſum ad hypochondria eodem dolore vergente purgationem elleboro, aut peplio moliendam ſtatuit. Quod & Methodici, & complures etiam Dogmaticorum damnarunt, purgationique ſanguinis evacuationem merito plures prætulerunt; convenient tamen purgantia, vulgo lenientia vocata, ſcilicet poſt detractum ſanguinem, vel primo die antequam fiat phlebotomia; eadem ſuperius præſcripta convenient, ſcilicet, aut pulpæ caſſiæ Abiſſinæ uncia & ſemis cum ſaccharo, vel ejuſdem uncia cum ſeri lactis caprilli lib. ii. vel prædictum ſerum cum ſyrupi roſacei laxativi, vel mannæ electæ unciis tribus. Deſcendimus modo ad medicamenta cum interna tum externa ad hunc affectum tollendum accommodata. Et ab externis exordientes dicimus Hippocratem Methodicis maxime faviſſe viſum, cum is ſtatim lateri affecto fomenta adhibenda voluerit; ipſe enim in lib. 4. de vict. rat. in acutis ita habet: *Lateris dolorem ſive is per exordia fuerit, ſive poſtea obortus ſit, tentare calidis fomentis diſſolvere, non ab re exiſtit.*

Gal. 3. prorrh. com. 4. meth. c. 5.

In lib. 2. de vict. rat. in acutis tex. 11.

Tex. 1.

Tex 2. *ſtit.* Quæ fomenta etiam ita expreſſit, dicens: *Fomentorum calidorum probatiſſimum eſt aqua calida, vel in utre, vel in veſica, vel in vaſculo aut æneo, aut teſtaceo poſita*; & Galenus quoque in commento hujuſmodi medicamenta laudavit; *nempe* (ait) *fomenta calida cutim ipſam ad perſpirationes rariorem efficere, phlegmoneſque ſanguinem tum tenuare tum per halitum digerere conſueverunt.* Quæ ſi facta fuerint, non ſolum ſanguinis aliquid evacuabitur, verum quoque & affectæ, quæ minus diſtenduntur, partes mitius exinde & manſuetius dolebunt. Itaque medicamenta laxatoria exterius erunt adhibenda. Hippocrates etiam per initia nulla prægreſſa evacuatione hujuſmodi præſidia tentanda eſſe exiſtimavit. Conſultius vero & tutius præmiſſa ſanguinis vacuatione adhibebuntur. Ad hoc igitur aptiſſima erit aqua dulcis calida ſpongia excepta, & expreſſa, aut molli lana, aut veſica eadem ſemiplena adhibita, vel ex aqua dulci decoctum, fomentumque ex chamomelo, althæa, aut ex meliloto, aut ex ſeminibus fœnugræci, vel lini, vel ex horum multis vel ex ſimilibus aliis paratum; hydrelæum etiam eodem modo utiliſſime vel veſica exceptum vel ſpongia ad ponitur; inunctiones quoque juvant ex oleis dulcibus calidis, ſed præſertim ex amygdalino, chamomelino, liliaceo, & irino, & adipes quoque pingues & dulces, oſſium animalium humidorum medullæ, ut ovinæ, porcinæ non minus ſunt utiles, & ſimiles aliæ; ex his atque ex aliis parantur linimenta, ut (exempli gratia) accipiendo unguenti dialthææ unc. ij. & ipſum cum oleo amygdalino dulci recenti diſſolutum calidum dolenti lateri adhibent. Ad idem accipe mucaginis, althææ radicis in aqua decoctæ, ſeminum fœnugræci, lini, œſipi, ſingulorum ſemunciam, olei amygdal. dulcium recentis unciam. Miſce ut fiat linimentum, quo calido pars dolens perungatur. Non minus poſtea utilia erunt cerata ex iiſdem parata, ſcilicet ex oleo dulci, polline fœnugræci, aut althææ, aut tuſo meliloto, mixtis adipibus ſeu pinguedinibus. Aurelianus, quod antiqui diateſſarum vocabant, commendavit, nimirum, quod fit ex cera, reſina, terebinthina, iride illirica pulverizata atque pice. De internis vero medicamentis idem quoque erit faciendum,

dum, ſcilicet laxatoria per os erunt aſſumenda. Antiqui mulſum familiarius habebant, cujus quidem poterit exhiberi ſingulo mane ad quatuor uncias; dabitur etiam utiliſſime medicamentum (vulgo ſerapium dictum) quod exempli gratia ita parabitur. Accipe foliorum malvarum, althææ, violarum communium, an. p. ij. ſeminum hordei, fœnugræci, lini an. unc. i. radicis liquiritiæ raſæ, & contuſæ unciam; aquæ communis libram; bulliant quoad pars tertia abſumat: & percolatum decoctum iterum parum ebulliet cum mellis uncia; & dabitur bis in die calidum, mane, & veſperi ante cibum per horas quatuor, aut dabuntur prædicti decocti, ſcilicet abſque melle, unciæ quatuor, cum ſyrupi violati uncia, & ſyrupi de liquiritia ſemuncia. Antiqui familiarius dabant ſuccum ſem. fœnugræci cum melle quod poterit nunc dari cum ſaccharo candido. Aurelianus ad hunc ſuccum parandum, per duos dies ſemen fœnugræci in aqua ſimplici, quam aquam, priori affuſa atque nova addita ſæpius renovabat, coquebatque donec color vireſcebat, quem mixtum cum melle dabat. Recentiores ſumma cum utilitate ubi præſertim ſputum cum difficultate expuitur, vel retinetur, hydrelæum ex aqua ſimplici, & oleo amygdalino dulci recentiſſimo paratum, vel prædicti olei calidi cum ſaccharo uncias quatuor vel uſque ad ſex propinant. Alii non minori cum utilitate exhibent aquæ chamomeli uncias quatuor cum ſacchari optimi ſemuncia. Nos vero damus aquam ſtillatitiam paratam ex radicibus althææ, liquiritiæ, & ex ſeminibus fœnugræci, lini, hordei, in aqua chamomeli maceratis, cum ſaccharo. Ægyptii varia genera potionum, quas maſtahaleb vocant, in hoc affectu uſurpare ſolent, idque ſummo cum ægrotantium commodo. Haſce vero omnes nos accurate deſcripſimus & docuimus in libris de Medicina Ægyptiorum ſecundæ editionis. His medicamentis addimus uſum clyſteriorum itidem laxatoriorum, vel leniter purgantium, de quibus ſupra diximus.

CAP.

CAPUT XII.

De medicamentis ad pulmoniam pneumoniam vocatam phlegmonen.

EX rheumatiſmo, anginæ & pleuritidis humore ad pulmonis ſubſtantiam decumbente non raro oritur ille affectus quem Græci peripneumoniam, & latini pulmoniam vocarunt, nimirum à pulmone læſo ita dictus. Herophilus tumorem eſſe in toto pulmonis corpore ſtatuit, Aurelianus addidit cum febre, Soranus cum rheumatiſmo; ex quo Aſclepiades fortaſſe hunc affectum tumorem cum ſolutione (perinde ac dixiſſet mixtum eſſe ex adſtricto & ex laxo morbum) appellavit; ſed prudentius quidem Soranus tumorem non cum ſolutione, at cum rheumatiſmo, dixiſſe viſus eſt; namque ea humoris excretio, quæ per tuſſim fit, ſolutio ſive morbus laxus non eſt, cum hæc ipſa per tuſſim expurgatio nedum cohibenda, at quinimo, ut peripneumonici ſanentur, fovenda, atque adjuvanda ſit, neque enim omnis excretio morbum laxum facit, ſed illa duntaxat, quæ immoderatius profluit, corporaque ægrotare facit. Merito itaque tumorem cum rheumatiſmo, ſeu cum ſolutione, quæ morbus laxus non eſt, Soranus eſſe ſtatuit. Aurelianus vero hunc affectum ſtricturam vehementem pulmonis atque acutam cum ſputo, ſiti, febreque acuta, vocavit. Dogmatici itidem phlegmonen pulmonis cum tuſſi, ſputis, reſpirandique difficultate atque cum febre acuta eſſe tradiderunt. Itaque in hoc affectu adeſt primo febris acuta & vehemens, tuſſis moleſta, cum ſputis cruentis, flavis atque ſpumoſis, reſpiratio difficillima, ita ut ſuffocari videantur, unde ſupra latus difficilis ſit jacendi poſitio, doloroſa gravitas atque pondus in thoracis partibus anterioribus: Alii addunt eos, qui hoc malo vexantur, gravedinem pectoris, & dorſi, & laterum ſentire, & cum in lateribus jacent, præfocari, ſupinoſque ſemper decumbere, vel rectos ſedere; maxillæ rubent, oculi pleni, palpebræ tumentes, in facie ardorem ſentiunt, ſitiunt, plurimum aërem haurire deſiderant, non minus in ipſis adeſt frigidi potus deſiderium Pulſuſque erit vehe-

hemens, mollis, inæqualis, atque reſpiratio frequens & magna, itidemque inæqualis. Hoc malum plus periculi, quam doloris, habet, & multo plus ſi pleuritidi ſucceſſerit. Idem fere erit ipſius prognoſticum, quod de pleuritide dictum eſt. Minus periculoſa erit, ut Hippoc. tradidit, in qua ſcreatio flava non multo permixta ſanguine inter initia excernitur, hancque eſſe admodum ſalutarem ſi ſeptimo die expui cæperit, affirmavit, & minus eſſe ſecuram, in qua tardius hujuſmodi ſcreatio apparuerit. Quo merito dixerat etiam: *ſcreatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonem & coſtas, cito prompteque excreetur, neceſſe eſt.* Itaque ſi cito ſcreatio ea inceperit, & cito craſſior, melioriſque coloris reddatur probeque pulmo expurgetur, ſalutare erit; & cito morbus finietur. Hippocratem dixiſſe conſtat breviſſimam eſſe, quæ ſeptem diebus, & brevem quæ quatuordecim per tuſſim expurgatur, longiſſimam, quæ diebus duabus & viginti abſolvitur; ni recte hoc tempore pulmo expurgetur, aut humor phlegmonen faciens ſuffocat, aut in pus phlegmone verſa, empyema inducit. Quandoque vero pulmonios copioſa hæmorrhagia critica ſanat, & aliquando, alvi dejectio bilioſa, & ſpumoſa, vel copioſa urina, in qua plurimum craſſæ materiæ expurgatur. Reliquum prognoſis in hoc affectu ex pleuritidis prognoſtico (quod idem fere omnino videtur) deprehendes. Curatur vero hæc phlegmone, iiſdem fere medicamentis, quibus pleuritim ſanari diximus. Quod inter alios ex veteribus Medicis Heraclides Tarentinus confirmavit. Itaque ſi tempus concedet, poterit prima die leniens laxatorium exhiberi, cujuſmodi erit, caſſiæ catharticæ uncia, vel uncia & ſemis, cum ſaccharo candido vel in potione cum decocto rerum pectoralium, aut ex ſero lactis; aut propinabitur medicamentum, quod accipiet ſyrupi roſati ſolutivi, violati an. unc. i. mannæ electæ unc. ij. cum ſero lactis fiat potio & ſuperbibantur ſeri lactis caprilli clarefacti libræ duæ; ni morbi natura acutiſſima permittat hanc præmitti alvi laxationem, præmiſſo clyſtere laxatorio ſimplici ſcilicet ex decocto malvarum, althææ, mercurialis, violarum, ad libram, & ex olei dulcis unciis quatuor, & mellis roſ. ſimpl. un-

In 2. prog. tex. 50.

Tex. 44.

unciis tribus; ſi vires permittant, ſecta vena interna dextri cubiti ſi in dextro latere, vel ſiniſtri ſi in ſiniſtro major doloris moleſtia erit, ſanguis educatur, ea quantitate, quæ viribus, & etiam copiæ ſanguinis conveniet; viribus vero fractis & debilitatis cavendum erit ab omni ſanguinis vacuatione, unde in ea pulmonia, quæ vel ab angina, vel a laterali morbo fit, ſanguinis non eſſe opus vacuatione, graviores Medici ſenſerunt; vel ſi illud erit agendum, cucurbitulis ſolummodo cum ſcarificatione ſcapulis & dorſo appoſitis, aut à cruribus ſcarificatis erit mittendus. Fomenta laxatoria, & ſpongiarum evaporationes ex aqua calida, ex oleo dulci, hydrelæo, & ex decoctis laxatoriis, & ad pectus, & ad dorſum, & ad latera adhibitæ maxime convenient; quæ eadem erunt, quæ à nobis in pleuritidis curatione præſcripta fuerunt; itaque eodem modo, iiſdem propemodum medicamentis hic affectus erit tollendus. Aliqui ex internis medicamentis maxime commendarunt, decoctum cum mellis modico ad uncias quinque ſingulo mane calidum exhibitum, quod paratur ex foliorum tuſſilaginis, malvarum, althææ, chamomeli, an p. ij. ex ſeminibus lini, fœnugræci, anethi, an. unc. ß. & ex radicis liquiritiæ recentis minutim inciſæ, iridis ſiccæ, heleniique an. ʒ. ij. decoquantur in aquæ lib. ij. quoad tertia pars abſumatur; atque iterum percolatum decoctum ferveat cum mellis uncia & ſemis: oleum quoque calidum utiliter cum pleuriticis, tum pneumonicis propinari auctor eſt Aurelianus lib. ſ. chronicor. cap. 8. Ex externis quoque balneum, in quo ſemel in die totum pectus immerſum maneant, aut ex decocto calido pro fomentis in altero capite præſcripto, aut ex ſimplici aqua calida, vel oleo dulci, aut chamomelino, utiliſſimum erit, potiſſimumque evacuato corpore, atque etiam lenitoriis purgantibus nuper præſcriptis, aut mollibus laxatoriiſve clyſteribus ventre exonerato, atque laxato; eadem itidem victus ratio conveniet, qualis fuit in pleuriticis à nobis præſcripta.

CAP.

CAPUT. XIII.

De medicamentis ad phlegmonen ſepti tranſverſi.

NUnc deſcendimus ad plegmonen illius muſculi, quem Plato diaphragma, Hippocrates aliquando διαφράξιν, aliquando reſpiratorium ventris, & aliquando etiam φρένες appellavit; quo poſtremo nomine, ſcilicet phrenes, Philoſophi, Poetæque itidem hanc partem corporis familiarius intellexerunt; quod aut prudentiæ ſit particeps, aut mentis ſit domicilium; (ſiquidem φρὴν mentem omnes nominarunt) idcirco phrenes dictus eſt, vel quoniam ob miram ejus cum cerebro ſympathiam, phlegmone vexatus repentinum, continuumque delirium concitat. Negavit tamen Hippocrates in libro de morbo ſacro, quod quicquam ad prudentiam hic muſculus conducat, ita dicens: *Præcordiis fortuitum nomen & per conſuetudinem impoſitum eſt, non ex rei natura, neque enim quam vim habeant præcordia ut ſapiant, & intelligant ego unquam novi.* Verumenimvero cum palam ab omnibus deprehenſum ſit, hoc muſculo inflammato continuo phreniticos fieri, quippe perpetuo deliros cum continua acutaque febre; quo hic affectus idcirco phrenitis ſympathica ex diaphragmate, ſeptove tranſverſo dictus eſt, complures merito æſtimarunt hunc muſculum eſſe mentis domicilium, quo inflammato mens quoque turbetur, & lædatur. At hoc quidem unum non poſſum non vehementer admirari, ſcilicet, quod ex ejus muſculi phlegmone delirium fiat continuum. Neque me latet, plæroſque in mirabilem ejus cum cerebro & membranis ſocietatem libenter retuliſſe hunc affectum. Quam rem non video liquido conſtare, quando & hepar & ventriculus & uterus in mulieribus miram hanc partium habeant ſocietatem, attamen ipſis phlegmone obſeſſis haud continuum delirium fit. Itaque videtur, iſtud in aliam cauſam referendum, & fortaſſe in particularem illiuſce muſculi proprietatem, vel quod ipſo muſculo inflammato per nervos venas atque arterias cerebi membranis magna noxa communicetur, à qua delirium continuum excitetur; etenim cum ea magna læ-

ſio à diaphragmate phelgmone obſeſſo communicata, quoad phlegmone reſolvatur, continuet, haud mirum erit, delirium exinde obortum ſi itidem toto illo tempore duret, perpetuumque ſit. Erit igitur hujuſce muſculi ſtrictura, aut juxta membranam, pleuram dictam, qua pars ſuperior diaphragmati conſtat, aut juxta alteram poſteriorem, quæ peritonæi eſt, aut juxta carnoſam ejuſdem muſculi ſubſtantiam oborta ex aliquo humorum ſuperfluentium, aut ex multis ſimul mixtis. In hoc affectu, ut Hippocrates ſentit, dolor ejuſdem loci ſi tangatur, ſentitur, eſtque ſimul phrenitis, de qua re ita ſcripſit: *Phrenitides etiam ex aliis morbis naſcuntur, atque hæc quidem ægros pati contingit, de dolore conqueruntur diaphragmatis, ita ut ſe contingi non ſinant.* Itaque cum dolore diaphragmatis delirium continuum atque febris acuta itidemque continua obſervatur. Hæc vero phrenitis ſympathica eſt, diſtinguiturque ab idiopathica tribus præſertim ſignis, ſcilicet, reſpiratione, voce, atque hypochondriorum contractione: Namque in ſympathica vox acuta eſt, in idiopathica gravis, reſpiratio parva & frequens, in idiopathica magna & rara; atque in diaphragmate ſtrictura laborante continuo ſcilicet per initia intro ſurſum ipſum retrahitur, ſecumque peritonæum adducit, & cum ipſo retrahuntur hypochondria, hepar, lien, ventriculus, viſceraque omnia per ſimpathiam; hincque in ipſis hypochondriorum introſurſum ſtatim in principio revulſio obſervatur, nequaquam vero cerebro inflammato ſtatim in principio introſurſum hypochondria contenduntur, tametſi poſtea à cerebro diaphragmati læſione communicata, ſurſum retrahantur. Morbus hic eſt adſtrictus, magnus & acutus, maximeque, quod pars læſa cordi ſit vicina, periculoſus; ſpes vero ſalutis erit, ſi æger facile fert morbum, non admodum difficulter ſpiret, neque multo magnoque dolore divexetur, deliriumque mite ſit; ſolet etiam hæc phlegmone copioſo aliquando ſudore calido ex toto corpore judicari, vel hæmorragia ſanguinis, vel alvi dejectione, aut urina copioſa; his vero contra ſe habentibus malum erit lethale, præſertimque ſi ægroti magno acutoque dolore perpetuo conflictentur, difficillime reſpirent, delirio perpetuo at-

atque ferino agitentur, maximaque ſit hypochondriorum introſurſum retractio, & febris aſſidua, vehemenſque admodum ſit, ægrotique anxii, inquieti, vigiles & admodum anguſtioſi appareant. Qui hoc morbo laborant, in loco lucido calido collocandi ſunt, in potu à vino omnino abſtineant, aquaque hordeacea, aut ſtillatitia ex ſunco cum julep acetoſo utantur; aut jure aquoſo pulli parvi gallinacei abſque ſale; utanturque victu tenuiſſimo, qualis phreneticis & pleuriticis præſcriptus eſt: ſi alvus non laxa ſit, clyſter injiciatur mollitorius, ex decocto malvarum, violarum, mercurialis, atque ex oleo violaceo, vel amygdalino dulci, aut communi dulci ad uncias quatuor, cum mellis roſati ſimpl. unciis tribus, vel ſacchari rubri geminis unciis; aut per os laxatorium leniens vulgo dictum exhibeatur, cujuſmodi erit caſſiæ Abiſſinæ ſubſtantia ad unc. iß. decocto malvarum althææ, vel fœnugræci diſſoluta, aut exhibeatur eadem caſſia cum ſaccharo in bolis, vel potio parabitur ex ſyrupi roſati laxativi unc. iiij. cum ſero lactis caprilli clarefacti, & ſuperbibant ægroti ejuſdem feri lib. 11. ſi morbus ſit acutiſſimus, præmiſſo clyſtere præſcripto, aut ſimili, virium robore permittente ſanguinis ea quantitas evacuabitur, quam ætas & cœlum permiſerit, quod placitum non repugnat Methodicorum placitis, qui negant ætates, cœlum & ſimilia ſimpliciter, ſanguinis vacuationem indicare, ad ejuſdem vero vacuationis quantitatem metiendam illarum cauſarum cognitionem haud eſſe ſpernendam. Qui ſanguis aut ſecta vena interna è directo partis afflictæ dolore poſita, in cubito ſcilicet primo ex illius brachii vena ſecta; ubi vero dolor vel mediam partem diaphragmatis tenuerit, ex dextro primo ſanguis evacuabitur, & in altera die ex ſiniſtro brachio eadem ſecta vena denuo viribus permittentibus modicum ſanguinis detrahetur. Cruribus quoque ſcarificatis facta ſanguinis evacuatio erit itidem utiliſſima in iis omnibus, qui hoc malo laborant, omniumque maxime in pueris, in mulieribus atque in corporibus albidioribus, quæ abundant ſanguine tenuiori; præmiſſa univerſali hac ſanguinis evacuatione, etiam ea erit utiliſſima quæ fit ſanguiſugis hæmorrhoidalibus venis adhibitis. Tandem etiam hypo-

chondriis adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis ſanguis detrahendus erit. Poſt primam ſanguinis evacuationem, præſtabit interim vel clyſteriorum nuper præſcriptorum uſum exercere, aut lenitorio laxatorio aliquo interim alvus erit laxanda. De internis, convenient decocta laxantia, cujuſmodi erunt aquæ ſtillatitiæ chamomeli, althææ, vel malvarum, vel fœnugræci, vel meliloti, vel ſem. lini, aut ex ipſis in aqua fluviatili parata decocta, aut ſi calor intus fuerit admodum æſtuoſus; aqua ſtillatitia endiviæ, vel ſunci, vel malvæ, vel oxalidis vel alterius herbæ refrigeratoriæ facultatis, actu tamen calida propinabitur ſingulo mane & veſperi ante cibum ſpacio horarum quatuor ad uncias quinque: aut decoctum ex iiſdem vel ex ſimilibus paratum actu itidem calidum dabitur; ſi dolor vehemens acutuſque fuerit, hydrelæum ex aqua chamomeli, vel althææ, vel fœnugræci, & ex oleo vel chamomelino, vel amygdalino dulci paratum, calidum epotum erit utiliſſimum; & aliquando oleum amygdalinum dulce, vel de althæa, vel chamomelinum, vel de ſeminibus lini erit calidum exhibendum. Pro externis, fomenta ex decocto chamomeli, fœnugræci, althææ, meliloti, & ſimilium actu calida, aut veſica, aut ſpongia ſuſcepta adhibebuntur, vel aqua fluvialis calida, ſpongia ſuſcepta atque expreſſa calida appoſita; inunctiones itidem ex irino oleo, chamomelino, amygdalino dulci ac recenti erunt accommodatiſſimæ; inter alia olea, oleum de floribus cyclaminis eſt in magna exiſtimatione habitum, ſi eo hypochondrium dolens, actu calido inungatur; lilinum, irinum atque cicinum eodem modo laxando phlegmonen digerunt, partemque phlegmone adſtrictam laxant.

CAPUT. XIV.

De medicamentis ad phlegmonen hepatis.

HEpatitim vocant phlegmonen, quæ hepar occupat, quæque fit in tota hujus viſceris ſubſtantia, aliquando vero pars gibba, & aliquando cava ſinave dicta plus à phlegmone patitur. Hæc deprehenditur à dolore in dextro hypochondrio ten-

tenſivo juxta coſtas ſpurias, (cum quadam illiuſce partis gravedine) aliquando ad jugulum & ad ſcapulam protenſo, qui non niſi in magnis gibbæ partis phlegmonis obſervari ſolet, in qua parte calorem quoque non obſcurum ſentiunt. Adeſt quoque in dextro hypochondrio tumor figura rotundus, qui maxime tactui innoteſcit; gibba illiuſce viſceris phlegmonen, & magnam quidem patiente, febris adeſt continua atque acuta, aliquando etiam ardens (ubi phlegmone eryſipelatodes eſt) ſiti vexantur, lingua primo rubra apparet, & mox nigreſcens: tuſſis exigua, in qua nihil expuunt, quæque rara eſt, ſcilicet ex intervallis, atque reſpiratio quoque parva eſt, & frequens, cum pulſu itidem duro inæquali, quadantenus ferrato, ſed minus duro quam in pleura ſentiatur. Nauſeabundi ſunt, & vomunt bilem aliquando ſynceram, rubram, & nonnunquam etiam poſtea quæ æruginis colorem habet; alvus cohiberi, & color totius corporis in ictericum mutari ſolet. Ubi vero pars cava plus patitur, cibi faſtidium majus adeſt, & magis nauſeabundi fiunt, & magis vomunt, atque ſiti inexhauſta fere ardent. Minus tuſſiunt, & minus difficulter reſpirant, dolor minus excruciat, & minus tumor in hypochondrio tactui innoteſcit, atque deprehenditur; contra ſi gibba plus afficiatur, dolor reſpirando magis excruciat, tuſſis, & reſpirandi difficultas quoque major erit, & tunc ſi magna ſit inflammatio, dolor ad jugulum & ad ſcapulam extendi ſolet. Omnis hepatitis plurimum illiuſce viſceris ratione impendit periculum; ſumme exitialis vero, quæ magna eſt cum febre vehementiſſima, doloreque aſſiduo & maximo, cum æſtuoſo calore, & inexhauſta ſiti, icterico colore, atque etiam pejor eſt morbus (auctore Hippocrate in 7. aphor. 17.) ſi ipſam ſingultus ſubſequatur: mitior vero, quæ ſpem curationis pollicetur, ubi prædicta ſymptomata omnia ſint mitiora atque leviora. Hepate itaque ſtrictura laborante, ab ejuſdem viſceris tumore, à ſanguine vel à bile, vel ab aliis humoribus concitato, præſidia laxantia nobis ad medendum indicabuntur. Itaque primum præſcripta victus ratione eadem ſcilicet, quæ in ſepto inflammato convenire dictum eſt, præmiſſo clyſtere laxativo ſimplici alias expreſſo, vel cui addita ſit caſſiæ

ca-

catharticæ uncia, virium robore permittente ſanguis mittendus erit, vena dextri cubiti hepatica ſecta; aut (quod maxime uſu veniet pueris, mulieribus, corporibuſque albidioribus) cruribus Ægyptiorum modo ſcarificatis; & poſtea utile quoque erit cucurbitulis dorſi partibus cum ſcarificatione appoſitis modicum ſanguinis educi; haud erit inutile alvum clyſteribus laxari, aut laxatorio pharmaco, quod leniter agendo excrementa in primis viis contenta educat; hujuſmodi erit caſſia Abiſſina ad drachmas decem vel duodecim in bolis aut in potione ex aqua ſtillatitia endiviæ diſſoluta; vel ſyrupus roſ. laxativus ad uncias quatuor ex ſero lactis, & poſtea ſuperbibendum erit ſerum clarefactum calidum ad libras duas. Deinceps quod pertinet ad interna medicamenta poterit ſingulo mane exhiberi actu calida aqua ſtillatitia chamomeli, vel meliloti, vel cichorii, vel malvæ, vel ex ipſis ſimul mixtis ad uncias quatuor cum modico ſacchari candidi; aut lac dabitur expreſſum in aqua chamomeli, vel meliloti, ex ſeminibus malvarum, althææ, portulacæ, endiviæ, melonis ad uncias quatuor, actu calidum cum modico ſacchari candidi. Ægyptiis hujuſmodi potionem, quam Maſtahalep vocant, familiarius frequentant, quam parant accipientes (exempli cauſa) ſeminum althææ, malvæ, fœnugræci an. ʒ. iij. ligni ſicci althææ minutim inciſi, ʒ. ij. liquiritiæ raſæ inciſæ, ʒiiij. contundunt in mortario & ex aqua chamomeli jus exprimunt, quod calidum cum ſaccharo exhibent. De externis vero medicamentis, eadem nunc utilia eſſe dicimus, quæ ad diaphragmatis inflammati uſum in altero capite recenſuimus, ſcilicet, fomenta ſpongiarum, evaporationes, cataplaſmata, & epithemata laxatoria. Contendit tamen Gal. olim contra Attalum Romanum Medicum Methodicum, quod nuda laxantia minime conveniant, ſed quæ ſolummodo mixtum habent medicamentum, facultatis ſubadſtringentis atque roborantis aliquid obtinens. De qua re ſuperius à nobis pro Methodicis ſatis fuit diſputatum.

CAP.

CAPUT XV.

De lienis phlegmone ſananda.

ETiam lienem aliquando phlegmone vexari omnibus Medicis obſervatum eſt. Cujus quidem ſigna erunt, tumor in ſiniſtro hypochondrio, cum dolore, & calore, atque cum febre continua; ſentiunt etiam in eodem hypochondrio gravitatem & pondus; ſtrictura eſt hujuſce viſceris, ex tumore humoris plærumque melancholici, fæculenti craſſique oborta. Morbus ſane adſtrictus eſt, atque ſanabilis, cautius tamen uſu topicorum à Medicis agendum erit, ne affectus in ſcirrhum commutetur; hinc merito Galenus damnat medicamenta omnia vehementer calefacientia, cui affectui convenire cognovit, quæ vere laxatoria ſunt, cujuſmodi mediocriter calida & humida exiſtunt. Mirum eſt, quamobrem quidam celebriores Dogmatici voluerint, medicamenta debere non eſſe expertia alicujus facultatis adſtrictoriæ, roborationis gratia, cum, ſi quod eſt ex viſceribus, quod laxantibus gaudeat, hoc viſcus unum ſit, hæc maxime expetens, quippe laxari, quoniam à craſſitie humoris maxime pati ſolet. Ab humore enim hoc viſcus craſſo & frigido craſſefacto ac indurato, obſtruitur, intumeſcitque & aliquando ipſum inflammari contingit. Quis itaque uſum adſtringentium commendabit? An non hæc omnia tenuiorum humorum quoque digeſtionem prohibent? Quid de humoribus craſſis & frigidis, qui difficilius reſolvuntur, dicemus? Nonne ab uſu adſtringentium medicamentorum, & craſſiores reddentur, & difficilius reſolventur? Quare nuda emollientia, laxantiave lieni phlegmonoſo erunt maxime accommodata. Hæcque vel fomenta, vel epithemata, vel cataplaſmata, vel unguenta, vel inunctiones ſint, eadem prorſus erunt, quæ ad hepar inflammatum in altero capite adnumeravimus. Proinde tam interna quam externa eadem erunt. (Attamen cum extra tum intra medicamenta ad lienem habere oportebit majorem, quam in hepatite, incidendi extenuandique facultatem, ob humoris, quo lienis ſtrictura fovetur, craſſitiem tollendam) Idem

In l. 5. ſimpl. cap. 7.

profecto dicimus de ſanguinis vacuatione per venam ſectam; neque hæc evacuatio crurum ſcarificatione, vel cucurbitulis erit (quod ſanguis craſſus haud prompte his modis evacuetur) molienda. Sed de medicamentis ad lienis tumorem longe accuratius in libro decimo iterum agemus.

CAPUT XVI.

De phlegmone ventriculi ſananda.

VEntriculum phlegmone obſeſſum indicat dolor aſſiduus, cum tumore, gravitate, calore, atque febre continua adeſt & nauſea, & ſtomachi anguſtia; ſi vero à ſanguine biliosiori hæc paſſio fiat, aderit febris ardentiſſima, ſitis inexhauſta, & calor in parte affecta vehementior. Quo morbo omnes ſtomachi partes affici poſſunt, oris vero ventriculi, quod periculoſior ſit, habet ſymptomata longe majora, & ſæviora. Morbus eſt plærumque lethalis, & non niſi qui maximo virium robore conſtant ab eo ſervantur, contra in iis, qui imbecilles ſunt, affectus eſt maxime exitialis. Cum itaque ventriculus ſtrictura ex phlegmone laboret, merito uſum habebunt præſidia laxantia, quæ ad aliarum partium eadem ſtrictura laborantium curationem faciendam nos & propoſuimus & conſideravimus. In quo affectu itidem primum victus ratione præſcripta, victuque præſertim inſtituto, qui erit ex iis cibis, qui ſunt etiam medicamenta; cujuſmodi eſt cremor ptiſanæ hordeaceæ cum ſaccharo, vel panis coctus in jure pulli ſine ſale alterati malva, althæa, boragine, fœnugræco, ova vero recentia ſorbilia ſunt aptiſſima, & ipſorum lutea ex jure prædicto diſſoluta cum ſaccharo erunt accommodatiſſima, & ad nutritionem, & ad curationem. Nonnulli laudant in principio, ut cum cibis admiſceantur ea, quæ habent facultatem adſtrictoriam & repellentem, ad phlegmones augmentum prohibendum, quod in principio faciendum erit & cibis & medicamentis leviter roborantibus intro tamen aſſumptis. Unde cibi & jura & potiones poterunt tunc temporis alterari aut oxalide, aut cichoreo, aut pentaphyllo, aut ſunco, aut plantagine, aut ſimilibus; per ex-

exterius vero uſus adſtringentium neque in principio neque in alio multo minus tempore erit admittendus: poſt principium vero ſola laxantia ad digerendam phlegmonen, & ſtricturam erunt adminiſtranda. A vino plane eos abſtinere oportet, cujus loco optimum erit jus ſtillatitium ex carne pulli parvi calidum, vel aqua ſtillatitia endiviæ, ſunci, vel boraginis actu calida, vel hordei itidem aqua; quibus inſtitutis, ſtatim, viribus permittentibus, vena interna dextri cubiti ſecta mittendus erit ſanguis, at præmiſſo clyſtere laxatorio ſimplici; reliquum vero curationis iiſdem medicamentis laxatoriis cum internis, tum externis (quæ ad ſeptum tranſverſum, & ad jecur inflammatum fuere à nobis propoſita) perficiendum erit, quæ ad evitandum tædium iterum non repetimus.

CAPUT XVII.

De ilei inteſtini atque coli phlegmone tollenda.

HOc malum Græci ileon & chordapſum appellarunt (etſi aliquibus viſum ſit hiſce duobus nominibus duos quoque affectus diſtinctos ſignificari) Latini volvulum, ileon, iliacamque paſſionem vocarunt. Aurelianus tormentum, Salimachus phragnon, Celſuſque morbum tenuioris inteſtini vocavit. Galenus aliquando dicit volvulos ſeu ileos eſſe retentiones ciborum ſuperfluitatum, quæ per alvum excernantur, qui affectus magna ex parte fiunt ex tenuium inteſtinorum inflammatione: aliquando vocat volvulos ileoſve dolores vehementiſſimos in ſublimioribus inteſtinorum partibus, graviter vomitionibus cruciantes. Aurelianus ſcribit: tormentum eſſe contortionem inteſtinorum acutam, atque pernicioſam; unde paſſionem quoque ſtricturæ acutam & vehementem in tenuioribus inteſtinis obortam, addidit. Quod hoc malum morbus adſtrictus ſit, quod ne etiam Dogmatici Medici contendunt, quoniam in hoc affectu viæ inteſtinorum ita adſtringuntur & clauduntur, ut nihil (auctore etiam Galeno) per alvum exeat, etiam ſi clyſter acerrimus injiciatur, atque hoc unum eſſe ilei ſignum proprium atque inſeparabile, ab omnibus Medicis obſervatum eſt. Præ-

Aurelianus in lib. 3. acut. cap. 17.

In lib. 3. aph. 22.

Gal. in 6. aph. 44.

Gal. in 7. aph. 10. cipua vero hujuſce morbi ſigna, ſcilicet pathognomonica, quibus innoteſcit, Galenus ita expreſſit in epidemiorum commentariis: *Dignoſces autem ipſos & ex vomituum aſſiduitate, & vehementia & quod neque potum continere poſſunt, atque adhuc magis quod nihil infra dejiciant, tormina autem & dolores commonſtrant ubi hi ſuperiores partes occupant*; quod ſi & ſtercus evomant (fieri ſiquidem hoc videtur) evidentiſſimum ſit tibi ſignum affectorum tenuium inteſtinorum. Hæc Hippocrates expreſſit obſervata fuiſſe in muliere volvuloſa. His autem ſignis pathognomonicis plura alia ab Aureliano addita fuerunt. Ait enim adeſſe vehementem inflationem ventris atque inteſtinorum, ſuperpoſitæque cutis atque peritonæi. Alii dicunt tumorem in partibus ſublimioribus inteſtinorum obſervari ad ſimilitudinem chordæ convolutæ, unde convolvulus & ileon hic morbus dictus ſit, doloremque idcirco nimium iliorum deprehendi, atque oſſium pubis ad ilia uſque, ſtomachi ſubverſionem, & nauſeam obſervari, ſalivarumque fluorem, ſitim vehementem, ſpiritum denſum, articulorum frigidum torporem, & conſenſu etiam veſicæ & officii ventris perfectam abſtinentiam, retentionemque; pulſum itidem denſum eſſe, ſingultum accedere, unaque & crepitus fieri à vento nihil relevantes, & ſi aliquid per clyſterem fuerit injectum, aut non ſuſcipitur ob immodicam ſtricturam, aut ſuſceptum non retinetur, exitu negato, & ſi excernatur, erit mixtum pinguibus & ſpumoſis; in mulieribus vero uterus ſurſum retrahitur. Vomunt humores craſſos, viſcidoſque, ventriculo ejuſque ori efficaciter adhærentes; ubi vero pernicioſius atque exitialius ægroti hoc morbo vexantur, etiam ſtercus evomunt, pulſus concidit, corpus nigreſcit, cum nimia linguæ aſperitate. Paſſio hæc ſtricturæ in tenuibus inteſtinis conſtituta, plærumque à phlegmone ibidem oborta fit, & non raro ab obſtructione ſtercoris ſicci atque duri; ſunt qui ex ſcirrho, abſceſſu & à quocunque quoviſmodo in inteſtinorum viis anguſtiam inducente hunc affectum poſſe concitari, voluerint, non minuſque etiam ex ulcere eadem inteſtina occupante; ex externis vero cauſis hunc morbum excitantibus haſce eſſe ajunt, nempe aſſiduam ciborum corruptionem, præſertim multorum,

In 3. epidem. 2. tex. 6.

In lib. 3. acut. cap. 17.

va-

variorum, minime conſuetorum, maximeque ex pinguibus carnibus cibos plurimum poſſe ad excitandum hunc affectum; non minus & quaſdam plagas; vehemens frigus, frigidamque potionem acervatam, præſertim in iis, qui exudarunt, inteſtinum itidem in ſcrotum una cum ſtercore delapſum, venenumque hauſtum, hoc malum concitare. At ſigna nunc dicamus, quibus lethalem prorſus affectum, cujus remedio non eſt locus, deprehendamus. Paulus de his ait: *Qui enim hoc malo ſunt oppreſſi, miſerabili morte pereunt, ad vitæ finem ſtercus per os reddentes.* Hoc morbo olim Melchior Guilandinus, præceptor meus nunquam ſatis laudatus Patavii extinctus eſt. Hippocrates ſymptomata morbi iſtius lethalia ita complexus eſt, dicens: *Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio; malum.* Namque in ileis (ut ait Galenus) nihil ad inferiora deſcendit. Vomitus autem non ſemper adeſt, ſed ſolummodo quando exitiales ſunt, & ſi vehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit atque ſingultiunt. Quidam vero deſipiunt & convelluntur compatiente nervorum principio ſtomachi paſſioni. Quo vomentes ſanari quidem non poſſe deprehenditur; ab omnique remediorum uſu, ſi ſtercus quoque rejiciatur, cavendum erit; ſcribunt complures tunc temporis podicem uſque adeo eſſe adſtrictum, ut ne ſpecilli extremum ingeredi queat. Alii vero; ut ſcribit Aurelianus; *memorant ventum per podicem redditum ſine odore tetro perniciosum fore, & ſi fuerit odoris tetri ſalutem promittere*; in illis enim ob nimiam ſtricturam, tanquam liquatus ſpiritus purior excluditur; in his autem ob quandam laxamenti facultatem infectus exhalationibus ſtercorum excluditur. In hoc malo, quod adſtrictum eſt, laxatoriis præſidiis eſt opus, & ſi dolor vehemens magnuſve ſit, magnis itidem laxatoriis, inter quæ cum phlebotomia præcipuum locum habeat, in iis molienda erit (quorum ſalus nondum plane deſperata ſit, ſcilicet priuſquam vomitiones appareant) virium robore conſenſentiente ex vena interna dextri cubiti, clyſter vero laxatorius ex decocto malvarum, althææ, mercurialis, violarum, fœnugræci, lini, althææque, itidem caulium & ex oleo dulci, atque melle roſaceo ſimplici. In potu convenient juſcula pul-

Lib. 3. cap. 44.

In 7. aphor. 10.

Loco ſuperius citato.

lorum parvorum, maſtahaleb ſuperius deſcriptum, aquaque ſtillatitia chamomeli, vel althææ, vel malvarum mane & veſperi ante cibum ad libram mediam, actu calida epota, hydrelæum quoque calidum, atque oleum etiam chamomelinum, vel amygdalinum dulce, & recens ad ſemilibram utiliſſime bibitur. Aliqui commendant chamomeli decoctum ex aqua paratum, vel anethi itidem, vel cimini decoctum. Alii in potu exhibent calidum hydrelæum, in quo radix althææ fuerit decocta; hæc & ſimilia in potu calida plurimum prodeſſe poterunt eis, qui ileon cum ex phlegmone, tum ex ſiccatis fæcibus patiuntur. Eodemque modo convenient externa, quæ ejuſdem ſint facultaris laxatoriæ, vel ſint fomenta, vel epithemata, vel unguenta vel cataplaſmata; ſpongiæ ex hydrelæo cum althææ radicis decocto actu calido imbutæ, expreſſæque hypochondriis, iliiſque atque toti ventri appoſitæ plurimum juvabunt: vel ex decocto chamomeli, fœnugræci, lini, althææ, malvarum, violarum, & ſimilium; utile quoque erit partibus tumefactis & dolentibus adhibere lanam mollem calido oleo chamomelino, aut amygdalino dulci, aut anethino, aut irino, aut lilino, aut ex ciclaminis floribus parato imbutam, inſeſſiones etiam calidæ ex iiſdem, vel hydrelæis, vel oleis, vel decoctis nuperrime præſcriptis (ſi totus venter immergatur, per horamque in ipſis morentur) ſummo cum ilioſorum commodo factitari ſolent. Quæ medicamenta omnes cum Dogmatici, tum Methodici adprime laudarunt; his adjungenda erit proba victus ratio, quæ quidem eadem profecto erit, quam in ventriculi phlegmone expreſſam fecimus. Unum addimus utiliſſimum eſſe clyſteriorum uſum, tum ex ſupradicto decocto, tum ex oleo, & melle; longe vero utiliores erunt, qui ex ſolis oleis vel chamomelino, vel anethino, vel amygdalino dulci, vel ex ſimilibus parabuntur. Nos meminimus quendam ilioſis doloribus vexatum, plane ſanatum fuiſſe, ex calido oleo amygdalino recentiſſimo copioſiori tum epoto, tum per clyſterem in ventrem injecto, atque exterius toto ventre ab eodem itidem copioſiori inuncto. A purgantibus abſtinendum, quod hæc & acrimonia phlegmonen irritando augeant, & quod in crudo morbo quicquam uti-

utiliter educere prorſus à partibus ſtrictura vexatis nequeant; horum loco poterunt ſubſtitui laxatoriæ potiones leniendo ventrem ſubducentes; cujuſmodi erit caſſiæ Abiſſinæ pulpa ex ſero lactis, vel ex decocto althææ, malvarum, fœnugræci & ſimilium, vel ex jure pulli ſine ſale parato, vel ex aqua ſtillatitia chamomeli, vel althææ, vel malvarum diſſoluta; ſyrupus quoque ex laxatoria violarum infuſione, ſupradictis decoctis vel aquis diſſolutus erit utiliſſimus. Non minoris erit utilitatis ex compoſitis electuarium lenitivum vulgo vocatum eodem modo exhibitum; coli vero phlegmone nobis innoteſcit ex dolore continua & febre itidem continua, cum fæcum retentione. Quod malum iiſdem tollitur præſidiis, quæ nunc ad ileon meminimus.

CAPUT. XVIII.

De omento, meſenterio, atque de pancreate phlegmone vexatis.

PRovinciam difficilem aggredimur, tentantes primum cognoſcere, & poſtea ſanare phlegmonen, in omento, in meſenterio, atque in pancreate obortam. Quorum ſane viſcerum inflammatorum cognitio haud æque difficilis videtur, etenim omentum eo malo affectum facilius deprehenditur, majori vero cum difficultate, meſentereum, atque pancreas; cum hæc intus quam omentum magis ſepulta jaccant; hæc vero omnia viſcera ſæpius phlegmone, tumore, obſtructione atque aliis malis tentari, cuilibet Medicinam facienti notum eſt. Namque in meſenterio, & pancreate, quæ ſunt tanquam totius corporis ſentina, è jecore & è liene ſuperflua bilis utraque atque pituita per ramos venæ portæ, qui illuc deſinunt, deponuntur in glandulas, in quibus obſtructiones, tumores, atque phlegmonæ excitari ſolent; ſed jam ad phlegmonas, quæ fiunt in hiſce partibus, redimus, quæ cum omnes ſtricturæ paſſiones ſint cum febre, parum ſignis inter ſe invicem differre obſervantur, cum ipſarum partium ſubſtantia eadem eſſe videatur, ſcilicet membranoſa multo adipe complexa, quo membranarum &

exi-

exiguorum nervulorum exiguus ſenſus prorſus hebeſcit, unde pars ſenſu omni caret, proindeque & doloris expers facta, nullam moleſtiam graviter ſentit. Itaque, ut ſigna proponamus, ubi meſenterium phlegmone obſeſſum eſt, aderit in ventre tenſio, cum gravitatis ſenſu, ciborum faſtidio, & cum febre levi ac lenta, continua tamen, abſque multa ſiti, & abſque gravibus ſymptomatibus, nec omnino ægrum proſternente, atque (ut Galenus auctor eſt) cum alvi dejectione liquida chyloſa, ſaniem quandam rubram in principio, qualis ab omni parte inflammata defluere ſolet, habente permixtam, quæ phlegmone concocta, craſſior fit, atque puri ſimilior, adeſt quinetiam cum his reſpiratio difficilis, ſcilicet frequens, inæqualis, ſed non parva, atque pulſus inæqualis & ſerrinus, qualis in omnibus partibus phlegmone vexatis obſervari ſolet, qui tamen exiguam duritiem etiam præ ſe ferat. Demum aderit quoque in lumbis dolorificus ſenſus, ſiquidem (quod meſenterii membranæ oriantur à ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, & os ſacrum ilium oſſibus committant) membranis præ phlegmones tumore valde diſtentis, ligamenta vertebras connectentia trahentibus, neceſſario dolorifica tenſio ibi fieri debeat. Ceterum ad majorem hujuſce rei notitiam, pauca accuratius de tumore iſtius phlegmones, dolore, ventris gravitate, atque anguſtia in reſpirando, ſunt perſtringenda; & de tumore illud primum ſciendum, ſcilicet in qua parte ventris ſit deprehendendus, & an contactu & preſſu innoteſcat, vel citra preſſum atque quomodo ab aliarum partium tumoribus diſtinguatur; ſi de omento loquamur, profecto tumor ſeu tenſio in ſuperiore ventris regione uſque ad umbilicum deſinente, nimirum juxta hypochondria; erit tactu preſſuque perſcrutandus, ſiquidem ipſum omentum duplicem habet tunicam, ſcilicet ſuperiorem & anteriorem, illam à gibba parte ventriculi, atque lienis concava ortum ducentem, atque inferiorem & poſteriorem alteram, quæ à peritoneo ſtatim ſub diaphragmate ortum itidem habet; & (ut ſcribunt Anatomici) ipſum imo ventriculo & ſuperioribus inteſtinis obtenſum raro in homine infra umbilicum deſcendit; merito ipſum tumorem, in hypochondriis tactu, preſ-

In lib. 5. de loc. affec. cap. 7.

preſſuque perquirendum eſſe, dictum eſt. Qui tumor nutat, & movetur, in tenſaque parte digitis compreſſa, dolor tenſivus percipitur obſcurus, tamen qui magis gravitatis tenſioniſque ſenſus dici debet; ſentiunt etiam phlegmone vexati citra preſſum, gravitatem cum tenſione, & quadam anguſtia in ea ſuperiori ventris parte. Ubi vero phlegmone vel meſentereum vel pancreatem occupat, ejus tenſio tumorve, in penitioribus ſub umbilico partibus perſcrutandus eſt, alte enim ſepultus eſt, neque manu comprehendi, ſecernique poteſt à muſculis abdominis; neque primo tactui occurrit, ſed firmo tantum, validoque preſſu deprehenditur, ſine doloris ſenſu, quod pars ipſa doloris ſit expers, quinetiam ſua mole inteſtina premens atque coarctans ſæpe efficit alvum pigriorem; ſentiunt ipſi & gravitatem cum quadam tenſione & anguſtia; ubi vero phlegmone quadantenus indurverit, & ad ſcirrhum inclinaverit, clarius preſſu ſic animadvertitur, ut penitioribus ſub umbilico partibus, vel os, vel calculus concreviſſe videatur; eodem itidem modo & pancreas phlegmone obſeſſus deprehendetur preſſu & tactu, in partibus ſub umbilico poſitis, cum hæc pars in meſereo ſit, pyloro proxima, atque cum caro hæc ſit corpus quoddam glandoſum, cum intumuerit non minus firmo preſſu & contactu partium ſub umbilico poſitarum, quam meſenterii phlegmone deprehenditur; diſtinguitur ab hepatis phlegmone, quod ejus quidem tumor in dextro hypochondrio omnino ſit circumſcriptus, nimirum totus ſimul elatus, nec amplius extendatur, à lienis, quia ſublongus eſt, & in ſyniſtro hypochondrio obſervetur; atque à muſculi phlegmone, cum totus ſibi continuus exiſtat, protendaturque tumor ſecundum ipſius muſculi ſitum. Tumoreſque prædictarum partium, ſcilicet hepatis, lienis atque muſculorum, ſtabiles, firmi, fixive eſſe deprehenduntur; cum omenti, meſerei, & pancreatis nutent, & mobiles ſint. Neceſſario prædictarum partium inſenſibilium phlegmone oppreſſi in expirando anguſtiam ſentiunt, ac erecti in ventris primæ & ſecundæ partis locis gravitatem ponduſque perſentiunt atque anguſtiam. Harum partium phlegmone ni digerantur laxatoriis medicamentis, vel in ſcirrhos mutantur,

vel ſuppurantur, & vomicam faciunt; ſolent etiam ægroti non raro in hecticam febrem longo nimirum tempore laborantes, provehi. Plærumque vero ſi longo tempore phlegmonæ eæ duraverint, in ſuppurationes commutantur. De his auctor coacorum præſagiorum ait: *At qui tumores molles & indolentes tardius judicantur, & minus periculi denunciant. Quod ſi ſexaginta dies ſupervenerint, & permaneat febris in pus vertuntur.* Ceterum his præmiſſis nunc ad curationem deſcendimus. Itaque in primis præſcripta victus ratione qualis ad alia viſcera inflammata à nobis fuit inſtituta; primum hujuſmodi laxatorium leniens calidum vel ſimile propinabitur. Accipe ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. electuarii len. unc. i. cum decocto flor. & fruct. cord. vel cum aqua betonicæ q. ſ. fiat potio; aut dabitur caſſiæ recenter extractæ uncia & ſemis cum ſaccharo in bolis ſtatim ante cibum; vel dabitur ſerum lactis caprilli clarefactum ad lib. tres præpoto prius medicamento quod accipit mellis roſ. laxativi, ſyrupi roſati itidem laxativi an. unc. ij. Miſce cum ſeri prædicti q. ſ. fiat potio, qua epota, ſuperbibatur ſerum prædictum tepidum. Altera die mane ante prandium vena dextri cubiti, ſi tenſio in dextra ventris parte animadvertatur, vel ſiniſtri, ſi in ſiniſtra phlegmone eſſe conjiciatur, interna ſecta ſanguis (virium robore permittente, magnoque exiſtente morbo) educatur; ea profecto quantitate, quæ viribus, plenitudinis temporis, cœli, ætatis, conditioni reſpondebit. Utilis quoque erit repetita evacuatio ſanguinis, cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis & lumbis adhibitis, non minus etiam hyrudinibus venis ſedalibus appoſitis, hæ apertæ ſint, ſi eas æger innatas habuerit; utiliſſima quoque erit evacuatio ſanguinis à cruribus ſcarificatis maximeque in corporibus albidioribus, in mulieribus atque in pueris, in quibus ſanguine in quacumque ætate poſſe tuto eo modo vacuari nos alias in libris de Medicina Ægyptiorum demonſtravimus. De internis vero medicamentis conveniet decoctum ex medicamentis facultate quidem laxatoriis & ſimpliciter laxando, & humores extenuando, atque detergendo; cujuſmodi erit decoctum quod paratur in aqua ex foliis betonicæ, agrimonii, eupatorii Arabum, cichorei, ſunci,

In lib. 4. ſec. 2. tex. 6.

ci, & ex radice iridis; atque ex caulibus althææ, hujus decocti dabuntur unciæ quatuor cum ſaccharo; ad idem vero, & aquæ ſtillatitia calida chamomeli, meliloti, cichorii & ſimilium cum ſaccharo propinabitur; & ſi hic morbus diu perſeveraverit, utantur ægroti ſudorifico decocto ante prandium per horas quatuor; quo vel in lectulo cucurbitis plenis aqua ferventi prope ejus corpus ſepultis, vel alio modo; quod ſi æger poterit tinam laconicam ingredi ſuffumigio ex lapide molendinario decocto calido chamomeli, betonicæ fœnugræci, althææ aſperſo, incalefactam, epoto infraſcripto decocto calido ad ſemilibram, ſpacio mediæ horæ ſudabit; hoc quidem præſidio, nihil utilius ad hunc morbum tollendum. Decoctum parabitur accipiendo, cimarum calaminthæ, betonicæ, althææ, an. p. ij. radicis cannarum ſiccæ minutim inciſæ unc. iß. Aquæ communis lib. iij. bulliant ad conſumptionem medietatis, & coletur, cujus quidem decocti ſemilibra exhibebitur; ex externis eadem, & fomenta, & cataplaſmata, & inſeſſiones, & balnea, inunctiones, unguenta, atque cerata convenient, quæ & ad hepatis & ad lienis phlegmones digerendas ſuperius à nobis præſcripta fuerunt.

CAPUT. XIX.

De renum phlegmone ſananda.

PHlegmone renum plærumque ſubſtantiam invadit, & aliquando contenta, ſcilicet, venam, arteriam, nervum, ſinus, carunculas, atque vaſa ureteres, quæ à ſima ipſorum parte ortum trahentia in veſicam deſinunt. Hujus ſigna ſunt, dolor lumborum, ſi ambo renes phlegmone fuerint vexati, vel alterius lumbi, ſcilicet rene uno ſolummodo affecto, iliorum atque (ut ait Aurelianus) etiam clunium; qui dolor (auctore Hippocrate) gravis eſt, ſcilicet ipſorum carnoſa ſubſtantia phlegmonem patiente; ſi vero partes membranoſæ afficiantur, ſcilicet tunicæ venas obtegentes interno ſinu, arteriæ, venæ, productioneſque vaſorum urinariorum, dolorem acutum obſervari Galenus in aphoriſmorum commentariis, tradidit. Atque etiam

In 6. epid. ſec. 2.

In 6. aph. com. 5. à magna ſane phlegmone preſſis renum arteriis dolorem itidem cum pulſu fieri, atque obſervari. Tumor etiam in rene inflammato, preſſu animadvertitur, potiſſimum renum carnea ſubſtantia phlegmone obſeſſa. Adeſt itidem in eadem parte ardor, febricula, mentis alienatio, urinæ reddendæ difficultas, quæ initio phlegmones pauca, tenuis, aquoſa nullo enæoremate prædita mingitur, poſteaque aucto morbo mingunt craſſa, mucoſa, rubicundiora, & ut aliqui animadverterunt, colore fæculento in vini colorem nigrum inclinantia, nimirum ſanguinis portione renum venulis nimia præſſura vel apertis, vel (ut ait Aurelianus) ruptis, excreta, urinæque permixta, quippe urinæ prodeunt craſſæ, rubræ ad nigrum colorem mutatæ: febris etiam concomitatur aliquando lævis, & aucto morbo vehemens, continua, quæ cum horrore quodam & refrigeratione manuum & pedum invadit, & remittitur, aliquando nullum typorum ordinem ſervans; accedit etiam mentis alienatio non perpetua; vomituſque bilioſi. Morbo vero in pejus labente, omnia ſymptomata vehementiora evadunt, ægri, nauſeabundi ſunt, vomentes etiam cibum, venter adſtringitur, faſtidia vehementia ægrotos urgent; ſi vero in pus vertatur æque etiam, uti dictum eſt, omnia augentur, & febres inordinatæ cum horrore inordinato & vario invadunt doloreſque itidem augentur, quæ ſigna Galenus ita expreſſit: *Quumque renem quempiam ita affectum eſſe cognoveris ſi dolores cum horrore interpellato, varioque infectare videantur, ſequanturque febres quædam inordinatæ, tum pronum in ventrem decumbere, itaque interdum in alterum latus, aut ſublimis ſit affectæ partis poſitus, laborantem ſeſe vertere jube, ac deinde interroga, num circa renem dolentem, veluti ſuſpenſi cujuſdam ponderis ſenſum percipiat; etenim cum hæc ei acciderint, abſceſſum jam collectum conjicere oportet: Quo concocto pus mictum, ut laborantem à dolore liberat, ita ulceris in rene periculum affert.* Hic morbus ſtricturæ paſſio eſt in renibus, facta ab humoribus in renes decumbentibus; ſolent vero præcedere attritiones, percuſſiones, plagæ, vel immoderata venus, vel æquitationes vehementes, aut nimiæ ambulationes; hæc omnia ipſos renes aptos, ut phlegmone deprehendantur efficiunt. Qui

C. Aurel. in l. 5. chron. cap. 3.

In 6. de loc. affect. cap. 5.

affe-

affectus peracuta paſſio eſt, quia ſimul & vena à jecore in renes diſcurrentes inflammantur, & cum illis etiam jecur. Accedit etiam quod urinæ ſuppreſſio ſupervenire ſoleat, quæ phlegmones vehementiam auget, unde vel mortis periculum impendit, vel coctione phlegmones in abſceſſus à cujus eruptione pus cum urina difertur & interdum ſordes, aut corrupta caro ex putri renum ſubſtantia; vacuato, purgatoque abſceſſu ulcus manet diuturnum admodum, ac fere immedicabile. Itaque in hoc affectu in id incumbendum erit, ut ſi fieri queat, humor in renibus adſtrictus, laxatoriis medicamentis digeratur, quoad fierique poteſt, prohibere, ne in pus vertatur, quod ſi fuit, ut quanto citius à renibus per urinam expurgetur, ne ulcus remaneat, & ſi remaneat ſiccetur. Porro ut id aſſequatur, præmiſſo clyſtere laxatorio (quod ex decocto malvarum, violarum, mercurialis, althææ, ſeminum fœnugræci, lini, & ex oleo violato, melleque roſaceo paratur, vel hujus loco ad alvum laxandam, dabitur medicamentum leniter laxatorium, cujuſmodi eſſet caſſia cathartica ad unciam & ſemis; cum ſaccharo vel ſyrupi roſati laxativi ad uncias quatuor, ex ſero lactis, & eodem ſero ſuperbibito ad libras tres) vena ſecta primum dextri cubiti interna, & poſtea aut quæ in Poplite eſt dextri cruris, aut quæ in malleolo ſecta; mirifice quoque conveniet ſanguinis vacuatio ſcarificatis cruribus, & poſtea etiam plurimum conducet, ſi venis ſedalibus ſanguiſugis appoſitis eadem ſanguinis evacuatio repetatur. Quibus factis vacuationibus quotidie decoctum propinabitur facultate laxatoria præditum, cui in principio fuerit admixtum medicamentum facultatis adſtrictoriæ, vel repellentis, cujuſmodi erit, plantago, polygonum, cichoreum pentaphyllum & ſimilia; dabitur tamen actu calidum; tale aut parari poterit. Accipiendo, foliorum malvæ, althææ, cichorii, ſunci, polygoni an. p. i. ſeminum fœnugræci, lini an. unc. ß. radicis althææ minutim inciſæ unc. i. in ſufficiente quantitate aquæ fiat decoctum; cujus quidem actu temperate calidi cum ſaccharo dabitur ad uncias quatuor, & poſtea dabitur paratum ſolummodo ex laxatoriis, plane adſtringentibus ſublatis, atque demum phlegmone concocta, laxatoriis, miſcebuntur

etiam uretica ad humorem purgandum per urinam. Inter quæ medicamenta hoc erit adprime accommodatum, nimirum quod paratur, accipiendo exempli cauſa, ſeminum malvæ, althææ, fœnugræci, Apii, irionis an. ʒ. iij. ligni althææ minutim inciſi, radicis petroſelini an. unc. i. foliorum itidem malvæ, althææ, violæ, apii, petroſelini, an. p. i. bulliant in lib. ij. aquæ ad conſumpt. tertiæ partis & percolatum cum ſaccharo calidum decoctum, in aurora propinetur, eodem modo etiam conveniet maſtahaleb ab Ægyptiis vocatum: quod parabitur, ex ſeminibus malvarum, althææ, hordei, portulacæ, apii, irionis, petroſelini, melonis, cucumeris, fœnugræci an. partibus æqualibus, omnibus in mortario contuſis ex aqua chamomeli, lac expreſſum temperate calidum cum ſaccharo candido exhibeatur; ex externis præſidiis convenient in principio inunctiones ex unguento roſaceo ſantolinoque, ex oleiſque roſato, nenupharino, adhibitis tamen ipſis temperate calidis, & poſtea uſum habebunt prorſus, olea dulcia, temperate calida, hydrelæum, oleum chamomelinum, amygdalinum dulce; tamen cavendum erit, ne hæc atque alia (vel epithemata ſint, vel fomenta, vel balnea) multum calida adhibeantur, quod multum calida ſuppurationem moveant; veluti etiam in principio actu frigida cavendum erit, ne adhibeantur, quod calorem flammeum intus claudant, evaporationemque omnem prohibeant, phlegmonemque augeant. Aliqui fuere uſque adeo temerarii, ut ſpongia ex aqua algida expreſſa, vel folia nenupharis, quæ diu in aqua frigidiſſima manſerint eo modo actu frigida lumbis pro medicamento adhibuerint, quo præſidio quidam in juventute valde robuſti (eo ſane modo, quo Hippoc. in aphoriſmis docuit tumores aliquando & dolores articulorum large affuſa aqua frigida ſanari) juvati fuere in cauſa quod alii debiles maximeque ſenes eodem profocto præſidio refrigeratorio ad phlegmonem renum uſi, plurimum læderentur, & exinde aucta phlegmone mortem quoque obierint; cujuſmodi proximis diebus fuit perilluſtris Sigiſmundus de Capitibus Liſtæ, qui cum renum dolore ex phlegmone conflictatus (quod in juventute aliquando uſu foliorum nenupharis in aqua refrigeratorum,

In l. 5. aphor. tex. 21. & 25.

rum, lumbiſque admotorum, aliquid juvamenti, ſe ſenſiſſe, meminerit) in ſenio ultimo eodem morbo & meo quidem judicio ſanabili vexatus ab iiſdem foliis frigidis adhibitis, morbo in pejus mutato tandem extinctus eſt, atque non ſine magno Patavinorum dolore, & mærore, cum ipſe ſemper & bene vixerit, & omnibus fuerit cariſſimus. Redeo ad reliquum curationis renum inflammatorum. Quare de externis medicamentis ſermone recepto dicimus ea, neque multum calida convenire, quod pus movere hæc apta nata ſint, & neque frigida, cum hæc præterquam quod morbum intus meatus claudendo laxationemque omnem prohibendo, augeant, etiam in debilibus calorem innatum extingunt. Nam non ſemper frigidi occurſus calorem intus frigiditate propulſum revocat, ſed ſolummodo in maxime robuſtis; unde Galenus recte dicebat: *Aquæ frigidæ occurſus aut vincit nativum calorem aut colligit; vincit quidem cum debilis fuerit; colligit cum fortis, ipſum diffiari prohibens.* Quo maxime conſtat actu frigida non convenire, at ſolummodo quæ temperate ſunt calida, cum hæc medicamenta laxantia ſint, phlegmonibuſque omnibus, quæ morbi adſtricti ſunt, maxime convenientia. Quare, epithemata ex aquis vel ex decoctis malvarum, althææ chamomeli, meliloti, fœnugræci & ſimilium parata convenient, tepida; atque ex iiſdem ſpongiarum evaporationes, inunctiones ex oleis nuper dictis vim digerentem laxantemve habentibus. Neque nobis objiciatur, à Dogmaticis experientia deprehenſum fuiſſe; medicamenta poteſtate frigida maxime convenire, unde ex oleis, roſaceum, violarum, myrtinum, ex aquis, polygoni aquam vel plantaginis, vel portulacæ (Alexander Tralianus ſummis laudibus commendabat unguentum, ex oleo roſaceo, ſucco polygoni, modico aceto & cera paratum) & ſimilium convenire; eſto quod conveniant, non tamen actu frigida, ſed calida quidem temperate (quomodo proximam cum laxatoriis medicamentis facultatem habere videbuntur) quod eruditis fortaſſe paradoxum haud videbitur, ſi præſertim animadverterint, balneum aquæ temperate calidæ (cum tamen omnes ſciant aquam vim habere refrigeratoriam) habere vim laxatoriam, quod meatus rarefaciendo laxet. Quæ

In 5. aphor. 21.

bal-

balnea renibus inflammatis convenient, atque etiam multo plus, ſi aqua fuerit alterata malva, althæa; chamomelo, fœnugræco & ſimilibus. His omnibus addatur conveniens victus ratio, omnino ſimilis ei, quam in hepatis phlegmone inſtituendam, ſcripſimus.

CAPUT XX.

De veſicæ phlegmone ſananda.

VEſicam ſæpius quoque phlegmone vexari cuilibet in arte Medica verſato, liquido conſtat, maximeque in ipſius veſicæ muſculo. Hujuſce vero morbi tria præſertim ſigna pathognomonica Græcis dicta, conſtat itidem obſervari, ſcilicet dolorem juxta pectem, pubem, pudendi radicem, ilia atque clunes vehementem cum ardore; duritiem itidem etiam juxta pectem & pubem; atque febrem continuam & acutam. Alii addunt, vigiliam, amentiam, vomitum bilioſum, magnamque urinæ difficultatem, & quandoque ſuppreſſionem. Hæc paſſio ſtricturæ inter morbos veſicæ graviſſima & maxime mortifera eſt, lethaliorque in qua dolor vehementior excitatur, cum febre valde acuta; ac duritie veſicæ juxta pubem obſervata, cum alvi urinæque ſuppreſſione. De qua Hippocrates in prognoſticis & in coacis præſagiis ita ſcripſit: *Veſicæ duræ ac dolentes omnino malæ: peſſimæ vero cum febre continua; nam qui dolor inde eſt, necando homini ſatis eſſe poteſt, atque iis alvi non multum dejiciunt.* Mitis vero phlegmone erit, ſi dolor atque durities erit moderata, neque febris acuta ſit; hæc vero varios exitus habere apta eſt, aliquando in gangrenam mutatur, aliquando ſcirrhi modo induratur, aut quod ſalutare magis eſt ſenſim digeritur, aut repente in cute oborto eryſipelate reſolvitur, aut in ſuppurationem vertitur (quod ſi fiat dolor, atque febres ingraveſcunt, atque ſine ordine horror invadit) aut denique multa urina excreta, malum conquieſcit. Quod coacorum præſagiorum auctor hiſce verbis expreſſit: *Solvit autem hæc urina purulenta, quæ album habeat, & leve ſedimentum.* Idcirco una præcipua ſalutis ſpes erit in coctione phlegmones conſtituta, & pu-

In 2. progn. tex. 7. In 7. coac. præſag. ſec. 2. tex. 49.

puris eruptione albi, levis, & æqualis cum urina laudabili; etenim concocta phlegmone in internum ipſius veſicæ ſpacium humores concocti confluunt, & cum urinis excernuntur, probæ coctionis notas ubi ſubſederint, præ ſe ferentes. Quod ſi pure ita erumpente fiat profuſa urinæ copia tumor ſubſidit, veſica remolleſcit, febris imminuitur, atque excrementis exitus patet. Quod pertinet ad curationem, eadem prorſus præſidia, quæ ad renum phlegmonem preſcripta fuerunt, erunt tentanda; Namque alvo, vel clyſtere ſimplici laxatorio, vel medicamento leniter, itidem laxatorio (qualia in aliis partibus phlegmone conflictatis, convenire diximus) laxata, vena ſecta ex poplite vel ex malleolo, ſi dolor vehemens fuerit, virium robore permittente ſanguis mittendus erit. Aliqui revulſionis gratia primo ſecant venam cubiti internam, mox, quæ in malleolo eſt; cujus loco crurum ſcarificatio maxime in pueris, mulieribuſque ſatisfaciet. Intus conveniet injectum per podicem oleum chamomelinum, amygdalinum, & in quo fuerit decocta althææ radix, fœnugræcumve. Decoctum itidem ex chamomelo, anetho malva, althæa, meliloto, fœnugræco, lino, & ſimilibus clyſtere ſæpius in alvum injicietur; exterius convenient fomenta ex hydrelæo calido cum veſica pubi adhibita; vel ex oleo chamomelino, aut ex amygdalino, vel communi in quo radix althææ fuerit incocta; magis laudantur inſeſſiones ex iiſdem vel oleis, vel decoctis paratæ, in quas ægrotos imergi atque per horæ ſpacium & plus inſidere eſt opus. Quod ſi dolor non ceſſaverit quibuſdam ex Dogmaticis viſum eſt, poſſe cum interius, tum exterius uti oleis prædictis in quibus papaveris capita fuerint incocta, atque etiam adeps, gallinaceus, & anſerinus fuerint diſſoluti, ac non minus quoque ubi dolores vehementiſſimi ſint, Medicos medicamentis narcoticis ſenſum partis læſæ hebetantibus (cujuſmodi parantur ex opio, myrrha, & croco) tuto uti poſſe, non minuſque ex opio, uti dictum eſt; capitibus papaveris, hyoſciamo atque mandragora. Quæ medicamenta, tametſi ſenſum hebetando, diminuendo, atque ſtuporem inducendo, aliquid doloris levare videantur, tamen quod ſtricturam denſando, augeant, nativumque calo-

rem minuant, & humorum phlegmonem foventium exhalationem ſive digeſtionem prohibeant, non minuſque, & futuram concoctionem retardent, ab ipſorum uſu omnino eſſe cavendum merito Methodici duxerunt: neque enim phlegmone, quæ paſſio ſtricturæ eſt, poterit ſanari ab illis medicamentis, quæ adſtrictoria itidem ſunt. Itaque opus erit ſolummodo laxatoriis, quæ nos & in hoc capite & alibi ſæpius ad phlegmones ſanandas recenſuimus.

CAPUT XXI.

De ſatyriaſi, id eſt, de phlegmone vaſculorum ſeminis.

CUm ſatyriaſis vaſculorum feminis phlegmonoſa affectio, ut Græcis Medicis viſum eſt, exiſtat, merito hic de ipſa agendum quoque fuerat, quod fiet à nobis brevi ſermone, copioſius etenim de hoc eodem affectu poſterius acturi ſumus, ſcilicet, ubi de priapiſmo agemus. Itaque per ſatyriaſim affectum vaſculorum ſeminis genitaliumque (ut Aretæus eſt auctor) phlegmonoſum ſeu inflammatorium nos intelligimus, differentem, à priapiſmo, atque ab elephantiaſi Græcorum, quam Galenus ſatyriaſin quoque appellavit, quod qui ſ[illegible] laborant facie ſatyris ſimiles ſint, atque etiam elephantici quia ad venerem, ut ſatyri proni ſunt; differentem inquam à priapiſmo, quia in ipſo affectu nullo veneris deſiderio ægri ſtimulantur, ex ſatyriaſi autem inter alia ſymptomata, quæ homines patiuntur, illud unum maximum eſſe videtur, quod ſummopere veneris deſiderio incendantur aſſidueque acerbeque divexentur, unde merito Aurelianus ſatyriaſin dictum fuiſſe, ſcribit, aut à ſatyris, aut à ſatyrio herba (hæc enim, ut Themiſon narrat, hoc malum maxime facit, quo etiam Cretenſes hoc affectu interemptos vidiſſe, ſcripſit, quia frequentius, liberaliuſque ea herba in cibis uſi fuiſſent) De ſatyris vero nihil ſingularius prædicatur, quam ipſorum ad venerem vehemens alacritas, atque promptitudo. Paulus inquit: *Satyriaſis eſt naturalium palpitatio*,

In lib. de cauſ. morb. cap. 5.

Galen 6. de loc. affec.

In l. 3. acut. cap. 18.

In l. 3. c. 56.

tio, quæ cuidam ſeminis vaſculorum inflammatoriæ affectioni cum intentione ſupervenit. Quæ niſi finiatur in ſeminariorum vaſorum reſolutionem aut convulſionem delabi ſolet, & qui convulſi fuerint celeriter intereunt; & Aretæus quod ſatyriaſin cum priapiſmo confundidit, dixit: eſſe affectum qui laborantis penem excitat, erigitque atque ob ſatyri Dei ſimilitudinem qui pene arrecto figurantur, ſatyriaſin fuiſſe vocatum, eſſeque genitalium inflammationem & dolorem ſtatuit, & poſtea eſſe etiam ſubdidit inexplibilem coëundi appetitum, qui multo aſſiduoque concubitu nihil juvatur, neque arrectio penis ſedatur. Nervorum in virilibus inflammatio penis tentiginem facit, cum appetitu, contriſtationeque in actu venereo: fiunt autem diſtentiones nervorum convulſioni perſimiles nunquam mitigabiles. Aurelianus vero ſcripſit: Satyriaſin eſſe vehementem veneris appetentiam cum tenſione rigida veretri ob morboſam corporis paſſionem, aut ab epotis medicamentis ſatyricis vocatis, quæ homines ad venerem incendunt, aut ab immodico, vel inordinato veneris uſu. Qui hoc malo laborant, ſentiunt vehementem genitalium tentiginem, cum dolore atque incendio, cum quodam pruritu immodico in veneream libidinem cogente. Adeſt ſimul mentis alienatio, facies rubeſcit, pulſus denſitas, anhelatio frequens, creberrimaque reſpiratio, vigilia, hallucinatio, ſitis, cibique faſtidium: Aretæus addidit largum vomitum, ſpumam labiis ineſſe, ut hircis furientibus libidine, urinam poſt longam retentionem effundi albam, craſſam, ſemini ſimilem, pulſum parvum, languidum inordnatum eſſe, difficilis itidem urinæ mictio, fit atque ita, ut plærumque ſtercorum excretio fiat. Nonnumquam febris illos concomittatur. Poſtremo omnibus convulſio nervorum fit, atque involuntarius ſeminis jactus. Putant vero ex uſu venereo ſeminiſque excretione initio ſe leviter relevatos, ſed paulo poſt vehementer extenduntur. In mulieribus hoc malo affectis plus prævalet prurigo. Etenim prurientibus pudendis, in pudenda devorato pudore manum mittentes, omnes viros, qui ipſis occurruut, appetunt, & ſuæ libidini ſupplices ſervire cogunt. Aretæus mulieres ſatyriaſi non corripi, ſed potius prurigine

in lib. 3. acut. c. 18.

quadam : Injuria tamen confudit ſatyriaſim cum priapiſmo, cum tamen aperte ab eo diſtinguatur; hæc enim phlegmonoſa affectio eſt acuta cum veneris deſiderio inexplebili atque ſeminis excretione. Priapiſmo autem affecti, neque veneris deſiderio ſtimulantur, neque ſemen excernunt. Hæc paſſio ſtricturæ eſt, acuta atque vehemens, quæ cito in ſpaſmon homines deducit, atque in exitium. Aretæus ait plærumque ſeptima die interimere: ſtatim itaque providendum eſt, atque primo omnium veterum Medicorum conſenſu ex præſidiis laxatoriis, primas partes habere phlebotomiam ex ſecta ſcilicet dextri cubiti interna vena, atque poſtea etiam ex talo, & quandoque (ut Aretæus voluit) modo vires commode ferant ad animi deliquium ſanguinem eſſe mittendum; & hoc fiet quidem præmiſſo molli clyſtere quo citius poterit. Aurelianus, Aretæus atque Paulus cucurbitulas cum ſcarrificatione commendarunt, clunibus, coxis atque pubi apponendas, non minuſque etiam ſi ſanguinis plenitudo adfuerit hirudinibus, prædictis partibus appoſitis; ac fortaſſe etiam multo cum fructu ſedalibus venis; namque præmiſſa univerſali ſanguinis vacuatione per venam ſectam (uti dictum eſt) nullus timor fieret, ne ad partem affectam ſanguis attraheretur, at diverſio fructuoſa ſequeretur. Aretæus purgationem ex hiera ſacra non omittendam æſtimavit. De reliquis vero laxatoriis haud omnes Methodici æque ſentierunt. Themiſon hujus ſectæ auctor antiquiſſimus, primo phlebotomiam faciendam propoſuit, & recte ſane cum ſatyriaſis morbus ſit adſtrictus, ſed poſtea curationem mutando, fomenta, cataplaſmataque frigidæ facultatis adhibenda eſſe voluit, quibus ſcilicet poſſit extingui veneris appetitus, cum quo Dogmatici conveniſſe viſi ſunt, cum uſum frigidorum laudaverint, atque cavendum eſſe omnino à calfactoriis. Profecto in principio neque Methodicis adverſabitur frigidis medicamentis ſcilicet denſantibus adſtrictisve vocatis Medicos uti ad repellendum ſanguinem, & humores ne copioſius ad partem affectam fluant & affectum inflammatorium augeant. Porro ſuperius demonſtravimus haud inconvenire in phlegmonum principiis ad repellendum Medicos uti medicamentis adſtrictoriis; profecta vero

vero phlegmone in ſatyriaſi incongrua eſſe omnia adſtringentia, ſeu denſantia, & Methodici, & Dogmatici neceſſario fateri cogebuntur, cum omnis phlegmonoſa affectio inflammatoriaque digerentibus tollenda ſit, quæ laxatoria ſunt Methodicorum: unde recte quidem Aurelianus Methodicus Themiſonem redarguit, qui uſum adſtringentium medicamentorum in morbo adſtricto propoſuerit, laudaveritque; quod ſi hæc in hujus paſſionis principio fore adhibenda ad prohibendum paſſionis argumentum ſentiit, nulla reprehenſione dignus erit; cui curationi conveniſſe viſus eſt Aretæus, qui cum frigidorum & ipſe uſum propoſuiſſet primo, deinceps inquit, mutandam eſſe curationem, ita ut ad calidorum uſum ſit properandum. Mirum eſt, quamobrem Aretæus in libro 2. dixerit: ſtuporem & refrigerationem ſatyriaſim medicare; cum his præſidiis prohibeatur digeſtio phlegmonoſi affectus, & malum intus claudatur. Quare fotus cataplaſmata, inunctiones, & reliqua, à nobis ſuperius ad phlegmonas tollendas ſæpius præſcripta medicamenta in hoc affectu uſum abſque dubio habebunt. Eademque & victus ratio congruet.

CAPUT. XXII.

De uteri phlegmone ſananda.

REſtat ex internis partium internorum phlegmonis, ea quoque curanda, quæ uterum in mulieribus obſidere ſolet, quæque ſæpe aut ex ictu vel percuſſione aliqua, aut ex multa venere aut ex abortu, vel à fætu laborioſe edito, aut ex multo vehementique frigore, vel denique à ſuppreſſis menſtruis excitatur. Hujus quidem ſtricturæ in utero ſigna patognomonica erunt, dolor, tumor, atque febris continua acutaque. Dolor quidem cum ardore, plærumque tenſivus & gravis quandoque vero & pulſatorius & acutus, ſi phlegmone uſque adeo magna ſit, ut magnas uteris arterias comprimat, vel membranas occupet, qui etiam, ſi totum uterum phlegmone teneat, in omnibus ejus partibus ſentietur, obſervabiturque jux-

ta lumbos, ſpinam, pubem, circa inguina, coxas, umbilicum, abdomen, atque circa os uteri, ſi vero uteri partem ſolummodo ſtricturæ hæc paſſio occupaverit, dolor juxta eam partem erit animadvertendus, ſcilicet, ſi in ore fuerit illius viſceris digito in pudendum immiſſo maxime deprehendetur, ſi in lateribus erit phlegmone, dolores inguina attingent, nec non etiam coxendices, vel coxendicum altera dolorem ſentiet, quippe quæ è directo parti affectæ poſita eſt, unde aliquando etiam crus ob hanc anſam claudicat; ubi vero hujuſce viſceris cavitatem malum occupaverit, dolor juxta umbilicum obſervabitur, atque ita, ut ne contactum quidem foris admittat; eodem modo ejus anteriorem partem phlegmone tenente dolor erit juxta pubem, aderitque una vel urinæ difficultas, vel ſuppreſſio; atque demum morbo in poſteriori parte exiſtente, dolebunt lumbi atque ſpina. Tumor etiam eodem profecto modo tactu & preſſu innoteſcet juxta illam partem, in qua phlegmone erit. Aderit febris quæ & continua erit, & vehemens, neque mirum eſt, cum hoc quidem membrum maximas venas, arteriaſque habeat, per quas phlegmones, calore multo cordi communicato, febrem quoque fieri vehementem neceſſe eſt, præter hæc ſigna adeſt etiam una capitis dolor juxta ſinciput, quippe per venas arteriaſque uteri maximas in caput elatas, mittenteſque ad ſynciput plures & majores ramos, per quos magnis evaporationibus calidis eam capitis partem petentibus dolores fiunt; & per conſenſum quandoque etiam tendines capitis, oculi, brachia, digiti, collum, ſtomachuſque dolorem ſentiunt. At dolor ſyncipitis, magnarum hujuſce membri phlegmonum fere unum ex ſignis pathognomonicis eſſe, videtur. De quo Hippoc. ita meminit in epidemiis: *Quibuſcunque ex fætu abortivo atque uteri tumoribus ad capitis gravitatem converſio fit atque in ſyncipite dolores fiunt.* Hic morbus graviſſimus eſſe ſolet, præſertimque ſi ex abortu, vel ex laborioſo partu edito fiat; peſſimuſque judicabitur, ſi dolores vehementes fuerint atque febres itidem vehementes: exitialis vero erit ubi animi deliquium, exolutio, ſingultus, extremorum refrigeratio, exudatio, delirium, urinæ & fæcum ſuppreſſio aderit. In curatione primum alvo vel cly-

In 6. epid. ſec. 1. tex. 1.

clyſtere laxatorio, vel ex caſſia cathartica cum ſaccharo, vel alio medicamento ex lenitoriis purgante laxata: vena vel in poplite vel in malleolo ſecta ſanguis, viribus permittentibus, detrahetur, vel primum revulſionis gratia in cubito internam, & poſtea in malleolo ad moliendam ſanguinis vacuationem, ſecabimus: deinceps ſingulo mane propinabitur decoctum calidum ad uncias quatuor cum ſaccharo, quod parabitur (exempli gratia) accipiendo ſem. malvarum, althææ, hordei, fœnugræci an. ʒ. ij. caulium althææ, & radicis minutim inciſæ an. unc. ß. fol. malvarum, althææ chamomeli, boraginis, endiviæ an. p. i. bulliant in lib. ij. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis. De externis vero epithemata ex oleo, & vino in quibus althæa fuerit decocta. Alii pubi atque aliis partibus dolentibus adhibent, roſas, & chamomelum in vino albo decoctum. Fomenta ex althæa, malva, fœnugræco, lino, meliloto, artemiſia, parthenio & ſimilibus aliis in aqua parata convenient; peſſi itidem laxatorii utiles erunt, quippe ex œſipo, medulla cervina, vitulina, adipe gallinaceo, anſerinoque. Alii parant; fœnugræcum in aqua ipſum madefaciendo, & ter mutata aqua, cum nova puraque aqua ebulliunt quoad tertia pars abſumatur, & juri percolato addunt adipem gallinaceum, vel anſerinum, atque ad ignem liquari ſinunt, & mox concretum ſervant ad uſum; quo liquato peſſi inuncti induntur in pudendum. Inſeſſiones etiam erunt utiliſſimæ, quæ confici ſolent ex decocto malvarum, althææ, fœnugræci, chamomeli, meliloti, artemiſiæ, betonicæ & ſimilium in aqua parato; quo temperate calido utendum erit; utiliſſimum quoque pro inſeſſione (auctore Dioſcoride) decoctum ex radice ſicca iridis in aqua paratum, deprehendetur, maximeque ſi à ſuppreſſis menſtruis phlegmone fuerit oborta.

Galen. in 2. ad Glauc. cap. 2.

CAPUT XXIII.

De tumoribus internis non phlegmonoſis.

HActenus de internis tumoribus phlegmonoſis egimus, & quomodo via Methodica curari debeant, quibuſque medi-

dicamentis, ſatis accurate nos docuiſſe, putamus. Nunc reſtat de iiſdem tumoribus internis non phlegmonoſis, ut in præſentia agamus, ipſorumque curationem complectamur; per hoſce tumores, eos intelligimus, qui citra febrem ſunt, phlegmonem etenim neceſſario febris perpetuo concomitatur. Horum variæ obſervantur differentiæ, quæ vel ex materia qua fiunt, vel ex tactu, vel ex parte interna quæ patitur, animadvertuntur. Namque ex materia quædam eſt ſpiritus, flatuſve, quædam humor; & ex humore quidam eſt ex ſanguine, ex bile, alii ex melancholia, aliique ex pituita, illi plærumque phlegmonoſi ſunt, perpetuoque qui effatu digni, namque hos & febris & dolor ſequi ſolet; hi vero contra plærumque abſque febre & aliquando etiam abſque dolore interna viſcera vexant; ex tactu, quidam duri ſunt, & quidam molles illi aliquando cum dolore ſunt, & aliquando ſine dolore; hi vero quippe molles ſemper indolentes (quod molle dolens non detur, cum tenſio in tumoribus præcipua ſit doloris cauſa) exiſtunt. Ex locis, fere omnes, vel ſecundam vel tertiam corporis regionem, ſcilicet thoracem, atque ventrem vexare ſolent; particulatim vero in his, hæ partes tumoribus invaduntur, ſcilicet pleura membrana, muſculique interni intercoſtales, pulmones, diaphragma, cavitates Thoracis, pericardium, ſtomachus, os ventriculi, meſentereon, meſocolon, omentum, inteſtina, hepar, lien, renes, veſica, uterus. Hæc paſſio ſtrictura eſt ſine febre, quemadmodum phlegmone ſtrictura cum febre, morbuſque itidem adſtrictus, qui laxatoriis quoque medicamentis opus habet, ut tollatur. Medicis vero hic morbus iiſdem ſignis innoteſcit, quibus phlegmones illarum partium deprehendi ſuperius docuimus; hoc excepto, quod abſque febre afficiat corpus. Majori autem ex parte tactu, preſſuque ſtrictura hæc cognoſcitur, atque eodem ferme modo, quo internarum illarum partium phlegmonum duritiem, tumoremque cognoſci docuimus. De iis, qui ventrem fatigant, Hippocrates in epidemiis ita ſcripſit: *ſpiritus hypochondriis elevatio mollis & intentio neutra, in ipſis ſurſum rotundum in dextris veluti circumferentia, ſuppuratoria. Aliud longius magis, aliud diffuſum, aliud deorſum repens & hinc inde*

In. epidem. 3. tex. 10.

inde contentio uſque ad umbilicum; in omni ſurſum rectitudine, ſi revocetur, & abeat in rotundum, ſiquidem ſpiritus ſine judicatione, extenuatur calore, ſi autem hæc effugiat in ſuppurationem tendit; ex his muſculorum potius quam aliarum ventris partium, internarumque tumores deprehenduntur; ſed ex preſſu deprehenduntur etiam qui in hepate, liene, ventriculo, meſereo, ileo, pancreate, omento, renibus, veſica, atque in utero fiunt. Juvabunt præſentem cognitonem complura alia ſi animadvertantur, ſcilicet gravitas, ſive (ut ait Galenus) aliquis alicujus in ipſa parte ponderis ſenſus, reſpirandi anguſtia quæ denſa eſt, & inæqualis; non enim hi magnam habere poſſunt expirationem, atque in ea ipſos quandam anguſtiam cum gravitate ſentire neceſſe eſt; ſingularum vero partium in tumorem elatarum particularis cognitio à ſignis ſingularum partium phlegmone vexatarum, de quibus ante ſcriptum eſt, petenda erit; porro cum tumeſcant partes aliquando ex flatibus, aliquando ex humoribus; nos nunc de tumoribus ex humoribus obortis, loquimur; de iis, qui ex flatibus fiunt, poſtea (cum de dolorum curatione ſermo inſtituetur) agemus; cum vero eorum itidem tumorum quidam à ſanguine, vel à flava bile oriantur, quidam ex pituita vel à melancholia, qui œdemata, vel œdematoſi tumores, & ſchirrhi, vel ſchirroſi dicuntur, hi duri, atque illi molles ſunt ac fere omnino indolentes; qui ex ſanguine, phlegmonoſi, & qui ex flava bile eryſipelatodes dicuntur, atque quod iſti humores tenuiſſimi ſint & calidi, raro ſine inflammatione exiſtunt; vocanturque vel phlegmonoſi vel eryſipelatodes, de quibus & ſuperius de phlegmonis internis ſcribentes egimus, & rurſum agendum alias quoque erit, cum de extrenis quoque librum ſequentem ſcribemus. Itaque tumores, de quibus agimus, omnes ſunt aut œdematoſi, aut ſchirrhoſi. Qui omnes cum morbi adſtricti ſint, laxatoriis tollentur medicamentis; ceterum priuſquam ſubdamus materias præſidiorum, ipſorum exitus varii (quod de prognoſi erit agere) accurate ſunt à nobis animadvertendi; primus eſt, materiam tumorem facientem digeri & reſolvi, quod eſt omnium exituum in ipſis tumoribus maxime expetendum: nihil enim utilius quam fomentis tumores digeri; ſecundus

materiæ ad extra recurſus (metaſtaſim vocant) humoris quippe à parte in tumorem elata extra recurſionem, vel excretionem aut per ventrem, aut per vomitum, aut per hæmorrhagiam, aut per urinam, aut denique per ſudorem ejuſdem humoris tumorem facientis. Quo ſemper utile erit à tumoribus internis partibus vexatis, cum excretiones humorum ſpontaneas obſervari, tum etiam humoris vel ad cutem vel quovis modo ad partes extimas metaſtaſim, id eſt, tranſmutationem. Tertius eſt in pus tumorem verti ſive ſuppurari, qui exitus utilis erit, modo eruptio fiat in partibus, quæ viis proximæ ſint per quas commode pus expurgari queat; unde in pulmonibus atque in hypochondriis ſemper ſuppuratio mala erit, cum pus genitum haud commode expurgari poſſit; ſed de vomicarum judicio poſterius accuratius agemus. Quartus eſt cum in inſignem putredinem mutantur, quod eſt peſſimum, unde tumorem internum in gangrenam mutari maxime exitiale erit. Demum in ſchirrhoſam duriciem non raro mutari ſolent, plærumque ex uſu medicamentorum vehementer calefacientium & ſiccantium tenuioremque humorem abſumentium. Qui tumores ſchirrhoſi ſi prorſus doloris expertes evaſerint atque inſignem duriciem nanciſcantur, prorſus inſanabiles redduntur. Quod pertinet ad curationem, ſi dolor vehemens fuerit, viriumque robur permittat, ſanguis mittendus erit aut ſecta vena aut cruribus ſcarificatis. Vena autem in tumore afficiente pleuram membranam, aut pulmonem, aut thoracem, aut diaphragma, aut ventriculum, aut inteſtina, vel meſereon, vel meſocolon, vel omentum, vel pancreas, vel hepar, vel denique lienem ex cubito interna ſecabitur, ex crure vero ſcilicet vel in poplite, vel in malleolo, ubi tumor renes, veſicam, atque uterum occupaverit; ſi dolor mitis ſit, vel indolens tumor, non erit neceſſarium uti magno laxatorio, quod eſt, ſanguinis vacuatio non fiet, ni alvus aut laxatorio pharmaco ex lenitoriis, aut ſaltem clyſtere mollitorio fuerit laxata. Ex internis vero utile erit medicamentum ſudorificum, ſi tumor fuerit contumax, ſanatuque difficilis neque cedat laxatoriis tum externis tum internis. Quo ſudorifico decocto infra præſcribendo, ſi ætas permi-

Gal. in l. de curan. rat. per ſang. miſſ. cap. 18.

miſerit, bis in die ægrotum ſudare oportebit: ſi vires propter ætatem non ſint uſque adeo validæ, ſat erit ſemel in die ſudare; ſudabit autem in tina lignea oblonga, quam balneum Laconicum (quod apud Lacones ſit admodum familiare) vocant; poterit vero æger ſudare ad minus ſpacio dimidiæ horæ, & mox deterſo ſudore in lectulo calido manebit per horam & plus, etenim etiam in lectulo ſudor renovari ſolet; movendi ſudorem varii modi ſunt, qui tamen ad duos tantum præcipuos reducuntur, ſcilicet ad calorem externum, quo movetur ſudor, aut ſiccum, qui ignitis carbonibus ſubſtratis paratur, aut humidum, qui decocto aliquo lapidibus molendinariis intra tinam poſitis, ignitiſque aſperſis, excitatur; præſtabit tumores viſcerum a calore humido ſudore excitato, reſolvere, ſudorificum autem decoctum, cujus calidi dabitur ſingulis vicibus ad uncias octo, hunc in modum parabitur: aut ex radice chinæ, aut ex arundinis itidem radice ſicca, aut ex ſalſa parilla, aut ex ligno Indo, aut ex calamintho; atque in omni decocto ex prædictis parando accipietur medicamentum ſuapte natura laxatorium, cujuſmodi eſt, althææ radix ſicca, vel ejus caulis, vel folia, vel chamomelum vel fœnugræcum vel aliud ſimile. Itaque (exempli gratia) prædictum decoctum parabitur, accipiendo radicis arundinis ſiccæ minutim inciſæ uncias tres, radicis ligni Indi raſpati unciam unam & ſemis, vel calaminthi montani, chamedrios an. p. i. radicis althææ ſiccæ unciam, vel ejus caulem minutim incisum ad uncias duas. Quæ macerata per diem in aquæ communis lib. iiij. bulliant, quoad medietas abſumatur, & coletur, & exhibeatur, quo calidius abſorberi poteſt. Ceterum, quod Dogmatici omnes faciunt, priuſquam ad decocti ſudorifici uſum ægroti veniant, præſtabit corpus totum, prius vel decoctis vel ſyrupis uſualibus incidentibus, detergentibuſque, atque viis laxantibus (cujuſmodi ſunt oxymel ſimplex, mel roſaceum ſimplex, & ſyrupus acetoſus ſimplex, de boragine, de eupatorio, & ſimiles alii, cum decocto betonicæ, calaminthæ, althææ, fœnugræci, petroſelini, ſunci & ſimilium herbarum) laxatoriis medicamentis prius purgatum eſſe. Inter purgantia vero laxatoria optima erunt, agaricus

trochiſcatus, turbit, rhabarbarum, elleborus niger, ſena, centaureum minus, & alia hujus ordinis; ex compoſitis catapotia vulgo Coccia vocata, de tribus cum rhabarbaro itidem dicta atque de hyera cum agarico. Quorum doſis à drachma ad geminam erit, ex compoſitis vero medicamentis eductoriis confectio hamec. Diaphænicon, diacatholicon, diaſena, & ſimilia; purgato corpore & facilius, & tutius ſudorem in ægrotis promovebimus, ſudabuntque tot diebus, quoad tumores majori ex parte reſolvantur. Verumenimvero priuſquam ad ſudorifica Medici veniant, debebunt uſum & internorum, & præſertim externorum laxantium tentare, operamque dare, ſi poſſint eorum uſu tumores laxari digerique. Itaque & inunctiones omnes ex chamomelino oleo, amgdalino dulci, irino, & in quo althææ radix, vel folia ebullierint, vel fœnugræcum, vel lini ſemen; oleum quoque de capparibus, de floribus ciclaminis erit accommodatiſſimum, & fomenta itidem ex althæa; chamomelo, meliloto, fœnugræco, lini ſemine, & ſimilibus, parata maxime juvabunt, non minus quam parata cataplaſmata laxatoria: adipes quoque gallinaceus, anſerinus, porcinus, butyrumque recentiſſimum, actu calidi erunt accommodatiſſimi. His commoda victus ratio erit addenda, quæ erit, quam in phlegmonum curatione meminimus, hoc excepto, quod, cum affectus hi ſint longiores, non valde tenuis erit præſcribenda; à vino non erit abſtinendum; quod tamen aquoſum eſt, tenue, albumque, erit utilius, vel quod ſit ſubſtantiæ tenuioris. Quo tempore ægroti utentur ſudorifico decocto, ut per ſudorem tumores digerant, ſi ſobrium, tenuemque victum adjunxerint, & citius & efficacius morbum reſolvent, neque in prandio & in cœna à vino etiam hoc tempore abſtinebunt, quantitate vero paucum erit, & non niſi quoad prandium & cœna fiat concedendum; inter hoc tempus ab ipſo plane abſtineant, etſi etiam multum ſitierint, hujus loco aqua ſtillatitia non frigida cum ſaccharo erit ſubſtituenda; hæc pauca de curandis internis tumoribus à nobis dicta, ſi cum iis conjungantur; quæ de phlegmonum internarum curatione ſcripſimus, nobis ſufficient.

CAP.

CAPUT. XXIIII.

De ventris tumore, quem hydropem appellant, perſanando.

QUoniam & illa ſtricturæ paſſio, quam hydropem & aquam intercutem appellant, ad tumores internos pertinet, ipſorumque genere comprehenditur, idcirco de hac ipſa quoque (antequam huic libro finem imponamus) agere inſtituimus. Itaque hydropis nomine tumorem Medici intelligunt, aut totius ventris, aut qui in omnibus corporis, partibus fit, quique hydrops à nimia humoris abundantia dictus eſt. Ceterum hic affectus duplicis differentiæ exiſtit, quatenus alter ab humore, atque alter à flatu gignitur; ex hac cauſa obortum Hippocrates (auctore Galeno) ſiccum hydropem vocavit, atque poſteriores, quod venter percuſſus tympani modo ſonat, tympaniam, & tympanitim. Qui vero ex humore, adhuc duobus modis fit, namque humor ſi ventrem tumefaciat, ſcilicet inter peritoneum atque inteſtina contentus, aſcitim Græcis vocatam efficit, aſcitim inquam ab utre qui ἀσκὸς dicitur, quoniam corpore commoto ſonus ſemipleni utri audiatur, merito dixerunt; ubi vero humor omnes quidem partes corporis; maximeque carneas tumefecerit, anaſarcam, atque à phlegmate albo tumorem faciente, leucophlegmatiam vocatam hydropem facit. Hujuſmodi ſtricturæ paſſionem ſigna complura innoteſcunt. Hæc vero (ut Aurelianus animadvertit) in hydropis omnibus ſpeciebus obſervantur; ſcilicet tumefactio ventris, vel etiam aliarum partium; pigrities corporis, non minuſque & motio difficilis, ſomnus itidem difficilis, atque anxioſus, ſitis aſſidua, febris latens, ac parva, cibi faſtidium, urinaque ad potum aſſumptum collatione facta paucior. Reſpiratio difficilis; atque ulcera ſi in ipſis erumpant difficulter ſanantur, particularis vero illiuſce hydropis, quem aſcitim ſeu aquoſum vocant, hæc ſigna erunt propria, pathognomonica Græcis dicta, in primis enim tumet venter, cujus quidem tumoris in ſupine decumbentibus extantia, ſeu inflatio minor eſt, licet ma-

In lib. 4. aph. 11.

magis diffusa, in latitudinemque expansa, & major, cum majorique distensione in iis, qui recte pedibus stant; signum certissimum erit, si ægroti cum e latere in latus moventur, percipiatur sonus aquæ defluentis, aut (uti Aureliano placuit) humoris collisi, vel ad concussum palmæ resonans tanquam semipleni utris, aut (ut ab aliis observatum est) quod commotus venter his fluctuet instar vesicæ semiplenæ. Invalescente strictura passione tumor ad femora, ad pedes, atque tandem ad scrotum descendit, maximeque post inambulationem humore inferius delabente; reliquæ partes corporis contabescunt, ob penuriam optimi sanguinis in ipsis, haud parum deficiente nutritione; cibum fastidiunt, continenter, humore intus collecto aut salso existente, aut putrescente, sitiunt. Quo cum sæpius bibere cogantur, in deterius, aucto humore, abeunt; aliquando tussicula agitantur, ventremque & urinam plærumque habent adstrictam; si in ipsorum cute pustulæ erumpant, difficulter coalescunt, quippe ulcera humore continue abundeque fovente, humectanteque; cum his febricula quoque latens adest & color vitiatus. In tympaniti vero cum eadem ventris extantia, seu distentione tumor non diffusus, sed rotundior fit cum majori, durioreque tensione, ob quam percusso ventre sonus perinde ac in tympano, auditur; in anasarca nedum solus venter tumet, sed quinetiam aliæ partes corporis, scilicet facies, collum, pectus, venter, scrotum, crura, pedes, atque manus. Tumor autem non ex æquo in toto corpore fit, at in partibus inferioribus magis, ob humoris gravitatem, corpus laxum redditur cum mollitie & frigiditate, quasi mortuo simile; gravitas adest totius corporis, initio cognoscitur perpetuo ex extremorum frigore facieque & palpebris, & pedibus intumescentibus, quandoque pedes primo intumescunt, atque ab ipsis crura, & aliæ superiores partes. Quarum partium tumor ab eo, qui fit in ascite, distinguitur, quod in cute digitis pressa, remaneat fovea. Aurelianus addidit fætorem oris, atque etiam anhelitum fætidum. Omnis hydrops omnium consensu fit ab humore vel in ventre collecto, vel in extimis partibus cutaneis diffuso resudanteque. Neque enim tympanitis vocata, etsi ma-

Hippoc. in 6. aphor. 8.

majori ex parte à flatu, ventre ſcilicet inter peritonæum atque inteſtina intercluſo (ut viris doctiſſimis viſum eſt) cauſam habet, eſt expers humiditatis, ſiquidem flatibus humiditas commixta eſt. Dogmatici omnes voluerunt, hunc morbum à refrigerato, labefactatoque hepate naſci atque foveri; vel quod hoc viſcus per ſe patiatur, vel per conſenſum ex aliis partibus, ſcilicet, à ventre ventriculoque; à veſica fellis, liene, meſentereo, inteſtinis gracilibus, jejuno, pulmone, renibus, veſica, utero, atque diaphragmate; fiunt itidem hi affectus ab interceptis vacuationibus conſuetis, maximeque menſium in mulieribus, atque hæmorrhoidarum: atque ab iiſdem etiam immoderatius fluentibus, nec non à qualibet ſanguinis, & excrementorum immoderata evacuatione diu perſeverante, à diuturnis itidem morbis, ſcilicet à febribus chronicis, nec non etiam à morbis calidis & acutis calorem naturalem reſolventibus, à potu aquæ frigidæ, atque ab aliis cauſis hepar quovis modo vitiantibus, quo læſo ſanguificatio quoque vitiatur, unde ſanguinis loco humiditas aquea, atque flatus generantur, cujus quidem multitudo hydropem facit. Hippoc. ſcribit, hunc morbum incipere ex parte inani, lumbis, atque à jecore; de quibus quidem ait: *Quibus ergo ex inani parte, & lumbis principia aquæ inter cutem fiunt, pedes intumeſcunt, & alvi fluor diutinus fit, neque ſolvens dolorem, qui ex inani parte efficitur, ac lumbis, neque molliens ventrem. Quibus tormina & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter ſolvitur, in aquam inter cutem firmatur.* Peſſima eſt (Hippocrate actore) quæ ex acuto morbo fit. Tympania omnium peſſima exiſtimatur, aſcitis & anaſarca in principio curantur. *Ab aqua vero inter cutem habito* (ait Hippocrates) *ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus*: cujus quidem eventus ratio habetur ex alio Hippoc. aphoriſmo, qui hæc habet: *Qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſupervenerit, à morbo liberatur.* Unde in hydropicis utiles erunt evacuationes omnes, vel ſudoris, vel urinæ, vel excrementorum. Contra curatio erit difficilis, ſi una cum morbo omnes evacuationum viæ adſtrictæ ſint. Quo fit, augeſcente morbo, quod

In 2. progtex. 1. In tex. 2. In 4. aph. 11. In 2. prog. tex. 1. In 6. aph. 14. In 7. aph. 25.

In 6. aphor. 35. In 7. aphor. 47. quod aqua ita augeatur, ut quandoque etiam aſperam arteriam opprimat, quo Hippocrates tuſſim ob hanc cauſam excitatam deſperatæ ſalutis eſſe ſignum expreſſum reliquit; ſed jam ad curationem hujus affectus declinemus. In quo quidem, cum morbus ſit adſtrictus neceſſario uſui erunt præſidia laxatoria, cujuſmodi ſunt, quæ manifeſte evacuant, ſcilicet, per ventrem, urinam, atque per ſudorem, unde ex medicamentis huic negotio erunt accommodata, purgantia, vomitoria, diuretica, ſudorifica, atque omnia digerentia, ſeu per inſenſibilem tranſpirationem evacuantia. At cum phlebotomia inter magna laxantia pro magnis morbis adſtrictis tollendis convenientia, primum locum habere ſoleat, cur in hydrope ejus uſum Medici non affectant? Quandoque in leucophlegmatia quæ fit aut menſibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis Medici ſanguinem vel ex talo, vel ex poplite, initio mittere ſolent, ſed hoc ſolummodo præſidio in principio (quo tempore nondum hydrops perfecta exiſtit) utuntur. Non enim inconvenit in hydrope affectis mittere ſanguinem, quod magnus morbus non ſit, at quia vires non conſtare in magno morbo & frigido poſſunt; omnem profecto aquam inter cutem fieri à labefactato, diminutoque nativo calore, omnibus Medicis in confeſſo eſt; quomodo igitur vires conſtabunt ad mittendum ſanguinem? Ob hancque cauſam Medici hujuſce vacuationis loco purgationes medicamentis hydragogis, atque phlegmagogis moliuntur, cujus modi ſunt, coccognidium, Mezereum, elaterium, Iridis Illyricæ ſuccus, braſſica marina, turbit, ſtaphiſagria, centaureum minus & quandoque veratrum quoque album. Nobis familiariſſimus eſt ſuccus ex iridis radice contuſa expreſſus ſingulis diebus; cum ſaccharo, à ſemuncia uſque ad unciam & ſemis epotus; plures ſcimus, qui aſcite laborarunt, hujus medicamenti uſu prorſus fuiſſe ſanatos. Damus etiam ter in hebdomada grana tria elaterii cum rhabarbari quatuor obolis; fiunt duo catapotia, quæ ter (ut dictum eſt) in hebdomada devorantur. Alii braſſicam marinam ad geminas drachmas in jure carnis pingui ad libram ebulliunt, quoad pars tertia abſumatur; exhibentque prædicti juris calidi cum modico cinnamomi pul. uncias

cias quatuor. Hæc tum in aſcite, tum in leucophlegmatia purgando tumorem laxant; atque etiam non minus in tympanite, quod flatus diſtendentes ab humore foveantur, augeanturque, vel quod abſque humore non datur hydrops, licet in tympanite flatus prævaleant. Itaque ex medicamentis, quæ omnibus hydropicis conveniunt, quæ ſunt digerentia, ſudorifica, rubefacientia, exulcerantia (quippe recorporativa, atque metaſyncritica vocata) inuſtiones, punctiones, atque ſcarificationes cutis, quæ omnia in principio maxime convenire ſolent, ſudorifica vocata, quæ facultatem habent ſudorem movendi, præcipuum utilitatis locum habere ſolent; ſiquidem omnis hydrops ſudore tollitur; cum per ipſum & humor in aſcite, anaſarcaque, & flatus in tympanite digeratur. Itaque quanto citius ad hoc præſidii genus deventum ſit, eo tutius, atque citius hydrops curabitur. Sudor vero movebitur commode in balneo laconio, ſcilicet in tina lignea oblonga à calido ſuffitu (ex decocto calaminthi, vel origani, vel thymi, vel tragorigani, vel pulegii, aſperſis aut ferro ignito, aut lapide molendinario) incalefacta, ex prædictoque decocto calido aſperſis ignitis iis lapidibus fumo calido excitato ſi ſudatorium laconicum probe calefiat. In ipſo balneo ita probe calefacto ægroti manentes ſtragulis cooperti vel per horam, vel per dimidiam horam facile ſudabunt. Qui ſudor non inutiliter etiam interno medicamento calido intro aſſumpto maxime adjuvabitur. Cujuſmodi erit, quod parabitur (exempli gratia) ex calamintha, pulegio, chamedry, betonica, vel ligno guajaco, aut ſaſaphras, aut ſimilibus aliis medicamentis, quæ ſunt vehementer calida & ſicca; ſudabunt juvenes bis, ſenes vero ſemel in die, & non minus, quam per ſpacium dimidiæ horæ, in laconico ægroti manebunt, qui egreſſi in lectulo calido bene cooperiantur, ut denuo ſudent; præſidium eſt ex laxatoriis in principio uſque adeo & tutum & efficax, ut plures aſcite & anaſarca laborantes ſolo hoc ipſo uſi auxilio priſtinam valetudinem recuperaverint. Non minus utile quoque erit in tympanite, cum ſudorifica omnia, propter calidius temperamentum atque ſiccum, flatus digerant, diſcutiantque, ipſique medicamen-

ti caliditate extenuati, facile per meatus cutis à caliditate ſuffitus calidi rarefactos, exhalent, atque reſolvantur. Ad hunc uſum conveniunt omnia medicamenta (uti dictum eſt) vehementer calefactoria, cum per interius aſſumpta, tum per exterius adhibita: tum quia humores, vaporeſque digerant, tum etiam quia ſudorem moveant, eaque via & humorem contentum evacuent, & vapores, flatuſve digerant. Hinc veteres quoſdam in arenam à ſole excalfactam, ad digerendos flatus, atque pro abſumenda humiditate, hydropem faciente, ad ſudandum, conjiciebant, quoſdam in clibano calefacto, quoſdam in laconico, vel ligneo vel ex alia materia facto; atque alios in foveas aquarum ſponte naſcentium calidarum, cujuſmodi ſunt ſulphureæ, nitroſæ, ut ſudent; de qua re Celſus in lib. 3. cap. 21. ita habet: *Evocandus eſt ſudor, non exercitatione ſolummodo, ſed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibuſque aliis*; poſt hæc commendantur medicamenta urinam moventia, cujuſmodi ſunt, fœniculum, petroſelinum, apium, ſmirnium, iris, ammeos, daucus, liguſticum & alia ſimilia, quorum vel ſemina trita ex vino albo aromatico dantur, vel lac ipſum ex detritis in mortario ſeminibus ex vino itidem albo paratum. Nonnulli iridis radicem ſiccam tritam ex vino per aliquot dies exhibent, alii tria vel quatuor grana euphorbii in ovo ſorbillo. Nonnulli exhibent rhabarbari drachmam, aut chamedrios pulverem ad drachmas duas. Alii vinum abſinthinum, alii ſcillinum exhibere ſolent. Eodem modo per exterius commendarunt fomenta ex vehementer calidis & ſiccis, cujuſmodi eſt chamedris, pulegium, origanum, thymus & ſimilia. Utuntur etiam ſtercore bubulo ex aceto calido ventri appoſito, nec non ad hunc uſum commendantur, præſertimque ad aſcitem, emplaſtrum ex centaureo Aetii, & quod ab Aureliano diacaprejas, à Paulo deſcriptum, item Iceſion dictum; ſic in tympanite commendarunt epithema diaſpermatum vocatum, vel polyarcion, aut diaſampſucum, atque diamelilotum. In leucophlegmatia, commendant frictiones ex nitro, & ſale. Mirum eſt, cur Aurelianus fomenta ex aqua marina commendaverit, cum ipſa & ſiccando & adſtringendo laxis non adſtrictis morbis ſit re-

remedio; ſed non inconvenit quandoque medicamentum adſtringens, ex accidenti ſcilicet quatenus ſiccando humoremque abſumendo tumorem laxet. Neque eſt etiam ut admireris, ni conveniant laxantia primarum (ut ajunt) materierum, quippe temperate calida & humida, ut decoctum fœnugræci, lini, althææ & ſimilium, quando longe efficaciora medicamenta ad tantum humorem digerendum deſiderentur, atque illa inquam quæ cum vehementer calida ſint & ſicca, humorem fundunt, extenuant, reſolvunt. Neque obſtat, quod Galenus demonſtraverit, non dari emollientia tumoremque laxantia, quæ vehementer & calefaciant & ſiccent. Cum hæc humiditatem tenuiorem digerendo, craſſiorem craſſefaciendo potius tumorem indurent, adaugeantque. Etenim humiditas hydropem faciens cum ſeroſa ſit & tenuis, poteſt quidem tota à medicamento vehementer calido & ſicco abſumi. Atque hæc ſunt medicamenta, quæ Græci metaſyncritica, & Aurelianus recorporativa appellant. Quibuſdam in uſu fuerunt veſicantia, ventri adhibita, per quæ plagæ remanent, & ſervantur diu apertæ, ut per ipſas expurgetur ſeroſa humiditas, ſenſimque ac ſenſim purgata humiditate extantia tollatur; probantur ab Hippocrate inuſtiones, quæ aut ferro candenti fiunt in regione lienis, ſi lien in cauſa fuerit hujuſce affectus, vel in regione hepatis, ſi ab hepatis tumore, vel obſtructione hoc malum venerit. Ægyptii Medici non ferro candenti, at petiis lineis ignitis longe facilius & clementius, & ſine multo dolore cutem inurunt. Quem modum inurendi nos in libris de Medicina Ægyptiorum, ſecundo imprimendis (quando in prima editione in eo modo deſcribendo error magnus comiſſus ſit, quo modo ſi fiat inuſtio haud probe ſuccedet) accurate & fideliter docuimus. Ad hunc uſum maxime conducit punctio, vel ſcarificatio, at hoc faciendum priuſquam morbus in cachexiam abierit, & virium robore permittente. Hinc Hippocrates in epidemiis ſcripſit: *hydropicos ſtatim ſecare oportet, empyicos ſtatim urere.* Namque hæc præſidia in morbi principio conveniunt, priuſquam (ut ait Galenus) corrupta ſint viſcera. Inutiliter enim aqua educitur, quæ jam vitiatis, atque corruptis viſceribus generantur. Quo

In lib. 5. ſimpli.

In lib. de infer. part. affectibus.

leviter errant, qui in desperatis paracentesin exercent. Hippocrates venas in scroto crassissimas secabat, atque in eodem scroto, & in femoribus ac cruribus frequentia ulcuscula scalpello incutiebat. Paulus atque alii, hydropicis paulo infra umbilicum sectionem faciebant, ad latus dextrum si lien, atque ad siniſtrum si hepar in causa est. Alii ex eadem parte, qua viscus est, à quo malum primo ortum est, atque si intestina in causa sunt, quatuor sub umbilico digitis secant. Aurelianus magis in leucophlegmatia quam in ascite paracentesim probavit, complures ex Asclepiade supra talum crus scarificant, alii unam, alii duas sectiones facientes interius, ut cutis secta sit, alii exterius, atque alii utrinque scarificantes, ut paulatim humor evacuetur, operam dant. Hocque præsidii genere scimus nos complures hydrope fuisse sanatos, at quia curationem vulnerum neglexerunt, alio morbo quam hydrope interempti sunt, quippe vulnere in gangrenam abeunte, quo admonitos Medicos esse rogamus, ut summa cura à punctione seu scarificatione custodiant, ne ipsarum nativo calido labefactato magnam subeant putrefactionem, quod præcavebunt, si calorificis ulcera fovebunt, atque ab externo frigido aëre ea defendent; summopere illis conducet, si sæpius ulcera lavabunt vino aromatico calido, in quo ebullierit iris sicca, absinthium, vel marrhubium, vel rosa vel betonica, vel similia, nec non si ulceri admovebitur ceratum oxicroceum vocatum, & perpetuo detineatur, non minusque etiam petia linea vino calido supradicto imbuta & expressa superponatur, & perpetuo detineatur. Ex Recentioribus vero Andreas Laurentius vir doctissimus sectionem seu punctionem longe esse securiorem, quæ fit per medium umbilicum, & ratione & experimento in doctissimis libris suis opera Anatomica inscriptis, nobis persuadere studuit.

In l. 1. c. 8. controversia. 16.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

PROSPE-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De phlegmonum atque tumorum internorum vomicis ſive abſceſſibus eſſe agendum, & primum quid per abſceſſum vel per vomicam intelligatur, deque ipſius cauſis agitur.

POſteaquam actum eſt de internis cum phlegmonis, tum tumoribus, qui ſæpe in abſceſſus ſeu ſuppurationes vertuntur, ratio expoſtulare videtur, ut de internis quoque abſceſſibus, ſive ſuppurationibus, ſeu vomicis in præſentia agamus. Neque immerito ſane, cum hi affectus ſanatu maxime difficiles ſint, atque non raro Medicis occurrant. Vocant vero abſceſſum, alii purulentiam, alii collectionem, alii ſuppurationem, atque alii vomicam: quo nomine Aurelianus ſæpe uſus eſt. Non me latet abſceſſus Hippocratem plærumque humoris ex una parte corporis ad aliam tranſlationem vocare, & aliquando humoris itidem decubitum ad cutim ipſam. Verumenimvero per abſceſſum nos hic intelligimus phlegmones, atque tumoris in pus mutationem, ſuppurationemve. Etenim phlegmonæ & tumores, aut digeſto

humore, aut in aliam partem corporis tranſlato, aut quovis modo vacuato reſolvuntur, aut in ſcirrhum mutantur, aut denique ſuppurantur, ſive in pus vertuntur; quem affectum abſceſſum, ſuppurationem, atque vomicam Medici appellant. Differunt vero abſceſſus variis quidem differentiis, ſcilicet ex loco in quo pus fit, & ex loco in quem erumpit; atque etiam quod abſceſſus quidam fieri incipit, ſcilicet quando phlegmones, vel tumoris humor cœpit in pus verti, & quidam perfectus eſt, quippe qui ex toto in pus mutatus eſt, huncque proprie magis vomicam Medici vocaſſe viſi ſunt. Unde per vomicam non omnem abſceſſum intelligimus, ſed eum ſolummodo, qui ex toto ſuppuratus, ſeu in pus converſus eſt. Qua vomica ſeu pus factum, primum in parte phlegmone, vel tumore deprehenſa conſiſtit, ac poſtea ruptis continentibus partibus in alias partes vel internas, vel externas erumpit, quod ſi nobilis ſit pars, vel repente invadat, aut ſi vomica multa ſit, interimit ægrotos, aut ſaltem multa faſtidia ingerit, etſi poſtea probe etiam per congrua loca pus excernatur. Ceterum hiſce præmiſſis, præſtabit ad clariorem vomicarum notitiam aſſequendam, primo hujuſce affectus cauſas omnes nos perſcrutari, atque cognoſcere. Pro qua re illud in primis ſupponi debebit, ſcilicet ſuppurationem ſeu purulentiam eſſe in pus verſionem à calore factam. Quo liquido conſtabit, ipſam eſſe quandam coctionis ſpeciem, ſiquidem humorem phlegmones vel tumoris intus natura calore concoquente aggreditur, quem ſi tenuis ſit, paucus, & non pravus, calor coctione digerit, & qui vel multus eſt, vel craſſus, vel qualitate prava præditus, ipſum in pus vertit, purulentiamque ſive vomicam facit. Galenus triplicem eſſe alterationem à calore in humore factam ſtatuit: quippe coctionem, ſuppurationem, atque putrefactionem; coctionemque fieri à calore naturali, atque ex humore benigno apto nato à natura concoqui; putrefactionem vero à præternaturali calore agente ad corruptionem, atque ex humore apto nato putrefieri, minime concoqui (hic enim humor prava ejus qualitate, & ſubſtantia, qua naturæ aptus natus eſt adverſari, nihil quidem coctionis recipere poteſt;) demum ſuppurationem me-

mediam inter coctionem atque putredinem esse Gal. voluit, & merito sane, cum hujusmodi alteratio fiat à calore non ex toto naturali, sed ab extraneo etiam, atque ex humore non ex toto benigno, sed ex prava quidem, vel qualitate, vel substantia, aliquid habente, quo naturæ adversetur. Media itaque erit suppuratio inter coctionem atque putredinem. Aliqui tamen ipsam coctionem esse dixerunt, non tamen, quæ vera & propria dicitur (qua illud quod concoquitur, vertitur in substantiam corporis, ad nutritionemque utile redditur) sed ea, quæ humorum pravitatem vincit, emendat, atque compescit, ut non amplius corpus lædat, unde improprie concoctio hæc dicta est. At jam ad præcipuum institutum redeamus, quod fuerat, ut de causis, quibus suppuratio, purulentia, vomicave dicta fit, nos ageremus. Constat sane hujusce affectus præcipuam causam esse calorem ipsum concoquentem, sine quo nulla suppuratio, sed potius putredo fiet; hinc Hippoc. dicebat, tumores, qui in hypochondriis sunt, citius, & facilius suppurari, quam qui circa umbilicum, & omnium minime, qui sub ipso umbilico consistunt, quod hypochondriorum partes, iis qui circa umbilicum & sub umbilico sunt, longe calidiores existant. Itaque à calore omnis purulentia fit, à calore quidem naturali si & ipsa coctionis species sit, non tamen omnino à naturali, sed etiam ab extraneo præternaturalive naturali mixto, namque in phlegmonibus ac tumoribus; qui in pus vertuntur, præternaturalem calorem etiam extraneus & non naturalis vocatus agit. Naturalis enim vel à phlogosi, vel ab obstructione partium affectarum in igneum auctus permutatur; ex quo in phlegmone vel in tumore partium affectarum suppurando calorem agentem partim naturalem partimque præternaturalem esse (qui profecto auctor est purulentiæ) constabit. Quod vero in parte, quæ suppuratur, præternaturalem calorem agentem, etiam adscititius præternaturalisve adsit, atque agat, eo quidem argumento deprehenditur, quia medicamenta, quæ suppurant, emplastica Græcis vocata, sui ipsorum crassa viscidaque substantia meatus cutaneos infarciant, obstruantque, ea potissimum causa, ut obstructis meatibus calor intus claudatur,

ip-

ipſiuſque effluvium prohibeatur, atque ipſius ſubſtantia, quantitaſque augeatur; quorum meatuum obſtructione etiam, fuligines cum intus retineantur, neceſſario naturalis calor mixturam cum non naturali à fuliginum caliditate recipit, vel naturam caloris extranei nanciſcitur, vel ab ipſis fuliginibus mutatur in igneum præternaturalemque. Quæ ſane caloris mutatio à fuliginum qualitate ubi plurimum augeatur, diffuſa in univerſum corpus etiam febrem accendit. Quare vomicam, à calore mixtam naturam naturalis & præternaturalis habente, eoque in partibus phlegmone vel tumore obſeſſis agente, fieri aperte intelligitur. Accedit etiam quod ſanguis & pituita ab eodem calore facile in pus vertitur, atra bilis difficilius, bilis vero flava, quæque tenuioris eſt ſubſtantiæ, priuſquam in pus mutetur, à calore extenuata, digeritur. Atqui ab hiſce cauſis ſuppuratio quælibet, quæ purulentia itidem & vomica dicitur, generationem habet. Unde affectum fieri à tumoribus, à phlegmonis atque etiam à carnoſarum partium contuſionibus dicemus, nimirum à calore non ex toto præternaturali, neque ex toto naturali, ſed mixtam qualitatem habente ex naturali atque ex præternaturali, alteratis, & concoctis.

CAPUT II.

De partibus in quibus purulentiæ, ſeu vomicæ fiunt.

PArtes omnes, quæ phlegmonis, atque tumoribus ſunt obnoxiæ, vomicis deprehendi poſſunt. Unde & in capite non raro collectiones eæ fiunt, ſæpiſſime in thorace & in ventre. In ventris autem variis partibus vomicæ fiunt, plærumque in hypochondriis contentis, aliquando in iis, quæ circa umbilicum ſubſiſtunt, atque demum rariſſime in ſub umbilico poſitis, ſcilicet, ut Hippocrates eſt auctor, quod partes ſub hypochondriis contentæ calidiores iis, quæ circa umbilicum ſunt, exiſtant, & minime omnium calidæ ſub umbilico poſitæ, ex calore autem fieri omnes ſuppurationes, ſuperius demonſtratum eſt; hinc partes omnes, quæ juxta hypochondria ſunt, citius faciliuſque ſuppurantur, & tardius difficiliuſque, quæ circa umbi-

bilicum conſiſtunt, omniumque tardiſſime & difficillime, quæ ſub umbilico. Quo Hippocrates in 6. epid. 2. umbilicum ſuppurationum eſſe terminum ſtatuit. Quod vero in capitis partibus internis vomicæ fiant, non eſt Medicis ignotum, aliquando enim ex phlegmone membranarum cerebri, & aliarum quoque partium vomicam ortam fuiſſe (licet hoc raro ob ejus membri frigiditatem fiat) à multis deprehenſum eſt. Hippocrates ſcripſit: *ſi pus per nares aut os, aut aures effluxerit, capite dolentes & vehementer quidem laborantes ſolvere:* & in Coacis præſagiis, *pus per nares excretum capitis dolorem itidem tollere.* Hoc Echecati cæco contigiſſe Hippocrates narrat in epidemiis, quippe qui, cum in ejus capite affectus phlegmonoſus ſuppuratus fuerit, puſque per aurem expurgatum, ſanus evaſit; ſæpe numero intra aures ex phlegmone puris collectio fit, non raro in gutture ex angina. At non addimus partes, in thoracis regione poſitas, quæ ſuppurari ſolent; hæque præcipuæ ſunt, pleura membrana, pulmo, diaphragma, cordis pericardium; & in ventre ipſo omnes partes contentæ huic malo ſunt obnoxiæ, ſcilicet, ſtomachus quoad ejus omnes partes, inteſtina, ſcilicet pylorus, jejunum, colon, & longanon ſive rectum, & omnia tenuia inteſtina, meſereum, meſocolum, pancreas, omentum, hepar, veſica fellis, lien, vena cava, porta, renes, veſica atque uterus in mulieribus. Itaque cum in omnibus his partibus aut phlegmone, aut tumore oppreſſis vomicæ concitari ſoleant, quæque omnes cum ægrotantium vitam in magno diſcrimine ponant, ipſarumque curatio magnas habeat difficultates, & majori ex parte judicium itidem eæ habeant difficile, proinde de ipſis accurate in præſentia agendum duximus; & priuſquam ad ipſarum curationem perſtringendam deſcendamus, eas & in communi, & in particulari cognoſcere operam dabimus.

In 6. aphor. 19.

In 7. epid. tex. 55. Libro 5. com. 1. tex. 21.

CAPUT. III.

Quibus ſignis puris collectio vel vomica fieri deprehendatur.

Gal. in 2. de loc. affec. cap. 3.

VOmicæ vel magnas phlegmones ſequuntur, vel excrementorum collectiones, vel tumores œdematoſos, vel ab aliis humoribus obortos; & cum (uti dictum eſt) affectus hi qui ſuppurantur, vel in capite conſiſtant, vel in thorace, vel denique in ventre, proinde priori loco ſigna in communi conſiderabimus, quibus ſuppuratio omnis in qualibet parte corporis oborta nobis innoteſcat, ſcilicet, ejus quæ primo fit in capite, & poſtea in thorace, atque demum in ventre; ſigillatimque cujuslibet partis in aliqua trium corporis regionum ſuppuratæ ſigna proſequemur. Porro internæ ſupurationis ſigna ſimilia magna ex parte ſunt iis quæ in externis ſuppurationibus elucent. Duo quidem in externis ſuppurationibus obſervamus, dolorem quippe vehementer pulſantem, propter arteriarum motum aucto calore, & aucta ex humoris fuſione ejuſdem humoris quantitate, quæ quo magis implet, & minus cedit, eo magis premit, ac arteriam præ tumore diſtentam dolore afficit; atque caloris auctionem, tum propter auctum humoris plurimum incalefacti copiam, quæ pluribus partibus communicatur, unde ex aucto calore, etiam pars, quæ ſuppuratur, ruborem contrahit. Quo chyrurgi in tumore ſuppurando hæc merito tria obſervare ſolent, nempe (ut dictum eſt) dolorem vehementem, cum pulſatione, calorem in parte auctum, & aliquando etiam ita intenſe auctum, ut febris exinde concitetur; atque deinde in parte contractum ruborem. Quibus ſane ſignis Medici phlegmonas, tumoreſque ad ſuppurationem inclinantes facile cognoſcunt. In internis vero vomicis futuris & dolores & febres (ut expreſſit Hippoc.) augentur; atque alia etiam præter hæc ſigna Medicis innoteſcunt. Itaque in primis dolor maxime facit ad futuræ vomicæ notitiam, rigores, humoreſque & febres, ex his quædam ſunt, quæ ſuppurationem prænuntiant, & quædam, quæ actu vomicam fieri

In 2. aphor. 47.

iti-

itidem notant. De iis primo ſermo eſt habendus. Itaque ex doloribus, qui diu perſeverant cum febre abſque laudabili excretione, futuræ vomicæ erunt indicium. De quo ſigno Hippocrates in aphoriſmis habet: *A ventris dolore diuturno, ſuppuratio.* Galenus addidit; *ſi omnia circa ægrum opportune fiant.* Adhuc enim dolorem perdurare ſcilicet per longum tempus propter phlegmonem evenit, quæ temporis proceſſu ſuppurabitur, niſi hominem morte præripiat. Quod clarius de iis, quæ in thorace fiunt, adhuc expreſſit, dicens: *Quicunque dolor in his affligit ſedibus; non deſinens, neque excreationis purgatione, neque ventris ſubductione, neque venæ ſectione, ac medicamento, & victus ratione, in ſuppurationem verti ſciendum eſt,* & Galenus in comm. ait: *Quicunque dolor circa thoracis ac pulmonis ſedes non deſinit adhibitis ſubſidiis, idque malum tantummodo habet; nec ullum aliud exitioſum indicium adeſt, eum ſuppuraturum expectabis.* Eodem itidem modo & febris perſeverans vel cum dolore, vel cum gravitate vel hujus loco cum tuſſi, ſine laudabili excretione idem futurum prænunciat. Quam rem Hippoc. perbelle ita etiam expreſſit in prognoſticis: *Conſiderandum autem eſt & talia in hunc modum; ſi febris detinet, & dolor non deſinit, & ſcreatio non excernitur ex ratione, neque bilioſæ fuerint alvi dejectiones, neque ſolutiores, ac ſinceriores, nec urina admodum craſſa ac plenius obtinens ſedimentum, promittitur vero ab omnibus aliis ſignis ſalutaris, his tales fore abſceſſus ſperandum eſt:* Tempus quoque circumſcriptum eſt, quo purgari debeant, in multis phlegmonis, de quo in 7. aphoriſmorum Hippoc. inquit: *Diſtillationes in ventrem ſuperiorem ad ſuppurationem veniunt intra viginti dies:* & particulatim de pleuritide: *Quicunque morbo laterali laborantes in quadraginta diebus non repurgantur, hi ad ſuppurationem vertuntur.* Ita & in pulmonia, atque in aliis phlegmonis ſi diu dolor cum febre perſeveraverit ſine laudabili humorum excretione, ſuppuratio ſperanda erit. De quibus auctor coacorum præſagiorum dixit: *tumores ſi ſexaginta diebus ſuperaverint, & permaneat febris, ſuppurantur;* in 1. vero prognoſt. tex. 31. brevius fieri docet, ait enim: *Quod ſi vigeſimum tranſcendit diem & febris detinet, & tumor non de-*

In 7. aphor. 22.

In 2. progn. tex. 52.

In 2. progn. tex. 65.

In 5. aphor. 8.

ſiſtit, in ſuppurationem verti ſignificat; ſed hiſce præmiſſis, ad ſigna pergamus, quæ non futuram ſuppurationem vomicamve prædicant, at præſentem quidem, quæ ſit, ſignificant. Quæ itidem erunt dolor, rigor horrorque, febris, gravitas ſeu pondus, anxietudo, inquietudoque. Dolor autem, ut ab ipſo exordiamur, tenſivus, & non ſemper cum pulſu (qui externarum vomicarum ſemper comes eſt) obſervari ſolet. Non enim internus dolor phlegmonum, quæ in pus mutantur, neceſſario pulſat, quoniam rara quidem viſcera ſunt, quæ abundent arteriis, atque etiam quia interna ſpacia, vacuave & circundantium laxitas facit, ut pulſatio ſi qua ſit, citra dolorem ſentiatur. Pro dolore aliquando gravedo fit cum calore, atque ab his aliquando pondus obſervari ſolet. De quo in coacis præſagiis Hippocrates habet: *Quibus latus ſublatum & calidius eſt, cumque in alterum incumbenti latus, quod ſanum eſt, gravitates pendere videtur, iis pus altera parte collectum eſt*; quod in prognoſticis clarius confirmavit ita, dicens: *etſi dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus, in loco quo dolore afficiebatur.* Calorem quoque in parte affecta intenſiorem ægroti incepto pure percipere ſolent, quod de pleuriticis, & pulmonicis ſuppuratis Hippoc. expreſſit, dicens: *latus eſſe calidius*; neque id fit profecto injuria, cum neceſſario latus à putredine, atque ab halitu calido puris contenti, magis debeat incalfieri. Quare hactenus ſigna inceptæ ſuppurationis ex dolore, gravedine, pondere, atque calore aucto in parte affecta nobis innotuerunt. Nunc alia ſigna proſequimur, ſcilicet febrem, una cum rigore vel horrore, quæ invadit; *febris enim dum pus fit* (ait Hippocrates) *augetur, vehementiuſque affligit.* Hujuſmodi vero febre (Galeno auctore) priuſquam phlegmonæ ſuppurari cœperint, ſimiles exiſtunt tertianis continuis, cum ſcilicet continuæ ſint, & de tertio in tertium exacerbationes habeant: ſuppuratione vero jam incœpta, quippe dum materia phlegmones ſuppuratur, quotidie habent exacerbationes, cum rigore horroreve, idcircoque probe has ſemitertianis comparavit; de quibus Auctor coacorum præſagiorum ait: *Qui identidem inhorreſcunt, ad ſuppurationem deveniunt, ſed & febris iis ſuppurationis eſt comes.* Ex fervore enim &

In 6. coac. præſag. ex Hol. ſec. 2. com. tex. 3. In 2. progn. tex. 58.

In 1. aphor. 12.

In 5. lib. ex Hol. ſect. 2. comm. 1. tex. 76.

& ex putredine humoris, qui ſuppuratur, halitus excitatus, membranas, & muſculos mordicans, aut etiam incepti puris acrimonia itidem vellicans partes ſenſibiles contrahit, atque horrorem inducit, quem ſequitur febris ea, quæ præceſſit, multo vehementior. Diſtinguitur vero ab eo, qui pure facto & effuſo concitatur; hic enim horror inordinatus majori ex parte eſſe ſolet, cum ſudore & aliquando levi animi deliquio. Horror itaque in ſuppurationibus apparet, horreſcuntque idcirco neceſſario, qui ſuppurantur, à contracto calore ad locum putredinis una cum ſanguine. At hic horror, quoad pus fiat, ordinem ſervat; poſteaquam vero pus factum eſt, citra ordinem invadere ſolet, quando hujus horroris non unica ſit cauſa, ſcilicet caloris ad humorem putreſcentem retractio, ſed & hæc, & membranarum pus continentium morſus vellicatione, contractioque facta tum ex halitus ex fervente humore concitati, tum facti puris acrimonia, quippe membranam ipſa mordente. In tumoribus enim partim in pus verſis, & partim mutandis, ad reliquum humoris ſuppurandi calor intro retrahitur, quo ægroti horreſcunt, atque halitus ex fervente humore ad membranas commoti, nec non puris, quod factum jam eſt, acrimonia membranas vellicans, atque contrahens horrorem itidem inducit, quem febris conſequitur ſemitertianæ ſimilis, quæ ex ordine non fit, ſed citra ullum ordinem aliquando cum ſudoribus multis, ita ut ſæpius & nullo ordine, modo inhorreſcant, modo ſudent, modo incaleant ſimpliciter; hujuſmodi vero febres, nec proprie putridæ dici debent, ex pure ſcilicet concocto concitatæ quales ab humoribus in venis, aut extra venas putreſcentibus excitantur, nec plane hecticæ, quoad partes ſolidas corporis invaſerint, ſed quodammodo inter utraſque mediæ ſunt, nec prorſus intermittentes; neque continuæ, videntur tamen intermittentes, quod cum horrore, vel cum rigore acceſſionem habeant, ſemitertianiſque vocatis ſimiles exiſtant; namque quotidie cum horrore invadunt, vere intermittentium more, ſed cum remitti horror videtur, atque acceſſio augeri itidem videtur, iterum ægroti horrent, adeo ut eadem die bis atque ter aliquando horror accedat; die vero ſequenti alteram habent acceſſionem, ſed

Gal. in 1. de loc. affect. cap. 5.

priore minorem, abſque duplicatione horroris; hæ vero id proprii habent, quo diſtinguantur à ſemitertianis, quæ fiunt à commota putredine in venis bilis atque pituitæ, quod nullo ſervato ordine ſæpius in his ægroti inhorreſcant, modo incaleant ſimpliciter abſque ullo horrore vel frigore, modo ſudent; atque hæ febres ſemitertianis ſimiles ſunt, è quibus tabidos laborare Hippocrates in epidemiis docuit, quæque tales prodeunt, poſtquam pus fieri cœptum eſt. Porro quæ ante ſuppurationem internarum phlegmonum febres fiunt, ſymptomata ſunt, neque ipſæ ad apyrexiam deſinunt, tertianarumque naturam præ ſe ferentes, utpote quæ de tertio in tertium habent exacerbationes, tamen abſque rigore horroreve, aliquando cum levi pedum frigore invadentes, quod de pleuriticis Hippocra-
In 1. de vict. rat. in acutis. tes expreſſit: Quare poſt factam ſuppurationem febris ſemitertianarum more, ſed nullo tamen ſervato ordine, modo cum horrore, modo citra horrorem calore ſolummodo exacerbato invadunt, modo cum ſudore, aliquando ita parva fit acceſſio, ut ea die vel nihil vel parum febrire ſuppurati videantur; nonnunquam omnino deſinere videntur interdumque tempus ſolitum invaſionis horamque permutantes. Plerumque vero magis ad noctem acceſſionem habent quam in die, maximeque circa veſperam invadentes: atque hæ perpetuo lethales ſunt, quæ ægrotum aut puris multitudine ſuffocatum iri, aut tabidum ſive phthiſicum moriturum denotant. Unde nos diſtinguere oportet, quod ubi pus fit, & commode expurgatur, nedum febres non adſunt, ſed quæ ante ſuppurationem fuerunt, plane conquieſcunt. Itaque ut ad inſtitutum primum redeamus, pus ubi fit, febris vehementior quam antea apparet, horrorque fit, & à contracto calore, & ex halitus ferventis humoris & incepti puris acrimonia membranas nervoſque vellicante, contrahenteque: adeſt etiam in parte affecta aucta caliditas, gravitaſque & pondus, inquieti ſunt, & anxii, pulſus languidi celereſque obſervantur, & reſpiratio itidem crebra & plerumque parva eſt.
In lib. 5. chronicor. cap. 8. Aurelianus de ſignis vomicæ ſcribens, inquit; quod eos ſequatur febricula vehemens inordinata ſæpe cum rigore & torpore frigido, vel corporis cum inquietudine, jactationeve; tum loci

ci adeſt fervor incendioſus, gravedo, tenſio (exceptis, quæ in pulmone fiunt) ſæpe ſtimulans dolor & pulſuoſus ſit, tum celer pulſus atque humilis, & ſæpe ſudor magis capitis atque colli apparet. Hippoc. in 7. epidem. de Metone Pleuritico, qui poſtea ſuppuratus eſt, ſcripſit: *Dejectio multa bilioſa, in tribus diebus fere ceſſavit dolor, calor autem circa ſeptimam aut nonam. Tuſſis aderat, excretiones neque bilioſæ neque multæ fiebant, pituitoſæ vero tuſſes ſequebantur, cibos guſtabat; aliquando exibat veluti ſanus. Apprehendebant autem quandoque illum calores tenues exiguum tempus, ſudores exigui fiebant ad noctem, ſpiritus in febre denſior, maxillarum rubor, circa latus gravitas & ſub alis & ad humerum, tuſſes tenebant.* Atque hiſce ſignis nobis, quæ interius fiunt purulentiæ, probe innoteſcent. Nunc ſequitur ut ea etiam ſigna, quæ, facto effuſoque pure, apparent, dicamus.

CAPUT. IV.

Quibus ſignis ſuppuratio ſive puris collectio, quæ facta eſt, deprehenditur.

UBi pus in parte aliqua interna factum eſt (auctore Hippocrate) dolores, rigores atque febres minores evadunt, quinimo plane conquieſcunt, ſi pus etiam commode expurgatur, ſeu excretum fuerit, eadem die in ſalutari ſuppuratione febrem deſinere Hippocrates expreſſit; itaque febres, dolores & rigores minores evadunt, Aurelianus dicebat facta ſuppuratione, ceſſare cum rigorem, tum dolorem, febriſque recedere inquietudinem. Attamen hoc recte intelligendum eſt, quod facto pure (niſi magna ex parte ipſum fuerit commode excretum) hæc plane haud recedant, ſed tamen aliqua ex parte minora fiunt, minuſque empyicos affligunt: quod perbelle docebat Hippocrates, cum dicebat: *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam jam confecto.* Recedunt vero omnino hæc omnia ubi factum pus fuerit expurgatum; de quo Hippocrates ait: *Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, his ſuppuratione facta, & eruptione, ſolvitur dolor.* Quare dolores, & febres minores redduntur, ſemitertianiſque ſimiles exiſtunt, at à ve-

In 2. aphor. 47.

In 2. prog. text. 48.

In 2. aphor. 47.

In 7. aphor. 57.

veris ſemitertianis diſtinguuntur, quia ſunt inordinatæ, & tales quales in altero capite expreſſimus. Nimirum quæ nullo ſervato ordine invadunt, modo cum horrore, modo citra horrorem, modo cum ſudore, noctu ingraveſcentes. His vero & horrores (uti dictum eſt) conjunguntur facti ab acrimonia puris, quod ad vicina corpora, ſcilicet membranas & nervos, commotum lædit. In coacis præſagiis ſcriptum eſt, Horrore affectos plerumque ad ſuppurationem perduci, & febres intermittentes à ſuppuratione plerumque ſudorificas eſſe. Igitur non minus etiam ſudores merito accidunt; unde recte dictum eſt, quibus vomica interna eſt, & rigor & ſudor ſæpius accidit; ſudor vero ex capite, cervice, & quandoque ex toto corpore exit, atque hic eſt quædam levis tenuiſque humiditas, virium infirmitate, ſcillicet partium ſolidarum debilitata retentrice, ſæpius quæ in ſuppuratis exudat, præſertimque à pure effuſo viſcera interna lædente. Unde vires collabuntur, pulſus frequens parvus & languidus fit, & nonnunquam crebra animi defectio, cum qua ſuppurati exudant & reſolvuntur, quæ ſigna fuere à Deſiderio Jacotio viro ſane doctiſſimo & graviſſimo, ut notavit in ſuis doctiſſimis ad coaca Hippocratis præſagia commentariis, in quadam puella, quæ fere repente à vomica fuit interempta. ait enim: *Puella quædam, cum optime habita omnibus videretur, in lentam quandam febrem incidit, tertianæ intermittenti non abſimilem, ſine dolore in ventre: ad eam circa mediam noctem vocati, quod levi animi deliquio laboraſſet, cum rigore quodam quem paroxiſmi principium eſſe putabant, prædiximus abſceſſum in ventre ruptum ex quo brevi interitura eſſet.* Hippocrates in prognoſticis de purulentis (intelligit autem eos, qui in thorace pus collectum habent) de quibus nos poſterius ſigillatim ſcribemus, ſcribens ait: *Principio ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt, ſi copia ſudoris elicitur, ac tuſſiendi cupiditas eſt, nec quicquam tamen commentatione dignum expuunt.* Ariſtoteles ad cognoſcendum tumorem ſuppuratum, affundit aquam, quem, ſi ab ipſa calore mutatur, purulentum agnoſcit. Hippocrates argilla tegendum cenſuit, quæ ſi citius, quam quæ alteri loco minime de ſuppuratione ſuſpecto appoſita eſt, re-

In tex. 60.

In 1. de morb. In 3. probl. ſec. 3.

reſiccatur, vomicam latere oſtendit. In prognoſticis vero ex pondere in parte affecta, ex rigore horroreve, ex ſudore, & ex febre ſemitertianæ ſimili, ſudoreque (ut hactenus oſtendimus) cognoſcendum voluit. Aliqui cum his ſignis quandam mollitiem cum puris inundatione in parte affecta (ſi tumor obſervari queat, quando loci denſitas tactum non perturbet) tanquam indicium certiſſimum addunt; ſed hæc ſatis erunt ad cognoſcendam vomicam, quæ interius facta eſt. Nunc deſcendendum erit ad particulares vomicas, quæ in variis partibus fiunt.

CAPUT. V.

De vomicis, quæ fiunt in capitis partibus, cognoſcendis.

VOmicas in capitis partibus extimis fieri frequentiſſime, qui praxim exercent, obſervant, ſcilicet intra pericranium, ex phlegmonis, tumoribuſque phlegmonoſis; atque etiam in lue gallica infectis, in his præcedunt dolores continui, firmi, atque vehementes, ſæpiſſime etiam cum pulſu, aliquando cum febre, plerumque citra febrem hi dolores perſeverant. Aliquando etiam intra cranium vel circa membranas cerebri vomicæ fiunt (licet hoc fiat rariſſime propter partis frigiditatem) nam, ut alias dictum eſt, ſuppurationes omnes à calore fiunt, quo Hippocrates in epidemiis ſcripſit, umbilicum eſſe terminum ſuppurationum, quæ in ventre fiunt, eo præſertim argumento, quod partes ſub umbilico poſitæ hypochondriis frigidiores ſint, & idcirco non aptæ ſuppurationibus; quare ob hanc etiam cauſam fit, ut rariſſime cerebri partes, ob loci frigiditatem ſuppurentur; tamen aliquando in cerebri cavitatibus, diſſectis cadaveribus, vomica deprehenſa eſt puris collecti, quod alias nos vidimus in quibuſdam per nares, antegreſſa phlegmone, excretum fuiſſe. Signa fuerunt, dolor firmus, aſſiduus, vehemens, cum pulſu lancinans, longo tempore perſeverans cum febre acuta, aſſidua, diu durante. Vomica vero facta cognoſcitur, quod & dolor & febris quadantenus minus affligant, &

In 6. epidem. 2. tex. 4.

in capite gravitas & pondus pro dolore ſentiatur, at plures horum apoplecticorum modo ſuffocati à puris multitudine atque à craſſitie cerebri cavitates infarciente, obſtruenteque pereunt; ſi per nares autem effluat pus album, leve, æquale, & copioſum, ſalutem promittit. Non raro intra aures vomicam puriſve collectionem fieri deprehendimus magnam inflammationem ſubſecutam; hujus quidem puris collectionem ex aurium dolore acuto ac febre continua & vehementi (quæ ſigna ſunt pathognomonica magnæ phlegmones ibi exiſtentis) ſecutam. Hippocrates in prognoſticis meminit; & de ipſa in Coacis præſagiis inquit: *Aurium dolor pertinax cum febre acuta, & alio ſigno eorum, quæ leviter difficilia ſunt, juvenes quidem ſeptimo die interficit, & multo celerius adfert, delirium, niſi pus multum ex aure, aut ſanguis è naribus effluat.* Itaque ſi dolor cum febre continua diu perſeveraverit fueritque lancinans & pulſatorius, vomicæ futuræ eſt indicium: aurium enim phlegmonæ ſi vehementes ſint, ſolent cito interficere, faciliuſque & citius juvenes quam ſenes, ob nimirum ſymptomatum magnitudinem, quæ fit ex temperamento calidiori, quo juvenes ſanguine bilioſo abundant, unde in affectum incidunt vehementiſſimum acutiſſimumque, à quo cito interimuntur; ſeniores vero (quod ſanguine frigidiori abundent, à quo vehementia ſymptomata non fiunt) tardius & minus hoc malum (Hippocrate auctore) interficit. Tamen & multi etiam puerorum, juvenumque ex phlegmone, quæ non ſit uſque adeo magna & acuta, ſuppuratione facta, & per aures pure excreto, ſervantur. Hujuſmodi fuiſſe Emyris filium Hippoc. in epidemiis ſcriptum reliquit, de quo habet: *Emyris filius febricitabat, ex aure fluebat purulentum circa octavam non ſcio.* Ubi itaque dolor & febris non uſque adeo vehemens & acuta fuerit, diutiuſque perſeveraverit, cum dolore pulſatorio, vomica intra aurem futura eſt, ubi vero phlegmone in pus verſa eſt, dolor atque febris miteſcit: ſi vero etiam per aures pus exierit, album, leve, æquale, omnino febris atque dolor ceſſabunt. In oris quoque partibus internis maximeque in gingivis atque partibus adjacentibus, ſæpius obortа phlegmone ſuppuratur, quam præcedit dolor, cum pulſu, &

In 3. prog. tex. 13. In 1. coac. præſag. ſec. 2. comm. 1. tex. 1.

In 3. progn. 14.

4. epid. tex. 11,

& aliquando etiam febris, ſi vehemens fuerit morbus, ſæpe rupto abſceſſu vomica exit, & æger ita liberatur. Non raro etiam ab angina vomica fit, etenim eodem modo hæc phlegmone in vomicam ſæpius mutatur, atque ita ægroti evadunt. Quam ſane vomicam antecedunt quoque & dolor & febris, ſi enim malum ſit acutiſſimum, maximumque, cito hominem interficit, aut abſceſſus purulentus fit; plerumque vero ſolet vomica ſubſequi dolorem & febrem, quæ diu perſeveraverint. In Ægypto olim & in Cayri civitate, quo tempore ad nationem Venetam perſanandam morabamur, quidam Turca, cum longo tempore gutturis dolore laboraſſet, me accerſito, plures aureos pollicitus eſt, ſi illum perſanaviſſem. Cum vero cognoviſſem vomicam in gutture adeſſe, intuſque (nondum eruptione facta) pus adhuc contineri, atque ilico, à me aliquibus tentatis medicamentis rupto abſceſſu, multaque copia puris expurgata per os, ſanus ille evaſiſſet, negavit mihi velle quicquam perſolvere licet plures aureos antea mihi pollicitus fuiſſet, ſi ipſum ſanitati reſtituiſſem, nullaque alia ratione uſus eſt, ut mercedem mihi promiſſam negaret, quam quod dicebat, me nimis cito illum perſanaviſſe, parumque idcirco laboris in eo perſanando me ſuſtinuiſſe.

CAPUT VI.

De vomicis, quæ fiunt in thoracis partibus, & primo de vomica, quæ fit ex pleuritide & ex pulmonia.

INter vomicas, eæ præcipuæ ſunt, quæ in cavitate thoracis fiunt, vel ex pleuritide, vel ex pulmonia, vel ex catarrho, aut denique ex ſputo ſanguinis. Namque, quæ in pleura membrana, fit, rupta membrana in thoracis ſeu pectoris cava ſeu inania loca erumpit, atque eodem modo in pulmonibus pus factum, aut ex phlegmone ſuppurata, aut ex catarrho ibi putrefacto, aut denique ab exulceratis pulmonibus, ſi multum effluat (uti dictum eſt) in cavitates pectoris erumpit. Vomica vero, quæ ex pleuritide

ſuppurata fit, ei admodum ſimilis exiſtit, quæ fit in pulmonibus ex pulmonia, licet in quibuſdam differant. Namque in pleuritica præcedit rigoris, febris atque doloris auctio, factoque pure hæc omnia remittuntur, pro doloreque gravitas ſeu pondus in parte habet; atque hoc eſt, quod dicebat Hippoc. in prognoſticis: *Et ſi dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus in loco quo dolore afficiebatur. Hæc enim accidunt inter initia ſuppurationis.* Diſtinguitur vero gravitas & pondus, quod in pleuritica ſuppuratione obſervatur, ab eo quod ex pulmonia fit, quoniam aut in altero latere, aut in ambobus pondus ſentitur. In pulmonia vero (ait Galenus) in utraque potius, quam in altera colligitur pus: De quibus Hippocrates inquit: *Si ſuppuratio in altero latere tantummodo fuerit, advertere atque ediſcere convenit in his, utrum in altero habeat latere dolorem, & utrum calidius quam alterum ſit, atque eo incolumi cubante, latus requirere oportet, num aliquod deſuper onus illi pendere videatur; ſi enim id fuerit, ſuppuratio in altero latere fatigat, utrovis onus exiſtat.* Accidit in pleura, ſuppuratione facta, difficultas reſpirandi, difficiliſque jacendi poteſtas ſupra contrarium (ut ex Hippocrate viſum eſt) patienti latus, hoc eſt, ut Aurelianus inquit, ſupra latus, quod morbo afficitur, cum ſenſu quodam interno veluti pendentium membrorum, vel membranarum: & ſæpe corpore commoto, ſeu è latere in latus verſo, quaſi ſonus auditur, veluti incluſi atque colliſi, fluctuantiſque humoris; poſt acceptum cibum moleſtiam etiam ſentiunt. Ex pulmonia vero vomica interſtinguitur: ſiquidem dolor neutiquam antegreſſus eſt, ſed pro dolore gravitas in thorace ſentitur, maximaque ſpirandi difficultas: ſed tamen aliquando videntur ſuppurati melius reſpirare, quippe in thoracis cavitates vomica è pulmone effuſa; adeſt item tuſſis vehemens, cum qua pus expuunt, vox redditur (trachea arteria à puris copia vitiata) obſcura, & rauca, fætida itidem redduntur expiratio, thoracis gravedo, & tenſio ſentitur, maximeque ſi ſupine decumbant, quaſi ſuffocantur, idcirco recta cervice ſedentes relevantur; denique ſeipſos ſuſtollunt ad partes lecti ſublimiores, quo levatius, habeant caput: In his maxillæ rubent, cavitas in oculis ap-

In 2. lib. progn. tex. 58.

In 2. lib. progn. tex. 59.

apparet: adſunt & deſudationes, febres aſſiduæ ſunt, noctu increſcentes: Empyici hi à Græcis merito vocantur. De his Hippocrates in prognoſticis inquit: *Omnes agnoſci purulentos his indiciis convenit: principio, ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt; ſi copia ſudoris elicitur, & tuſſiendi cupiditas eſt, nec quicquam tamen dignum commentatione expuunt; ſi oculi cavi redduntur maxillæ vero rubore trahunt*; & cetera. Galenus ait, hæc obſervari in ſuppuratione, quæ diu moratur; brevioris vero ſuppurationis ſigna eſſe rigorem, febrem, atque pondus, & ſi æger difficilius, quam antea, reſpiret. Eodem modo purulentiam in his, qui ex pulmonibus, vel ex thorace expuerunt, fieri denotabunt, rigor, febriſque (uti dictum eſt) ſemitertianæ ſimilis, quæ tamen nunquam ad infebricitationem veniat, eritque qualis ab Hippocrate expreſſa eſt, ſcilicet quæ interdiu levior, & noctu gravior apparet; pus expuunt cum tuſſi ſatis moleſta, maxillæ rubent, ſudantque, difficulter reſpirant. Qua durante diu affectione, tabidorum ſigna omnia apparent. Eadem vero ſigna, & ſi fiat ex catarrho vomica, elueſcunt; at primo ii non expuunt quicquam commentatione dignum, quando, ſi copioſe expuerent, non fierent purulenti, reſpiratio admodum difficilis redditur, tuſſis irrita, in qua, ut dictum eſt, parum expuunt (non expuunt autem aut propter puris craſſitudinem, vel ob viſcoſitatem, aut propter membranarum denſitatem, aut denique propter imbecillitatem: multum enim roboris requiritur, ad copiam puris craſſi & viſcidi expectorandam, excernendamque.) Si vero vomica fiat in ſepto tranſverſo, quod Græci diaphragma appellant, vel in parte ſupra præcordia intra cavitatem thoracis, vel intra ipſum diaphragma exiſtet; ſi in ſuperiori fit parte, ſcilicet quæ ſupra præcordia eſt intra cavitatem thoracis, dolor ſupra eadem præcordia per utraque latera penetrat uſque ad poſteriora; tenſioque & gravitas juxta finem pectoris, vel ſub extremis coſtis atque ultimis oſſibus perſeverans uſque ad ilia diſtenditur, cum difficultateque reſpirant: ſi vero intra ventrem, qua ventriculum attingit, extra ſeptum collectio ſit, ſonitus aliquando fluctuatiove veluti incluſi humoris auditur, adeſtque

In 2. prog. tex. 60.

tuſſicula, & in reſpirationibus difficultas plurima, reſpiratio longa, & forinſecus ex attracto ſpiritu dolor fit, qui nunquam ſequitur eos, qui pulmonis vomica tenentur. Etenim pneumonici ſpiritum hauriendo magis relevantur. Ubi vero in vacuis thoracis locis collectio recepta eſt, aderit thoracis gravitas, tuſſis valida ſiccaque cum dolore, aliquando etiam cum humiditate, ob quam relevari quoque videntur, febriculæ per initia affligunt, languidæ, inordinatæ, ad judicandum difficiles. Poſtquam vero abſceſſus ad vomicam inclinaverit, vehementius cum quodam horrore febricitant, atque in ſermonis proprietate conturbantur ſpiritu moleſtati: ſpirationis quoque adeſt difficultas, ita, ut ſuffocari videantur. At Hippocrates (ut alias dictum eſt) dixit: *ſi febris non dimittit ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt, ſi copia ſudoris elicitur, ſi tuſſiendi cupiditas adeſt, nec quicquam dignum expuunt, oculi cavi redduntur, maxillæ rubent.* Quæ ſigna potius ex pulmonia vomicam denotare, nuper meminimus; ſed jam ad vomicam in ventris partibus collectam cognoſcendam accedimus.

In 2. prog. tex. 60.

CAPUT. VII.

De vomicis, quæ fiunt in ventris partibus & primum de ea, quæ in ſtomacho, in hepate, in liene, in meſenterio, pancreate, atque in omento excitatur.

CUm ſtomachus ab œſophago incipiendo, ex ore, quod veteres καρδιὰν appellarunt, quia exquiſitiſſimo acerrimoque ſenſu eſt præditum, principium habeat, & ad os inferius, quod pylorum quoque vocant, terminum itidem habeat, media pars, ipſius venter, atque capacitas eſt. Itaque ſigna vomicæ in ſtomacho exiſtentis, erunt, tetræ eructationes, reſpirationis difficultas, ſed minor, quam in diaphragmate ſi ſit collectio, aliquando tuſſicula parva, citra ullam humoris excretionem; nauſea adeſt, aliquandoque vomitus puris, animi defectio, extremorum refrigeratio, ſudor parvus, languidus, in ſum-

ſumma cute: cibi aſſumpti corruptio, unde acidæ quoque fiunt eructationes atque fætidæ; ſitis cum linguæ aſperitate vexat, ægre cibum deglutiunt, præſertimque ſi ad ſuperiores partes vomica pertingat: namque (ait Aurelianus) *bi, priuſquam cibus tranſvoretur preſſuram ſentiunt, & poſt devoratum cibum relevantur*; in quibus etiam nulla apparet inflatio vel extantia, ſed dolor atque gravedo inter ſcapulas, vel in poſterioribus cervicis partibus ſentiuntur. Ubi vero (ut jam dictum quoque eſt) vomica ventrem, ſeu ambitum, atque fundum ſtomachi tenuerit, inflatio inferius à diaphragmate circa medium præcordiorum ſiniſtrorum flexa, apparet, & impreſſioni digitorum cedens, atque reſurgens, cum nauſea, faſtidio, ſiti, eructationibus acidis & fætidis, cum corruptione ciborum, quandoque etiam cum liquidis dejectionibus. At ſi in inferioribus collectio erit, facile ægroti cibos tranſglutiunt citraque dolorem, at poſtea ſequitur doloroſa cibi perceptio, ſcilicet cum cibus ad fundum ſtomachi pervenerit, hocque confirmabit dolor ex anterioribus partibus in ore ventris perceptus, cum inflatione vel extumeſcentia, extantiave, quæ impreſſioni digitorum cedat, ac reſurgat; ſi in pyloro, id eſt, in ventriculi ore inferiori aderit collectio, dolor & gravedo, & extantia percipientur in ultima parte ventris ſub dextro latere, atque ilio, vel ſub jecore ipſo; ſi vero in hepate ſit, apparet inflatio & puiſuoſa diſpoſitio, quæ nobis partes ſanas, quæ hepati incumbunt, tangentibus maxime occurrit; ſi poſt phlegmonem dolor, diſtentioque in jecore augeatur, rigoreſque ſine ratione fiant, in ipſo inquam vomicam eſſe deprehendetur, quod eo quoque clarius intelligetur, ſi jecore dolentes minus in ſiniſtrum latus decumbere queant. Ubi vero in tunica hepatis collectio fuerit conſtituta, dolor erit acutus & vehemens, & ad jugulum aliquando pertingens, quod hepar præ vomica intumeſcens, trahat vincula, quibus cum aliis vicinis partibus colligatur. Ubi vero in ſubſtantia ejuſdem viſceris fuerit collectio, dolor erit cum gravitate, quod ſi etiam cavam hepatis partem magis tenuerit, os ventriculi preſſione dolet, ægerque nauſeabundus eſt, cum vomitu aliquando ichoris purulenti; & cum faſtidio. De quibus

In 6. coac. præſag. ſec. 2. com. 1. tex. 33.

bus auctor Coacorum præſagiorum ita habet: *Qui circa hepar dolent, & os ventriculi, ſoporoſi, rigore ſub inde concuſſi, alvo turbata, macilenti averſantur cibos, & multum exudant, per alvum purulenta prodeunt.* Si vero gibba magis collectione vexatur, tumor apparentior eſt, neque os ventris ita patitur, & aliquando per urinam puris ichor effluit. Ubi vero lienem collectio habuerit (quod tamen rariſſime obſervatur, quando hoc viſcus, & ob frigiditatem, & ob humoris craſſi terrenique abundantiam, non facile ad ſuppurationem veniat) aperte tumor cum gravitate deprehenditur, & cum ſignis antegreſſis, ſcilicet, cum febris & doloris auctione, atque rigoribus citra rationem concitatis. At nunc ad collectionem abſceſſumve in omento, pancreate, atque in meſenterio concitatum veniamus: in quibus partibus non raro vomicæ fieri ſolent, quod hæ partes multo calore foveantur. Itaque ſi in omento fiat; præter ſigna antegreſſa doloris, febris rigoriſque, aderit tenſio ſeu inflatio juxta hypochondria ſub umbilico, quæ non erit firma ſeu ſtabilis, at quæ nutat & movetur; pro dolore aderit gravitas atque pondus. Quod ſi lienem verſus extenditur, cum tenſione non parum ſtomacho anguſtiæ & doloris adfert, quod omentum ventriculi fundo & inteſtinis ſuperioribus innatet; ſi in meſenterio ſit collectio, difficilior cognitio, alte enim tenſio, quippe in altioribus partibus ſub umbilico poſitis, preſſu perquirenda erit, quæ non primo, ſed firmo validoque preſſu deprehenditur; unde gravitas ponduſque penitius ad inteſtina ſentietur; cum quibus aderit lumborum dolorificus ſenſus, quod meſenterii membranæ oriantur à ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, ipſis nimirum membranis puris copia valde diſtentis.

CAPUT VIII.

De vomicis, quæ fiunt in inteſtinis.

SI in aliquo inteſtinorum vomica fuerit, erit inflatio extantiave ſecundum ejus poſitionem, ſi in pyloro, inflatio apparebit in parte ultima ventris ſub dextro latere, atque in ilio, vel ſub

ſub jecore. Si jejunum collectionem habuerit, ſupradicta inflatio erit in ventris parte ſiniſtra, veluti ſub liene; ſi alia tenuiora inteſtina tenuerit, inflatio erit inter umbilici atque pectinis regionem; ſi in colo, ſecundum dextrum ilium circa umbilicum extantia ſive inflatio erit uſque ad ſiniſtra loca protenſa. Accedit, quod una aderunt reliqua ſigna ipſum colon affectum denotantia, præſertimque dolor antegreſſus, qui cum interno fervore atque febre continua, cum rigore citra rationem oborto apparuerit. Diſtinguitur vero dolor, ab eo, qui ab acribus humoribus calidis fit, quoniam ſi in colo ſuppuratio fiat, dolor erit cum pulſu, gravitate, atque diſtentione. Si vero collectionem habeat inteſtinum rectum, aderit clunium dolor, cum mingendi difficultate; & ventris ſtrictura vel aliquando cum purulenta dejectione; inflatio erit interna, quæ intromiſſis per podicem digitis deprehenditur; & ad inferiora venientibus liquidis commixta ſtercora putria generantur, ita ut plerumque lateat, an ex pyloro, vel ex jejuno, aut ex aliis ex tenuioribus inteſtinis, hæc ferri videantur, ſed hæc erunt purulenta, à ſtercoreque ſeparata, atque diſcreta, ſi ex colo, aut ex recto inteſtino deferantur. Hæc fere Aurelianus, quibus longe plura addi poſſent ad deprehendendas inteſtinorum collectiones, quæ ſingula cum ex ſingulis ſignis inteſtinum affectum unumquodlibet denotantibus, nobis maxime innoteſcant, idcirco, ne prolixius agerem, reliqua ſigna lubens omiſi. Quæ præſertim deprehendentur ex antegreſſis ſignis cujuslibet affecti inteſtini, ſcilicet doloris, febris, rigoris, atque ex gravitate, pondere, atque ex inflatione; ſed age nunc de ſignis agamus, vomicas in renibus, veſica, atque in utero eſſe ſignificantibus.

CAPUT. IX.

De vomicis, quæ fiunt in renibus, in veſica, atque in utero.

QUi memoria habuerit ſigna, quibus renum phlegmonas cognoſci ſuperius ſcriptum eſt, facile ex ſubſequentibus

etiam in iisdem renibus, vel in ipsorum altero collectionem, vomicamve factam esse intelliget. In puris sane generatione & dolores & febres augentur horroresque fiunt inordinati, febresque etiam inordinatæ itidem observantur, pronique (ut ait Galenus) in ventrem decumbunt, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectæ partis positus; laborans si sese vertat, circa renem dolentem, veluti suspensi cujusdam ponderis sensum percipit. Aderit urina crassa, rubra, nigricans cum materia crassa purulenta, qua sæpe urinæ meatibus infarctis homines citissime intereunt. Quo oculatissimi esse debent Medici, si suppurationis suspicio adfuerit, ut omni conatu viæ urinæ laxentur, ab infarctuque laxatoriis medicamentis intus, extraque adhibitis liberentur. Qualia ferme Paulus meminit. Iisdem signis vomica in vesica innotescet, atque eo facilius & apertius ex ejus positu. Abscessum vero tunc esse in utero deprehendemus, cum intensus dolor sit pulsatque, & usque ad imum ventrem & ad inguina ac ad lumbos pertingit, & febres itidem fiunt inordinatæ. Paulus de signis vomicæ in utero ita habet:

In lib. 6. de loc. affect. cap. 3.

In lib. 3. cap. 65.

Præterea vero inordinatæ febrium cum horrore acceſſiones obveniunt, primis quidem temporibus intenſæ cum doloribus: ad ultimum, ubi ſuppuraverit, aliquantulum remittunt. Poſtquam vero erupit vomica, dolores acriores ſub inde viſi ſunt, ceu lancinantes & punctura modo incidere; febriculæ vehementius infeſtant, atque urina nonnunquam retinetur, nonnunquam ſtercus, impedimento ab affecta uteri parte facto; alias tumor in pube eminet, & veluti exundationis ſenſus, cum abſceſſus major fuerit. At quod in expoſitis locis eſt, etiam inſtrumento ad percipiendum injecto, aut digitorum tactu deprehenditur, quod dolores ob nervoſam oris vulvæ membranam, acriores urgeant; ſicut in fundo, ſinuque minus doloris percipitur, tuncque digitis quidem tumor non ocurrit, os autem gracilius oſtenditur. Atque hæc erunt ſigna collectionis in renibus, in veſica, atque in utero factæ.

CAPUT. X.

De puris eruptione, & quibus ſignis in varias partes corporis pus effuſum deprehendatur.

POſteaquam pus factum eſt, natura pro viribus ſemper nititur ex affecto loco ipſum poſt coctionem excernere, quod aliquando aſſequitur nacta meatum aliquem excretione, tanquam emiſſarium, oportunum. Nonnunquam vero nullo patente emiſſario pus in vicinas partes & ſpatiola inania diſpergitur, locumque dilatat, qui vel corrumpitur, vel in duritiem ſcirrhoſam mutatur, vel ſi pus ſupra peritonæum ſit, ipſum erodit, atque ſupra inteſtina prolabitur. Ubi vero intra peritonæum eſt eruptio, pus ad varias partes affunditur. Quandoque autem, nullo patente aditu, partem vomicam continentem erodit, ut in externis ſuppuratis tumoribus obſervatur, atque per illud foramen erumpit, effunditurque. Vomicæ vero quandoque citius, quandoque tardius erumpunt; dicebat Hippocrates interdum eruptiones puris fieri die vigeſima, nonnunquam trigeſima, aliquando quadrageſima, atque interdum etiam ſexageſima die, quæ eruptionis varietas refertur cum in partium caliditatem frigiditatemque, tum in denſitatem, ac in raritatem, atque in puris craſſitiem, lentorem, & tenuitatem. Ex locis quidem, quæ multum calida ſunt, in ipſis & ſuppurationes & eruptiones citius fieri, quam in minus calidis, Hippocrates expreſſit. Quo dixit, qui circa ventrem ſunt tumores minus quam in hypochondriis contentos ſuppurari, & omnium minime, qui ſub umbilico ſunt, unde merito in epidemiis umbilicum ſuppurationum terminum fecit. Eodem modo vomicæ puris tenuis, admodumque acris, citiſſime erumpunt, atque etiam facillime ſi & partes ſufficientem raritatem habuerint. Contra ubi pus craſſum viſcidumque eſt, tarde erumpit, omniumque tardiſſime ſi etiam membranæ, parteſque continentes inſignem denſitatem itidem habuerint. Signa autem eruptionis factæ haud æque eadem in omnibus ſunt; ſiquidem præterquam, quod facta vomica omnia ſymptomata conquieviſſe quadantenus

In 2. prog. tex. 57.

In 3. coac. præſag. tex. 2. com. 1. tex. 2.

videri ſolent, id etiam obſervatur (ſi vomica effatu digna ſit, atque intus in profundo erumpat) quod vires vitales debiliores reddantur, ita ut pulſus parvus, frequens, atque languidus evadat, crebraque fiat animi exolutio, ſudent, rigeantque. De quibus auctor coac. præſagiorum ait: *Quibus vomica interna eſt, iis & ſudor, & rigor ſæpius accidit, & in morte alvus his perturbatur.* Ubi vero vomica exterius in ſuperficiem ſcilicet erumpit, vires robuſtiores redduntur, pulſus majores, quietiores, reſpiratio relevatior, & reliqua his ſimiliter reſpondent; ſed tempus eſt, ut ſigna ſigillatim proſequamur vomicarum ad varias corporis partes erumpentium. Vomica itaque aut intra peritonæum erumpit, aut extra. Quæ extra, aut ad muſculos aut ad partes ſubter cutem poſitas; in haſce partes pus abſceſſiſſe tumor in parte deprehenſus, dolor atque color in cute vitiatus, oſtendunt. Porro coloris mutatio exterius apparens latentis vomicæ & puris nota eſt: quæ vomica in mediis muſculis relicta longius diſpergitur, ut ad cutem perveniat, aut ipſam cutem prava evaporatione corrumpat, ſicuti pericranio pallido, flavo, aut alio colore non naturali vitiato, intus pus contineri vel in diploe, vel in cerebro, aut in ſuperficie cranii deprehendimus. Intra peritonæum ad varias partes abſcedit; atque effunditur vomica, & in media regione corporis, & poſtrema. In media, plerumque ad tracheam vocatam arteriam pus erumpit, quod tuſſiculam inducit, cum ſputo puris aliquid mixtum habente, & reſpirationis difficultatem facit, quod ſi coacervata ſit eruptio, aderit & animi defectio, atque præfocatio. Ubi vero vomica abſcedit inter thoracis vacua & peritonæum, ſi homo moveatur, & in lectulo decumbens in latus alterum vertatur, ſonus quidam apertiſſime auditur veluti inclusi humoris fluctuantis, quem Græci hydatiſmon appellarunt. Accedit quod ſi parvus ſit abſceſſus recteque expurgetur, & vires conſtent, reſpiratio relevatur, vires robuſtiores evadunt, tuſſiſque humida eſt & purulenta. At ſi vomica multa ſit, contra res ſe habet, etenim vires dejiciuntur, tuſſis eſt valida, nec quicquam commentatione dignum expuunt, ſpirationis difficultas, ſuffocatio, animique etiam defectio accidit; cum vero vo-

In 1. coac. præſag. com. 2. tex. 10.

vomica ad ſeptum tranſverſum affuſa eſt, aderit ſpirationis difficultas, tuſſicula, cum illius partis dolore, diſtentione, atque gravitate; ſub eodem vero ſepto in ultima regione pure itidem abſcedente, aderunt juxta eam partem prædicta ſymptomata cum partium inferiorum maximeque inteſtinorum dolore; ſi ad ventriculum puris vomica erumpat, obſervabitur nauſea, vomitus puris, & quandoque cum ſanguine, animi defectio. De quibus recte quidem Hippocrates dixit: *A tuberculi intus eruptione, exſolutio, vomitio, aut animi defectio.* Aretæus in 7. lib. de morbis chronicis cap. 18. nauſeam itidem, cibi odium, vomitum pituitæ & bilis, defectum animæ, vertiginem, uſque eo donec pus erumpat, ſigna eruptionis ad ſtomachum fecit. Ad ventrem vero ſi pus effundatur, partium internarum dolores vehementes, cum inflatione, & flatulentia. Aretæus addidit tormina ventris, alvum liquidam, in qua pituita & bilis primo effertur, deinde cruentum virus circumfluens, aut humiditas aquæ loturæ carnis ſimilis. Si vero inter peritonæum, & inteſtina pus erumpat, ſonus apertiſſime incluſi humoris, puriſve, fluctuantis auditur, venterque hydropis modo intumeſcit, cum mordicationibus, atque doloribus repentinis, & hæc cum virium exſolutione, extremorum refrigeratione, & aliquando cum rigore inordinato, & ſudore fiunt; ſi pus multum ſit, & coacervatum ad inteſtina erumpat, vix aliquis ſervatur; ſtatim enim defectio animi, & quidem crebra fit, & paulo poſt intereunt, ut Deſiderius Jacotius vir undequaque doctiſſimus, in ſuis commentariis ad coaca præſagia Hippocrates, ſæpe in multis ſe obſervaſſe, ſcriptum reliquit. Itaque rupto abſceſſu, ob puris illuviem ad interiora erumpentem, vix quiſquam ſervatur; ſiquidem effuſa ſanie in capacitatem abdominis, quo modo & hydropicorum aqua confluit, & in viſcera nobilia ſanie redundante, cor puris tetro vapore obruitur, venter brevi intumeſcit, extrema refrigerantur, ſudore frigido frons madet, cum inquietatione & dolore, donec æger de medio tollatur. Proinde ſi ad thoracis vacua, & ad tracheam arteriam pus prorumpat, tuſſis erit humida, ſcilicet cum ſanie; ſi ad ſtomachum, vomitus purulentus; ſi ad ventrem, & inteſtina, pus per alvum

In 7. aphor. 8.

exit, doloreſque mordicantes, & dyſenterici ſimul apparent; ſi ad renes erumpat, & ad veſicam, crebra mictio fit, doloreſque, quales ex vomica in hiſce partibus conſtituta fieri ſuperius meminimus: & plerumque ex coacervato pure urinarias vias obſtruente urina plane ſupprimitur; & brevi moriuntur. Quod proximis hiſce diebus cuidam juveni nobili Anglo contigiſſe vidimus.

CAPUT XI.

De vomicarum prognoſtico, & primum de ſalutaribus, & mox de lethalibus cognoſcendis.

PRæmiſſis multis hactenus ad vomicarum notitiam facientibus, reliquum eſt, ut nunc de ipſarum prognoſtico agamus, eoque præſertim argumento, ut poſt hac commode vomicarum curationem etiam tractare poſſimus. Itaque vomicæ primum ſalutares, vel lethales deprehendi debent ex partibus in quibus fiunt, & in quas erumpunt; & hæc abſceſſus magnitudine, vel exilitate; ac etiam ex puris effluentis bonitate & vitio, atque ſi paulatim vel confertim erumpat, atque exeat è corpore; demumque ex ægrotantium aut meliore aut pejore ſtatu ſubſecuto. Quod itaque ad primum pertinet (in primis enim de ſalutaribus agimus) dicebat Hippocrates, maxime laudabilis ex iis, quæ foras erumpunt, eſſe, ſi quam minimum loci occupent, & ſi in acutiſſimum conum colligantur. Hoc virtutis expellentis fortitudinem, oſtendit. At laudabiles quoque non minus ſunt ex iis, quæ intro erumpunt, ſi ad partes corporis, in quibus, ut commode, expurgari queant, viæ ſunt à natura pro vacuationibus faciendis deſtinatæ. Has eruptiones Aurelianus rationales vocavit. Hujuſmodi autem ſunt, quæ ad ſtomachum per os, ad pulmones per arteriam majorem, ad inteſtina per podicem, ad renes & veſicam per urinam, atque ad uterum per ſinum muliebrem, erumpunt, expurganturque. Omnium vero maxime ſunt laudabiles, quæ per veſicam evacuantur, quoniam non repente & coacervatim cum urina pus ex-

excernitur, ex qua vires exſolvantur, ſed ſenſim ac ſenſim abſque ulla virium jactura. Hæc itaque laudabilior erit ceteris, dummodo pus ita evacuetur, ut dictum eſt; minime vero, quando ipſum coacervatum multumque in renes & in veſicam affuſum, meatus urinarios obſtruat urinaque ex toto ſuppreſſa ſuppuratos interimat: quod eo facilius fiet, ſi etiam valde craſſum pus atque viſcidum fuerit. Laudabiles quoque eæ non minus erunt, ubi abſceſſus exiguus ſit, vireſque conſtabunt, ut pus vomitione prorumpat, aut per alvum; aut per urinam profundatur, natura ſibi viam faciente (quæ per media oſſa ipſum pus etiam nonnunquam excludit.) Quod ſi pus bonum quoque erit, adhuc de ſalute judicium firmius erit. Hujuſmodi eſſe (ait Hippocrates) quod candidum, æquale, læveque, & quam minime fætidum eſt. De quo in aphoriſmis etiam dixit: *ſi empyicis cum uruntur, aut ſecantur, purum & album pus effluat, evadunt.* Hippoc. in 7. aphor. 45. ait: *Quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit & album, evadunt: in tunica enim his pus continetur. Oportet vero plurimum puris, ut evadant, expurgare.* Galenus ſcribit, quoſdam empyicos, qui evaſerunt, quindecim uſque heminas puris expuiſſe, ſed tamen id fiet longo quidem tempore, aliquando viginti & aliquando plurium dierum ſpatio. Unde Hippocrates de empyicis ait: *Quicumque ex morbo laterali fiunt ſuppurati, ſi quadraginta diebus purgantur, à die quo fit ruptio, liberantur.* Quod in Metone, ut ſcribit Hippoc. in 2. epid. obſervatum eſt; is etenim die xxxx. pus expuit, & diebus xxxv. puris purgationem abſolvit. Demum à morboſi ſtatus mutatione in melius poſt factam eruptionem puris laudabiles quoque judicabuntur. De quibus Hippocrates ait: *Hi vero potiſſimum ſuperſunt, quos febris eodem dimiſerit die poſt eruptionem, ac cibum citius appetunt, & à ſiti liberati ſunt, & venter exigua & conſiſtentia dejicit, & pus album & leve & concolor eſt; & pituita expers, & ſine labore ac tuſſi valida rejicitur.* Eodem itidem modo in aliarum partium vomicarum eruptionibus dicendum erit. Perpetuo ſi febris poſt eruptionem eadem die dimiſerit, ſi cibum appetant, ſi à ſiti liberentur, & pus optimum ſit, commodeque & ſine multo labo-

In 1. prog. tex. 42.

In 5. de loc. affect. cap. 5.

In 2. prog. tex. 63.

bore aut per vomitum, aut per ventrem, aut per urinam, aut per ſinum muliebrem, copioſe (non tamen coacervatim, ſed paulatim) expurgetur, optimum erit. Hæque erunt puris eruptiones laudabiles. Nunc ad eas, quæ minime laudabiles, at quinimo malæ & peſſimæ ſunt, deſcendimus. Quas itidem ex loco, in quem erumpunt, primo complectemur, ac deprehendere operam dabimus: ſecundo ex puris qualitate & vitio, atque ex incongrua purgatione: & denique ex ægrotantium in pejus mutatione idem proſequemur. Itaque ſi ex loco, in quem pus erumpit, judicium faciendum ſit, quæ in partem internam erumpunt, pejores, quam quæ in externam ſunt æſtimandæ; peſſimæ, quæ in utramque, ſcilicet & in internam & in externam; ſic enim geminatur malum, quoniam nullam tunc natura ſedem habet, nullumque principium renutritionis, quo ruptis ulceratiſve poſſit opem ferre, ac veluti in ſolo quodam firma jacere generandæ carnis fundamenta: quæ ſunt in ulceribus caro integra, in fracturis os ſanum è quo callus producitur. Namque etſi pus è corpore excernatur, nihilominus ulcus ex vomica contractum perpetuo multo pure ſordeſcit, nunquamque ſaneſcere poteſt; quo æger ſuppuratus ſenſim contabeſcit, putridaque, ſanioſa, ac interdum cruenta ſequitur alvi dejectio, ac ſæpe quaſi ex cadavere colliquatio, aut inguinum & pubis tumor manifeſtus oboritur. Nonnunquam obſervatum eſt, teſtes cum intumuiſſent, nulliſque remediis acquieſcerent, ulcus in muſculis abdominis ſupra pubem fuiſſe inventum. Quare peſſimæ ſunt eruptiones, quæ ſimul & in internam & in externam partem fiunt. His proximæ videntur, quæ cum ad incongrua loca, ſcilicet nullam viam purgatione opportunam habentia, erumpunt; has eruptiones irrationales Aurelianus appellavit, ipſaſque eſſe vomicas ait, quæ in diaphragmate, in pleura, aut in jecore, aut in liene productæ, rumpuntur, & per arteriam majorem, vel per ſtomachum, aut per veſicam, aut per uterum excluduntur, ſcilicet cum ex iis partibus, quæ vomica affectæ ſunt, viæ naturales exiſtant, ad ſupradictas partes ducentes. Fortaſſe haud Medicos latet vomicam in hepatis cava commode per ſtomachum expurgari poſſe non minus; quam, quæ in pleu-

pleura fit, per veſicam. Quod Galenum non latuit, & Anatomici venam quandam invenerunt ad urinarios meatus ducentem, ita ut non ſit neceſſe pus ex pleura in cordis ſinus (ut voluit Galenus) deferri, ut per veſicam expurgetur. Nos juvenem pleuriticam in domo Hermetis Forcaturæ Jurisconſulti celeberrimi, Patritii Patavini, Baſſani vidimus, quæ per urinam, ſputis plane ſuppreſſis, omnem humorem pleuritim facientem, excrevit, quæque ea evacuatione ab exitiali phlegmone libera evaſit. Haſce vero vias neque Aurelianus viſus eſt ignoraſſe, cum ſcripſerit; quoſdam, reperta fuiſſe vaſcula quædam, anatomica ratione deprehenſa, ad hæc loca penetrantia, animadvertiſſe: alios dixiſſe vias eſſe latentes, quas logotheoretas appellant, per quas limpida vel purulenta quadam exudatione feruntur: atque alios in ſingula loca ex aliis factam puris receptionem, quam metalepſim dixerunt, ſignis explicare voluiſſe, quæ non neceſſaria ſed frequentia ſunt. Ad ſtomachum vero puris eruptio plurimum debilitat virtutem, quia cibi appetentiam tollit. Unde merito ab Hippocrate in aphoriſmis ſcriptum eſt: *A tuberculi introrſum eruptione exolutionem, vomitionem, & animi defectionem fieri.* Ad arteriam vero majorem vomica coacervata ſuffocat; omnium eſt peſſima, quæ ad cor erumpit: quod & Eraſiſtratus affirmavit. Jacotius in coacis præſagiis narrat cuidam mulieri, ſuppuratam pulpam cordis, in multos dies urinam purulentam effluxiſſe, quartoque menſe in morturæ diſſecto corpore inventos duos calculos & abſceſſus diviſos in corde; eruptiones in regionem peritonæi atque inteſtinorum, quoniam pus jecori, lieni, ventriculo, inteſtiniſque offunditur, certum vitæ periculum inferunt, nimirum partibus his à puris copia, & prava qualitate plurimum vexatis. In thorace etiam pus abſceſſum niſi diebus quadraginta expurgetur, pulmonem exulcerat, phthiſimque invehit. Particulatim eruptio in hepar lethalis eſt: de qua Hippoc. in 7. aphor. 45. *quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus olei fæci ſimile exit, lethale.* quando pus facile ejus carneam ſubſtantiam corrumpat. Hinc Hippocrates in 2. epidemiorum ſcribit: *Abdominis vomicas dextra parte ſupra umbilicum effuſas, do-*

loroſas eſſe, & jactationes inconſtantes corporis, ſtercoriſque interdum vomitiones excitare. Non minus etiam quæ in pulmones abſcedunt, malæ ſunt; unde auctor Coacorum præſagiorum dicebat: *ſi dolores in hypochondriis, & pulmonibus ſuppurant, malum.* Pulmonis quoque vomicam, ſi per ventrem abſcedat, in coacis præſagiis ſcriptum eſt eſſe lethalem. Itaque quæcumque eruptiones intro eurmpunt, non modo in ſuperiorem ventrem, ſed etiam in inferiorem, ſi magnæ ſint, lethales merito judicari debebunt, & propter curationis difficultatem, & propter ſymptomata gravia, quæ excitantur, non minuſque etiam ob partium internarum à puris copia & à qualitate acri vexatarum, nobilitatem, atque demum ob puris denegatum extium. Hollerius ſcribit in coacis præſagiis ſi in mediam regionem & vacuam pus deponatur, & ſuperiorem partem invadat, lethale eſſe, præſertim ſi dextram partem vexet, propter hepar. Hæque ſunt malæ eruptiones ex partibus, ad quas abſcedunt, judicatæ. Nunc ad judicium ex puris copia, qualitate, atque à purgationis modo faciendum in iiſdem venimus. Puris multitudo magnæ vomicæ eſt indicium, quæ plerumque mala eſt; peſſima, ſi coacervata hæc puris copia intro erumpat ad viſcera nobilia, neque ex ratione expurgetur. Quod ſi pus quoque erit vel crudum vel verſicolor, vel bilioſum, vel ſubcruentum, olei amurcæ ſimile, aut verſicolor, atque fætidum, certum exitium futurum ſignificat. Ubi ſubſtantia hepatis carnoſa (parenchyma Græcis vocata) ſuppuratur, pus exit fæci olei perſimile, fætidumque: & in empyicis cum uruntur, ſi pus ſubcruentum, fæculentumque ac fætidum exeat (Hippocrate auctore) moriuntur. De bilioſis purulentis auctor Coacorum præſagiorum ſcribebat; Quibus cum bilioſo purulentum ſputum expurgatur, ſive pus ſeorſum exeat, ſive permixtum bilioſo, iis ut plurimum mortem ſubſequi. Cujuſmodi excreviſſe viſi ſunt, uxor Meandri cæci, atque filius Antiphradis. Demum peſſimæ eruptiones quoque erunt, à quibus ægroti in pejus mutantur, præſertimque qui immoderatius aut per vomitum, aut per alvum pus excernunt, quo vires maxime debilitantur: unde faſtidia, exſolutiones, atque animi defectiones fiunt: contra, ſi pus intro co-

In 6. coac. præſag. ſec. 2. com. 1. tex. 4.

In 5. coac. præſag. ſec. 2. tex. 35.

Hipp. in 7. epid. tex. 8. & tex. 35.

copioſum erumpat, neque ex ratione excernatur, ſed parum vel nihil, ſuffocati ii citiſſime pereunt. Porro ab ejuſmodi eruptionibus nedum ægri aliquo pacto relevantur, ſed rigent, anxii, inquietique evadunt, febricitant, ſitiunt, difficulter reſpirant, ſuffocantur, exſolvuntur, animo deficiunt, extrema refrigerantur, ſudant in capite. De his Hippocrates locutus ſcripſit: *Hi vero pereunt, quos febris non deſerit, aut, ſi videatur deſeruiſſe, rurſus recaleſcens appareat: ſitiunt, nec cibum appetunt; alvus humida eſt, pus viride, vel lividum ſpuunt, vel pituitoſum ac ſpumoſum*; pereunt, ſi hæc omnia adſint, ac quibus horum alia adveniunt, alia non, ii partim intereunt, partim multo tempore incolumes evadunt. Hæc eadem Aurelianus quoque expreſſit. In 2. prog. tex. 63.

CAPUT. XII.

De vomicarum curatione, & primo quæ ipſarum chirurgia, & quæ medicamentis tollantur.

PRæmiſſis omnibus cum ad vomicarum cognitionem, tum ad prognoſim facientibus, reliquum eſt, ut ad ipſarum etiam curationem tractandam nunc deſcendamus, quæ profecto partim medicamentis, partim ſectione fit. Partes vomica vexatæ non admittentes ſectionem pro curatione facienda ſunt (Auctore Aureliano) pulmones, diaphragma ſi vomica ſit in ejus parte intrinſeca, vel in ipſa ulteriore altitudine; item ſtomachi ſuperior à diaphragmate ſitus; ventris quoque interiores loci, & inteſtina (excepto fine recti inteſtini quod ſecari poteſt) veſicæ partes poſteriores, atque renes. Vomicas igitur in hiſce partibus factas haud quaquam chirurgia poſſe ſanari Aurelianus credidit, eoque præſertim argumento, quod hæ partes vomicam continentes ſint in internis, occultiſque locis poſitæ, compluribuſque ſuperpoſitis ſubjaceant membris: unde incidi non poſſint abſque multarum aliarum partium inciſione: quod ſi fieret, immoderatum ſanguinis profluvium ſequeretur, atque alia propter multarum partium vulnerationem ſymptomata ſæva fierent. Quare haſce vomicas in prædictis partibus interLib. 5. tard. paſſ. cap. 8.

nis obortas consultius medicamentis quam Chirurgia curare debemus. Aliæ vero chirurgia sive sectione curari possunt; quoties vomicarum collectum pus ad exteriora corporis facta eruptione fertur, vel magis ab altioribus abscedit, ut in pleura membrana, aut in diaphragmate forinsecus, atque in stomachi fundo, & in ventre circa ejus superiorem altitudinem: item in jecore, & in liene, & intestino cæco ad ejus exteriora atque spincteri vicina, & in anterioribus vesicæ, vel sub umbilico pubetenus, quod Græci etron appellant, item in vesicæ collo, vel in prima ejus parte, quàm Græci uretran vocant, & in perinæo. Atque hæ vomicæ sunt; quæ sectione tolli possunt, de quibus nos posterius accuratius agemus. Nunc ad eas, quæ non sectione curari possunt, sed solummodo medicamentis intus extraque adhibitis. Harum vero vomicarum curandi ratio hisce scopis potissimum perficitur, primus est, ut si fieri potest prohibeamus phlegmones suppurationem futuram digerentibus laxatoriisve medicamentis cum totius corporis, tum maxime partes inflammatæ. Alter, si suppuratio prohiberi, quo minus fiat, nequeat, ut eandem, quoad fieri potest, adjuvemus medicamentis scilicet suppuratoriis. Tertius facta vomica, ut procuremus cito, quantum possibile, ejus abscessionem, eruptionemve fieri. Quartus, ut pus facta eruptione citius, & probe evacuemus, detersoriis nimirum medicamentis, atque demum ulcera ab abscessibus relicta, ut recte curemus.

CAPUT XIII.

De medicamentis futurum abscessum, vomicamve tum prohibentibus, ne fiat; tum, ut cito probeque fiat, adjuvantibus.

SUppurationem prohibent ea omnia, quæ medicamentorum suppurantium temperamento, atque substantiæ, quovis modo opponuntur: porro cum suppurantia calida humidaque sint, & quam maxime partis corporis, in qua fieri debet suppuratio, naturæ seu temperamento similia; substantiæ etiam vi-

viſcidæ, & lentæ, ea, quæ impedient futuram ſuppurationem, erunt ſicca, atque vel multum calida ſimul vel frigida: hæc phlegmonem refrigerando indurant, atque in ſcirrhoſam duritiem mutant; illa vehementer digerendo phlegmones materiam diſcutiunt, & reſolvunt, atque hæc eſſe tenuioris quoque ſubſtantiæ oportebit. Itaque fugienda erunt ea medicamenta, quæ parti, in qua futura timetur ſuppuratio, temperamento plane ſimilia exiſtunt. Ut vero futura hæc ſuppuratio impediatur, primum laxantium uſus erit maxime idoneus, tum eorum, quæ corpus univerſum laxant, ipſumque laxando materiam phlegmonum diminuunt, quo poſtea facilius à natura partis humor digeratur: quod ſi fiat, omnis abſceſſus futuri ſuſpicio tolletur. Eo vero argumento id factum eſſe nobis innoteſcit, quia dolor, febris, & reliqua ſymptomata partis phlegmonem concomitantia plane tolluntur, atque quieſcunt: contra autem iiſdem perſeverantibus timendum erit de futura ſuppuratione: atque hoc eſt, quod Hippocrates in prognoſticis dicebat: *Quicunque dolor in iis affligit ſedibus, non deſinens, neque ſcreationis purgatione, neque ventris ſubductione, neque venæ inciſione, ac medicamento, & victus ratione, in ſuppurationem verti ſciendum eſt.* In 2. lib. tex. 32. Quibus liquido conſtabit nobis omnes cum evacuationes, tum purgationes plurimum valere ad prohibendum futurum abſceſſum, quod nimirum materiam, quæ ſtrictūram phlegmonemve fovet, diminuant, & reſolvant. Quibus præmiſſis, nos poterimus admovere partibus extimis medicamenta diſcutientia, vel ſiccantia, vel denique refrigerantia, hæc enim craſſiorem frigidioremque ſubſtantiam humoris ſtrictūram foventis præ frigore cogendo phlegmonem indurant: quoniam fortaſſe (licet quoque malum ſit, phlegmonem interni viſceris in ſcirrhoſam duritiem abire) minus malum erit in aliquibus partibus phlegmonem in ſcirrhoſam duritiem mutari, quam ſuppurari: nam internarum partium ſuppurationes nunquam periculo vacant. Atque hæc medicamenta hoc ipſum facientia ſunt adſtringentia, ſcilicet laxantibus contraria: veluti ſunt fomenta tepida ex lentiſco, myrto, terebintho (ſcilicet vel ex foliis vel ex fructibus,) vel ex plantagine aut polygono, aut equiſeto aut ſimilibus aliis in

aqua parata; vel epithemata ex ipſorum decoctis vel ex aquis ſtilatitiis cum aceto. Eodem itidem modo, quæ generoſe ſiccant, applicita ſuppurationem impediunt, cujuſmodi erit lapis Aſius, bolus Armenius, terra Lemnia, & Samia, tormentillæ radix, biſtortæ, & alia ſimilia: At jam deſcendimus ad digerentia ſive humorem diſcutientia medicamenta. Quæ primum locum habent, ſunt balnea ſulphurea, bituminoſa naturalia: cujuſmodi ſunt in agro Patavino Aponenſi, ſancti Petri, ſancti Bartholomæi; In agro Lucenſi balneum calidum: ſpongiis enim excepta ipſorum aqua calida adhiberi debet. Artificialia quoque balnea fiunt ebulliendo in aqua medicamenta diſcutientia: cujuſmodi ſunt (exempli gratia) chamomelum, anethum, ruta, origanum, pulegium, calamintha, peucedanum, meliſſa, chamædrys, chamæpitys, centaurium minus, polium, thymum, aſarum, abrotanum, agnus caſtus, dictamnus, cinnamomum, juniperus, mentaſtrum, amaracus, marum, trifolium bituminoſum, ſabina, apium, petroſelinon, & hujuſmodi ſimilia: quæ ſi fortaſſe nimis calida ad phlegmonas calidiores videbuntur, poterunt additis refrigeratoriis quibuſdam mitioris caliditatis reddi. Ex his igitur fomenta parabuntur ex aqua, quæ ſpongia excepta atque calida adhibita ad id plurimum juvabunt; ex iis quoque olea pro inunctionibus parabuntur. At inter hæc olea utilia erunt chamomelinum, anethinum, irinum, rutaceum, lilinum, amygdalinum, amaracinum, cicinnum, & antiquiſſimum dulce; hæc erunt aptiſſima medicamenta pro digerenda phlegmone, & prohibendo, quo minus ipſa in abſceſſum abeat. Quibus medicamentis ſi digeri inflammationis materia nequeat, ita ut non poſſit impediri ſuppuratio, quinimo ex ſignis ſuperius explicatis ſi deprehendatur, omnino ſuppurationem futuram, conſultius erit, eam quoad fieri poteſt, ut cito probeque fiat, medicamentis ſuppuratoriis adjuvare. Ad quam ſuppurationem adjuvandam Aurelianus commendavit fomenta ex decocto althææ; ſeminum fœnugræci, ſem. lini, aut ex mulſa parata per ſpongias thoraci (ſi ſit vomica in thoracis partibus) adhibita, aut hypochondriis, vel ventris inferioris partibus, ſi ſub ipſis ſubſit vo-

vomica; aut lumbis & pubi, ſi in renibus, vel in veſica itidem abſceſſus ſit; commendat itidem cataplaſmata ex iiſdem parata. Paulus eadem fere ad juvandam puris concoctionem meminit in uteri abſceſſu; in empyicis vero cataplaſma ex triticea farina, cum ficubus pinguibus coctis, cum foliis, vel radicibus althææ, cum modico reſinæ, atque nitri: aliquando ſimum columbinum addidit. Eodem modo juvant ſpongiarum evaporationes ex decocto althææ, malvarum, ſem. lini, fœnugræci, cumque ficubus pinguibus ſimul concoctis. Innumera fere ſunt, medicamenta ſuppuratoria primo ſimplicia, mox compoſita. Ex ſimplicibus etiam aqua temperate calida partibus mollioribus (quod ſane ſuppurantia temperate calida atque humida eſſe oporteat, & quam ſimillima partis, in qua vomica fit, temperamento) affuſa, ad ſimplicem phlegmonem ſuppurandam erit accommodatiſſima; ſimiliter hydrelæum dulce modice calidum. Si vomica fuerit in ſuperioribus partibus, per os oleum calidum vel decoctum althææ, vel hydrelæum ad ſemilibram dandum. Et ſi fuerit in partibus infernis, eadem medicamenta clyſteribus erunt injicienda. Per exterius vero adeps ſuillus, vitulinus, butyrum, œſypus congruent. In durioribus vero, & tarde ſuppurantibus triticum ore præmanſum ſalivaque hominis commollitum adhibebitur. Panis item ſiccus uberiore oleo commollitus conducet, & ſale conditus longe efficacior eſt; ex adipibus taurinus, & caprillus. Pix, vel reſina ex vetere oleo adhibita, eſt utilis; tuſſilagoque ſub cineribus cocta, atque appoſita: non minus & pix arida, qualis eſt coracina & colophonia, uberiore oleo dulci diſſoluta. Ex compoſitis item multa ſunt. In mollioribus & facile ſuppuraturis convenit cataplaſma, quod ex farina triticea furfuribus repurgata, vel ex pane aqua diſſoluto, addito oleo, vel butyro, coctione paratur: aut eadem farina hydrelæo coquitur, & croco coloratur; pingue etiam lanæ ſordidæ adhibitum utile erit: quod ut fiat, accipe lanam ſordidam modica aqua maceratam, cui additur tertia pars vini dulcis, coquuntur omnia, & quod ſuperfluit, eo utere. Paratur etiam decoctum caricarum, accipiendo (exempli gratia) caricarum pinguium lib. v. aquæ lib. ix.

ix. bulliant quoad tres libræ remaneant, quo calido utere: longe efficacius ſuppurabit idem addita farina triticea, oleo, vel butyro, ex iiſque omnibus paretur cataplaſma. Sunt qui in althææ decocto paſſulas, & farinam coquentes parant cataplaſma addito croco. In durioribus è ficubus, calce, ſale torrefacto, atque aceti fæce, medicamentum parant ſuppuratorium; eſt & tetrapharmacum vocatum, quod ex pice, reſina, cera, atque adipe fit, oleoque ſubigitur. Hæc medicamenta ad puris concoctionem adjuvandam adduxiſſe ſufficiet.

CAPUT. XIV.

De præſidiis vomicarum eruptionem adjuvantibus.

VOmicæ aliquando, concocto abſceſſu, cito erumpunt, interdum tarde, ut aliquæ ad diem uſque ſexageſimum eruptionem habeant. In illis dolor continenter acrius vexat, febriſque vehemens itidem: unde ægri etiam inquieti & anxii redduntur. Contra, ſi doloris febriſque vehementia quadantenus fuerit diminuta, tamen uterque affectus continenter perſeveret, tardius vomicam ruptum iri denotat. Ut vero eruptionem acceleremus, quando pus collectum diu in parte contineri tutum non ſit, cum eam corrumpat, aptis remediis pus tenuandum, liquandum, calefaciendum, atque agitandum erit, & natura, ut propellat, maxime irritanda: & quæ vehementer calida exiſtunt, aptiſſima ſunt ut pus collectum extenuetur, liqueturque, acria vero, ſalſa, & amara ad irritandam naturam: à quibus tamen abſtinendum, ſi aliquid ſuperſit phlegmones, cum, tumore exaſperato, vomicæ majores evadant. Motus præterea omnes utiles ſunt ad agitandum, movendumque pus; unde mirum non eſt, ſi veteres Medici omnes laudarint, primum, ut ſuppurati ſuper latus decumbant, ſi in ſuperioribus à diaphragmate partibus pus fuerit collectum, quod nimirum puris multitudo, præ gravitate & pondere ad vacua dependens, faciliorem ruptionem faciat. Itaque ſupinum decubitum idcirco evitare debebunt, quando hic decubitus præterquam quod nihil eruptionem juvare poteſt, id quoque mali facit, ut inde arteria extenta an-

anguſtetur, indeque ſpirationis difficultas ſubſequatur, & nimia liquidorum fiat excluſio. Sternutamentum quoque & tuſſis commota pus agitando eruptioni favent: quam ob cauſam aliquando etiam vomitio erit concitanda. Quo factum eſt, ut apud antiquos cum purgantia vomitoria tum ventriflua ad adjuvandam puris eruptionem fuerint in uſu, atque ex iis ſigillatim tum elleborus albus, tum hiera diacolocynthidos, & ſimilia. In uſu vero medicamentorum, pro eruptione juvanda, à mitioribus erit inchoandum. Hujuſmodi ſunt, fomenta, cataplaſmataque nuper ad juvandam ſuppurationem expreſſa: ſcilicet ex polline tritici, aut ſem. lini, aut fœnugræci, ex aqua mulſa vel ex decocto althææ. Et non tantum externa convenient medicamenta, at quinimo magis etiam interna; unde ſi vomica fuerit in partibus ſuperioribus, per os dandum erit ante cibum oleum dulce calidum (exempli gratia) ad uncias quatuor, & etiam ad ſemilibram, vel mulſum mediocriter coctum, aut hydrelæum, vel decoctum radicum althææ, vel fœnugræci, vel lini, ex melle. In cibo dandus erit ptiſanæ cremor cum melle, vel atriplex cocta vel urticæ folia itidem cum melle: dandum itidem mulſum, aut mel cum reſina terebinthina; aut dandum butyrum non antiquum, aut porra cocta cum oleo & garo, aut lac cum mulſo, & quandoque ptiſana hordeacea cum vino ſcyllino. Ex medicamentis etiam dabitur ex melle reſina (præſertim, ſi puris craſſities aut lentor ſit cauſa difficilis eruptionis) & lini ſemen cum melle juvat; item ſemen urticæ, vel ſinapis cum modico piperis longi triti; ſi vero id fiat propter naturæ expellentis debilitatem, ægri optimis cibis atque vino etiam ſunt reficiendi. Ubi vero his præſidiis non fiat eruptio, efficaciora erunt admovenda. Hujuſmodi ſunt (exempli gratia) fici decoctum calidum epotum, vel hyſſopi & rutæ, vel thymi vel ſatureiæ, vel origani & tragorigani, vel centaurei minoris, vel marrubii, aut ſinapis aut naſturtii, atque hæc omnia cum melle dabuntur. Ex compoſitis laudatur etiam diatrion pipereon ex mulſo, vel diaſcordium, vel diaciminon; ſi vero pus fuerit in inferioribus partibus collectum, eruptio erit clyſteribus ex ſupradictis cum decoctis, tum medicamen-

tis paratis adjuvanda; atque hiſce præſidiis puris eruptio erit facilitanda; qua eruptione facta pus erit evacuandum, ejuſque excretio medicamentis itidem adjuvanda.

CAPUT. XV.

De puris excretione per tuſſim, per vomitum: per alvum, per urinam, per uterum, atque per abſceſſus.

QUinque modis vomicas internas ruptas expurgari cognitum eſt, quippe per anacatharſim, quæ motu proprio per ſuperiora fit: etenim pulmones fugunt pus in thoracis cavitate, quo madent, quod compreſſione fertur in tracheam arteriam, & deinde per continuitatem ad os fertur, quæ excretio empyicorum eſt optima, omniumque maxime expetenda. Ubi vero pus aut propter craſſitiem & lentorem, aut ob debilitatem hoc modo non expurgatur, aut per alvum, aut per urinam, aut per uterum, aut per abſceſſus expurgatur. At ubi eruptio fit in ventre interdum per vomitum, ſæpius per alvum & per urinam, nonnunquam etiam per uterum excernitur. In ſuppuratis, uti dictum eſt, ſæpe per tuſſim educitur, non raro per urinam, & per alvum, & per abſceſſus. Per urinam pus ex thorace purgari Hippocrates in 1. epidem. ſec. 2. & in 3. epidem. ſect. 3. affirmavit: & Galenus in lib. 6. de loc. affectis cap. 4. & in 4. aphoriſ. 75. hujuſmodi purulentias per urinam purgatas tradidit. Ambigunt autem plures quomodo à cavitate thoracis in renes pus feratur. Nonnulli venæ ramum ſe inveniſſe gloriantur, qui ab azygo per coſtas excurrens, & diaphragma permeans, cum adipoſa & renali coit. Rectius videtur, quod à Galeno in lib. 6. de loc. affect. cap. 4. traditum de hac re fuit, ſcilicet, quantum levis arteria pulmonis ex rupta vomica puris ſuſcepit, id in ſiniſtrum cordis ſinum deferri, quod inde per arteriam magnam in renes fluit; hoc fuit ab anatomicis doctiſſimis comprobatum; quod Andreas Laurentius anatomicorum omnium hac ætate facile princeps clariſſimis exemplis

&

& hiſtoriis demonſtravit. Non raro per ventrem quoque pus ſecedere (quam purgationem Hippoc. in coacis præſagiis lethalem eſſe dixit) omnibus compertum eſt; ſed hanc ſymptomaticam eſſe excretionem conſtat, quod eo difficulter feratur, quoniam ex pulmone in cordis ventriculos recipitur, & ex corde aut per venam cavam in jecoris gibbam, & inde ad cavam, ad portas, & ad anfractus inteſtinorum pervenit; aut ex corde primum in magnam arteriam, deinde in eam, quæ meſentereo intexitur, penetrat. Per uterum expurgari etiam aliquando vomicam ex thorace Aretæus in lib. 3. de morb. chronicis cap. 9. ſe vidiſſe tradidit. Demum per abſceſſus etiam interdum eaſdem purulentias excerni Hippoc. in 2. progn. tex. 67. affirmavit, dicens: *Abceſſus ſi cruribus erumpit in pulmonia vehementi ac periculoſa, omnis eſt utilis.* At hiſce præmiſſis congruum eſt, ut ſigillatim, quod præcipuum noſtrum fuerat inſtitutum, ad ſingulas vomicæ excretiones adjuvandas deſcendamus. Itaque ſi vomica in thoracis vacua ſuſcepta ſit vel à pleura, vel à pulmone, vel à ſepto tranſverſo ſecedat in eadem loca, ad tracheamque arteriam delata per tuſſim expurgari cæperit, neque copioſe ut par eſt, pus expurgetur, vel propter ejus craſſitiem & lentorem, vel quia nimis tenue ſit, quam ſpiritus foras elidere queat, medicamentis bechicis vocatis opus erit, ipſum pus attenuantibus, aut incraſſantibus, detergentibuſque. Incraſſant ſemina papaverum alborum tenuiſſime trita cum ſaccharo aſſumpta; ex compoſitis diacodion & ſyrupus de papavere ad pus nimis acre & tenue incraſſandum eſt utilis. Ad ipſum autem extenuandum detergendumque mulſa ex praſſio, vel hyſſopo, vel tuſſilagine, vel ſcylla alterata, ſi per os exhibeatur ad ſemilibram. Decoctum quoque ex radice iridis ſicca minutim inciſa, item ex radice helenii, glycyrrhizæque, atque ex foliis farfaræ, capill. veneris cum modico praſſii in aqua paratum, cum ſaccharo vel cum melle calidum epotum ad id erit utiliſſimum. Non minus conducunt ex uſualibus ſyrupis pectoralibus illi, qui de praſſio, vel de hyſſopo, vel de glycyrrhiza vel de tuſſilagine parantur. Atque ex iiſdem medicamentis eclegmata cum melle vel ſaccharo parata laudantur.

Aurelianus, præter mulſum, & cremorem ptiſanæ cum melle, dabat etiam porra decocta cum oleo & garo parata, reſinamque itidem ex melle, ſemen lini tritum cum melle, atque ſemina urticæ trita cum melle itidem. Ægyptii utuntur familiarius eclegmate, quod paratur ex iridis radicis ſiccæ, hyſſopi ſicci an. ʒ. xx. bulliunt in tribus libris aquæ, quoad una ſuperſit percolatoque decocto addentes ſacchari quod ſatis ſit, apud ignem ſyrupum conficiunt, quo utuntur, accipiendo id cochlearis menſura, atque etiam ipſum lambendo. Aliud, ad expuitionem puris juvandam, familiare habere ſolent, è ſeminibus naſturtii paratum, atque ſemine tum lini, tum fœnugræci itidem paratum quæ omnia à nobis deſcripta fuerunt in libris de medic. Ægyptiorum, nova editione evulgandis; ſi vero pus cæperit per ſtomachum vomitu purgari, adjuvare excretionem oportebit vomitoriis medicamentis; primumque clementioribus, cujuſmodi ſunt aqua tepida cum ſyrupo acetoſo largius epota, vel eadem aqua cum glycyrrhiza, ſemine apii, atque aniſi decocta, ant hydrelæum, vel etiam oleum amygdalinum dulce & amarum, vel decoctum althææ, vel ſem. lini, fœnugræci & ſimilium, his enim vomitionem adjuvabimus; quæ ſi his non moveatur, validiora erunt tentanda, cujuſmodi aptiſſimum erit agarici optimi pulverizati drachma ex melle epota; aut ſi opus fuerit, tentanda quoque erit potio ellebori albi, priuſquam æger à copia puris intereat: ſed tantum ſemidrachma decoquenda erit in vini albi dulcis aromatici ſemilibra, quoad quatuor unciæ remaneant, cum ſemidrachma thuris maſculi, atque ſem. hyperici. Aretæus in lib. 8. de morb. chronicis cap. 13. dabat hyſſopum ex mulſa in potu, vel marrubium, vel ſuccum abſinthii. Hæc ante cibum uſurpanda, ut humores extenuentur, & viæ lubricæ reddantur, & ut purulentia facile rumpantur; dabat etiam lac aſininum in potu. Ubi vero per alvum deſcendit, clyſteribus deterſoriis opus erit, cujuſmodi erunt, qui ex mulſa, oleo, & ſale, parantur, vel qui ex decocto althææ, malvarum, betæ, furfurumque triticearum, atque ex melle roſaceo, cum nitri duabus drachmis, oleoque amygdalino amaro. Aptiſſimi quoque erunt, ſi ex hordei non à corticibus re-

In lib. 4. cap. 9.

pur-

purgati ptiſanæ cremores parabuntur, cum oleo dulci, melle roſaceo, vel ex melle atque ex nitro. Aretæus dabat lac aſininum vel caprinum, vel ovinum; & cum obſoniis piper, zinziber, & liguſticum: quod alvum moveant. Si vomica per renes ad veſicam deſcenderit, diureticis medicamentis itidem erit opus, & primo dandum erit ſerum lactis ad libras tres, cum ſemilibra lactis ſeminum melonum vel cucumeris; utiliſſimum erit decoctum ad libram cum ſaccharo epotum calidum, quod, exempli gratia, parabitur accipiendo radicis althææ, glycyrrhizæ, an. unc. 1. ſeminum althææ, malvarum, cucumeris, melonis, an. ʒ. iij. petroſelini, apii, aniſorum, citri an. ʒ. ij. ſimul omnia in mortario contundantur, atque cum aqua vel cum decocto althææ lac exprimatur. Floris quoque caſſiæ catharticæ Abiſſinæ vocatæ, recentiſſime extractæ drachmæ decem, cum drachma pulveris radicis glycyrrhizæ, ſi exhibeantur, maxime excretio per urinam juvabitur. Demum ſi per ſinum muliebrem expurgetur vomica, peſſis utendum erit ex butyro recenti, vel ex œſypo, cum modico ſucci cucumeris ſylveſtris, vel colocynthidis, vel cum modico nitri, vel ſalis. Inſeſſiones quoque plurimum hanc excretionem adjuvare poterunt, paratæ ex decocto malvarum, althææ ſem. fœnugræci, foliorum vel radicis ebuli, artemiſiæ, petroſelini, apii, & ſimilium. Atque hæc ſufficient, pro puris excretione medicamentis adjuvanda, atque hoc modo ad ægros à vomicis ſublevandos. Nunc illud idem tentandum erit aliter, ſcilicet, ut brevius atque fortaſſe ſecurius pus intus collectum educamus; ſuppuratoſque ſanemus, & vomicas in partibus externis profectione facta educamus: cujus rationem, locum, & tempus quo fieri debet, mox demonſtrabimus.

CAPUT. XVI.

De vomicis, quæ ſectione tolluntur, quomodoque hoc ſit moliendum.

CUm de vomicis, quæ medicamentis tolli poſſunt, ſcripſerimus, reliquum eſt, ut ad eas ſermo convertatur, quæ chirurgia ſanantur, quod nobis uſu venit, quoties collectum pus in parte interna ad externas facta eruptione fertur, ab altioribuſque foras abſcedit. Ceterum tametſi partes corporis vomica vexatæ complures ſint, quæ tuto ſecari, ut aliquibus viſum eſt, poſſunt, quarum ſuperius meminimus, ſcilicet, pleura membrana; diaphragma forinſecus, fundus ſtomachi, ventris ſuperior altitudo, jecur, lien, inteſtini recti pars extima ſpincteri proxima, veſicæ pars anterior, collum, & prima ejus pars, perinæum, aut ſub umbilico pube tenus. Nihilominus omnes ad duas redigi videntur, ſcilicet ad thoracis atque ad ventris regionem, ſeu partem à ſepto tranſverſo ad pubem uſque protenſam. Etenim omnes partes intra thoracem vomica laborantes, ipſaque in ejus vacua erupta atque effuſa, unica ſectione inter coſtas ſpurias facta ſanari poſſunt; Aurelianus tamen viſus eſt, voluiſſe pleuram vomica vexatam forinſecus facta ſectione atque exinde pure evacuato ſanari poſſe, atque etiam forinſecus itidem in diaphragmate tuto fieri poſſe. Verum cum pus in vacua thoracis ex qualibet parte in ipſo contenta abſceſſum eſt, factaque ſectione juxta coſtas ſpurias commode & tuto vacuari queat; quis non fateatur, unica ſectione in thorace facta, omnes vomicas in thorace genitas, ruptaſque poſſe plane expurgari? At oportet ſtatim ſecare vel urere ſuppuratos. Hippocrates in ſuppuratis & tabeſcentibus uſtionem plurimi ſemper feciſſe viſus eſt, & magis quam ſectionem. Veruntamen in ſuppuratis ſectionem quoque in magna exiſtimatione habuiſſe conſtat. Quod præſidii genus ſi maturius fiat, antequam pus majorem corruptionem acquirat, & partes internas corrumpat, vere ſanare ſolet: ſi vero tardius id moliamur, exitium citius inducit. Itaque cum ægroti plurimum pus in pe-

In 6 epid. ſect. 7. tex. 9.

pectore habentes, desperant totum per expuitionem posse ex purgari, ad ustionem, vel ad sectionem faciendam statim ut descendant, oportet. de qua quidem quomodo, & quando fieri oporteat Hippocrates in lib. 2. de morbis ita scripsit: *Quum tempus longius protrahitur, & febris vehemens ac tussis corripit, & latus dolet, & ad sanam partem decumbere non potest, sed ad dolentem, & pedes, & oculorum cavitates intumescunt. Hunc, ubi decimus quintus ab eruptione dies adest, multa calida lotum, in sella firma collocato, & alius quidem manus ipsius teneat: tu vero humerum concutito, ut audias in utro latere affecto strepitum edat; optandum autem esse in sinistro. Hunc ipsum igitur locum seces, minus enim lethalis est. si vero præ crassitudine ac copia strepitum non edat, quo ipsum cognoscere possis (nam hoc aliquando contingit) utrum latus tumuerit, ac magis doluerit: hoc infime secato retro tumorem magis, quam antè ipsum, quo puris exitus facile fluxionem habeat: secato autem inter costas per novaculam primum cutem, deinde scalpello acuto, quod paniculo sit obligatum ita; ut summa ipsius pars ad unguis magni digiti mensuram expedita restet, quam intromittas. postea emisso pure quantum visum fuerit, vulnus linamento ex lino crudo, alligato foras propendente filo, concludito: & quotidie semel pus educito postquam autem decimus dies affuerit, omni pure emisso, linamentum ex linteo indito. Deinde vinum & oleum tepefacta per fistulam infundito, ne pulmo à pure humectari solitus derepente reficcetur. Emittendum autem est id, quod mane infusum est, ad vesperam, quod vespera, mane. Ubi vero pus tenue velut aqua fuerit, & ad digiti contactum, viscosum ac modicum, penicillum stanneum cavum indito. Postquam autem omnino venter reficcatus fuerit, paulatim linamentum præfectum minuito, donec ulcus coalescat, & ipsum penitus eximas. Signum autem an evasurus sit, habes, si pus album ac purum fuerit, & fibræ sanguinis insint, plerumque sanus fit, si vero prima die profluat lutei ovi speciem habens, aut secunda die defluat crassum, cum virore subpallidum, fætens, moriuntur, ubi pus effluxit.* Itaque Hippoc. vult sectionem primo fieri in sinistra parte, quam proxime ad diaphragma; sed ita tamen, ne ab incisione lædi possit. Unde commode tutoque sectionem fieri posse existimavit. Quo merito

Circa medium libri.

rito in libro de internis paſſionibus ait: *Coſtam tertiam ab ultima uſque ad os ſecato, deinde cum terebra cava ultra perforato, & ubi perforata ſit, aquæ parum emittito.* Plerique recentiorum Anatomicorum cognoverunt poſſe ſecari inter tertiam & quartam coſtam tuto abſque ſepti tranſverſi læſione; & hæc de ſectione facienda ad vomicas intra thoracem ſuſceptas. Nunc de vomicis, quæ ſunt intra peritonæum in variis partibus iternis, agamus, in controverſiam à veteribus verſum eſt, utrum peritonæum tuto ſecari queat. Eraſiſtratus (Aureliano auctore) demonſtravit, tuto ſecari poſſe juxta inguen. Quam veritatem recentiores quoque quotidiana experientia confirmarunt. Quare, ubi intra peritonæum vomicæ eruptio fit, ſive ex jecore ſive ex alia parte interna in ventre contenta, ſectione peritonæi expurgari poteſt; juxta inguen ſi fiat apertio, promptius pus educetur. Aretæus vero inquit: *Cuidam ego aliquando abſceſſum laxioris inteſtini dextra in parte prope jecur diſſecui, multumque inde puris effuſum eſt. multum quoque per renes & veſicam ad plures dies emanavit, unde & ſanitatem homo adeptus eſt.* Ceterum ſectio peritonæi juxta hypochondriorum partes, propter magnam, quæ ſuccedit, ſanguinis profuſionem, apud omnes ſemper fuit maxime formidanda. Quo fortaſſe etiam evenit, ut antiqui in ſuppuratis & tabidis magis uſum uſtionis quam ſectionis complecterentur. Unde probe Aretæus hæc de hepatis ſectione nobis ſcripta reliquit: *Porro ſi ad anteriora ſubit abſceſſus, longe Medico natura præſtat: aut enim ad inteſtina, aut ad veſicam pus convertet: verum multo innocentior eſt in veſicam via. At ſi extra feratur abſceſſus, ipſum non ſecare, utique malum eſt. nam ſi prætermittatur inciſio, à pure jecur corriditur, nullaque mortis dilatio eſt. Si ſecare autem malis, profluvii ſanguinis periculum inſtat, ſtatimque hominem perdi contingit. nam ſanguinis è jecore profuſio coerceri nullo modo poteſt. Igitur ſi aliquando neceſſario ad ſectionem venire cogeris, uſtorium ferramentum candens perſpicumque ab igne accipito, & uſque ad puris locum intrudito. idem enim tibi & ſecat, & comburit.* Nos eodem modo juxta, inguina non ſemel vidimus, ſectione facta uſque ad puris locum internos abſceſſus recte fuiſſe expurgatos. Inteſtini recti extremo,

En li. 3. de chro. cap. 9.

mo, perinæo, atque veſicæ collo ſectis, abſceſſus itidem in iiſdem locis genitos, expurgatos, ſanatoſque vidimus. Verum hoc vel crudo adhuc abſceſſu, moliri oportet, vel non poſt perfectam puris concoctionem, ne puris acrimonia corrodendo ulcera ſinuoſa faciat, quæ ægre in illis partibus ſanantur, & non niſi ſectione, atque uſtione propter illarum partium laxitatem.

CAPUT XVII.

De ſanandis ulceribus ex vomicis in variis corporis partibus excitatis; & primo de iis, quæ in aperta arteria, in pulmonibus, atque in thorace fiunt; ex quibus de phthiſi etiam particulatim agitur.

POſteaquam de vomicarum ſeu purulentiarum curatione, quæ tum medicamentis, tum chirurgia fit, ſufficienter ſcriptum eſt, reliquum erit, ut ulcerum, quæ in variis partibus ex vomica remanſerunt, curationem quoque proſequamur. Plures vero corporis partes ex vomica exulcerari ſolent, ſed præcipuæ ſunt, pulmo, arteria aſpera, pectus, ſtomachus, hepar, inteſtina, renes, ureteres, veſica, atque uterus. Quarum ſane partium ulcera ex vomicis relicta, & cognoſci & curari (cum res magni momenti ſit, maximeque ad Medicum pertineat) diligenter debent. Etenim hæc, ni cito tollantur, hominibus tabem inſanabilem invehere ſolent. Quare operæ pretium duximus fore, ſi accuratius de ipſorum curatione à nobis in præſentia ageretur. Exordiemur autem ab iis, quæ in thorace relinquuntur, quæ ſunt, aut in aliqua ejuſdem thoracis parte, aut in pulmonibus, aut in aſpera arteria. Quam rem acturi, phthiſim quoque, cum neceſſario prædictarum partium ulcera ſubſequatur, tractare, de eoque privatim affectu ſermonem nos facere cogimur; plerique latiori vocabulo tabem hunc affectum appellarunt. Quo nomine veteres varios affectus intelligebant, aliquando (Celſo auctore) atrophiam, qua corpus non alitur; interdum Cachexiam, ſcilicet malum

corporis habitum; nonnumquam tabidum affectum ex renibus exulceratis, quandoque maraſmodem ex quacumque cauſa obortam, atque etiam ex dorſali medulla à nimia Venere nimis exſiccata, contabeſcentreque exinde toto corpore. Fit etiam pulmonibus nimium exſiccatis ab intemperie calida & ſicca. Demum φθίσιν proprie magis totius corporis colliquationem conſumptionemque propter pulmonis ulcera factam, omnes intellexerunt, quem affectum Athenienſes (Galeno auctore) φθοήν appellarunt: quæ fit perpetuo pulmonibus exulceratis aut à pituita, ut Hippocrates docet, ex capite ad pulmones deſtillante, ibique putreſcente, aut ex acri fluxione erodente, aut ex rupto aliquo vaſe, vel eroſo, vel aperto, aut denique ex vomica inibi exiſtente, de quo affectu in præſentia agimus. Ceterum non ſolum ex ulcere pulmonis, at quinetiam ex ulcere in quacunque thoracis parte ex purulentia relicto, nec non etiam ex trachea arteria itidem ulcerata homines in phthiſim provehuntur. In ulcerato pulmone plurimum, per ſputum, puris rejicitur, dolor non aderit, & quandoque pulmonis ſubſtantia ulcerata ejuſdem ſcilicet caruncula per tuſſim excernitur, aut nonnunquam ejuſdem pulmonis bronchion; ſi vero ulcus in thoracis parte ſit, expuunt quidem purulentum, & habent doloris ſenſum in eadem parte. Trachea vero arteria ſi ulcerata ſit, pauca per tuſſim excernunt, tuſſiculaque affliguntur, & in affecta arteria, dolorem ſentiunt. Harum ſingularum partium ulcera diu perſeverantia phthiſis conſequitur. Cujus quidem affectus (quam paſſionem Aurelianus communiter ſtrictu-
In 2. lib. chron, c. 14. ræ atque ſolutioni adſcribendam eſſe voluit) hæc ſigna obſervabuntur; primum enim aderit febricula latens, quæ ſæpe die declinante incipit, atque veniente luce levior fit, tuſſicula atteſtante plurima initio noctis atque fine, cum ſputis ſanioſis ac parvulis in iis, qui non ante ſanguinis fluore vexantur, ſaliva permiſtis, quæ deinde etiam plurima excerni tuſſi obſervantur. Iis vero, qui ex ſputo ſanguinis in hanc inciderunt paſſionem, primo ſputa cruenta, tum fæculenta extuſſiuntur, deinde livida & praſſina; atque poſtremo alba ac purulenta dulcia, vel ſalſa, cum voce rauca aut clangoſa, cum inſpirationis difficul-

cultate, & rubore genarum, colore cinereo totius corporis, oculorumque aſpectu exoleto: adeſt inſuper corporis tenuitas, quæ nudatis membris magis quam ex aſpectu vultus innoteſcit; in aliquibus una ſentitur ſibilatio, vel ſtridor in pectore: ſudant etiam ſuperiores partes uſque ad pectoris finem. Creſcente paſſione, cibi faſtidio tenentur, majorque eſt ſitis quam ciborum deſiderium. Quibuſdam gravis etiam doloris ſenſus adeſt, ulcerati ſcilicet pulmonis: quandoque ejuſdem viſceris fibras per tuſſim expuunt. Aliquibus vero thorace exulcerato punctionis ſenſus adeſt; pulſus in ipſis eſt debilis, denſus, ac deinde morbo in pejus abeunte formicalis vocatus; digitorum ſummitates craſſeſcunt obuncatis unguibus. His accedit pedum inflatio ſeu extumeſcentia, nunc frigus, nunc fervor articulorum, naſi ſummitas palleſcit, auriumque fibræ frigeſcunt. Paſſione autem pejorante, fit ventris fluor, in quo egeruntur alba & indigeſta excrementa; ſputa vero purulenta, quæ potiſſimum phthiſim decernunt, cognoſcuntur & quod carbonibus injecta fæteant, & quod in aqua marina poſita reſideant; atque etiam ſi in aqua dulci calida, ut Philotheus in aphoriſm. Hippocratis commentariis notavit, injecta itidem fæteant. Ceterum, ubi ita excernuntur, proximum exitium ſignificatur. Verumtamen ulcera, quæ vel in aſpera ſunt arteria, vel in aliqua thoracis parte, haud plane inſanabilia dicuntur; cum ex iis, plures diligenti curatione adhibita incolumes evaſerint. Quæ vero in pulmonibus ſunt, ſi inveteraverint, prorſus à ſanatione abhorrent. In principio vero nonnunquam aliqui ſervati ſunt, aut in principio ulcere parvo ſanato, aut obducta cruſta. Quomodo Avicenna ſcribit, mulierem tabidam annos tres & viginti ſupervixiſſe. Raſis vero ait ex Hippocrate, phthiſim in pueris ætatis mutatione aliquando ſanari. Quibus ita præmiſſis præſtabit, horum ulcerum curationem docere. Quam profecto Medicis præſidiis tentare, non erit inutile, etſi ſupervacaneum fortaſſe iſtuc cuipiam videbitur, ab iſtius affectus inevitabili fato perſuaſo. Porro pulmonis ulcera inveterata plane incurabilia eſſe omnes quidem deprehenderunt, attamen in principio illorum curatio haud omnino deſperata aliquibus

Hippo. in 1. aph. 11. & 12.

viſa eſt; quamvis frequentius curentur ulcera, quæ aut in thoracis parte ſunt, aut in aſpera arteria, potiſſimum juxta fauces, conſtituta. Quorum curatio merito, ſi diligens cura adhibeatur, conſequi poterit; ſed age curationem incipiamus à victus ratione inchoantes. In qua illud primum fore cognoſcendum voluit Aurelianus, ſcilicet, an ulcus ſit cum dolore, & febre: in quo caſu laxantia conſultius convenire credidit. Unde aërem temperate calidum laudavit, aliquantulamque à cibo atque à vino abſtinentiam; fomenta item laxatoria, cataplaſmata, ſpongiarum evaporationes, atque modicam etiam ſanguinis evacuationem per cucurbitas cum ſcarificatione appoſitas. Verum ſi ulcus tumens non ſit, ſed ſolutum, laxatoria omnia devitanda erunt, cum ſolutionem augeant. Cibi itaque erunt, boni ſucci, qui multi alimenti ſunt, & citiſſime concoctionis, cujuſmodi ſunt, ova gallinacea recentia ſorbilia cum ſaccharo aſſumpta: ex carnibus, aviculæ montanæ, pulli gallinacei juvenes, caro hædina, vitulina, atque à proprietate etiam pulmones agnorum; convenit ptiſana hordeacea, cum melle, vel ſaccharo, atque etiam cum lacte caprillo erit aptiſſima in principio, quo tempore ulcerum deterſioni erit incumbendum. Ceterum inter omnes cibos, maxime convenit lactis uſus, primo muliebris, ſecundo aſinini, atque ultimo caprilli; tantopere lactis uſum aſſiduum poſſe ad pulmonum ulcera, & exinde ad taben conſecutam, conſtat, ut Galenus aliquando ſcripſerit, quoſdam exiſtimaviſſe, ulcera pulmonis tantummodo lactis potione ſanari poſſe, ſcilicet in principio, antequam ulcera augeantur atque calloſa evadant. Aretæus lib. 7. de morbis chronicis, ait: *Si quis phthiſicus multum lactis potet, nullo alio eget auxilio.* Vinum quoque optimum erit album, tenue, pauciferum primo dulce, & poſtea ulceribus deterſis, nigrum auſterum conveniet. His accedunt exercitationes, navigationes, locorum mutationes, geſtationeſque. Veteres maxime laudarunt longas navigationes, & privatim (ut Celſus auctor eſt) ex Italia in Alexandriam Ægypti; geſtationes vero & in navi per mare (quod aër ſalſuginoſus, auctore Aretæo, plurimum valeat ad ulcera ſiccanda) & in lectulo penſili, & in lecti-

In lib. de cibis boni & mali ſucci. cap. 3.

ctica aut in cathedra oblonga (Aureliano auctore) utiliſſimæ fuerunt ab antiquis geſtationes in phthiſicis deprehenſæ. Quod vero ad medicamenta attinet, & primum ad ea, quæ ulcera à ſorde detergunt, complura fuere veteribus Medicis cognita: & primo Dioſcoridi hæc familiaria fuerunt, quibus homines à phthiſi ſanari queunt, pix nempe liquida, quam ex melle delinctam ad tabem atque ad purulentos maxime commendavit; jus adipis epotum. Plinius & axungiam cervinam ſine ſale inveteratam in pilulis ſumptam antiquam phthiſim ſanare, tradidit. Porrum capitatum coctum & biſcoctum, ejuſque ſuccum ex melle delinctum maxime conducere itidem Dioſcorides voluit: agaricum item, ex paſſo ad drachmam epotum, rhaponticumque ſimiliter ex paſſo: Acanthi hortenſis radix ex melle delincta, marrubii ſuccus itidem ex melle, & foliorum decoctum; betonicæ quoque folia, atque ſuccus itidem ex melle: laudantur quinetiam cancri triti ex lacte epoti, myrrhidiſque radix decocta in ſorbitionibus data. Aurelianus vero laudat, ut ante cibum propinentur mulſæ cyathi tres, vel fœnugræci uſti ſuccus; ſed dilutioris ſubſtantiæ, qui fit, ſi parum in aqua ebulliat, multa enim ebullitione viſcoſus fit, & ad id inutilis Hujus ſucci uni cyatho, cochleare unum mellis miſcebant. Mulſum itidem datur ex lini ſemine frixo & contrito, mixto ſcilicet ejus pulvere. Si majori in ulceribus deterſione ſit opus, orobo utendum cenſuit, atque iridi. Itaque orobum rubrum erit ſeligendum, in aqua macerandum, quoad ſemina intumeant, ipſumque teſta ignita terere in tenuiſſimum pulverem oportet; exibebat enim hujus pollinis cochleare ex mulſa: laudavit quinetiam radicem, ariſtolochiamque tritam ex melle. Marrubii decoctum, quod parari oportere ſcribit, accipiendo ejus manipulum, ipſumque decoquendo in tribus aquæ ſextariis, donec pars tertia remaneat; dein percolato decocto miſcet mellis optimi libram: rurſum ebulit, quoad debitam craſſitiem ſit adeptum: datur etiam ſuccus ejuſdem marrubii (exempli gratia) ad unciam & ſemis, miſcendo libram mellis, & coquendo quoad fiat electuarium. Marrubio iris quoque mixta præclare juvat: atque hæc erit compoſitio. Accipe ſucci marrubii ſextarios tres, mellis libram,

coctione craſſefactæ mixturæ addito irridis optimæ pulveriſatæ drachmas duas. Non minus utile quoque erit ſtrobuli decoctum ex melle exhibitum. hæc ſunt medicamenta, quibus ulcera detergi poſſunt. At Paulus cataplaſma exterius thoracis partibus apponit compoſitum ex polline ſem. lini, decocto fœnugræci, vel malvæ; aut ex oleo, melle, althææque foliis; temporis progreſſu ad cerata tranſeundum ex butyro, oleo cyprino, laurino, atque iride parata. Ex compoſitis itidem utile emplaſtrum Mnaſei. Aurelianus vero commendat emplaſtrum ex orobi polline, aceto, atque ex melle paratum. At ulceribus deterſis, ad medicamenta Græcis colletica, ſarcotica, atque epulotica, Latinis conglutinantia, carnem generantia, atque cicatricem ulceribus inducentia appellata, deſcendendum. Hujuſmodi ſunt ex iis, quæ intus aſſumuntur (exempli gratia) ſi boli Armeni, vel terræ Lemniæ, vel Samiæ ſemidrachma ex mulſa, vel ex ptiſana hordeacea exhibeatur, ſuccus itidem plantaginis, polygoni, marrubiique ex melle coctus. Item medicamentum ex ſucco marrubii, melle, atque iride confectum, quod nuper meminimus; datur & bolus Armenus ex vino auſtero, ſuccus mali cytonii, aut meſpili immaturi, aut myrtillorum vel mentæ ex melle cocto, atque iridis polline. Ex compoſitis omnes uſum Mithridatii, Theriacæ, & ſimilium laudarunt; atque exterius quoque adhibenda eſſe voluerunt cataplaſmata valde ſiccantia, adſtringentiaque cujuſmodi fuerunt (ut viſum eſt Paulo, Aureliano atque aliis Græcis Medicis) melinon vocatum, amithaonium, polyarchion & alia ſimilia antiquis probe cognita. Addimus nos medicamentum, plurimi æſtimatum à Tralliano, commendatumque ad ulcera tracheæ arteriæ, ſcilicet pollinem lapidis hæmatitis cum ſucco ſanguinariæ ſeu polygoni; hoc ſolo remedio Trallianus quoſdam ab iis ulceribus ſanatos, tradidit. Nonnulli radicem dipſaci, id eſt, cardui fullonum, tritam ex melle ad nucis magnitudinem mane & ſero pro ſecreto exhibent. Nos vero tabeſcentes juvenes non paucos in principio iridis decocto ſanavimus: quod paratur accipiendo radicis iridis ſiccæ minutim inciſæ (exempli gratia) unciam, betonicæ, capil. veneris, farfaræ, an.

In lib. 3. cap. 22.

an. p. 1. rad. glycyrrhizæ ſemunciam, aquæ betonicæ lib. iij. bulliant ad conſumpt. medietatis, & colatum decoctum ex ſacchari drachma, ad uncias quatuor, calidum, ſingulo mane, in aurora, propinetur. Hujus vero uſus ad minus quinque & viginti dierum ſpacio continuabitur. Diocles ſudorem ad phthiſicos laudavit; quod auxilii genus ab Aureliano reprehenditur. Attamen (ut nos credimus) non eſt hoc medicamentum ullo pacto in principio damnandum, ſi moderate, ſemel in die, ultra dimidiæ horæ ſpacium, phthiſicus ſudet in balneo laconico, ſcilicet in tina lignea, quæ fomento ex decocto tradicis Iridis ſiccæ, marrubii, atque betonicæ ignitiſque lapidibus molendinariis eo ſæpe conſperſis ſit incalefacta: porro antequam ſudet, bibet ſupradictum decoctum ex iride paratum ad ſemilibram ex ſaccharo. In parando autem ſupradicto decocto poterit addi chinæ radicis, vel harundinis ſiccæ minutim inciſæ uncia. Utatur optimis cibis & vino quoque paucifero, odorato, tenui, aliquantulum auſtero. Hujuſmodi præſidium, humiditates ſuperfluas corporis, pulmonum, atque cerebri abſumendo, totumque corpus ſiccando ulcera pulmonum atque aliarum partium ſanare aptum natum maxime eſt. His lubens addimus aquam ſtillatitiam bechicam vocatam, quæ ad phthiſicos datur maxima cum utilitate ad uncias quatuor quotidie mane, juvat enim omnem tuſſim atque omnem difficultatem anhelitus, quæ ab humoribus fit. Paratur autem accipiendo picis liquidæ, axungiæ cervinæ ana uncias quinque, rad. iridis ſiccæ raſpatæ unc. iiij. cinnamomi pulveriſati drag. i. ſem. aniſorum, fœniculorum, an. drag. ii. radicis myrrhidis, acanthi hortenſis, glycyrrhizæ, agarici, rhapontici, an. unc. ij. lactis caprilli, ſucci porrorum ſub cineribus ſemicoctorum, ſucci marrubii, betonicæ, plantaginis, menthæ, ptiſanæ hordeaceæ, mellis an. lib. i. omnia contuſa in mortario macerentur in ſuccis vaſe vitreo clauſis, & per dies quinque maneat vas ſupra calidos cineres, mox diſtillentur in balneo mariæ, & aqua ad uſum reſervetur. Doſis in pueris erit uncia, in viris à duabus ad quatuor, & exhibeatur calida. Atque hæc erit curatio ulcerum, in pulmonibus, in thorace, in aſperaque arteria

teria quæ ex vomica relicta fuerunt. Nunc aliarum partium iisdem ulceribus vexatarum curationem itidem prosequamur.

CAPUT XVIII.

De sanandis ulceribus, ex vomica obortis, in stomacho, mesenterio, in jecore, atque in intestinis.

SÆpe ex vomicis ulcerari solet stomachus, mesenterium, omentum, pancreas, hepar, intestina, renes, vesica; atque uterus in mulieribus. Nunc de iis ulceribus, quæ ventriculum vexant, sermo à nobis instituitur, & de iis non minus quæ ceteras ventris partes occupant. Ulceratus vero ventriculus, his profecto signis à nobis deprehendetur, scilicet, quod in eo antegressa sit vomica, vel aliunde in ipsum eruperit, dolor vero acutus ulceratæ partis signum erit: accedit etiam, si effatu dignum ulcus fuerit, ut quandoque vomitu & sanguis & pus cum humore excernatur: coctio vitiatur, cibi fastidium adest, a frigidis, salsis, acribusqus cibis ulcus læditur, à dulcibus dolor oblinitur, & restituitur: febris sequitur, atque totius corporis tabescens habitus. Si ulcus fuerit in omento, dolor, si membrana attingat, circa fundum stamachi tactu pressuque observabitur, & quod neque ipse à cibo & à potu exacerbatur offenditurque. Si vero in mesenterio vel pancreate ulcus remanserit, per alvum pus cum sanguine fæcibusque effluet, dejectiones vero chylosæ erunt cum pure, & aliquando cum sanguine; etsi ulcus magnum fuerit, fluxus chylosus succedit, fæculentus, purulentus, & aliquando sanguine mixtus: qui certe lethalis, ut plurimum esse solet: adest & simul febris lenta contabefaciens, ulcusque adesse hæc significabunt, etiamsi nullus adsit dolor, quod fit ratione partis non sentientis, quando neque mesereum, neque mesocolum, neque pancreas dolores sentiant. Si vero jecur sit ulceratum, pressu, tactuque dolor eluceset, præsertimque si juxta gibbam partem fuerit. Si vero in cava substantiam carneam, parenchyma vocatam, ulcus tenuerit, dolor vel nullus aderit, vel obscurus; aliquando

per

per os pus, ſanguiſque excernetur, & plerumque in ventrem ſecedet; veluti per urinam, quod gibbam vexat, excernere pus ſolet: ſi pus lividum, vel olei amurcæ ſimile ſit, fætidum, putridumque & quovis modo malum, exitium denotat: quod ſi album, lene, æquale, non fætidum exierit, ſpes ſalutis aderit. In inteſtinis, ulcera relicta ex vomica, innoteſcent ex torminibus ventris, atque cruentis purulentiſque alvi dejectionibus, & crebris factis, æque ac in dyſenteriis fieri obſervantur: quam etiam iiſdem ſignis, quæ dyſenterias notant, à nobis comprehendentur; ſed oportebit, & phlegmonem, & vomicam vel in ipſis, vel in aliis proximis partibus fuiſſe antegreſſam. Sed his præmiſſis, ad ulcerum in prædictis partibus curationem venimus. Itaque in ulceribus quæ ſtomachum vel omentum, vel meſenterium, vel pancreas, vel jecur, vel denique inteſtina vexant, primum victus ratio ſiccans præſcribetur: unde panis conveniet biſcoctus cum coriandris paratus, vinumque nigrum auſterum: aër vero ſiccus; qua ratione aër marinus ad hoc valde utilis exiſtimatur: fugiendus humidus, pluvioſus: æger vigilet quam dormiat magis; ambulet, & exercitiis utatur; poſtea (præmiſſa totius corporis tum evacuatione, tum purgatione) ſi robur virium aderit, jubeto ægrum ſudare ſingulo mane cum decocto guajaci, chinæ, vel radicis harundinis ſiccæ, aut in hypocauſto, calore, aut ſicco incalfacto, aut ex ſuffitu fomentis ſiccantibus parato. Conveniet ad id faciendum decoctum parare in vino albo auſtero, aut in aqua marina, cum marrubio, ſalvia, centaurio minori, betonica & ſimilibus: Hoc decocto ſi ferrum candens vel lapis molendinarius ſæpe aſpergatur, atque ita ſuffitus paretur, tina, vel hypocauſtum, ad ſudorem concitandum, ſufficienter (ut ſuperius quoque meminimus) calefiet. Sudorem ſingulo die movere ad corpus, atque ad ulcus ſiccandum erit utiliſſimum, modo ætas, vireſque ipſum patiantur. Quod pertinet ad medicamenta, primum, ſi ulcus fuerit purulentum & ſordidum, opus erit deterſoriis; iiſdemque propemodum, quæ in detergendis ulceribus thoracis, atque pulmonis ſuperius præſcripta ſunt. Igitur conveniet ſaccharum roſaceum antiquum, mel roſaceum

& ſimplex & laxativum vulgo vocatum, hydromel, ſerum lactis caprilli, vel vaccini haud plane à caſeoſa ſubſtantia repurgatum, quod ſi fuerit chalybeatum, erit adhuc utilius; efficaciuſque deterget, ſi mellis modicum immiſceatur. Cremor item ptiſanæ hordeaceæ ex hordeo non purgato cum melle deterget. Vinum item mulſum idem præſtabit. Ubi vero & conglutinare ulcera, & cicatricem inducere opus fuerit, dabis (auctore Galeno) medicamenta auſtera, glutinoſa, & minime mordacia. Cujuſmodi erunt (exempli gratia) hypociſtis, balauſtium, citinus punicorum, galla, malicorium, terra Samia, ſigillum Lemnium, Rhois, ſuccus roſarum, acatia, ſuccus plantaginis, equiſeti, verbaſci, myrtillorum, vel ſimilium; dabuntur hæc in pulvere trita ad drachmam, vel ad geminam drachmam, ex vino auſtero, aut ex decocto adſtringentium medicamentorum, ſcilicet, vel cymarum myrti, vel rubi, vel plantaginis, vel polygoni, vel equiſeti. Radix dipſaci pulveriſata ex melle, vel ex melle roſaceo ſimplicis infuſionis, data bis in die, ut ſuperius meminimus, ad nucis juglandis magnitudinem, plurimi adjumenti eſſe ſolet. Nonnulli radicem ſymphyti majoris ex melle eodem modo, vel ejus ſuccum devorandum exhibent. Conveniet itidem ſuccus plantaginis, vel polygoni, vel equiſeti, vel rubi, vel cymarum myrthi, vel lentiſci ad uncias tres vel quatuor, cum drachma aut acaciæ Ægyptiacæ, aut terræ Samiæ, aut Lemniæ pulveriſatæ, ſi per plures dies ſingulo mane exhibeatur. Ex iiſdem quoque medicamentis ſiccantibus, adſtringentibuſque conducent parata cataplaſmata exterius adhibita, cujuſmodi eſſet; ſi pararetur ex farina fabacea, hordeacea, in vino auſtero chalybeato, aut in aqua ferrata vel in decocto rerum adſtringentium, cum pulveribus gallarum immaturarum, balauſtiorum, corticum granatorum, vel acaciæ, bolique Armenii. Juvabunt itidem ſpongiæ, in vino nigro auſtero generoſo, vel chalybeato, vel in quo calcis modicum fuerit maceratum; hæc enim plurimum ſiccando ulceribus remedio ſunt. Si vero ulcera inteſtina obſideant; iiſdem utendum erit tum per os, tum maxime paratis ex iiſdem clyſteribus. Ad quæ ulcera eadem convenient medicamenta

Gal. in 4. meth. cap. 7.

quæ

quæ dyſenteriis mederi poſterius, cum de laxorum morborum curatione agemus, oſtendemus. Nunc privatim ad ea, quæ in renibus, in veſica, atque in utero ſunt, perſananda, deſcendimus.

CAPUT. XIX.

De ſanandis ulceribus, quæ ex vomicis relinquuntur in renibus, ureteribus, veſica, atque utero.

SÆpius ulcera ex abſceſſibus vomiciſve relinquuntur in renibus, in ureteribus, in veſica, atque in utero, unde operæ prætium eſt, illis quamprimum medicamentis occurrere; ſigna vero quibus nobis hæc ulcera innoteſcunt, hæc erunt: ſiquidem renibus exulceratis in lumbis dolor aderit cum gravitate, & ſine impedimento urina redditur, cui pus mixtum exiſtit, carnoſis particulis innatantibus; veſica autem exulcerationem habens, tormentum vehemens in pectine, imoque in ventre movet, urinæ difficultas urget, pus, ubi reddita urina eſt, ſubſidet, ſquammulæ fædi odoris, vel laminis ſimiles inſunt; furfuracea autem ſubſidentia veſicam ſcabie laborare notant. Si vero meatus urinarii ſint exulcerati, etiam puris mixturam medio quodammodo habet mixtio, & pilis ſimilia potius per lotium feruntur, dolorque mediam inter renem & veſicam regionem occupat. Si autem pus aut ſanguis excernantur, eaque citra urinam exeant, aut antecedant urinam, nullius particulæ ex prædictis, ſed pudendi exulceratio ſignificatur. Itaque ad ulcera renum primum mulſa in potu dabitur, aut fœnugræci decoctum ex paſſo, aut ſeminum cucumeris, aut melonum, aut malvarum, aut papaverum, aut portulacæ lac expreſſum ex meile crudo: poterit, lac dari ad quatuor uncias, cum mellis drachmis duabus: aut lac aſininum, vel caprillum, vel etiam vaccinum ex ſaccharo, vel ex melle itidem dabitur in potu. Serum quoque lactis chalibeatum ad libram, cum lactis ſeminum cucumeris domeſtici unciis duabus, & mellis ſemuncia. Tandem deterſis ulceribus, dabitur in potu lac caprillum vel aſininum chalybeatum

tum, aut cum ſucco plantaginis, vel cum drachma pulveris acaciæ orientalis, vel terræ Samiæ, vel Lemniæ. Sed præſtabit, etiam hæc dari cum lacte ſeminum althææ, apii, portulacæ, cucumeriſque. Ceterum, ut dictum eſt, lactis potio (ſive ſit caprillum, ſive vaccinum) vehementer juvabit. Non minus etiam ex aquis naturalibus, Villenſes, & Patavinæ Beatæ Virginis proderunt: hæ ſiquidem ſiccant, adſtringunt, deterguntque: poſſunt ad libras multas ſingulo mane propinari. Dioſcorides ad eadem ulcera decoctum graminis, ſuccum portulacæ ex vino paſſo commendavit: lac itidem dulce, cupreſſi folia cum myrrha ex aliquo liquore adſtringentium, vel ex vino auſtero epota: malvamque in cibo ſumptam: myrti fructus, atque ſaccharum. Demum in veſicam ulceratam liquida medicamenta cathetere injicienda ſunt, unde mulſa diluta erit accommodata, vel aqua Thermalis ex Aponenſi balneo in agro Patavino, vel Beatæ Virginis vocata, aut Sancti Petri ex melle; aut Villenſis ex Lucenſi agro: aut vinum chalybeatum ex melle, aut decoctum plantaginis, myrthi, rubi, vel ſimilium, aut cum terra Lemnia pulverizata, aut cum Samia, ex melle itidem: ſuccus quoque roſarum, vel plantaginis, vel equiſeti: vel ex pomo granato dulci toto cum putamine contuſo ſuccus expreſſus, cum modico mellis; ſi una cum iis medicamentis, purgationes adhibeantur, ac etiam ſudorifica (modo ætas viresque ferunt) modo ſuperius præſcripto; plurimum juvabimus. Iiſdem fere medicamentis ulcera in utero relicta erunt ſananda. In quo affectu, ſi ulcus magnum ſit, à copiaque humoris foveatur, præſtabit & purgationibus hydragogis & phlegmagogis uti, ac etiam ſudorifico, quoad humiditas ſuperfluens in corpore per ſudorem abſumatur: interimque etiam topicis medicamentis erit incumbendum: Quorum quædam liquidiora cathetere in uterum injicienda erunt, peſſi itidem parabuntur intromittendi, vel inſeſſiones ex decoctis quidem proponendis fient; neque exterius quæ admoventur negligenda erunt medicamenta, ſcilicet, fomenta, epithemata, unguenta, inunctiones, atque cataplaſmata appropiata. At priuſquam ad horum medicamentorum uſum Medicus deſcendat, in primis cognoſcendum erit,

an

an ulcus ſit cum multo dolore, aut cum inflammatione, quæ ſi una cum ulcere ægrotam feminam vexent, addenda cum ulcerum medicamentis quæ & dolorem ſedant, atque phlegmonem mitigant. Cognoſcendum itidem una eſt, an ulcus ſanie ſordeſcat, aut ſi pauco pure redundet, illudque pus ſi ſit bonum vel malum. Itaque ulcere exiſtente cum dolore vel cum phlegmone, cum multa ſanie, quæ etiam mala ſit, cathere injicetur vinum in quo roſæ ebullierint, cum mellis modico; & roſæ in vino decoctæ poterunt cataplaſmatis modo calidæ adhiberi pectini, pubi, atque intra coxendices. Mulſa etiam intus conveniet ex decocto fœnugræci, aut malvarum, aut furfurum, aut lentium, quibus cortices fuerint detracti; aut ptiſanæ cremor cum melle; vel ſuccus plantaginis, vel ſolani, vel polygoni, vel lentiſci, vel ſimilium, cum melle mixtus. Quod ſi ulcera neque ſint cum multo dolore, neque cum inflammatione, valentioribus uti poterimus. Itaque conveniet ſuccus expreſſus ex granatis malis auſteris dulcibuſque in mortario cum putamine & corticibus contuſis, cum ſaccaro aut mellis modico: itemque vinum nigrum auſterum, in quo ebullierint oleæ cymæ, vel cupreſſi, vel rubi, vel myrthi, vel lentiſci, vel rhamni; vel folia ſumachi. Item ex peſſis juvabunt, qui ex ſucco plantaginis, vel polygoni, vel equiſeti, vel roſarum, vel ſimilium, parantur; poſtea parum aluminis loti addendum erit, vel acaciæ, vel lyci, vel hypociſtidis, vel terræ Lemniæ, vel Samiæ: Ex iiſdem medicamentis parari poterunt inſeſſiones, quæ aut ex aqua marina convenient, aut ex vino auſtero, modo dolor vel inflammatio non adſit: quæ ſi ſint conjuncta, primum ex decocto malvarum, althææ, fœnugræci, & ſimilium parabuntur; ſedatiſque doloribus, & inflammationibus, ex ſupradictis parabuntur inſeſſiones atque etiam poſtea ex valentioribus, ſcilicet, ex decocto cymarum oleæ, foliorum cupreſſi, exquiſeti ſicci, balauſtiorum, corticumque granatorum. Exterius quoque adhibendæ erunt ſpongiæ ex vino nigro auſtero, in quo prædicta medicamenta ſiccantia adſtringentiaque ebullierint, expreſſæ; vel ex aqua thermali ſiccante, vel ex ſimplici aqua cum modico calcis, vel in qua ebullierint prædicta medicamenta.

Si vero dolor vel inflammatio adfuerit, optimum erit vinum, in quo roſæ ebullierint, cum fœnugræco ſpongiis appoſitum vel roſæ in eodem vino decoctæ emplaſtri modo pectini, atque, pubi calidæ adhibitæ. In quem uſum commendatur etiam emplaſtrum ex pane puro, hydromellite, oleo roſaceo, althæa, fœnugræco & palmulis pinguibus confectum, atque prædictis partibus appoſitum. Qui hæc ulcera patiuntur, quæ curationi haud facile cedunt, plurimum juvari ſolent, ſi bis in die manſerint per horam & plus in balneo, quod ex Villenſi aqua paratur, quæ in ægro Lucenſi ſponte calida erumpit, vel ex Aponitano balneo; atque hic eſto finis libri octavi in quo de vomicis ex phlegmonis internis (quod & hi affectus adſtricti ſint) agere voluimus.

FINIS LIBRI OCTAVI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA

LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

De phlegmonis, & tumoribus externis esse agendum; & primo de iis in communi agitur.

CUm superius de internis phlegmonis, & tumoribus via Methodica curandis à nobis actum sit, congruum est, ut nunc de iisdem extimas partes occupantibus scribamus. De quibus primum in communi agimus, atque mox de particularibus nimirum quasdam partes corporis vexantibus sermo itidem instituetur. Quid vero phlegmone sit, quotupliciſque differentiæ observetur, & quomodo generetur, in septimo libro sufficienter dictum est. Nunc de ea primum, quæ proprie dicitur, simpliciterque inflammatio phlegmoneve, & quæ herpes, & quæ erysipelas, & quæ anthrax sive carbo, vel carbunculus vulgo dictus est, dicemus. Inflammatio, phlegmoneve ex Græcis, tumor est supra efflorescentiam rubens, durus, dolens, atque tactu renitens, ex sanguine probo, mediocriter crasso, in particulam irruente genitus. Cujus quidem sanguinis fluxio quandoque à rheumatismo fit, quandoque ex aliis flu-

Galen. in 2. ad Glauc. cap. 1.

fluxionem moventibus, uti ſunt vulnera, convulſiones, contuſiones, ruptiones, defatigationes ob exercitationem, exarticulationes, oſſium fracturæ, ulcera ſpontanea, immoderataeque venarum repletiones, quibus ſanguis ad partem aliquam funditur. Phlegmones in aliqua parte obortæ ſigna ſunt, vehemens dolor, niſi pars inflammata hebetem ſenſum habuerit, pulſus una in profundo moleſtus accidit, tendique prorſus & frangi particula affecta videtur, atque una calorem vehementem ſentit, perinde ac ipſa comburi videatur, refrigerarique deſiderat. Rubor etiam per ſummam cutem conſpicitur, qualis ex balneo, aut ex igne, aut ex quovis alio modo calefactis advenit. Herpes vero phlegmones ſpecies generatur à bile flava, excreta à ſanguinis maſſa in partem procumbente, quæ ſi ſubſtantia craſſior, acriorque fuerit, totam cutem ad ſubjectam uſque carnem exulcerat, exedenſque idcirco herpes vocatur; & ſi tenuis minuſque acris atque calida extiterit, exiguas puſtulas milio ſimiliter per ſummam cutem excitat, ideoque herpes quoque dicta eſt miliaris. Eryſipelas autem fit ex ſanguine & flava bile calidioribus quam oporteat, multo phlegmone calidior, magiſque flavum colorem in cute repræſentans, aut ex ſolo ſanguine attamen ferveſcente, & ſecundum ſubſtantiam tenuiſſimo: minus quam phlegmone dolet, neque, ut aliqua phlegmones ſpecies, pulſum, aut compreſſionem, aut tenſionem invehit ſimilem; ſed aliquando valde parum infeſtat, præſertimque quando per ſolam cutem diffuſum fuerit, nihil inferiorem carnem moleſtans; ſiquidem exquiſitim eryſipelas cutis ſolius paſſio eſt; phlegmone vero partium tantum cuti ſubjectarum, ſed harum quidem præcipue, nonnunquam vero etiam cutis; & eſt ipſa cutanea profecto dolorem afferens nihilo minus, quam altera carnea; pulſus tamen in illa deficit. Hunc affectum mixtum ex phlegmone & eryſipelate, ſi eryſipelati extumeſcentia quædam, ſed diſperſa, nec dum collecta in tumorem verum, & prominentem, copuletur, appellant eryſipelas phlegmonodes; ſi autem phlegmone ſeu tumor profundior prævaleat, phlegmonem dicunt eryſipelatoden. Anthrax vero, ſive carbo, ſive carbunculus vocatus exoritur, ubi ſanguis

Galen. in 2. ad Glauc. cap. 1.

guis influens calidus ſufficienter extiterit, & craſſus: quod enim membrum occupaverit, hoc comburendo facit ulcus in eo cum cruſta: & quicquid circumjacet in phlegmonem levat, effervescentem, graviterque dolentem. Si vero ſanguis influens ſit niger, craſſus, fæculentus ac fervens, ſimulque ſaniem tenuem admixtam habuerit, puſtulas quaſdam per ſumma cutis excitat, ſimiles iis, quæ ex igne fiunt, quibus ruptis cruſtoſum ſub ipſis ulcus invenitur, atque hic affectus quoque carbo eſt. At hiſce de phlegmone atque de ejus ſpeciebus præmiſſis, reliquum erit, ut ad curationem veniamus. Quæ ex Methodicis (cum quælibet phlegmone ſtricturæ paſſio ſit, ideoque adſtrictorum genere comprehendatur) ab adſtricto indicabitur; itaque convenient præſidia laxatoria: excepto principio, in quo non conveniunt; quia, ut recte Galenus animadvertit, augent fluxionem, omniumque maxime ſi phlegmone à rheumatiſmo ortum duxerit. Quamobrem vero in phlegmonum principiis laxatoria minime conveniant, alias à nobis demonſtratum eſt. Galenus damnat in phlegmonis, quæ à rheumatiſmo obortæ ſunt, calida & humida medicamenta; quamvis, ut ipſe ait, ab initio aliquid juvare videantur. At quid credendum? an non tranſacto principio ſanguis in membro adſtrictus, impactuſque calidis & humidis, ſcilicet laxatoriis, erit digerendus? quod ut commode eveniat, nonne meatus cutis rarefaciendi itidem ſunt? certe quidem hæc poſt principium facienda, ad phlegmonem digerendam, reſolvendamque, neminem Medicorum latere arbitror; ni dixerint, hoc malum tolli itidem medicamentis adſtrictoriis repellentibus ſanguinem à parte affecta. Quo pacto neque Galenus phlegmonas poſſe curari diceret, ſi vera ſunt, quæ ipſe multis in locis tradidit, nimirum, quod humores, quoad ſunt in fluxu, fluuntque in partem inflammatam, & revelli, & diverti ab ea parte, atque etiam medicamentis non minus adſtrictoriis à parte itidem phlegmone vexata repelli, ac propulſari poſſint, qui vero jam influxerunt in membrum, in eoque adſtricti atque impacti ſunt, hos ante concoctionem nequaquam moveri medicamentis, vel alio quovis modo, à membro inflammato, vel attrahi, vel repelli poſſe: hoc nempe ſolum-

modo in principio fieri poteſt, quo tempore humores in motu ſunt, fluuntque. In phlegmone vero, quæ ab aliis cauſis fit, Galenus quoque medicamenta calida & humida quæ laxatoria ſunt, conceſſit. Itaque adſtrictoria medicamenta ſolummodo per initia in phlegmone convenient, quo tempore nondum hoc malum factum eſt omnino adſtrictum. Neque perpetuo etiam per initia plegmonum repellendum erit. Siquidem Medici prohibent in emunctoriis faciendam eſſe repulſionem, nunquamque humores, ſi ſint pravi, & venenoſi, eſſe ab extimis partibus corporis repellendos deprehenſum eſt. At hæc de horum uſu. Jam preſſius magis curationem inſtituamus. Quæ exorditur à præſcripta victus ratione laxatoria, ſcilicet, ut ægroti ſobrie vivant, & utantur cibis boni ſucci, paucique nutrimenti, à vino caveant, cujus loco aqua hordeacea cum ſaccharo uti poterunt: vigilent plus, quam dormiant: atque cetera alia his proportione reſpondeant. Quibus inſtitutis, ſi magna vehemenſque phlegmone ſit, vireſque prompte ferant, ſanguis continuo erit mittendus (laxata prius alvo aut lenitorio pharmaco, aut clyſtere laxatorio cum caſſia) in ea quantitate, quam & vires, & ſanguinis copia redundans ferunt, hoc vero vel ſecta aliqua vena fiet, vel adhibitis cucurbitulis cum ſcarificatione dorſi partibus, aut cruribus, prout Medico melius videbitur; aut cruribus itidem ſcarificatis; aut ſanguiſugis appoſitis hæmorrhoidibus: ita ut in principio phlegmones ex oppoſitis partibus, & poſt principium ex proximis ſanguinis fiat eductio. Si affectus haud magnus ſit, ſat erit loco ſanguinis evacuationis exhibere (ni alvus ſponte fluat) aliquod lenitorium pharmacum, cujuſmodi erit ſerum lactis caprilli, vel alterius lactis, ad libras tres cum ſyrupo roſato laxatorio ad uncias tres; aut detur caſſiæ catharticæ (ſi vir ſit) uncia & ſemis cum ſaccharo, ſi puer ſit uncia caſſiæ: aut Medici propinent ſyrupum roſatum laxativum cum manna, vel ſimile aliud purgans lenitorium. Praxim facientes Medici hujus ætatis ſingulo mane, vel aquam ſtillatitiam refrigeratoriam cum ſyrupo actu tamen calidam propinant; vel decocta ex cichoraceis exhibent. Sed jam ad partem affectam à morbo adſtricto ſanandam medicamenta addo. Inter quæ pri-

primo ea dicam, quæ dolore haud vehementer adflingente, ſtatim in principio locum habent. Ex Galeno commendatur cataplaſma, quod conſtat ex ſempervivo, mali punici corticibus, vino incoctis, rhu, & polenta. Si vero doloris vehementia urgeat, Gal. adhibebat vel oleum roſaceum tepidum cum modica cera, vel lanam mollem, quæ œſypi multum contineat: paulo ante etiam ſupra partem affectam apponendam ſpongiam voluit vino auſtero imbutam vel poſca, quæ omnia tepida adhiberi debent. Sunt qui adhibent roſas ex vino decoctas cataplaſmatis modo, ubi una dolor vehemens adfuerit. Poſt initia vero uſus laxantium majori ex parte conducet, ad reſolvendum nimirum impactum reſtrictumque humorem, cum ſola laxantia, fundentiaque convenire vel etiam Galenus conceſſerit. Unde laudatur olei roſati tepidi inunctio, vel cum adipe anſerino mixta. Convenient vero ex toto laxantia, humoris finita fluxione. Cujuſmodi erit oleum, in quo radix althææ decocta ſit, vel folia; vel ſpongia decocto fœnugræci, lini, althææque imbuta atque appoſita. Verum his propoſitis, videndum erit, an phlegmone ad ſuppurationem veniat: in quo caſu ſuppurantibus puris generatio adjuvanda erit; & facto pure, vel medicamento, vel ferro vomica erit aperienda; deterſoriiſque repurgandum erit ulcus; & mox ſarcoticis, atque epuloticis ſanandum: quæ omnia petenda erunt ab iis, quæ de vomicis ſanandis in antecedenti libro nos ſcripſimus. At jam ad herpetem ſanandum accedimus: in quo quidem affectu utimur, ſi magnus ſit, & ſanguinis evacuatione, & purgatione, quæ fit cum pulpa tamarindorum, caſſia, vel manna, vel ſyrupo roſaceo laxativo, ex ſero lactis, vel ex aqua aliqua ſtillatitia; & laxato corpore cum evacuatione ſanguinis, tum purgatione lenitoria, ad medicamenta deſcendimus, quæ puſtulis non ulceratis conveniunt: primo, niſi malignus humor ſit, & ſi pars affecta permittat, neque eruptio critica ſit, poſſumus uti medicamentis repercuſſivis, ſiccantibus, non humectantibus; & poſtea finita fluxione, bilioſus humor laxatoriis digerendus erit: unde aqua calida conveniet ex ſpongia adhibita, vel fomentum calidum ex decocto althææ, malvæ, ſem. lini, fœnugræci,

In 3. ſimpl. cap. 17. In lib. de Ther. ad Piſon. cap. x.

& ſimilium. In ulceratis vero puſtulis, requiruntur medicamenta ulceribus accommodata: de quibus in chirurgia dicemus. Ad eryſipelas eædemmet ſanguinis evacuationes, & purgationes ventris, vel clyſteribus factæ convenient, ſi morbi magnitudo hæc requirat. Non eſt uſque adeo tutum repellere, ſi ſit in facie, vel etiam in aliis locis; aqua vero dulci tepida ſi ſpongia imbuatur, ac adhibeatur, tenuiſſimus ſanguis digeretur: vel oleum roſatum conveniet, in quo althæa decocta ſit, tepidum; vel ſuccus coriani actu calidus, vel etiam alterius herbæ refrigeratoriæ: quandoquidem hæc, ſi actu calida adhibeantur, quadantenus digerunt, ut etiam aquam dulcem idem facere, calida ſi adhibeatur, alias à nobis demonſtratum eſt: omnes enim ſucci, vel aquæ poteſtate refrigerantes igne incalefactas reddi facultate aliquatenus laxatorias, neminem latere arbitror, cum & Galenus docuerit, aquam mediocriter incalefactam calefacere, humectare, & vehementer calefactam vehementer calfacere. Ad carbonem vero curandum, ſtatim (laxata vel clyſtere vel medicamento lenitorio alvo) vena inciſa ſanguis evacuabitur; & aliquando in parte anthrace obſeſſa, ut exitum maligno, & ardenti humore paremus, ſcarificationem moliemur. Nullo autem pacto erit vel refrigerantibus, vel adſtringentibus (quæ omnia Methodici ſub adſtringentium medicamentorum genere comprehenderunt) humor repellendus: periculum enim majus inveheret repulſio facta. Ulcus vero detergendum erit, medicamento ex ſucco apii, ex melle, & reſina terebinthina. Nonnulli poſtea facta deterſione, malum punicum auſterum minutim inciſum, in vino auſtero decoctum, atque contuſum cataplaſmatis modo adhibent; vel pulverem ejuſdem corticis ſicci, vel aliud ſimile ex epuloticis. Ad anthracem vero peſtilentem medicamenta poſterius in chirurgia adnotabimus. Atque hæc de phlegmone in communi pauca in primis præmittere voluimus, nunc ad particulares plegmonas, in quibuſdam corporis partibus, quæ ſæpe fiunt, deſcendimus, & poſtea ad tumores quoque externos tractandos declinabimus.

CAP.

CAPUT. II.

De phlegmonis, quæ externas corporis partes vexant, ſanandis, & primo de ophthalmia.

EX phlegmonis, quæ externas partes corporis vexant, ſunt ophtalmia, parotis, & quæ in mammis, & in teſtibus, & in digitis fit, nec non in partibus articulorum, quam arthritim, podagram, & iſchiadem, ſeu coxendicum morbum & dolorem appellant. Gallicæ itidem phlegmonæ, atque tumores œdematoſi, ſtrumoſi, ſcirrhoſi, & qui à materiæ, quam continent, ſimilitudine cum melle, ſævo, pulte, meliceris, ſteatoma, & atheroma denominantur. Nunc de ophtalmia tractabimus, quæ oculorum phlegmone eſt: externa enim tunica, conjunctiva dicta, ex ſanguine inflammatur, unde oculi cum rubore & tenſione dolent, & nonnunquam ſimul febris adeſt: cujuſmodi ſunt, quæ certis temporibus anni in Ægypto graſſantur, cum ob ventorum caliditatem, tum ob arenarum calidarum, quæ à ventis campſinis vocatis, per aërem feruntur, copiam. De quibus nos in libris de Medicina Ægyptiorum ſermonem habuimus; itaque cum hic affectus phlegmone ſit, mirum eſt, cur aliqui hunc ipſum morbum ex laxo & adſtricto mixtum fecerint; cum plane adſtrictus ſit, quem Methodici preſſuram oculorum vocant: ni dixerint, in principio, ſcilicet quo tempore ſanguis fluit ad oculos, videri morbum laxum, idcircoque indicari eo tempore pro curatione, nempe in principio, medicamenta adſtringentia vocata. Si morbus mitis ſit, præſcripta victus rarione tenuiſſima, quæ maxime omnium convenit oculorum inflammationibus, utitor mitioribus adſtrictoriis externis, ita, ut aliquando nulla evacuatione, purgationeque ſit opus, ſed ſat erunt topica in principio ad repellendam fluxionem, etiam mitiora, ut aqua roſacea, aut plantaginis, vel ſuccus roſarum tepidus, aut ovi liquor tenuis, aut lac aſininum inſtillatum, & poſtea aqua fluminis tepida, aut decoctum malvarum, vel althææ, vel fœnugræci vel meliloti. Sed ſi morbus fuerit magnus, magnis quoque laxatoriis inter-

nis erit opus: cujuſmodi ſunt, ſanguinis evacuationes, aut per venæ ſectionem, aut per crurum ſcarificationem, aut per cucurbitulas colli & dorſi partibus cum ſcarificatione adhibitas, aut per hirudines variis partibus itidem appoſitas. Purgationes quoque lenitorio cathartico factæ, & clyſteres maxime conferunt. Itaque in primis præmiſſo clyſtere mollitorio, & ſecta vena cephalica ejuſdem lateris, ſanguinis congruens quantitas educetur; vel quandoque vena interna jecoraria ſi plurimum ſanguinis abundaverit; & mox cephalica incidetur, imo etiam, ni affectus tollatur, ut Ægyptii facere ſolent, & venam frontis, & anguli interni oculi affecti. Alii cervici, collo, dorſo, ſcapulis, cucurbitulas adhibent cum ſcarificatione, & eo modo ſanguinem evacuant; aliique ſæpius poſt aures venis appoſitis ſanguiſugis eandem moliuntur evacuationem ſanguinis, quam ſi opus ſit, ſæpe repetunt. Nonnulli in affectu pervicaci utuntur ſetaceo in occipite per plures dies, quo purgari caput, & humorem ab oculis diverti, obſervatur. Nos utiliſſimum eſſe experientia in multis deprehendimus, utramque aurem ad imam partem perforare, introque mittere ſubtilem funiculum ex filis ſericis contextum, eumque ſæpius in die agitare, ne foramen ſive ulcus coaleſcat; per aures enim facillima humoris eſt evacuatio, diverſioque. Solo hoc genere præſidii complures à difficillimis ophtalmiis ſanatos vidimus. Poſt ſanguinis evacuationem conveniunt medicamenta leniter laxatoria, cujuſmodi erit, ſi exhibeatur caſſiæ catharticæ Abiſſinæ uncia & ſemis cum ſaccharo, vel poſt ipſam ſuperbibatur ſerum lactis ad libras duas: vel poterunt exhiberi quatuor unciæ aut mannæ Calabræ, aut ſyrupi roſati laxatorii; & poſtea ſuperbibant, ſeri lactis libras tres: ſi in potione deſideretur, poterit diſſolvi aut caſſia, aut manna, aut ſurupus laxativus roſarum, cum aqua ſtillatitia, in qua ebullierit ſemuncia pulpæ tamarindorum. Sed venio ad localia ophthalmica medicamenta, quæ ſunt collyria in principio ad repellendum ſanguinem opportuna: cujuſmodi erunt aqua ſtillatitia roſarum tepida, aut plantaginis, aut cymarum rubi; vel ſuccus roſarum ſimplex, aut cum albumine ovi deſpumato; poſtea conveniet lac muliebre

bre vel aſininum inſtillatum, aut liquor expreſſus ex ovis coctione induratis: & tandem balnea ex aqua dulci fluviatili calida, aut ex decocto malvarum, aut althææ, aut meliloti, aut fœnugræci parata utilia erunt: eodemque modo ſpongiæ eodem calido decocto imbutæ calidæ ſumma cum utilitate adhibebuntur. Quæ ſane medicamenta expreſſiſſe viſus eſt Hippocrates, cum dixerit: *oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio ſolvit.* At primum faciendæ erunt tum evacuationes, tum purgationes, & poſtea balnea, fomentaque uſum habebunt; quandoque nulla præcedente evacuatione, aliquos, cum ex balneo plurimum ſudaſſent, ab ophtalmia fuiſſe liberatos vidimus: & nonnullos, ut Galenus quoque animadvertit, ex vino mero ebrios factos, in ſomnumque delatos, prorſus ſanatos. Atque hæc de ophtalmia. In 6. aph. 31.

CAPUT III.

De parotide ſananda, mammarum phlegmone, atque in inguinibus facta.

PArotidem phlegmonem eſſe glandularum juxta aures poſitarum neminem Medicorum latet: proindeque hanc & ſtricturam & morbum adſtrictum Methodici fecerunt: idcircoque ad ejus curationem indicari medicamenta laxantia. Itaque, præſcripta victus ratione laxatoria, qualem nos alias in curandis phlegmonis internis tradidimus ſeptimo libro, ſi morbus magnus ſit, vireſque conſtent, conveniet ſanguinis vacuatione corpus laxare, aut vena interna lateris è directo poſiti, aut cephalica ſecta, aut cruribus ſcarificatis, aut cucurbitulis cum ſcarrificatione ſcapulis & dorſo appoſitis; vel etiam hyrudinibus appoſitis hæmorrhoidibus. Ceterum antequam ſanguis evacuetur, alvus laxabitur mollitorio clyſtere ex decocto malvarum, violarum, althææ, mercurialis, cum oleo communi dulci; vel, ſi febris adſit, ex oleo violaceo ad uncias quatuor, cum mellis roſati ſimplicis unciis tribus, adjecto modico ſalis, concinnato; & ſanguine evacuato viribus conſentientibus, ſi

ſe-

febris multa etiam vexet, vel caſſia ſimplex dabitur ad unciam & ſemis, cum ʒ. ij. pulpæ tamarindorum, vel manna, vel ſyrupus roſatus laxatorius ad uncias quatuor: quæ diſſolvantur in decocto flor. & fructuum cord. in quo ſemuncia pulpæ tamarindorum fuerit aut macerata per noctem, aut parum efferbuerit. Et ſi febris fuerit continua, & ardens, cum multa ſiti, & calore, aſſument ægroti aliquod ex ſupradictis laxatoriis, & poſtea ſuperbibent ſeri lactis caprilli duas, vel tres libras. Verum, ſi parotis in morbo acutiſſimo critice appareat, & tarde moveatur ut ad topica veniamus, ſi alte deliteſcat (auctore Galeno) attractoriis & aliquando adhibita cucurbitula excretio erit adjuvanda, vel calido fotu adhibito, ſcilicet ex decocto aut althææ, aut fœnugræci, aut lini, aut chamomeli, aut ſimilium; aut ex multis prædictorum ſimul; aut fovebimus ipſam parotim oleo dulci amygdalino, aut hydrelæo calido, molli lana, vel ſpongia excepto; aut ſpongia aqua calida expreſſa: ſed hac convenientius eſt prædictum decoctum calidum ſpongia exceptum, & poſt expreſſionem adhibitum: ſic quæcumque caliditatem humiditatemque conjunctam habebunt, erunt aptiſſima tum ad juvandam parotidis extractionem, tum ad dolorem demulcendum. Si vero tumor vehementi impetu moveatur, nullo modo erit excretio attractoriis juvanda; ſed totum negotium naturæ permittendum. In his enim ſolis inunctionibus oleorum dulcium tepidorum uti ſolemus. Ex quo non recte ſe gerunt ii, qui conantur quamprimum uti cataplaſmatibus attractoris, atque ſuppuratoriis. Quoniam phlegmone plurimum ſi augeatur, dolores augentur, atque caliditas. Quibus ſymptomatis facile cerebri membranis communicatis, vigiliæ, deliriaque ſuccedunt, non raro lethalia; ſæpe vidimus ex commotis, auctiſque parotidibus ex uſu attractoriorum medicamentorum, deliros complures factos interiiſſe. Neque parotides ſi ſuppurentur, & rupta vomica expurgentur, Medici certam ſalutis ſpem polliceri ægrotis poſſunt, etiamſi & recte (uti dictum eſt) ſuppuraverint, & effluxerit pus album, & probe concoctum: quoniam in acuto morbo, niſi una apparuerint ſigna concoctionis in urinis, haud profecto quimus ex

In 3. de comp. loc. cap. 2.

iis

iis probe ſuppuratis certam ſalutem polliceri: quæ certe prædici poterit, ſi una cum ſignis concoctionis, ſcilicet morbo plane concocto, ſuppuraverint. In Craſtinacte & ancilla pictoris (ut auctor eſt Hippocrates in libris epidemiorum) parotides ambæ ſuppuraverunt, qui tamen ambo interiere. Si vero parotides abſque ratione delituerint, aut ipſis ſuppuratis pus non effluat album & concoctum omniumque maxime morbo crudo exiſtente, exitium certum ſuccedet. At qui cupiunt plura de parotidarum prognoſtico intelligere, non graventur legere noſtros libros de præſagienda vita & morte ægrotantium abhinc annos complures evulgatos. Ex parotidibus ſuppuratis, rupta vomica, aut ferro aut medicamento, detergendum purgandumque pus erit laxatoriiſque medicamentis durities erit emollienda: ad quod conducent, ſpongiæ aqua calida, vel decocto althææ, aut fœnugræci, aut ſimilium imbutæ & appoſitæ. Mox ulcere deterſo, æquatoque, carne replendum erit medicamentis iis, quæ modice ſiccant, atque detergunt, ſine adſtrictione: cujuſmodi eſt iris, betonica, pompholyx, & ſimilia tenuiſſime trita, & inſperſa. Tandem opus erit epuloticis, id eſt, cicatrice ulcus claudentibus: hæc autem ſunt ſicca, adſtringentia, ſine deterſione. Hujuſmodi erit ex ſimplicibus galla immatura, balauſtium, cortexque mali punici, equiſetum, & ſimilia. Sed jam ad mammarum phlegmonem accedimus. Quæ ſæpe fit in mulieribus enixis & lactantibus, & quandoque ſuppreſſis menſtruis, ſanguine ad mammas defluente. Hæ ſi recte tractentur, ſolent cito atque tuto ſanari; ſi vero non recte, ſolet inflammatio mutari in tumores quidem & longos & malignos. Antiqui omnes utebantur in curatione laxatoriis præſidiis, præſertimque ſanguinis evacuatione ex talo pedis, ſi menſes fuiſſent cohibiti: vel ex vena interna brachii è directo mammæ affectæ: ſic alvi purgationem moliemur medicamento leniter laxatorio, ut caſſia ex ſero lactis, vel cum decocto tamarindorum ſi febris adſit, vel ſyrupo laxatorio ex infuſione roſarum multiplici, cum ſero lactis, diſſoluto; vel horum loco clyſteribus lenitoriis alvum laxabimus. Quod ad externa medicamenta pertinet, quidam in principio illinunt

mammas roſaceo tepido in pila plumbea, piſtilloque plumbeo, quoad nigreſcat, diducto, cum terra Lemnia; vel terra eadem cum lacte eodem modo deducta: attamen hæc non actu frigida, ſed tepida adhibeantur. Verum nullo adſtrictorio repellenteve medicamento in hac phlegmone utendum Medici cenſent. Mirifice conducere ſolent folia althææ, vel malvarum ex butyro recenti, vel ex oleo amygdalino dulci decocta, atque appoſita: vel emplaſtrum ex radice althææ, butyro, & lacte paratum, vel addita mica panis molli vel farina fœnugræci. Et quia plerumque hæ phlegmonæ ſolent ſuppurari, caveant Medici à ſectione cum ferro facta, & potius expectent, ſponte ut vomica erumpat; & poſtea ulcus curabitur, ut aperta parotis. Non poſſum tacere miram efficaciam ad hujuſmodi phlegmones aperiendas, atque ad ipſarum ulcera ſananda, quæ ineſt foliis Androſemi à Dodonæo vocati; hanc plantam herbam Sicilianam officinæ appellant, folia enim hæc viridia modice contuſa, ſed tamen integra, exterius appoſita vim habent pus etiam fæculentum, atque craſſum, durumque, quod vix magna inciſione facta educi poſſet, educendi, atque ulcus prompte ex purgandi, detergendique, & prorſus ſanandi. Complures vidimus mulieres, quæ quaſi miraculo à phlegmonoſis tumoribus ſanatu difficillimis, in mammis obortis breviſſimo tempore & jucunde quidem fuere omnino ſanatæ. Non potui in mulierum utilitatem, non communicare Medicis tam facile atque precioſum medicamentum. Demum phlegmones in axillis, & inguinibus, bubones vulgus vocat, curantur eodem modo, quo parotides curari diximus.

CAPUT. IV.

De phlegmonis articulos vexantibus præſertimque de arthritide, de coxendico dolore, atque de podagra.

ARthriticorum dolorum genere comprehendi omnes affectus, qui cum dolore articulos, & cum tumore vexant. At triplici tamen differentia diſtingui ſolent. Etenim quidam ar-

articulares dolores ſtatim à principio omnes fere vel complures articulos (quo nomine, ut Paulus Ægineta ſcribit, etiam vertebras, humeros, maxillas, omnemque mobilem oſſium commiſſuram comprehendimus) invadunt; atque hi ſimpliciter arthritici dicuntur: huncque affectum Græci arthritim & Latini articularem appellarunt. Alii à pedum articulis incipiunt, atque tractu temporis affectus ad manuum, humerorum, brachiorum, genuum, atque aliarum partium articulos progreditur: atque hunc affectum podagram (vulgo guttam) appellant. Demum ſunt qui in coxendice fiunt: iſchiaticique idcirco & coxendici dolores dicuntur. Horum vero omnium affectuum cauſam duplicem eſſe Galenus ſtatuit, ſcilicet, partium humorem recipientium debilitatem, atque humores in corpore ſuperfluente, qui ad partes delabentes & dolorem, & tumorem creant. Imbecillitas vero partium, ſcilicet articulorum, quandoque ab hereditario ſemine procedit, ut quando parentes eo affectu ſcilicet podagrico vexati filios generarunt. Nonnunquam à percuſſione articulorum compaginibus divexatis hic morbus originem ducit, quod nimirum ex ea cauſa articulorum partes maxime debilitentur. A qua cauſa nos in podagram incurrimus, univerſa articulorum compagine ex caſu plurimum debilitata, ſcilicet cum olim ex Ægypto in Italiam redeuntes navigaremus prope Corcyram Inſulam in loco, qui dicitur Caſoppus: etenim propter naufragium ex navi in cymbam præ timore repente delapſi, cymba procelloſo mari agitata valde in pedibus percuſſi fuimus: à qua percuſſione pedes plurimum intumuerunt. Unde tota corporis mole valide percuſſa partes nervoſæ, omniumque maxime articuli imbecillitatem inſignem nacti paulo poſt, phlegmonoſis doloribus divexari cæperunt. Itaque à percuſſione quaſſationeque partium nervoſarum, atque articulorum articulares dolores fieri ſolent, quoniam exinde partibus iis maxima creatur debilitas. Idem ab ebrietatibus, à frigore intenſo, ab immoderatis exercitiis, atque ex immoderata venere evenire ab omnibus deprehenſum eſt. Atque ab his cauſis fieri ſolet partium ſuſcipientium debilitas, qua partes nequeunt tueri ſe à ſuperfluentium humorum decubitu. Hu-

mor vero ſuperfluens copia, & aliquando etiam qualitate moleſtus, ad debiles partes à fortioribus protruditur, vel quovis modo deſcendit, quandoque etiam etſi neque copia, neque qualitate moleſtat, tamen vel immodico calore fuſus vel liquatus; aut ex frigore ambientis immoderato expreſſus ex capite, vel ex univerſo corpore ad articulos demittitur; quas partes diſtendens, tumefacienſque, dolorem cum phlegmone facit. Qui humor quandoque ſimplex fluit, ut ſanguis, vel bilis, vel pituita, vel melancholia, vel plerumque ex his mixtus. Diſtinguunt plerique arthritim, podagramque in calidam, atque in frigidam. Hanc tumor, non multum doloroſus, ſine rubore, ſine caloreque, atque abſque febre manifeſtat: illam ex vehementibus acutiſſimiſque cruciatibus cum colore rubro partis affectæ vel flavo, caloreque inſigni & febre continua deprehendimus: Febres vero hæ ſemitertianis, à catharro excitatis prorſus ſimiles videntur: etenim diebus ſingulis exacerbantur noctu potius cum horrore invadunt, mox calor tota nocte quandoque inſignis, qui die acquieſcit: acceſſiones ſunt inæquales, ſiquidem una eſt major, manifeſtiorque, altera mitior atque obſcurior. Itaque fiunt hæ arthritides ab ichoroſo tenuique humore potius, quam à ſanguine vel à bile; quæ vero à pituitoſo craſſoque humore fiunt; plerumque haud multo cum dolore juncti ſunt: neque ſæpe cum his ægroti febriunt: ſed tumores majores, grandioreſque apparent. Majori ex parte hic affectus fieri ſolet à cruditatibus, quæ in ſtomacho abundant, atque in univerſo corporis habitu. Unde ex crapulis, ebrietatibus, venereque inordinata hi affectus maxime foveri videntur. At privatim nimius inordinatuſque vini potus hoc malum facit; quod etiam eo argumento facile intelligitur, quia omnes fere qui podagram patiuntur, præſertimque calidam, vino immoderatius, atque inordinatius incumbunt: & nonnulli qui à potu multum abſtinuerunt, plurimum ab illo malo allevamenti perceperunt. Hic affectus facilis cognitu eſt, cum eo partes articulorum & doleant, & tumeant: Nam ſi in principio non appareat, ſaltem poſtea, ad exetrius etiam converſa materia; & quandoque cum calore, coloreque vel rubro, vel flavo: & in antiquato affectu, ſolet do-

dolor primum invadere vel pedem, vel manum, vel genu; & poſtea ad plures partes progrediens, eas eodem tempore vexat. Certe hoc malum ſanatu difficillimum eſt, potiſſimumque quod à pedibus incepit & tractu temporis ad complures partes progreditur. Arthritis vero, quæ ſtatitim omnes articulos invadit, facilioris curationis eſſe ſolet, ita, ut complures, ſi ſtatim initio accurate medicamentis incumbant, prorſus liberi evadant. Atque etiam in coxendico dolore idem eveniet, ſi in principio ægrotantes probe à Medicis tractentur: qui vero curationem in initio ſpernunt, ad exitum uſque morbum hunc comitem habere ſolent. Sed age, curationem aggrediamur: & quamvis medicinæ præſidiis interdum hoc malum ex toto tolli non poteſt; iis tamen ſæpiſſime eouſque redigitur, ut multum decreſcat, mitiuſque adeo reddatur, ut ab hominibus levius ferri queat: quinimo audebimus affirmare, ab illo, qui non multum antiquatus ſit, poſſe, qui ſenes non ſunt, atque debiles, omnino ſanari. Itaque cum morbus adſtrictus ſit, laxatoriis quidem tum iternis, tum externis præſidiis indigebit. Poterunt vero initio phlegmonum adſtringentia convenire, ut mali augmentum futurum diminuant, prohibeantque. Attamen adſtringentium repellentiumque uſus in morbo recenti conducet; minime tamen in antiquato, in quo omnes fere articulorum partes plurimum laxæ, & debiles evaſerunt. Namque in his, ſi morbum in principio (exempli gratia) à pedibus medicamentis adſtrictoriis repellas, ipſum aliis partibus recte nunc valentibus communicabis; etenim humor à pedibus protruſus ad alias partes articulares feretur, eaſque divexabit. Itaque tumefactio, & ſtrictura articulorum à præſentia humoris facta primum laxatoriis eſt tollenda: & mox ſublato affectu adſtricto, partes laxæ & debiles erunt adſtrictoriis roborandæ, atque firmandæ. Hac quidem curationis methodo, etiam Dogmatici omnes utuntur, cum ex cauſis curationem dimetiantur, & depromant. Conſtat enim, ut ſuperius quoque dictum eſt, hujus affectus duplicem eſſe cauſam, ſcilicet partium ſuſcipientium laxitatem imbecillitatemque, atque humorem in corpore ſuperfluentem, qui certis quibuſdam temporibus copia immoderata auctus, ab

expultrice partium ipſum continentium, ad articulorum laxas partes detruſus dolorem, phlegmonemque facit. Mirum certe eſt, hoc malum certos quidem ac terminatos in anno, vel annis periodos habere, adeo ut in aliquibus ſingulis annis, in vere; aliis, in autumno; aliis in alio anni tempore, redeat: atque in aliis non ſemel in anno, ſed & bis, & ter, quaterque: qui ita terminatis temporibus exacerbatur, ut ſæpe ne vel diem unam evariare, compertum ſit, atque hunc periodorum ordinem perpetuo ſervare ſolet, ni ab aliqua cauſa procatarctica hic ordo impediatur. Etenim aliquando caliditas ſolis immoderata, ut qui ſeipſos in æſtate ſoli immoderatius exponunt, humorem fundens, ante ſolitum tempus, ut humor ad articulos moveatur, eſt cauſa: veluti etiam intenſum frigus aliquando humorem, exprimendo facit, ut humor ſuperfluens ad articulorum partes irruat, ante tempus ſolitum, atque phlegmonem faciat. Quibus quidem conſtat, hoc malum redire, poſteaquam corpus certam quandam humorum ſuperfluentium quantitatem generavit. Confertim enim humore ad eam quantitatem aucto qua expultrix ſemper movetur ad excernendum, propellendumque ipſum ad partes articulares jam ex aliqua cauſarum nuper dictarum debilitatas, hoc malum redit, atque toties in anno, quoties profecto corpus nuper dictum humoris ſupradictam quantitatem generat: quæ quantitas cum expultricem moveat, neceſſario humore ad articulos propulſo, malum exacerbatur, reditque. Atque hæc erit hujuſce morbi periodorum exacerbationumve diverſarum, quæ in anno fiunt, ratio. Cum igitur hic affectus morbus adſtrictus ſit, neceſſario ipſum laxatoriis tolli medicamentis oportebit. Quam curationem etiam Dogmatici ſequi videntur, cum in curandis morbis articularibus à tollenda materia, ex qua fiunt, perpetuo exordiantur: eaque cauſa præſertim, quod partium articularium recipientium imbecillitas minime reſtaurari, tollique queat. Quam partium debilitatem poſſe tolli fortaſſe ſperandum eſſet, ſi longo tempore, partes doloribus phlegmoniſque à quibus debilitantur, plane caruerint. Medicamentis vero quam difficillimo negotio robur ſolitum illis partibus poterit reſtitui. Itaque, ſi de curatione

tione loquamur, quæ præſervatio eſt, atque de ea, quæ affectus quoque curatio exiſtit; profecto dicemus, omnia medicamenta convenire, quæ humorem ſuperfluentem tollunt. Cujus quidem generatio optima victus ratione primum obſervata, prohibetur. Itaque qui his morbis vexantur, parco cibo & potu utantur, caveantque à crapulis & ebrietatibus, ab immoderata venere, ab otio, quinimo quotidianas exercitationes obſervent. Quotidiana quidem experientia deprehenſum eſt, homines, qui validis exercitiis aſſidue utuntur, hoc genere mali non prehendi, atque illos, qui cum ipſo conflictantur, eo minus conflictari, ſi, quoad ſudent, in exercitiis laboraverint. Ad tollendum vero humorem ſuperfluentem, omnes commendant præſidia quovis modo evacuantia, & purgantia, ſcilicet, ſanguinis vacuationem, purgantia tum per vomitum, tum per dejectionem alvi; omnium vero maxime ſudorifica. Unde in illis inſtituunt decocta ſudorifica ex Guajaco, china, ſalſa parilla, quæ non niſi purgatis corporibus, evacuatiſque, in tempore quo recte valent, ad præſervationem, quæ fit potiori cauſa, quæ eſt humor abundans, ſublata: & aliquando in ægrotantibus eadem inſtituunt, ſudorum ex iis, ad corpus ſiccandum, provocando: & quidem per plures dies, prædicta ſudorifica exhibent, ut quandoque ad viginti, nonnunquam ad triginta dies, iis decoctis ægrotos uti velint. Quod inſtitutum nunquam potuimus in articulario morbo, qui ab humoris conſueta fluxione ad articulos facta excitatur, exacerbatúrque, probare; ſiquidem exquiſitæ evacuationes quæ præmittuntur, ſimulque purgationes, viſcera interna debilitant, atque ita, ut poſtea plus humoris excrementitii ſuppeditetur, ſunt in cauſa: imo ſæpius in corporibus nondum eo morbo vexatis, dolores movent, exacerbantque: quod & in nobismetipſis atque in aliis compluribus obſervavimus: qui cum omnino doloribus vacarent, ſtatim à præbito pharmaco purgatorio vel ab evacuato ſanguine in ſolitos dolores inciderunt. Quare haud injuria fortaſſe Aurelianus phlebotomiam in iis, qui huic affectui ſunt obnoxii, partes patientes replere, ſcripſiſſe deprehenditur. Itaque exquiſitas evacuationes per ſanguinis miſſionem & per pharmaca laxa-

laxatoria, reiteratasque in hoc malo antiquato, raro utiles esse cognovimus: quinimo sæpe complures in deterius ab earum affectato usu labi deprehendimus. Non tamen negamus quorundam purgantium usum eos multum juvare posse. Neque etiam sudorifica multis diebus adhibita, & si aptissima sint ad humiditatum siccationem faciendam, plane laudamus, eodem nimirum argumento, quod nedum inutilem excrementitiamque humiditatem, sed quinetiam utilem resolvant: unde admodum viscera interna debilitantur, scilicet ipsorum & humido substantifico & calore innato exoluto, atque diminuto: ex quo viscera postea, deterius coquendo, copia majori superfluentis humoris abundare soleant. Quam rem facile deprehendere exinde quimus, quia complures ex iis, qui hoc morbo divexari solent, posteaque ita longis evacuationibus, ad præservandum, usi fuerunt, & crebrius, & citius, quam essent soliti, hoc malum incurrerunt. Nos vero soli fuimus, qui non probavimus ita longas accuratasque evacuationes per sudorifica medicamenta, neque sanguinis frequentatas evacuationes, neque laxatorias catharticasque purgationes. Sat nobis visum est, sudorifico podagricos eo usque uti oportere, quoad humor solummodo superfluens, qui morbi accessionem facit, absumatur. Neque in morbo antiquato tempus conterendum in universali totius corporis accurata cum evacuatione, tum purgatione præmittenda; cum neque tutum sit, eas evacuationes, purgationesque diligentes præmitti, quia sæpius dolores, qui non aderant, ab ipsis in partibus commoventur. Itaque, ut curationem veram dicamus, statim, invadentibus doloribus si alvus fuerit adstricta, præmisso clystere laxatorio, aut lenitorio pharmaco, aut levi etiam eductorio, potissimumque ex hermodactylis vel ex agrico, vel ex mechoacan, vel alio simili parato, jubemus epoto decocto calido, quod inferius præscribemus, podagricos homines in balneum laconicum, id est, in tinam ligneam oblongam, suffitu, qui ex lapidibus molaribus ignitis decocto infra describendo consperfis excitatur, incalefactam descendere, in eaque collocatos probeque linteis coopertos, ne calor exhalet, quoad multum sudent, ad summum per horam, manere; mox sudore lin-

linteis calidis deterſo in lectulo calido reponi, in quo etiam non parum ſudare ſolent; in lectuloque poſtea rurſum deterſo ſudore, poſt tres horas ut cibum aſſumant, jubemus. Hic autem cibus debet eſſe quantitate parcus, qualitateque optimi ſucci, & facilis concoctionis, cum modico etiam vini clari pauciferi; ſi ſenes ſint, ſemel in die eos ſudare ſufficiet; ſi juvenes & robuſti, bis in die ſudabunt, eodem modo ſex horas à prandio rurſum aſſumpto decocto ſudorifico; ſudabunt autem aut ſepties, aut ad plurimum decies. Hic ſudor ſat profecto erit ad abſumendum humorem ſuperfluentem, ſive ejus quantitatem, quæ apta eſt dolores renovare. Tunc enim ſolummodo excitantur dolores articulares, cum ea ſuboritur humorum copia, quæ in viſceribus, & vaſis retineri nequit, ac ſua moleſta vi & qualitate naturam irritat, ut eam ad articulos, iiſque vicinas partes protrudat. Hanc igitur ſolummodo humorum quantitatem ſuperfluentem, quæ morbum articularem factura eſt, ſudorifico præſidio abſumendam putamus, quam ſane ſudor per quinque dies factus, ſi bis in die ſudent, ſufficienter abſumet. Qua reſoluta, fluxiones ilico ad articulos ceſſare eſt neceſſe; atque exinde etiam phlegmonas doloreſque non amplius augeri, neque multo amplius perſeverare malum, deficiente humore (qui per ſudorem & divertitur, & abſumitur) phlegmonem fovente, conſentaneum eſt. Quem modum ſudandi ita arthriticis doloribus fore utilem confidimus, ut nedum etiam ſenes eo malo vexatos poſſe plurimum juvari, verum etiam juvenes, ſi aliquibus annis (ut dictum eſt) eo præſidio utantur, poſſe omnino ab eo morbo liberari, audeamus affirmare: ea præſertim ratione, quod ſperandum ſit, partes articulorum, ſi longo tempore ſudandi beneficio à doloribus non divexentur, à quibus profecto eæ laxæ & debiles evaſerunt, etiam ad priſtinum robur reſtitui poſſe; quæ imbecillitas, altera cauſa eſt horum dolorum, qua ſublata (ut ait Galenus) nunquam podagra fieri poteſt. Decoctum vero ſudorificum, cujus quidem calidi ſemilibra propinabitur ſudaturis, parabitur ex radicis arundinis ſiccæ minutim inciſæ unciis tribus, radicis itidem ſiccæ iridis minutim inciſæ ſemuncia, calaminthæ montanæ manip. duabus,

aquæ communis libris ſex. facta ebullitione ad conſumptionem medietatis percolatum ſervatur. Hoc decocto ignitis lapidibus aſperſis fotus calidus paratur, ad balneum laconicum calfaciendum: cujus quidem calor ad ciendum ſudorem toto ipſius ſudationis tempore conſervabatur, reiterata ſæpe ex prædicto decocto lapidum ignitorum aſperſione. Aliud itidem decoctum eodem modo uſurpandum parabitur accipiendo foliorum arundinum ſiccatorum, ſalviæ, aſarique an. M. iiij. radicis cyclaminis ſiccæ minutim inciſæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſpicæ Italicæ ſiccæ, an. unc. i. aquæ communis lib. xx. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem. Atque hoc eſt præſidium noſtrum laxatorium, quod feliciter mederi articularium partium doloroſæ ſtricturæ nuper tradidimus. Sed fortaſſe aliquis ex Medicis Dogmaticis hanc noſtram medendi rationem multis rationibus reprehendet; & primo quod non præmittat evacuationem, purgationemque totius corporis exquiſitam: quibus non præmiſſis, haud tuto in corpore impuro ſudorem ſudorificis poſſe moveri mordicus contendet, quod verendum profecto ſit, humorem à calore ſudorificorum fuſum poſſe ad principem aliquam partem irruendo graviſſimum morbum invehere; vel, ſi hoc non fiat, ſaltem dolores novos in pluribus partibus articularibus concitatum iri. Accedit etiam, quod hujuſcemodi evacuatio ſudorifica tam brevi tempore frequentata, ſit inſufficiens pro tollendis, avertendiſque iis phlegmonoſis doloribus. Ad primum argumentum reſpondemus, neque venæ ſectionem, neque laxatorium purgans in omnibus ſuperfluentem humorem abſumere, maximeque in affectu antiquato, in quo partes ſunt valde debiles, & hac de cauſa, nempe, ob inſignem laxitatem tum ab evacuatione ſanguinis, tum à medicamento cathartico humorem ſuperfluentem commotum copioſius recipiunt. Hinc complures vidimus podagricos, qui cum incepiſſent vacuari, & purgari, in gratiam ſudorifici decocti aſſumendi, ex commotis humoribus ad articulos obortis doloribus coactos fuiſſe in aliud tempus remittere curationem per ſudorifica medicamenta faciendam. In morbo vero recenti partibus non ita laxis exiſtentibus etſi dolorum concitatio non adeo ſit timenda, tamen fru-

fruſtra tempus in univerſali evacuatione purgationeque facienda terimus, cum præcipuum inſtitutum ſit, humorem ſuperfluentem, qui cœpit ad articulos fluere, per ſudorem abſumendo ab afflictis partibus totum divertere. Neque eſt quod timeant in corpore impuro repletoque humorem fuſum à calido ſudorifico in viſcera interna irruere poſſe, atque idcirco malum illis gravius poſſe invehere: quoniam humores omnes à ſudorifico externo (quod eſt calor humidus Laconico balneo concluſus) non ad intra ſed ad extra moventur, nimirum eos calore externo trahente exterius; hinc apud quoſdam Medicos antiquos aliquando legiſſe meminimus, quod olim corpora haud ita familiariter, ut nunc, internis phlegmonis aliiſque morbis corripiebantur, propter frequentem balneorum uſum, eo tempore ab omnibus fere frequentatum, quo ad exterius humores ferri conſueverunt. Accedit etiam, vanum profecto videri illum timorem, quod in corpore impuro ſudorificum gravius malum excitare queat, etſi humores à calore fundantur, cum humor ſuperfluens à ſudorifico fuſus totus per ſudorem excernatur, atque evacuetur. Hic timor certe, ni humor fuſus prorſus per cutim evacuaretur, adeſſet: ſed omnis timoris cauſa tollitur, cum humor à calore fuſus per ſudorem excernatur; etenim in prædicto Laconico omnes ſudare, ſi (ut dictum eſt) recte inſtituatur, certiſſimum eſt: calor namque Laconici fuſum ad cutem omnem trahit humorem, cutaneoſque meatus rarefacit: unde facillime ſudor movetur. Quod genus præſidii longe facilius juvabit eos, qui ex ichoroſo humore tenui podagra laborant. Hoc præſidio ſudorifico complures veterum Medicorum ad febres periodicas in longum tempus progredientes finiendas, uti familiarius ſolebant, & cum magna utilitate ipſum in uſu habuerunt. Ante acceſſionem etenim per duas horas dato ſudorifico, ut in ſudorem ægroti erumperent, operam, dabant. Ex his ergo liquido cuique patebit, ſtatim incipientibus doloribus conſultius eſſe incipere ſudationem oportere, ſolo clyſtere ad adſtrictam alvum laxatorio præmiſſo, aut alvo laxata lenitorio aliquo pharmaco, uti eſt caſſia, aut manna, aut ſyrupus roſatus laxativus, aut ſimile aliud. Atqui hic

eſt modus, quo utimur in podagricis, arthriticiſque doloribus, cum ad præſervandum, tum ad curandum per interna medicamenta ſudorifica. Experientia quoque cognitum eſt, decoctum ex ligno lentiſci per plures dies aſſumptum ad ſemilibram plurimum efficaciæ habere ad prohibendas podagricas periodos, quod ea ratione illud præſtare poteſt, quia cum facultatis ſit adſtringentis, vias internas, per quas humor fluit, laſſatas & debilitatas maxime roborat. Nunc pauca quoque cum ad podagram tum ad iſchiaticum dolorem de medicamentis cum internis tum externis dicemus. In podagra (uti dictum eſt) juvat ſudorificum, quo ſeptem vel decem diebus ſudent, ſpacio unius horæ. Si dolor in principio plurimum divexet, anodyna quidem exterius appoſita convenient, ſed mixta cum repellentibus: cujuſmodi erit ſuccus foliorum, vel coriani, vel plantaginis, vel roſarum vel ſimilium cum lacte, oleoque roſaceo, quæ tepida adhibeantur: vel emplaſtrum paratum ex lacte, oleo roſaceo, & medulla panis adhibitum. Alii adhibent roſas in vino nigro fervefactas. Poſt principium laxantia, vel etiam primæ materiæ adhiberi potuerunt, cujuſmodi erunt folia althææ, decocta in hydrelæo, vel tepidum fomentum in aqua ex fœnugræco, althæa, chamomelo paratum. Alii adhibent mucaginem pſyllii, fœnugræci, atque althææ ſeminum, ſummo cum juvamento. Aliqui ebuli folia trita vel ex aqua vel ex vino fervefacta cum ſevo hircino adhibent: cyclamen itidem ex aceto decoctum; radix quoque cucumeris ſylveſtris ex aceto decocta iis maxime auxiliatur. Non minus poſtea utile erit lac ficulneum cum farina fœnugræci, atque aceto; ſcordium vero, thymus, vel origanum, vel thymbra, vel pulegium, vel calamintha ex aceto acerrimo decoctum, ad reſolvendum eſt efficaciſſimum medicamentum, ſæpius namque aliqui, qui ambulare non poterant, cum per noctem tantum ſupra pedem podagricum detinuiſſent medicamentum ſupradictum, ambulare cœperunt; eodem modo & nitrum ex acerrimo aceto diſſolutum plurimum juvit. Antiquis fomenta ex ſale frixo adhibita, fuerunt maxime familiaria; atque frictiones pedum volis manuum ex ſale & oleo antiquo factæ plurimum ab iiſdem commen-

mendabantur. Nonnulli experti fuerunt, utiliſſimam eſſe reſinam pini appoſitam; ſed tamen interpoſita petia linea tenui, ne pedi adhæreat. Sed age de medicamentis ad coxendicum dolorem agamus.

CAPUT. V.

De medicamentis ad coxendicum dolorem uſurpandis.

EX internis medicamentis ſudorifica magis utilia eſſe ſolent, atque inter illa, quæ ſunt efficaciora, ſcilicet vehementer calida & ſicca, tenuiſſimæque eſſentiæ. Etenim ipſorum facultas vehementer diſcuſſoria externo à balnei calore per univerſum corporis habitum deducta, craſſos humores iſchiadem foventes extenuat, digerit, atque ut tandem per ſudorem evacuentur, eſt cauſa. Hujuſmodi vero erunt, quæ parabuntur ex calamintha, cinnamomo, cariophyllis, ruta, ſmirnio, chamepithy, chamedry, ligno Indo, ſaſſaphras, & ex ſimilibus aliis. Hæc ſunt ceteris efficaciora; quorum uſus convenit, ubi morbus ab humore crudo craſſoque foveatur. Minus efficacia, maxime utilia erunt ſudorifica, ſi materia fuerit tenuis, ſeroſa, ichoroſaque: atque hæc parabuntur ex china, vel ex ſalſa parilla, vel ex ſmilacis aſperæ, vel arundinis radice, vel ex milio, vel ex radicibus aſparagorum, vel erytrodani; id eſt, rubeæ tinctorum, vel ſimilibus in aqua decoctis; dabitur decoctum fere ad libram actu calidum: & externo ſudorifico ſudor excitabitur, ſudabuntque multis diebus, quoad ſcilicet dolor reſolvatur. Hinc Dioſcorides ad iſchiaticum morbum commendavit per plures dies, ſcilicet, per quadraginta, decoctum radicum aſparagorum, rutæque ſeminum, ex vino paratum; itidem Chamepithyos, betonicæ, hyperici, corticum capparum, ſmirnii, cyclaminis, ſolebat etiam dare pulverem corticum capparum, ad drachmam unam, vel ad geminam, ex vino; vel rutæ ſylveſtris, vel ſmirnii, vel hyperici ſeminis, vel chamepithyos herbæ. Nonnulli ſumma cum utilitate exhibent pulverem eupatorii Arabum, vulgus pharmacopæorum Avicennæ eupatorium vocat: alii radicis cyclaminis; vel bryoniæ, ex

vino. Nonnulli ſunt, qui ſudorificorum loco exhibent, purgantia ſingulis diebus ad drachmam ex vino vel ipſorum decoctum. Dioſcorides laudavit decoctum centaurii minoris; alii dant agarici drachmam ex vino ſingulis diebus; alii turpetum; alii mechoacam radicem: alii vero compoſitis purgatoriis utuntur, ſcilicet vel decoctis, vel electuariis, vel ſyrupis, vel catapotiis. Ceterum cum purgantia omnia maxime ſtomachum, atque viſcera interna ledant, viteſque dejiciant, ſudorificorum uſus longe utilior exiſtimandus erit. Unde Methodici merito purgantium uſum maxime ſuſpectum habuerunt, raroque iis utebantur, atque nonniſi in morbis difficillimis, poſteaquam omnia alia præſidia medica inutiliter fuerunt adhibita. Non negandum tamen in coxendico dolore ante uſum ſudorificorum ſumme utiles eſſe ſanguinis evacuationes ex vena tali, aut poplitis, atque purgationes, cum morbus hic foveatur ab humore craſſo atque viſcido difficulter reſolubili. Inter externa vero medicamenta ea quoque utilia erunt, quæ humorem à centro ad cutem attrahere, eundemque digerere apta nata ſunt; atque etiam ruborem inducentia, exulcerantiaque. Hinc pauperum complures in coxendice ulcera complura (adhibitis flammulæ jovis contuſis foliis, aut radicibus ranunculi, aut allio detrito, ex acetoque acerrimo appoſito, vel ſimilibus) faciunt, eaque diu aperta ſervantes, humorem foventem malum, evacuant. Hinc antiqui etiam iberidem tritam & emplaſtri modo coxendici appoſitam maxime commendarunt. Nonnulli utuntur exterius oleis calidiſſimis vehementerque diſcuſſoriis, cujuſmodi eſt rutaceum, petroleum, ſulphuris oleum, & ex ſeminibus ſinapi paratum, item cicinum, liliaceum, laurium, & illud in quo ebullierit ſinapi, vel pyretrum, vel coſtus, vel zinziber. Nonnulli utuntur eodem modo aqua vitæ. Sed tamen in primis utendum erit primarum materierum laxatoriis, vel oleis, vel fomentis, vel balneis, calidis digerentibus: quibus non conferentibus, ſupradicta vehementer laxatoria, ſcilicet, quæ vehementi diſcuſſione humorem evacuando laxant, erunt opportuna.

CAPUT VI.

De doloribus ſermonem continuari, & primum quid dolor ſit, ejuſque differentiæ, cauſæ, & curatio in communi tractatur.

CUm dolores inter morbos adſtrictos locum habeant merito, antequam ad laxos morbos tranſeamus, de ipſis à nobis ſermo eſt continuandus; præſertimque (quod omnes phlegmonæ dolorem conjunctum habeant) ut affectus dolorificos omnes abſolvamus. Sed priuſquam ad ipſorum curationem tractandam veniamus, quædam, cum ad cognitionem, tum ad curationem in communi facientia præmittemus: & primum quod dolor ſit illud, quod voluptati opponitur: unde Galenus triſtem atque moleſtum ſenſum eſſe ſtatuit. Variis vero differentiis obſervantur dolores, ita, ut quidam cum pulſu, quidam cum punctione, quidam cum tenſione, quidam cum gravitate, quidam cum torpore, & quidam cum eroſione ſentiantur: quidam dolor dicitur calidus, quidam frigidus, quidam continuus, quidam intermittens, quidam æqualis, quidam inæqualis, quidam fixus, & quidam mobilis. Hippocrates in lib. de locis in homine dixit: *His, quibus mutatur & corrumpitur natura, dolores fiunt, non quibus corrupta jam eſt, & mutata.* Omnis vero dolor (auctore Galeno) fit, aut à partis alteratione, ſive ab immodico temperamento, aut à continui ſolutione, quæ non ſenſim ſed repente ac cum violentia fit, ut Gal. expreſſit in lib. 12. meth. med. cap. 7. In poſtremam vero cauſam plerique doloris eſſentiam retuliſſe viſi ſunt, eoque præſertim argumento, quod nulla qualitas dolorem, ni ſolvat continuum, concitare queat. Quare Galenus merito Hippocratem laudavit, dicentem ſcilicet, omnem morbum eſſe ulcus. Hinc quoque eſt, quod Galenus dixit, phlegmonem, eryſipelas, ulcus, abſceſſus, inæqualem intemperiem, ſpiritus crudos, flatuoſoſque, humoris cum calidi, acriſque, tum frigidi lentique multitudinem diſtendentem, dolorem facere, quod nimirum hæc omnia ſolvant continuum, ſcilicet

In primo de elementis.

Gal. in 6. aph. 5.

Gal. in 4. ſimpl. cap. 2. in 3. de fract. comm. 34. in l. de inæq. intemp. cap. 6.

licet, aut diſtentione, ut in arthriticis doloribus; aut ruptione, aut exeſione, ut in hæmoptoicis ex venarum arteriarumve, tum ruptura fractioneve, tum exeſione factos; aut punctione, ut in pleuriticis; aut inciſione, ut in vulneratis: caliditatem vero immodicam reſolvendo, & frigiditatem comprimendo, & quaſi exprimendo à parte humorem, ſolvere continuum, neminem in naturæ cognitione eruditum latere ſcimus. Dolores vero varii à variis quoque cauſis fiunt. Etenim repentini aut à ſpiritus aut ab humoris influxi multitudine (auctore Galeno) excitantur. Veteres calidos dolores, qui à calidis humoribus; & frigidos, qui à frigidis fiunt, nominare conſueverunt. Qui vero cum pulſu ſentiuntur, aut inflammationem notabilis magnitudinis in partibus ſenſibilibus, in arteriiſque notatu dignis refertis exiſtentem, denotant, aut pus in phlegmone fieri: quare pulſatorius dolor aut à magna phlegmone fit in partibus arteriis magnis refertis, aut à ſuppuratione. Eodem modo & tenſivus, aut à ſpiritus flatuoſi vel humoris copia membranas, ceteraſque alias partes membranoſas diſtendente, oboritur; proindeque ipſum proprium nervorum, nervoſarumque partium & membranarum eſſe, multis viſum eſt. Gravem vero & proprium eſſe cutis, hepatis, lienis, pulmonum, renum, adenum, & tenſivi genere comprehendi, conſtat, cum (ut Gal. docuit) hic dolor fiat quando membrana viſcera circumvolvens maxime diſtenta eſt. Rodens ab acri humore fit: perforans à pituita vitrea: fixus vel ab humore parti infarcto, vel à lapide: vagus vero & mobilis aut à flatuoſo ſpiritu; aut à tenui humore veluti turgente. Paulus hiſce verbis & dolorum differentias & cauſas complexus eſt: *Itaque dolor ſtupidus ex frigida oritur affectione; pulſatilis autem dolor magnæ inflammationi peculiaris eſt: ſin autem tamquam à palo impacto, aut veluti à terebro forari putes, craſſi inteſtini ſpecies doloris eſt. Punctorius autem circa membranas conſtituitur: pertundens vehementiſſimis non heterocraniis ſolum, ſed cephaleis quoque accidit; eſt autem pertundens dolor, cum à parte primario affecta ceu à radice ſubito in vicinas perfertur. Porro diſtendentes utrimque nervorum dolores ſunt, cum & laborant, & ad utraque extrema tenduntur:* mi-

In 6. aphor. Hippoc. com. 51.

Gal. in 2. de loc. affectis cap. 3. & 5.

Gal. in 2. de loc. affec. cap. 7.

In 6. epid. ſec. 1. tex. 5. in 2. de locis affect. cap. 4. Cap. 5.

minime vero in latitudinem porrectos nervi dolores percipiunt. At tenſivos ſtupefacienteſque dolores membrana quidem ſub cute porrecta inducit: quæ vero inter carnem hæreſcit, tanquam divellentes cruciatus excitat: multæ ſiquidem exiſtunt, inæqualiterque inhæreſcunt, & ipſam carnem amplectuntur. Membranarum vero, quæ oſſibus circumdantur profundi ſunt, ipſorumque oſſium tanquam dolentium imaginem repræſentant. At his præmiſſis, ad doloris curationem in communi declinemus. Quæ quidem curatio, quod omnis dolor morbus ſit adſtrictus, per laxantia itidem perficietur. Etenim dolor omnis aut ab intemperie calida, aut frigida, aut ſicca ut Dogmaticorum aliqui docent, abſque ulla humoris præſentia, oboritur, aut cum præſentia humoris, vel vaporis cujuſpiam aut diſtendentis, aut mordicantis, aut pungentis, aut incidentis; vel demum partes dolent phlegmone vexatæ. De horum dolorum curatione egimus ſuperioribus libris, in quibus de phlegmonis actum à nobis eſt. Acturi itaque ſumus in hoc libro de doloribus ab aliis cauſis, concitatis, minimeque phlegmonoſis. Qui omnes cum (ut Dogmaticis videtur) vel ab intemperie fiant, vel ab humoribus, vel à ſpiritibus flatulentis, adſtrictorum morborum genere merito comprehendi debebunt: proindeque omnes laxatoriis præſidiis tollentur. Hinc alias demonſtravimus morbum tam calidum, quam frigidum medicamento laxatorio ſanari: etenim ad partem aliquam corporis tum calefactam tum refrigeratam oleo (exempli gratia) dulci actu calido utimur; quis quæſo eſt, qui negare ratione queat, dolores eſſe morbos adſtrictos, ſi medicamentorum, quæ doloribus medenter, Græcis anodyna vocantur, natura ſeu eſſentia (etiam Dogmaticis conſentientibus) ſit temperate calida, atque humida, ut aqua calida, oleum dulce calidum, amygdalinum dulce, chamomelinum, anethinum, & ſimilia. Neque eſt, quod in quibuſdam doloribus, nempe vehementiſſimis, aliquando uſum habeant medicamenta vehementer frigida ſicca, narcoticaque vocata; hæc enim non vere anodyna dici debent, quod nimirum non dolorem ſedent, ſed ſenſum partis dolentis perinde, ac ſi non ſentiant, ſtupefaciant. Quam veritatem Galenus confirmaſſe viſus eſt, hiſce præſertim verbis: *Atque frequentiſſimus & pluri-* In 6. epid. ſec. 6. comm. 5

mus in dolentibus particulis calefactionis uſus apud Medicos eſt, nam & contenta relaxat, completa evacuat, frigerata calfacit. Refrigeratione autem rarius ſedandis doloribus utimur, membrorum quidem ſuperficiem denſante, & propterea difflationes impediente, diſtenta vero magis intendente. Quare medicamenta dolorem ſedantia anodyna Græcis appellata erunt laxatoria, ſcilicet temperate calida atque humida: quæ medicamenta per ſe doloribus opponuntur: atque hæc ſapore potius dulcia ſunt, licet Homerus, ut auctor eſt Galenus in primo de antid. cap. ſ. voluerit, quæ dolores amovent, eſſe amara. Neque eſt, quod quandoque frigida denſantia laxatoriis contraria dolores tollant, maximeque ex calida intemperie ſimplici, citra ullum humorem, obortos: cujuſmodi dolor eſt capitis vel à ſolis calore, vel à febris fervore factus: frigiditas enim tollit dolorem à caliditate obortum, calorem ipſum in parte dolente ſuſceptum adſtrictumque ad alias quidem partes propellendo. Verumenimvero longe felicius hic dolor ſedabitur, aut à balneo aquæ tepidæ, vel à calido epithemate aquæ alicujus ſtillatitiæ calidæ, vel ex oleo aliquo dulci calido, vel ſimili alio laxatorio medicamento, apto etiam ad intemperiem calidam partis digerendam, & reſolvendam. At ſi quis petat, quomodo medicamenta hæc quæ temperate calida & humida ſunt, doloribus omnibus medeantur? Reſpondebitur, mederi doloribus à quacumque cauſa obortis, primum quia partis naturale temperamentum foveant, atque augeant: hæc enim cum ſimilia ſint partis ſanæ naturæ, ſeu temperamento (ut auctor eſt Galenus) copia augendo calorem innatum coctioni humoris, atque alterationi favent: quare cum augeant ipſam naturam concoquentem humorem dolorificum, haud mirum eſt, ſi doloribus ſint remedio. Secundo, quia humoris partem tenuiorem digerunt, cutem rarefaciunt, & difflationes itidem faciunt; unde humorum acutorum, vel mordacium, vel pungentium, vel rodentium, exaſperantiumque tenuiorem partem digerendo, atque excludendo, hos dolores demulcere apta nata ſunt, humiditateque conjuncta longe melius illud præſtare poſſunt, quod acutiem illorum humorum humiditas hebetet, hinc Galenus ad dolo-

In lib. 5. ſimpl. cap. 6.

lorem ventriculi, ex æruginoſo humore os ipſius mordente vellicanteque dabat in potu aquam dulcem calidam. Quod eo promptius humiditas faciet, ſi pinguis, oleaginoſave fuerit: nimirum quia pinguis ea humiditas efficacius hebetat humorum acutam qualitatem. Hinc ad venena corrodentia, exedentia, inflammantiaque uſus oleorum dulcium, pinguedinum, butyri recentis, mulſæ, lactis, mucaginum decocti althææ, malvarum, fœnugræci, lini, & ſimilium Medicis innotuit; hæc enim medicamenta laxatoria valent plurimum prædictos dolores ſedare, nimirum moleſtam venenorum qualitatem hebetando. Addimus, quod hujuſmodi dolores, punctorii, exedentes, & acutiſſimi, non ſolum laxatoriis epiceraſticis, acutiem humorum hebetantibus tolluntur, ſed etiam ſubductoriis, purgatoriiſque (quæ medicamenta profecto laxatoria ſunt) intro aſſumptis. Quare liquido conſtat laxatoria medicamenta primarum materierum eſſe aptiſſima ad ſedandos dolores ab humoribus, vel à vaporibus acrioribus obortos; ſed quid de iis, qui ex ſpiritu quidem flatulento crudo, vel ex humore frigido, craſſo, lentoque & crudo, fiunt, dicemus? an non laxatoria etiam his medebuntur? certe quidem, ut putamus, quando hæc ſimilia ſint (Galeno ita in libris ſimplicium demonſtrante) naturæ partis ſecundum naturam ſe habentis, augeantque caloris innati concoquentis quantitatem. Unde humorum illorum cruditas coquitur, craſſitieſque & lentor tollitur. Accedit etiam, quod, ſi humores maxime frigidi, craſſi, & lenti non poterunt laxatoriis, primarum materierum (quorum quidem uſum ad ſedandos illos dolores Galenus plus laudaviſſe viſus eſt) ſedari, non deerunt nobis laxatoria longe calidiora. Unde Galenus ad dolorem colicum & allium & Theriacam antiquam, & ſimilia calidioris qualitatis medicamenta laxatoria quandoque commendare non eſt veritus. Qui vero à flatulento ſpiritu dolores fiunt, ſedabuntur à laxatoriis valenter digerentibus, quæ ſecundarum, ac etiam tertiarum materierum ſunt, ſcilicet calidis ſupra ſecundum & aliquando ſupra tertium caliditatis ordinem. Verum his quoque convenient primarum materierum laxatoria, quæ ſcilicet primo gradu caliditatis alterant; ejuſmodi eſt oleum amyg-

Loco citato.

amygdalinum dulce recentiſſimum, chamomelinum, anethinum, & ſimilia. Verumenimvero, tametſi verum ſit, quod dolor omnis eſt morbus adſtrictus, idcircoque ipſum laxantia expoſcere medicamenta, nihilominus hoc intelligi oportebit de dolore qui jam perfectus eſt, quando in principio alicujus doloris externi non laxatoriis, ſed adſtrictoriis præſidiis perinde ac fieri in phlegmonum principiis ſuperius oportere oſtendimus, ſit opus: nimirum ad prohibendum doloris augmentum, hocque Aurelianus in dolore capitis meminiſſe viſus eſt, qui in parvo dolore ſcribit, adſtrictoriis, & invehementi laxatoriis eſſe utendum medicamentis. Quare in omnibus doloribus perfectis, laxantibus medicamentis erit opus. Cum itaque demonſtraverimus dolores ſedantia medicamenta merito eſſe laxatoria, quæ itidem cum plura & varia ſint, merito de ſingulis cum internis tum externis laxatoriis ſermonem habendum duximus. Itaque in primis præſcribatur dolentibus victus ratio laxatoria; in aëre claro, atque calido reponantur; à vino, & à multo cibo, & potu caveant: neque cibus eorum erit modicus ſolum, ſed facilis etiam concoctionis: ſi alvus adſtricta fuerit, vel clyſtere laxatorio, vel medicamento leniter purgatorio utendum erit: quales vero ex clyſteribus, & qualia ex purgatoriis pharmacis conveniant, ſuperius dictum eſt. Eademque doloribus convenient, quæ phlegmonis ſanandis convenire ſuperioribus libris meminimus; ſed de clyſteribus ad particulares dolores accommodatos, & de medicamentis laxatoriis poſterius ſcribemus. Accedit, in vehementiſſimis doloribus ſanguinis evacuationem venæ ſectione factam maxime juvare, atque etiam purgationem ex eductorio medicamento, Medicos, utilem & efficacem experientia deprehendiſſe. Interius ad dolores dantur decocta calida vel ex chamomelo, vel ex althæa, vel ex ſemine fœnugræci, vel lini, vel ex ſimilibus ex aqua parata; datur etiam hydrelæum, vel oleum amygdalinum dulce atque recens, vel chamomelinum, vel aliud ſimile. Exterius fomenta ex iiſdem decoctis, vel ex oleis, veſica aut ſpongia excepta calida adhibentur. Paulus Ægineta in lib. 2. cap. 41. rectam quidem curationem dolorum in communi complexus eſt. At

de

de iis accuratius ſcribemus, cum de particularium dolorum curatione ſermonem inſtituerimus.

CAPUT. VII.

De dolore capitis perſanando.

DOlorem capitis, qui non eſt inveteratus, Græci cephalalgiam, at inveteratum, cephaleam, appellarunt: de illo, qui ſanatu eſt facilior, nunc primum ſcribemus: Dogmatici caput dicunt dolere ex multis variis cauſis. Quandoque ex ſimplici caliditate, aut ex ſolis ardore, aut ex ignitis carbonibus, aut ex immodico motu, ex calido balneo, aut denique ex ira immoderata, oborta: caput exinde dolens tactu calidum eſt, ejuſque oculi rubent: aut ex frigore, utpote, cum quis diu in ambiente frigido fuerit verſatus, aut ab uſu medicamentorum facultate immodicè refrigerantium. In his caput nullum calorem ſentit, facies ſubtumida apparet, atque palleſcit: aut ex humore quopiam caput afficiente, ſcilicet, aut ex ſanguine, aut ex bile, aut ex pituita, aut denique melancholia, aut denique ex plethora, humoribus ſcilicet ſingulis in maſſa ſanguinea proportione adauctis. Si ſanguinis copia dolorem induxerit, facies atque oculi rubent, & cum gravitate caput dolet, tempora pulſant, pulſuſque magnus & vehemens percipitur, urina itidem coloratior eſt; ſi fiat ex bile, dolor eſt acutus cum magno calore & vigilia, facieſque, & oculi flaveſcunt colore. Et ſi a pituita, tenſivus, ſimulque gravativus eſt, neque dolor magnus eſt: vehemens vero cum gravitate atque diuturnior erit ex melancholia. Quandoque flatus tenuis diſtendens membranas dolorem facit. Quandoque vero fit conſenſu partium infernarum, frequenterque ex ſtomacho, & in mulieribus ex utero, in quibus familiarius occiput quam ſinciput dolet. In febribus familiarius dolere capite ægroti ſolent, præſertimque in bilioſis, & ex ſumma putredine humorum obortis, maximeque in ipſarum vigore, nimirum ex calidioribus halitibus, aut caliditate, aut acrimonia membra-

nas cerebri afficientibus, inferne ad caput ſublatis: à quibus febre vexati, ſi diu perſeveraverint, & vigiles redduntur, & deliri. Atque hæ ſunt doloris, cephalalgiæ, Græcis dicti, cauſæ. Differt vero à cephalea, quod & brevior & minus vehemens eſt. *Cephalèa enim*, ut Galenus docuit, *inveteratus, & ægre cedens capitis dolor appellatur, qui ex facili occaſione maximas exacerbationes habet, adeo, ut neque ſtrepitus, neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum, neque vini potum, neque odoramentum, caput replentia tolerare poſſint; neque item motum; ſed in quiete & tenebris ob dolorum magnitudinem decumbere velint; tanquam à malleo enim pertundi ſibi videntur. Quidam enim, velut contundantur, aut diſtendantur ea, quæ circa caput ſunt, ſentiunt: non paucis vero uſque ad oculorum radices progreditur. Habet autem hæc affectio aliquando quidem continuos dolores, aliquando vero exacerbationes, & intervalla, ſive ordinata, ſive inordinata.* Aurelianus hanc paſſionem aliquando totum caput occupare, atque hanc dici cephaleam, ſtatuit, aliquando mediam capitis partem, hemicraniamque idcirco appellari, aut denique tempora, quorum dolor chrotaphus itidem dicitur. Scribit etiam hunc dolorem radices oculorum occupare, occipitium, collum tendens uſque ad ſpinæ partes, ut cum ſedere voluerint, vertigine capiantur, cum nauſea atque vomitu bilioſo. Augeſcente vero dolore oculi rubent, & prominentes, & clauſis palpebris lumen fugientes ſunt, cum lacrimarum fluore, jugi faſtidio, viſus obtuſione, aurium tinnitu, difficilique auditu. Hoſque aliquando ſequi vigilias aſſiduas, dentium dolorem, atque acceſſionis initio ſtillæ ſanguinis è naribus abſque juvamento nonunquam apparent. Cauſæ vero, à quibus cephalea fit, ex doloris qualitate innoteſcent: ſiquidem, ſi dolorem foveat humoris multitudo, cum gravitate dolor erit; ſi vero cum mordacitate fiat, humor eſt cauſa, vel vapor acris: cum tenſione citra gravitatem, & pulſum, dolor caput vexans fit à flatus tenuis & ventoſi multitudine; cum gravitate diſtendens, humorum multitudinem in membranis capitis adſtrictam denotat; cum tenſione autem, & pulſu citra gravitatem dolor, membranoſi corporis phlegmonem (de quo dolore hic non loqui-

In 2. de comp. med. loc. cap. 2.

In 1. chron. c. 1.

loquimur, cum de eo ſuperius ſatis ſuperque ſcripſerimus) itidem detegit. Ubi ſuperficiem duntaxat capitis vexat, membranam os calvæ ambientem affectam denotat; cerebrique membranas, ſi in profundo dolor invaluerit. Cephalea graviſſimus affectus eſt, qui graviora mala diu perſeverans minatur. Proinde ad doloris nunc deſcendimus curationem, quae in cephalea, quam in cephalalgia longe difficilior eſſe ſolet. Omnem capitis dolorem eſſe morbum adſtrictum ex iis, quæ nuper ſcripſimus, facile deprehenditur, vel etiam qui ex nuda intemperie fit, talis æſtimari à nobis debebit, proinde etiam in ipſis medicamenta laxatoria, quæ illam digerant qualitatem, ad curationem indicari, quæ idcirco in qualibet capitis dolore uſum habebunt. Neque eſt, quod complures uſu adſtringentium à Methodicis vocatorum medicamentorum, ſanari & experientia doceat, & illud non minus Dogmatici ratione nobis maxime demonſtrari affirment, nimirum cum plures dolores ex capite tollantur, repellentibus medicamentis capiti adhibitis, ac ne dum actu frigidis, ſed quinetiam (in doloribus præſertim calidis) nive vel gelu, vel alio modo plurimum refrigeratis. Etenim ſi verum eſt, repellentibus medicamentis & humores & vapores à capitis parte affecta, alio protrudi, propellique ad alias partes, quis quæſo contendet, dolorem, quem humorum vel vaporum præſentia fovet, ilico ceſſare. De qua re Galenus ita habet: *Refrigerabis autem quæcunque adhibere voles in aqua vehementer frigida collocata: quæ ſi non adſit, nivem vaſculo circumpones. Hoc auxilium, ſive humorum ſive vaporum multitudo in caput impetum faciat, præclare auxiliatur: repellit enim eos, infraque in corpus detrudit, adeo ut ego in ſexcentis hoc medendi modo uſus, nullo alio opus habuerim.* Quid igitur dicendum? ſi hoc verum eſt, ſcilicet, quod capitis dolores uſu medicamentorum adſtringentium abigantur, veriſſimum quoque videbitur (ni dixerimus morbum adſtrictum aliquando tolli adſtringentibus) quoſdam dolores haud eſſe morbos adſtrictos. Certe, tametſi quilibet dolor capitis ſit morbus adſtrictus, aliquando non inconvenit uti frigidis repellentibus, id eſt, capiti dolenti frigida repellentia adhibere, quoniam hæc quoque ex accidenti par-

In 2. de comp. med. loc.

In 5. d. ſimpl.

partem humore aut vapore tumentem laxant, ſcilicet, quod humorem repellendo quadantenus evacuent, quod Galenus non negat, quippe docens adſtringentia, & quoviſmodo humorem à parte affecta depellentia, quadantenus dici evacuantia, quare non inconvenit aliquando morbum adſtrictum adſtringente, & laxum laxante ſolvi, licet non per ſe illud præſtent ea medicamenta. Namque Galenus affirmat hæc medicamenta capiti adhibita, repellere humores, vel vapores dolorem inducentes infraque in corpus detrudere: atque hanc detruſionem eſſe tutam in quamplurimis experientia ſe deprehendiſſe. At hæc medicamenta in iis doloribus, qui à calidis vel vaporibus vel humoribus foventur, atque etiam ab humoribus tenuioribus quoviſmodo factis, turgentibuſve, tuta videntur. Ceterum in cerebro debili ac imbecillo hujuſmodi humorum detruſio repellentibus facta, ignoro, an plane careat timore. Itaque ſuppoſito, dolorem capitis qualemcumque eſſe morbum adſtrictum, ad ejus curationem uſu venient laxatoria, & quoniam, uti deprehenſum eſt, etiam medicamenta adſtringentia ex evidenti, à parte affecta humorem, vaporemve detrudendo, laxare videntur, proinde mirum haud erit, ſi fere omnes Medici ad tollendos calidos dolores eorum meminerint, uſumque affectarint. Sed jam ad curationem deſcendimus: pro qua priori loco conveniens victus ratio præſcribatur, quæ ſit omnino laxatoria. Aër vel erit temperate calidus & humidus: etenim cunctis doloribus aër mediocriter calidus & humidus, qui humores, vaporeſque digerere aptus natus ſit, conveniet, mediocriterque lucidus: aliquando vero dolor eſt uſque adeo vehemens, & acutus, ut ægroti nedum nimis lucidum aërem ferre non valeant, ſed neque mediocri luciditate præditum intueri aliquando queant, adeo ut oculis clauſis in obſcuro aëre degere cogantur. Somnus ſit moderatus: ab immoderato (utpote qui tumentia augeat, exindeque affectum aſtrictum) ægroti cavere debebunt. Caveant itidem ab animi paſſionibus, alvumque laxam eſſe oportebit, adſtricta enim dolorem auget. Cibus ſit parcus, probi ſucci, faciliſque coctionis, non flatuoſus: à vino abſtineant; quoad dolor plurimum declinaſſe viſus ſit: quod ſi dabitur, erit pau-

pauciferum, vel ex multa aqua dilutum; præſcripta victus ratione, ad præſidia medica declinandum erit; pro quibus moliendis illud in primis cognoſcendum, ſcilicet, an dolor magnus vehemenſque ſit, an mitis & parvus. In magno enim dolore magna quoque præſidia laxatoria convenient, modo virium robur illa permittat. Quare, alvo laxata vel clyſtere purgatorio, vel cathartico leniter purgante medicamento: cujuſmodi erit aut caſſia, aut manna Calabrica, aut tamarindus, aut ſyrupus vel mel roſaceum laxativum, vel aliquod aliud hujus generis; primo ſecetur vena cephalica cubiti directe capitis parti aut dextræ aut ſiniſtræ dolenti reſpondentis, aut majori dolore vexatæ: ſanguinis ea quantitas dematur, quam vires ferunt, & ſanguinis abundantia ſuadet. A qua evacuatione ni dolor diminuatur, eadem repetatur adhibita cucurbitula cum ſcarificatione & ad occiput, & ad collum, & quandoque ad ſpatulas, & præſertim, ſi pars anterior doleat, affectuſque ſit in principio. Ad eundem affectum utiliſſima erit crurum ſcarificatio, præſertimque in pueris & mulieribus maximeque ſi in iis menſes fuerint ſuppreſſi. In Ægypto ſæpius vidimus, homines ab antiquiſſima cephalea, ſecta frontis arteria, atque ex ea evacuato ſanguine quaſi miraculo ſtatim liberatos. At qui diſcere volunt, quomodo arteriæ tuto & commode pro molienda ſanguinis vacuatione ſecari queant, noſtros libros de Medicina Ægyptiorum, in quibus de ipſarum ſectione accuratiſſime ſcripſimus, legere non graventur. Ad eundem affectum, ſi diu contumax ſit, neque cedat primis evacuationibus, præſtabit, ſecare etiam frontis venam & per eam ſanguinem rurſum evacuare. Aliqui ſæpe modicum ſanguinis educunt, ſanguiſugis venis retro aures adhibitis. Alii, his non juvantibus, utuntur ſinapiſmis, veſicantibus ad ſinciput, & ſæpe capite evacuato, purgatoque etiam errhinis & apophlegmatiſmis, plures capitis partes inurunt, vel adhibent medicamenta pyrotica, quæ vulgus cauſtica potentialia appellat, ulceraque, quoad dolor tollatur, aperta ſervant. Poſt hæc etiam cathartica, tum vomitoria, tum maxime ventriflua, locum habebunt; unde ex ſimplicibus commendatur agaricus, ad drachmam & ſemis, colocynthis, ſive

In 1. chron. cap. 1.

ejus throchiſci ad ſcriptulum; & ex uſitatis compoſitis catapotia de hiera cum agarico, aut cochia vocata, aut de agarico, & ſimilia ad geminas drachmas. Aurelianus exhibendum (ni affectus cedat aliis medicamentis) etiam elleborum album non ſemel, ſed bis atque ter, refectis viribus, voluit. Quapropter mirum eſt, ipſum poſtea Dogmaticorum reprehendentem curationem cathartica medicamenta plane damnaſſe. Inter purgantia maxime juvabunt clyſteres laxatorii, in quibus recipitur ex ſimplicibus medicamentis, aut centaurium minus, aut colocynthis, aut agaricus, aut ex compoſitis hiera, aut diaphænicon, aut electuarium è baccis lauri; poterunt in toto doloris tempore imponi alternis diebus, ni alvus ſponte fluat. Inter purgantia, quæ particulatim capitis tumentiam laxant, maximopere ad cephaleam commendantur Errhina, ſternutamenta, atque apophlegmatiſmi, nimirum quod hæc humorem doloris cauſam educant. Pro Errhinis vero maxime huic affectui accommodatis, erit betæ ſuccus, iridis, cyclaminis, herbæque anagallidis: præterea & hederæ, & calaminthæ ſuccus naribus infuſus multum mucum per nares ducit, atque etiam ſcammonium ex oleo diſſolutum. Itaque per aliquot dies, manc ante cibum, capitis illo dolore vexati naribus ſuccum alicujus prædictorum medicamentorum hauriendo humoris eductionem procurabunt. Hanc Galenus commode effici poſſe evacuationem, melanthii ſeminibus pridie aceto acerrimo maceratis, ac cum eodem aceto detritis naribus infuſis. Dioſc. ad antiquum capitis dolorem plurimum commendat ſuccum iridis radicis in nares attractum, atque tritam radicem cucumeris ſylveſtris ex lacte naribus infuſum. Poſt hæc non minus conducent ptarmica vocata, quod eodem modo caput repletum evacuent; ad quem uſum pulvis naribus inſufflatus maxime convenit, aut veratri albi, aut ſtaphidis agriæ, aut piperis, aut cyclaminis, aut iridis radicis, aut ſimilium. Non minus etiam capitis partes tumentes laxant apophlegmatiſmi, qui gargarizando, aut maſticando (vulgus maſticatoria vocat) pituitam per os evacuant. Inter hæc efficax eſt, decoctum ſinapi & ſtaphidis agriæ: decoctum item pyretri, thymi, cyclaminis, in ore gargarizatum; ex maſti-

In 2. comp. med. loc. cap. 2.

ſticatoriis vero optimum erit, quod paratur (exempli gratia) ex pipere nigro, & ſtaphide agria, pulverizatis cum maſtiche, & cum ceræ modico maſſa parata. Ceterum non erunt omittenda præſidia, quæ quovis modo humorem à capite aut avellunt, aut divertunt: etenim hæc etiam apta nata ſunt capitis tumentiam laxare. Omnes extremorum frictiones, atque ligaturas laudarunt. Themiſon ſectæ Methodicæ auctor, in augmento laudavit unctiones acerrimas, frictiones duriſſimas, articulorum conſtrictiones, atque etiam ſinapiſmum extremis partibus adhibitum. Aurelianus laudat cucurbitulas cum flamma primo dorſo, mox cervici, ac tandem etiam capiti adhiberi. Non minus etiam dropaces, id eſt, medicamenta, quæ ruborem inducunt, primo cruribus, mox thoraci & dorſo à primo cervicis ſpondylo uſque ad clunes, vel eorum ultimum ſpondylum. Recentiores vulgo veſicantia vocata medicamenta & cruribus & manibus adhibere ſolent, ulceraque diu aperta, ut per ipſa quotidie humor expurgetur, ſervari jubent. Atque hæc inter laxantia præſidia, erunt ex iis, quæ aliis præmitti debebunt, nunc ad ea, quæ parcius magis capiti conveniunt, tranſeamus. Itaque ut à mitioribus exordiamur, primum utilia erunt laxantia primarum materiarum, cujuſmodi ex inunctionibus eſt oleum dulciſſimum, aut amygdalinum dulce recentiſſimum, aut roſaceum, aut chamomelinum, aut irinum actu calidum ſincipiti adhibitum, aut illud in quo ebullierint folia aut radix althææ, aut fœnugræci ſemina, aut melilotus, aut cucumeris ſylveſtris radix, aut melanthii ſemen, vel ſeſami, vel naſturtii. Juvabit itidem vinum album aromaticum expreſſum ex roſis ſiccis decoctis. Proderunt quoque fomenta ex althæa, meliloto, fœnugræco, chamomelo, in aqua decoctis parata, ſpongia excepta, capitique adhibita calida. Quibus ni dolor ceſſerit, efficaciora laxantia adhibeto: ut ex inunctionibus, oleum, in quo aut iridis radix ſicca ebullierit, aut melanthii, aut viticis ſemina; aut ex herbis, ſerpillum, aut ruta, aut calamintha, aut verbenaca; aut ex radicibus ſpondylium, aut peucedanum, aut radix cucumeris ſylveſtris. Galenus ex Archigene laudavit ſpondylium, aut peucedanum cataplaſmatis modo adhibitum,

aut ſemen viticis tritum, aut ſuccum ex baccis lauri expreſſum cum aceto & ruta viridi: ſerpillum quoque viride ex oleo decoctum & appoſitum juvare cognitum eſt, ſemen item coriandri tritum ex melle, & lolii farinam cum pinguedine porcina capiti adhibitum; ſed hæc omnia raſo capiti erunt calida admovenda. Maxime vero convenient ſtillicidia prædictorum oleorum, aut aquarum dulcium calidarum ad ſuturam coronalem: aut ſponte calidarum aquarum, cujuſmodi ſunt in agro, Patavino Aponenſes, Laſtrenſes vocatæ, & Duciæ in Lucenſi agro, & in Corſena villa exiſtentes: quæ ibi accurate, ſumma cum diligentia, & fructu adminiſtrantur: hujuſmodi aquarum vel oleorum vehementes illiſiones (Græci cataclyſmos appellant, noſtri ſtillicidia) per dies multos, mane, vel veſperi, ante cibum, erunt continuandæ. Aurelianus, præter hæc, commendat, ut caput radatur, nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam, donec cutis rubore afficiatur; ac dein in balneo nitri pulvere caput aſpergatur, & confricetur: poſtea laudat paropteſim ex carbonibus ardentibus, id eſt, æqualem calfactionem, qua meatus cutis laxantur, & humores vel vapores digerantur atque exhalent. Nonnulli (uti dictum ſuperius eſt) niſi his cedat paſſio, adhibent capiti & dropaces, & ſinapiſmos & quandoque exulcerantia, & demum inurentia aut ferro ignito, aut medicamentis pyroticis potentialibus vocatis, ad ſinciput, juxta coronalem ſuturam, adhibita: Quorum ulcera, eſchara ab iis ſublata, diu aperta ſervant.

CAPUT VIII.

De aurium dolore.

AUrium meatus externi ſæpe difficillimis doloribus invadi ſolent; qui aliquando uſque adeo graves ſunt, ut in conſenſum trahant occipitium, oculos, oris muſculos, tempora, atque interdum totum caput. Unde non raro, ſi vehementes dolores fuerint (quod dolor attrahat) phlegmones oboriri ſolent. Proinde quam primum illis laxatoriis ſuccurrendum erit, cum & hic affectus ſit ex adſtrictorum genere. Ortum vero hic

hic dolor habere ſolet, aliquando ex frigiditate, aliquando ex caliditate (ut volunt Dogmatici) ſimplici, plerumque ex humore craſſo ac viſcido, vel à flatu eas partes diſtendente, & aliquando ab utraque cauſa ſimul concurrente. Itaque præſcripta victus ratione, ſi dolor haud vehemens extiterit, ſat erunt localia medicamenta partim indolentem meatum inſtillata, partim aurem ipſam atque vicinas partes foventia. Inſtillabuntur, oleum dulciſſimum calidum, aut amygdalinum dulce, aut chamomelinum, aut irinum, aut anethinum, aut nardinum, aut quod in excavata cœpa ebullierit apud ignem; aliquando oleum dulce inſtillabitur, cui pauxillum euphorbi fuerit permixtum: hydromel quoque erit ſatis ad dolorem demulcendum accommodatum: lana molli ſuccida calida, ſumma cum utilitate, auris meatus, ac partes circumſtantes fovebuntur. Idem accidet, ſi calidus fotus per ſpongiam, aut veſicam decocto fœnugræci, althææ, chamomelique plenam factus iiſdem partibus adminiſtrabitur. Oleum quoque, in quo ebullierit cucumeris ſylveſtris, aut iridis, aut dracunculi radix, aut in quo centaurii minoris, aut polii cimæ itidem efferbuerint, aut anethum, commendatur vinum inſtillatum, in quo ſenectus anguium efferbuerit. Si vero dolor fuerit magnus vehemenſque, neceſſe erit, addi laxantia majora, eaque etiam interna; cujuſmodi erit ſanguinis evacuatio aut ſecta vena cephalica, aut cucurbitulis cum ſcarificatione colli & dorſi partibus adhibitis, procurata: poſt principia etiam, præmiſſa univerſali ſanguinis evacuatione, utiliſſimum erit, cucurbitam (auctore Aureliano) & cum ſcarificatione & citra ſcarificationem poſt aures adhibere, aut hirudines affigere circum auditorios meatus. Cathartica medicamenta & clyſteres cathartici erunt utiliſſimi.

CAPUT. IX.

De dentium dolore.

DEntes dolent aliquando ex frigiditate aut ex aëre, aut ex frigido potu contracta. Quo dolore ſæpe vexantur, qui dentibus algidam aquam repente ſenſerunt. Etenim dentes ca-

lidis & vehementer quidem delectantur, & à frigidis læduntur. Quod ipſum fit, vel (ut Ariſtoteles ſenſit) quod dentium meatus ſint exigui, vel (ut aliis viſum eſt) nervi, cui dens adhæret, ratione, quia nervis frigus eſt inimiciſſimum. Plerumque ex defluxu humoris ex capite, & nonnunquam calidi affectum plegmonem concitantis, atque non raro dentibus ipſis affectis, ſcilicet vitiatis, & corroſis dolor excitatur. Inter oſſa dentes etſi comprehenduntur, tamen id proprii habent, ut doleant, cum reliqua oſſa doloris ſint expertia. Dolent vero aut ipſorum ſubſtantia affecta, aut nervis affectis, aut denique gingivis ipſis vitiatis. Quovis modo dolor fiat, erit laxatoriis medicamentis tollendus. Aurelianus in principio utitur repellentibus, ſcilicet non per ſe, ſed humorem ab affectis dentibus protrudendo, adſtrictas, tumenteſque partes laxantibus. Quæ medicamenta etiam in phlegmonum principiis eſſe opportuna alias à nobis ex Methodicorum etiam placitis, demonſtratum eſt. Itaque commendat acaciæ, aut hypociſtidis, aut pentaphylli decoctum, at nunquam actu frigida erunt hæc decocta ore continenda; quod dentibus (ut dictum eſt) frigida ſint inimiciſſima. Quare non convenient repellentia, quæ frigiditate, ſed quæ ſola adſtrictione humorem à parte affecta quaſi exprimendo propellunt. In aliis vero temporibus laxantia convenient: & inter alia ſunt multis familiaria & quæ ore continentur, & quæ exterius muſculis buccarum (ut ait Aurelianus) adhibentur, tum fomenta, tum illitiones; lana mollis dulci oleo calido imbuta, & expreſſa utiliſſime adhibetur: atque etiam decocto chamomeli, althææ, aut fœnugræci calido imbuta atque appoſita. Inter illa, quæ intra os aſſumuntur, ad ſedandum dolorem, eſt oleum dulce commune fervens, ſi præſertim ad dentem accommodetur, ſi dens meatum habeat, in quem fervens oleum goſſipio exceptum imponi queat, nihil erit præſtantius ad tollendum dolorem. Oleum itidem dulciſſimum calidum erit utiliſſimum. Alii pyretrum, alii cucumeris agreſti radicem, aliique tithymali itidem radicem, ex vino aut ex aceto decoquunt calidoque vel vino vel aceto utuntur. Ceterum nihil eſt optatius, quam oleum dulciſſimum calidum in-

inditum: nam quo plus fervoris ægrotus juxta dentem ferre poterit, eo major fiet utilitas. Sed ne vicinæ partes à fervore olei exulcerentur, cura habenda erit, ſcilicet cera, vel petiis lineis adhibitis. Commendantur non minus thuris granum igne calefactum, tenui linteolo involutum, dolentibus dentibus appoſitum: aut thuris triti pulverem multis linteolis illigatum accipimus, eorumque ſingula linteola oleo calido imbuta ſingulis dolentibus tangenda, itidemque retinendaque admovemus: hæc ſunt ex melioribus medicamentis ad dolorem ſedandum. Nonnulli & ad mentum, & ad buccæ muſculos, adhibent ſpongias decocto althææ, aut fœnugræci, aut chamomeli, aut ſimilium madidas, & expreſſas. Nonnunquam dolores ſunt adeo vehementes, ut exinde ſequantur & nervorum & gingivarum inflammationes. Unde coguntur Medici & ſecta vena, & cucurbitulis cum ſcarificatione appoſitis juxta oris partes ſanguinem mittere. Sed præſtabit tunc temporis gingivas ſcarificare, ab ipſiſque dentes ſeparare, atque eo modo aliquam moliri ſanguinis evacuationem. Nonnulli dentes frangunt, fractiſque dentibus dolor exhalat: quod fit adhibitis acrioribus medicamentis, uti eſt radix chelidonii majoris, aut tithymali alicujus, aut pyretri, aut cucumeris agreſtis triduo accerrimo aceto macerata, & dolentibus dentibus indita, aut quovis modo impoſita: aut exuvium ſerpentis, aut gummi heredæ aceto acerrimo itidem maceratum, atque inditum. Pro ſingulari medicamento non pauci habent, ſi per noctem intra manum in vola præſertim contineant radicem illiuſce herbæ, quam ob id fortaſſe Rondeletius dentillariam vocavit, & vulgus herbam ſancti Antonii appellat: ipſa facultatis urentis eſt, unde revellendo aut divertendo humorem ad dentes fluentem dolorem aliquando tollit.

CAPUT X.

De medicamentis ad ſtomachi, ventris, atque laterum dolorem.

DOlent ſtomachus, venter, atque latera, plerumque ex frigiditate, aut ex aëre frigido, aut ex cibo, vel ex potu frigido, atque ex cruditatibus in ſtomacho contentis, vel a ſolo flatu diſtendente; aut denique ab acri humore os ventriculi mordente, unde fit affectus doloris, quem noſtri morſum ſtomachi, & Græci Cardiogmon appellant, quo veluti cum morſu ſtomachus dolet, aut venter. Si ex frigiditate fit, neque diſtentio, neque gravitas, neque morſus obſervatur, non ſitiunt ægroti. Ubi vero crudum excrementum eſt cauſa doloris, ſi multum ſit, & gravitas & diſtentio adeſt. Si flatus diſtendens dolorem faciat, gravitatem non ſentiunt. Ex acri vero humore morſum percipiunt; atque à vitrea acidaque pituita, aciditatem. Quod pertinet ad medicamenta, ſi de internis loquamur, commendatur jus puli junioris ſine ſale, aut in quo althææ, aut fœnugræci ſemina, aut flores meliloti aut chamomeli, ebullierint, epotum. Juvabit etiam oleum dulce; calidum itidem hauſtum, præſertimque amygdalinum dulce; commendatur eodem modo lac ex ſeminibus aniſorum, malvarum, althææ, fœnugræci, & fœniculorum ex vino, aut ex jure pulli paratum, calidumque ebibitum. Ex antiquis Dioſcorides laudavit lac muliebre, aut bubulum, aut aſininum per ignitos ſilices percoctum. Datur utiliſſime etiam drachma ligni aloes triti, aut ariſtolochiæ longæ tantundem ex vino. Non minus utiles erunt junci odorati flores triti, aut ſpica celtica trita eodem modo epota. Nonnulli exhibent quotidie cochlear unum maſtiches pulverizatæ. Gariophylla vero, aut ſemina trita carpobalſami, vel fœniculorum, vel coriani, vel petroſelini, vel aniſi ex vino complures in uſu habent, præſertimque ſi dolorem fecerint aut crudi humores, aut flatuoſi ſpiritus intus incluſi. Ex internis autem medicamentis conveniunt inunctiones calidæ ex oleo dulci, aut amygdalino, aut maſtichino,

aut

aut ſpicato, aut chamomelino, aut anethino, paratæ atque applicitæ ori ventriculi. Fomenta itidem ex chamomelo ex altheæ foliis, ex meliloti floribus, atque ex roſis, cum ſpica Indica, aut abſinthio, in aqua, vel in vino parata plurimi juvamenti eſſe ſolent, ſi vel ſpongia vel veſica eo decocto calido imbuta ori ventriculi adhibeatur. A nonnullis commendatur melilotus in vino coctus cum farina fœnugræci cataplaſmatis modo calidus appoſitus, vel cum vitello ovi aſſato, aut cum lini ſemine in vino eodem itidem modo coctus. Galenus commendavit ſiler & cyminum in vino coctum atque admotum: & quod recipit baccarum lauri, rutæ cymarum, ſingulorum manipulum, & cymini manipulum medium: quibus tritis cum mellis modico paratur cataplaſma, quod calidum admovebitur. Cucurbitula magna cum igne ſtomacho admota quandoque miraculi modo ſanat ab iis doloribus. Ad ventris & laterum dolorem eadem ſane præſtabunt, addantur clyſteres, & medicamenta cathartica. In ventris, laterumque dolore, clyſteres ſunt utiliſſimi laxatorii primarum materierum, ſcilicet ex decocto chamomeli, mercurialis, althææ, malvarum, fœnugræci, ſeminum lini, atque meliloti, cum oleo dulci aut communi, aut amygdalino: aut parabuntur ex rebus laxatoriis ſecundi, tertiive ordinis, cujuſmodi ſunt, quæ parantur ex decocto furfurum, anethi, rutæ, calaminthæ, mercurialis, ſeminum fœniculorum, aniſorum, ſileris montani, apii, petroſelini, & ſimilium; quæ humores crudos craſſoſque vehementer concoquunt, digeruntque; atque ex oleis facultate ſimilibus, qualia ſunt anethinum rutaceum, laurinum, & alia id genus. At Aurelianus ait hæc eſſe acerrima, & propterea tardis paſſionibus congrua; aut ventoſitate laborantibus, & non cauſa tumoris dolentibus. Quare clyſteres ex laxatoriis primarum materierum, ſcilicet ex iis, quæ temperate calida ſunt, conſultius hiſce doloribus convenire exiſtimavit. At ſi dolores etiam iis diſcuſſoriis non cedant, addetur in decocto faciendo aut centaurium minus, aut colocynthidis pulpa ad ſemidrachmam, aut ex compoſitis laxatoriis electuarium lenitivum vocatum, aut diaphænicon, aut de hiera, aut ſimile aliud ad unciam. Cathartica etiam,

ſi dolores ſanatu difficiles fuerint, haud erunt omittenda, cujuſmodi ex ſimplicibus erit mel roſaceum laxativum, manna Calabrica, turpetum, quandoque euphorbium, in minima tamen doſi, ſcilicet ad duos obolos, colocynthis, & trochiſci, qui ex ea parantur, alandal Arabibus vocati, ad ſemi obolum; Rhabarbarum, agaricus, & ſimilia: aut ex compoſitis electuarium lenitivum vocatum, aut diaphænicon, aut hiera picra Galeni, & ſimilia medicamenta: & nonnunquam validiora, ſi antiqui dolores in ventre circa hypochondria rebelles extiterint. Qui ſi magni vehementeſque ſint, ne dum ſectio venæ commendatur, verum (uti dictum eſt) validiſſima etiam laxantia, ita ut ad hoſce dolores & complures antiquorum & recentiorum coacti fuerint ellebori albi decoctum exhibere: ſed quomodo parari exhiberique debeat, & in quibus ipſum propinare tutum ſit, alias in hoc opere ſatis diligenter perſpectum cognitumque reddidimus. Nam in his partibus dolores (quod à multitudine craſſorum viſcidorumque humorum pertinaciter viſceribus inhærentium foveantur) ſolent eſſe uſque adeo pertinaces atque rebelles, ut, ni validiſſimo medicamento purgatorio tollantur, uſque ad mortem ægrotos concomitari non raro obſerventur. Homines vero qui hoſce dolores in viſceribus in ventris regione penes hypochondria poſita graviſſimos diu patiuntur, vulgus maleficiatos, & dæmoniatos vocat: quos quidem aliquando quidam religioſi ſanant, non duntaxat orationibus, at elleborum album oleo exceptum (quod ſanctum oleum, etſi diabolicum ſit, appellant) aut alio modo paratum exhibentes per os: complures autem Medici nimis ipſum formidantes, nec ullo modo audentes elleborum propinare, patientes doloribus interimi ſinunt. Verum ad eos dolores tranſeamus, quos colon inteſtinum ſæpe pati ſolet.

CAPUT. XI.

De medicamentis ad colicum dolorem.

GRaviſſimos eſſe eos dolores, qui inteſtinum (colon vocatum) vexant: neminem Medicorum latere ſcimus; ſed qua-

qualis ex iis doloribus, qui in ventre fiunt, colicus ſit, haud ſcitu, cognituque eſt facile; ſiquidem, ſolent ſæpe mulieres in utero dolores pati coli dolori quam ſimillimos. Atque à renum quoque dolore non ita aperte aliquando colicus dolor diſtingui ſolet: Dolor enim coli inteſtini, qui in ventre obſervatur, ſupra renes ſit, in lateribus juxta fundum ventriculi, aliquando circa umbilicum vehementes adfert cruciatus, quandoque circa lumbos, vagus ſæpe locum mutat, modo hanc modo illam partem gravius urgens; & in pectinem inclinat; qui etiam à quavis purgatione & ſurſum & deorſum facta lenitur, & nonnunquam integre ceſſat. Paulus ait colicos dolores in dexteriore potius ilium parte ægros excruciare, & uſque ad ſtomachum, jecur, & lienem pervenire. Nephriticus vero dolor à renibus incipit, fixus eſt, diuturnus in veſicam inclinans, cum urina aut tenui in principio, vel turbida, aut ſuppreſſa cum vomitu bilioſo; adeſt illi è directo cruris aliquando ſtupor; ſumptomataque habet leviora, quam in colico obſerventur. A dolore etiam qui ex utero in mulieribus fit, facile colicus diſtinguitur, quoniam dolor ex utero affecto magis eſt in ligamentis ad inguina deſcendens, ita, ut coxendicus videatur. Itaque colici doloris ſymptomata erunt, nauſea, vomitus pituitoſi, atque corrupti humoris multo graviores, quam per nephriticos affectus, ob flatuum & materiæ recurſum ab inteſtinis ad ſuperiora, qui aliquando bilioſi ſunt, licet materia ſit pituitoſa. Excrementorum tanta retentio fit, ut ne flatus quidem, aut ructus exeat. Aurelianus in dolore colico ait. Ventris ſequitur abſtinentia, aut cum dolore egeſtio, urinæ reddendæ difficultas, inteſtinorumque rugitus, quem Græci borborigmon vocant. Addiditque in acceſſione ſitim, faſtidium, articulorum frigiditatem, atque torporem, livorem, ſudorem, capitis gravedinem, mentiſque hebetudinem, ſingultum, atque pulſum parvum, & denſum. In augmento vero doloris, vomitus fieri humorum quidem craſſorum, lentorumque & felleorum, cum tenſione peritonæi membranæ, quæ perſeverans facit inflationis cauſa reſonum tympani, cum palma manus fuerint loca pulſata. In declinatione autem magnos crepitus per

anum excludi. Plerique Medicorum in quadruplicem affectum deſtinxerunt colicum dolorem, ſcilicet in eum, qui fit ex craſſo pituitoſoque humore intra anfractuoſum colon craſſis membranis tectum adſtricto, ejuſque membranis pertinaciter hærente: aut ex ſpiritu craſſo & flatulento intra inteſtinum clauſo, qui exitum non habeat: aut ab acribus, mordacibuſque humoribus inteſtinum mordentibus: aut denique ob iſtius inteſtini phlegmonem quampiam; de quo dolore ex plegmone concitato alias à nobis actum eſt. Colici vero doloris, de quo nunc agimus, plerumque occaſio eſt flatus craſſus intercluſus diſtendens inteſtinum, aut hærens pituita: unde venter in tumorem attollitur, ex quo graviſſima tormina invadunt. Nonnunquam tamen colon dolet ab acribus humoribus demorſum. In iis vero, qui colico vexantur ex craſſo pituitoſoque humore, hæc ſymptomata obſervantur: primum hi per totum abdomen in alto excruciantur, & præſertim qua parte colon ſitum eſt ceu terebra ſe pertundi ſentiunt: torſiones quoque eos affliguunt, ructus, nauſea, vomitio cujus libet humoris, potiſſimum pituitæ: alvus graviter impedita nihil reddit, ac ne ſpiritum quidem tranſmittit; ſtercus autem quandoque excretum, bovino ſimile videtur, leve & flatus plenum. Qui vero ex ſpiritu flatulento indoleſcunt, iis tenſionis magis ſenſus obvenit. At qui ob acres rodenteſque humores dolorem patiuntur, perinde ac ii, qui ob inflammationem dolent, ardorem, ſitimque ſentiunt, ac vigiles redduntur; ſed tamen minus, quam dolentes ex phlegmone febricitant; urina excernitur acris & colorata, per alvum excrementa bilioſa dejiciuntur, ſæpeque alvi dejecto majorem excitat cruciatum, graviuſque irritant dolores cibis potuſque aſſumpti. Talibus ergo ſignis colicus dolor omnibus innoteſcet. Qui profecto eſt & graviſſimus affectus, & plenus periculi: tranſit enim ſæpe in ilium: & ſi diu perſeveret, hydropem minatur: de quo Hippocrates in aphoriſmis habet: *Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſolvatur, in ſiccum hydropa firmatur.* Sed his præmiſſis, reliquum eſt, ut curationem complectamur: quæ, cum hic affectus ſit

In aph. 11. lib. 4.

ad-

adſtrictus, laxatoriis medicamentis opus habebit, iiſque præſertim, quæ anodyna ſunt, quæque anodyna temperata ſunt: cujuſmodi ſunt olea temperata, ut eſt dulce, amygdalinum dulce, chamomelinum, ſeſaminum, & commune, in quo vel meliloti flores, vel althææ radix, vel fœnugræci, vel lini ſemina ebullierint; & hæc primo cum intus tum extra admovebuntur. Poſtea anodyna calidiora in uſum venient, cujuſmodi eſt oleum rutaceum, anethinum, laurinum, lilinum, irinum, atque illud, in quo flores cyclaminis efferbuerint, aut ſemina cimini, aniſorum, carui, dauci Cretici, ſileris montani, & ſimilium. Horum uſum Aurelianus plus in colico ex flatulento ſpiritu, quam ex humore frigido oborto commendat. Quæ etiam aliarum ſectarum Medicis in principio ſuſpecta viſa ſunt, quod nimirum plus flatulenti ſpiritus in colica humoroſa concitent, quam reſolvant. Itaque ſi dolor ſit magnus, phlebotomia utilis viſa eſt, neque immerito, cum ipſa ſit magnum chalaſticum ſive laxatorium, quod ab omnibus in maximis doloribus maxime laudari ſolet. Quandoque etiam purgantia utiliſſima ſunt, cum per os aſſumpta, tum clyſteribus indita. Ex medicamentis laxatoriis laudatur mel roſaceum laxativum ad quatuor uncias, vel cum manna Calabrica, veluti ſi quis utriuſque binas uncias diſſolvat in decocto chamomeli, meliloti, althææ, aniſorumque, & calidum propinet. Aliqui exhibent hieram ſymplicem, & validiora etiam. Cavendum tamen, ne hiera copioſius, quam par ſit, exhibeatur. Melchior Guilandinus è colico dolore à devoratis catapotiis de hiera ad ſemunciam, in ileon, quo extinctus eſt, incidit. Præſtabit ergo uti medicamentis laxatoriis per clyſteres: hæc enim, quod colon tumens laxare idonea ſint, ideo plus utilitatis afferunt, quam medicamenta purgantia per os ſumpta. Unde Medici ſolent parare clyſteres purgatorios, nimirum cum medicamentis catharticis, id eſt, eductoriis, oleiſque itidem laxatoriis anodynis paratos, ut ſi (exempli gratia) quis accipiat decocti malvarum, althææ, chamomeli, ſeminum fœnugræci, mercurialis, anethique, libram, agarici, aut turbit, aut hiera ſimp. ʒ. ij. aut electuar. de hiera ſemunc. aut diaphœn. ſemunc. mell.

roſac. ſimp. olei chamomelini, anethini an. unc. ij. fiat clyſter. Hæc medicamenta per clyſteres indita mirum in modum conveniunt, quod humores detergant per alvum educant, flatuſque diſcutiant, atque dolorem demulceant. Poſt hoſce purgatorios, convenient clyſteres aut ex ſolis oleis, ut ℞. olei chamomelini, amygdalini dulcis, an. libram ſemis: aut ex ſolo oleo amygdalino dulci exhibentur clyſteres, qui colico ex omni cauſa conveniunt. Nonnulli utuntur clyſteribus ex urina puerorum calida paratis. Paulus commendat itidem clyſteres ex oleo communi, in quo ebullierit althæa, aut fœnugræcum, cum adipe recenti anſeris, vel gallinæ; aut ex fœnugræci, vel althææ, vel chamomeli decocto calido indito. Aurelianus voluit injici vel oleum dulce calidum ad cyathos quatuor, cum adipe anſerino aut gallinaceo liquato, ovorumque vitellis ſimul diſſolutis; vel decoctionem calidam radicis malvæ uſualis, aut fœnugræci. Porro ad illa, quæ per os aſſumpta ad hoſce dolores uſum habent, redeamus. Inter quæ primo occurrunt olea, quæ calida ad ſemilibræ pondus propinantur, olea inquam dulcia, cujuſmodi eſt amygdalinum, omnium præſtantiſſimum: mirifice enim conducit colico à quavis cauſa oborto. Complures mirifice uſu iſtius olei calidi fuiſſe adjutos, praxim medicam faciendo obſervavimus. Eodem modo & commune, modo dulce ſit, & expers cujuſque qualitatis vel acris vel ſalſæ. Quod vero aut ex chamomelo paratum eſt, aut ex radice althææ, aut ex fœnugræco, aut ex lini ſemine, utiliſſime quoque calidum in potu ad ſemilibram datur. Alii decoctum chamomeli, aut althææ, aut fœnugræci calidum ad ſemilibram propinant. Dioſcorides laudat, ut fœnugræci pollinis duo cochlearia ex aqua exhibeantur: non minuſque ſtercus gallinarum toſtum tritumque ex vino: Myſus olim Medicus (Galeno auctore) dabat bibendum iis, qui diuturno coli dolore fuiſſent vexati ex œnomeli, aut ex aceto, aut ex vino aqua diluto. Nonnulli commendant uſum Philonii, Theriacæ, diatrion pipereon, & ſimilium. At præſtabit etiam externa medicamenta colico dolore vexatis accommodata hic commemorare: convenient autem iis inunctiones calidæ ex ſupradictis oleis, præſer-

ſertim vero conducit inunctio ex oleo calido ex floribus cyclaminis parato, vel in quo radix althææ; & cyclaminis decocta ſit, ſi venter eo illiniatur; fomenta itidem commendantur ex decocto chamomeli, althææ; fœnugræci, & ſimilium parato, ſpongia aut veſica excepto: alii pro fomento apponunt abdomini veſicam ſemiplenam olei aut chamomelini dulcis, aut de cyclamine. Præter fomenta, utiliſſimæ erunt inſeſſiones aut ex oleo dulci calido, aut ex chamomelino, ant ex amygdalino dulci, aut ex hydrelæo paratæ. Cataplaſmata etiam ex althæa, fœnugræco, floribus chamomeli contuſis, & cum axungia recenti aut anſeris aut gallinæ, oleoque calido, & cum farina aut polline fœnugræci, aut lini, aut ſeminis althææ ſubactis parata calida erunt accommodatiſſimæ. Si dolor iis non cedat, cucurbitula magna cum flamma adhibeatur umbilico: hæc enim ſæpe dolorem à flatulento ſpiritu obortum quaſi miraculo ſuſtulit. Convenient etiam quandoque plures cucurbitulæ eo modo cum flamma addomini adhibitæ: quandoque etiam cum ſcarificatione, pro molienda ſanguinis aliqua evacuatione: ad quem uſum aliqui affigunt plures hirudines: ſed hæc potius in affectu inflammatorio conveniunt, pro evacuatione ex parte affecta molienda. Alia qui ſinapiſmos adhibere ſolent, vel etiam dropaces, quoad abdomen nedum rubefiat, verum etiam exulceretur: quæ ulcera ex continua, quam efficiunt, humoris purgatione coli partes tumentes laxant.

CAPUT. XI.

De dolore renum, atque veſicae.

RENes dolent plerumque à calculis aut ab humore acri, ſalſove, & copia diſtendente, & qualitate mordente, vel à ſanguinis grumo, vel à flatulento ſpiritu, aut à viſcida lentaque pituita, quæ à calore ſiccata calculos facit. Nephritici vero gravem in ipſis renibus infixum dolorem impacti pali inſtar ſentiunt, ejuſdemque lateris, ac è directo ſubjectus teſticulus iis dolet; femur ejuſdem partis directe obſtupeſcit; alvus ple-

plerumque adſtricta, & clyſteribus citata ſtercus bilioſum, flatuſque egerit: urinæ paucæ arenoſæ magis prodeunt; hiſce ſignis dolorem in renibus à calculis fieri nobis indicatur. Ubi vero à ſanguine grumoſo dolor fit, præterquam quod ſolet eſſe vehementiſſimus, etiam ſecum ſæva ſymptomata conjuncta habet, ſcilicet febrem magnam, inquietudinem, cum animi angore, à quibus facile in animi deliquium & in ſyncopem etiam aliquando homines provehuntur. Si craſſus lentuſque humor id efficiat, dolor eſt cum tenſione & urinæ ſuppreſſione. Ubi acris & mordens humor cruciatus infert, non abſque acrimonia urina redditur colorata. Ab iiſdem cauſis & veſica aliquando in dolorem agitur. At facile dolor veſicæ ab eo, qui fit in renibus, diſcernitur: ſiquidem dolores antrorſum magis ac longe inferius, quam renes ſiti ſunt, ſentiuntur: præterea in mictione vitium deprehenditur ubi calculi dolorem in veſica excitant, urina cruda, ſub albida mingitur, arenoſum ſedimen habens; pruriunt crebro, atque pudendum contrectant; ſæpe etiam ſi calculus fuerit effatu dignus, cum mingendi deſiderio tenentur, recto inteſtino communicata paſſione, una etiam dejicere ægroti cupiunt; ſi ab humore craſſo veſicæ inhærente dolore fiat, & gravitatis, & tenſionis ſenſum habent, urinaque cruda cum craſſo ſedimento excernitur, & non raro ſupprimitur; ſi à flatu diſtendente dolor fiat, abdomen plurimum intumeſcit cum dolore diſtendente, & urinæ impedimento; ſi vero urina coloratior, acriſque mingatur, non ſine ardore, & cum ſiti, nobis argumento eſt, eum dolorem fieri à calidis mordentibuſque ſuccis. His præmiſſis, reliquum eſt, ut medicamenta proponamus, quibus harum partium dolores conquieſcant, atque tollantur. Itaque crebra balnea conveniunt, epithemata modice calida, fotus, cataplaſmata, atque inſeſſus in ſuperiori capite ad coli dolorem præſcripti. Per os autem dabitur decoctum ſeminum althææ, malvarum, radicumque aſparagorum hortenſium. Nonnulli cum magno utilitatis fructu aſſumunt ſingulo mane decoctum foliorum malvæ, aut althææ, cum ſaccharo candido. Alii lac ſeminum althææ, malvæ, eryſimi, petroſelini, melonis, fœnugræci, ex aqua radicum

ano-

anonidis ſtillatitia extractum calidum exhibent; fotus iidem quos ad colicum dolorem meminimus, emplaſtra, & inſeſſus, ſunt maxime proficui ad dolorem in renibus atque in veſica tollendum. In doloribus vehementibus, & phlebotomia ex talo, & cucurbitulis cum ſcarificatione vel lumbis vel abdomini appoſitis Medici uti ſolent, atque aliis quandoque magnis etiam laxatoriis.

CAPUT XII.

De uteri dolore.

DOlet itidem in mulieribus uterus, aut ex ſanguine menſtruo ſuppreſſo, aut vitioſe purgato, aut ab ejuſdem ſanguinis grumo permeante vaſa anguſta uteri, aut in ipſis adſtricto; aut ex ſanguinis, ſeminiſque corrupti copia & prava qualitate: nam halitus inde elati nedum diſtenſione, ſed veluti quadam qualitate venenoſa, uterum lædunt; unde ſæviſſima ſymptomota in mulieribus concitari ſolent: aut à frigido humore craſſo; aut à ſimplici frigiditate; aut à flatulento ſpiritu; aut denique ab humoribus acribus, mordentibuſque. Ex ſanguine menſtruo deficiente, aut vitioſe purgato dolores excitari, ex mulierum relatione facile conjicitur. Grumoſum vero ſanguinem dolorem facere cognoſcitur, cum ex qualitate doloris qui fixus acutuſque eſt, tum ex ſymptomatibus ſubſecutis deprehendimus: nam propter eum mulieres anxiæ fieri ſolent, inquietæ, atque exſolutione affici. Si vero ſanguis grumoſus per vaſa anguſta moveatur, dolor eſt vagus, quoad excernatur, perſeverans. Ubi vero doloris cauſa eſt aut ſeminis aut ſanguinis vitiati halitus, pravæque idcirco qualitatis, cum dolore quandoque uteri ſtrangulatus, atque epileptica ſymptomata obſervari ſolent. A flatu itidem uterum dolere, notant uteri diſtentio, & extuberantia hydropi tympaniti ſimilis; crepituſque, ructus, rugitus una apparent. Ceterum uteri dolori convenient anodyna dicta, atque Methodicis laxantia temperata ſeu primi ordinis, aut (ut ajunt) primarum materierum, cum intus, tum extra: cujuſmodi ſunt olea, fotus, inſeſſus, & ſimilia. Itaque ſi dolores

admodum vehementes ſint, utiliſſimum erit, illis exhiberi aut oleum dulce mediæ ætatis calidum, aut amygdalinum dulce & amarum, aut chamomelinum, aut è ſeminibus lini: aut, ſi flatuum copia adſit, anethinum etiam, aut rutaceum convenient. Clyſteres ex iiſdem oleis calidis, & decoctis malvarum, althææ, fœnugræci, chamomeli, rutæ, & ſimilium, cum rhodomelle, & aliquando quopiam medicamento cathartico parati, quales ad colicum dolorem fuere à nobis præſcripti, ſummopere convenient. Demum iidem fotus, iidemque inſeſſus, quos ad coli dolorem commendavimus, uteri doloribus etiam conducent: addi tamen poterunt iis ex ſimplicibus medicamentis artemiſia, parthenium, chamædrys, betonica, eupatoriumque Arabum.

CAPUT XIII.

De dolore articulari.

ARticulorum dolores vel pleroſque articulos occupant, hunc-que affectum arthritim Græci appellarunt; vel quoſdam particulares; ſi enim pedum articulos vexaverit, podagram, quaſi pedum dolorem; & ſi manuum, chiragram; ſi genuum, gonagram; ſi coxendicum articulationem occupet, iſchiaticum Græci, coxendicum Latini appellarunt. Dictum eſt, duplicem horum dolorum eſſe cauſam, ſcilicet, aut articulorum imbecillitatem, aut humorem ſuperfluentem, aut quod utraque cauſa hoſce dolores foveat. Quomodo homines ab hoc malo præſervari, atque etiam ſanari debeant, nos ſuperius ſatis ſuperque docuimus. Unde, ne eadem repetamus, ſtudioſum ad ea, quæ ſupra à nobis de hoc malo ſcripta ſunt, relegandum, remittendumve eſſe duximus.

CAP.

CAPUT. XIV.

De quodam dolore nocturno, qui pedum, aut crurum, aut coxendicum, aut alterius partis muſculos repente invadit.

NOctu repente complures, æſtate præſertim incidunt in vehementiſſimos dolores, diſtenſivos plerumque in pollice pedis, aut in cruris ſura, aut circa coxendicem in muſculis, aut in manibus, aut in brachiis; aut in abdominis muſculis. Quem dolorem pati ſolita eſt uxor mea, quo tempore utero gerebat, qui dolor quemadmodum haud eſt ita magnus, uti qui in pede, vel in crure, vel in coxendice fit; tamen longe diuturnior eſſe ſolet, ita, ut aliquando plurium horarum ſpacio perſeveret: qui vero pedem aut ſuram invadit, aut manum, eſt acutiſſimus fitque cum maxime doloroſa diſtentione, ſed cito reſolvitur: etenim ſi diu duraret, cito interimeret: reſolvitur vero ex frictionibus, aut ſi ſtatim homo, cum dolorem ſenſerit, violenter ambulet, & pedibus quidem nudis ſuper frigidum pavimentum. Hunc affectum eſſe illarum partium convulſionem in muſculis factam, neminem, qui ipſum probe noverit, latere arbitror. Oritur à frigiditate muſculos denſante, ipſorumque in meatibus flatulentum frigidum ſpiritum concludente, qui violenter diſtendens muſculos, eoſdem maximo cum dolore convellit. Non me latet, Patavinos, aliaſque Italiæ gentes, hunc ipſum affectum cancrum vocare, licet me ignorare hujuſce nomenclationis cauſam, fatear. Niſi ita nominatus ſit, quod vulgus exiſtimarit ab occulta quadam proprietate, illiuſce animalis inſecti, quod aliqui cervum volantem appellant, quem Patavini cancrum itidem nominant, cornua geſtata ab hoc malo homines præſervari. Porro ſolet æſtate frequentius, quam hyeme, familiariuſque obſervari, quoniam præ æſtu homines ſolent decumbere atque dormire ſæpe nudis cruribus, aut linteis ſubtiliſſimis leviſſimiſque coopertis. Hyeme vero rarius obſervatur, quia probe linteis panniſque contecti homines dormiant, unde minus à frigore læduntur. Præſervatio ab hoc malo fiet, ſi,

qui eo vexari ſolent, bene pannis cooperti dormiant, dieque & nocte membra corporis probe ſtragulis cooperta habeant. Nonnulli partes oleis calidis inungunt, alii aqua vitæ eaſdem illinunt ſæpe, ut ab eo malo præſerventur. Actu vero dolor vexans, frictionibus calidis tollitur & motu continuo ſi partem affectam patientes exerceant. Lotiones calidæ, inunctiones ex oleis dulcibus itidem calidis, nec non fotus ex chamomelo, aut ex althæa, aut ex fœnugræco, aut ex ſimili alio medicamento parati, calidi ſi vel ſpongia, vel veſica adhibeantur; balneum vero ex dulci aqua calidum cito dolorem diſſolvet: eodemque modo, & efficacius, balnea naturalia ſulphurea, bituminoſaque ad eos dolores agent.

FINIS LIBRI NONI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De morbis nonnullis adſtrictorum morborum genere comprehenſis, cur in hoc libro ſit agendum, & de quibus particulatim.

SUperſunt nobis quidam particulares morbi adſtricti tranctandi, poſteaquam de febribus, de phlegmonis, deque doloribus hactenus egimus. Hi vero omnes ſunt, qui cerebrum & capitis partes vexare ſolent, & thoracis regione contenta viſcera invadunt, ſcilicet tracheam arteriam, pulmones, ac cor ipſum ejuſque partes, atque demum non minus ſtomachum, jecur, lienemque offendunt. Sed neque hos omnes nobis tractandos inſtituimus. Etenim ex iis graviores periculoſioreſque ſolummodo complectemur. Sunt autem affectus, de quibus agere noſtrum erit inſtitutum, hi, vertigo, caros, catochus, apoplexia, paralyſis, ſtupor, tremor, epilepſia, ſpaſmus, mania, melancholia, tuſſis, aſthma, cordis palpitatio, tremor, ſitis immoderata, canina appetentia, cibi faſtidium, obſtructio & ſcirrhus jecoris atque lienis; icteritia, renum & veſicæ calcu-

lus, priapiſmus, atque uteri ſtrangulatus. Hi igitur ſunt affectus adſtricti, de quibus in hoc libro à nobis agendum erit.

CAPUT. II.

De apoplexia.

AB apoplexia, tanquam ab acutiſſimo ſummeque lethali morbo, exordiri libuit: quam motus ſenſuſque privationem interpretantur; exinde ita vocatam fuiſſe Aurelianus æſtimavit, quod tanquam ex lethali percuſſu repentinum faciat caſum; hinc vulgus hunc affectum percuſſiam, ſive percuſſionem appellavit: hæc paſſio eſt ſtrictura acuta & vehemens, in qua homines repente cadunt, ſine ſenſu & motu, ſervata, ut ait Galenus, reſpiratione: unde corpus apoplecticum eſt, quod plane in omni parte ſenſu atque motu deſtitutum, reſolutumque eſt. Paulus inquit, quando, affecto communi nervorum principio, omnes corporis partes motum, & ſimul ſenſum amiſerunt, apoplexia dicitur; ſed longe plura ſunt ſigna, quibus hæc paſſio innoteſcit; namque jacent apoplectici, voce ſublata intermortuave, ſenſus atque motus expertes, ſtertenteſque citra febrem. De qua Hippocrates dixit: *Quicunque ſani capitis dolore derepente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, ni febris apprehendat.* Aurelianus hæc ſigna ad hunc morbum cognoſcendum expreſſit, ſcilicet, vocis amputationem (quæ apoplexiæ, epilepſiæ, cardiaci affectus eſt propria) mentis oppreſſionem ex repentino caſu, immobilitatem perfectam totius corporis, vultuſque conductionem: in quibuſdam etiam ſuſpenſionem palpebrarum ſimul atque oris hiſcentem diſtantiam appare, pulſum eſſe denſum & quadam perſecutione fugatum, articulorum gelidum torporem, reſpirationem parvam, colorem plumbeum, lacrimationem involuntariam: ſtertorem vero cum iis ſignis comprehendit, quæ lethalem apoplexiam concomitari plerumque ſolent. Antecedunt vero hanc paſſionem majori ex parte capitis ſubitus acutuſque dolor, venarum jugularium elatio, vertigo, oculorum ſplendores, extremarum par-

In lib. 6. aph. 41. In l. 3. acut. morb. cap. 5. Galen in 4. de vict. rat. in acutis com. 23.

partium ſine ratione refrigeratio, totius corporis palpitatio, difficilis motus, dentium ſtridores in ſomno, urinaque veluti æruginoſa, atra, modica, & farinæ craſſiori ſimilia habens ſedimenta. Hoc malum fit aut (auctore Galeno) propter quandam paſſionem phlegmonoſam calidam in cerebro conſtitutam, aut ubi cerebri ventriculi ex humore frigido & craſſo infarciuntur, obſtruunturque ita, ut ſpiritus introcluſi haud præterfluant per nervos, ad motum, ſenſumque partibus ferendum. Paſſio (ut dictum eſt) ſtricturæ eſt, quæ ſi maxima eſt, ſtatim jugulat homines, reſpirationem ſimul cum motu & ſenſu adimendo. Ubi vero quædam reſpiratio apparet, eaque magna cum violentia, inæqualiter, & inordinate trahitur, apoplexiam fortem notat; quam curari impoſſibile eſſe, Hippocrates affirmavit: ſi autem parva reſpiratio, neque violenta, neque inæqualis ſit, ſpem aliquam ſalutis promittere videtur; atque hanc parvam appellant, quam tolli medicamentis non eſſe facile Hippocrates docuit. Itaque cum maxima, tum fortis apoplexia vocata non cedit medicamentis: quæ vero debilis dicitur ſanabilis eſt. Rariſſimi ſunt, qui apoplexia liberati in alicujus partis corporis paraplegiam ſive paralyſim non incidant, unde apoplexiam in paraplegiam mutari ſanatio eſt; ſi tamen Medici accuratius ejus ſanationi incumbant. Mutatur quinetiam in mentis alienationem, humore protruſo ad cerebri membranas, ſicuti protruſo itidem ad nervos paralyſis fit. Aurelianus vero ait, curationes eſſe fortium hominum etenim debiles oppreſſionibus magis ſuperantur, & ferre majora adjutoria minime poſſunt. At nunc ad curationem accedimus, quæ, cum paſſio ſtricturæ ſit, & magnæ ſane ſtricturæ, qua ſæpe cito homines ſuffocati pereunt, fiet per medicamenta quidem laxantia, & majora ſane, quod magnis morbis magna profecto remedia conveniant. Itaque reponendi ſunt in loco calido & humido; & præmiſſo clyſtere, ni alvus ſponte fluat, ſtatim ad phlebotomiam veniendum eſt: quam omnium Dogmaticorum etiam opinione apoplecticis convenire liquido conſtat, ne dixerim in ea, quam calida phlegmonoſa paſſio in cerebro conſtituta efficit; ſed etiam in ea, quæ à frigido craſſoque humore cerebri

In aph. 42. lib. 2.

ven-

ventriculos obſtruente fit, etiamſi morbus frigidus dicatur, cum obſtructis cerebri ventriculis maxime procurari debeat magna laxatio, apertiove. Quod Hippocrates in lib. 4. de vict. ratione in acutis, hiſce verbis viſus eſt maxime collaudaſſe: Inquit enim: *Quod autem quis repente obmuteſcat, id venarum interceptiones occluſioneſque faciunt, ſi ſano abſque occaſione, vel forti alia cauſa id contigerit. Venam igitur brachii dextri internam ſecare oportet, ſanguinemque auferre inſpecta ſecundum habitum, ætatemque pluris minoriſve ratione.* Verum Aurelianus monet fieri debere phlebotomiam in acceſſionis declinatione, neque tuto in acceſſionis augmento, vel ſtatu, eam profecto fieri poſſe. Unde merito dictum eſt, phlebotomiam aut ægrotos jugulare, aut ſenare. Si quis ſtatim incipiente affectu adfiſtat, poterit audacter ſecare venam, permittentibus viribus, atque aliis non ipſam evacuationem (quæ tanquam præſidium laxatorium ab morbo adſtricto magno indicatur) ſed ipſius quidem quantitatem decernentibus. Plærique venam cephalicam ſecandam duxerunt, quod morbus ſit in capite: Hippocrates vero internam dextri brachii, & poſtea, viribus permittentibus, fortaſſe cephalicæ ſectionem locum habere exiſtimavit. Nonnulli, ut ſanguinis ſecta vena fluat, quando præ frigore gelatus ſæpius quidem non commode exeat, fluatque, præmiſſo clyſtere, fotu utendum ad omnes partes corporis ex oleo calido, frictionibus, & ſimilibus, cenſuerunt. Poſt phlebotomiam uſus clyſterum acrium, laxatoriorum, maxime accommodatur: cujuſmodi ſunt, qui parantur ex decocto chamomeli, rutæ, centaurii minoris, althææ, mercurialis, dauci, ſeſeleos, fœniculorum, & ſimilium; ex oleis calidis, cujuſmodi erit rutaceum, anethinum, laurinum, amygdalinum, chamomelinum & ſimilia; atque ex pulpa colocynthidis, centaurio minore, aut turbit, aut agarico, aut ex compoſitis laxatoriis, ut eſt electuarium de hiera, de baccis lauri, diaphænicon vocatum, & ſimilia. Itaque ex iis prudens Medicus clyſterem parabit, addendo ſalis communis drachmas duas. Aurelianus commendat clyſteres ſimplices laxatorios, quos profecto hactenus ſæpius meminimus. Commendant itidem vehementer laxatoria, cujuſ-

Tex. 23.
Tex. 24.

juſmodi eſt colocynthidis infuſum, vel ex ejus pulpa parati trochiſci Arabibus alhandal vocati, aut agaricus, aut turbith, aut veratrum nigrum; imo & album nonnunquam in robuſtioribus, atque probe paratis corporibus non ſine fructu aliquando exhiberi ſolet. Paulus ex compoſitis hieram laudavit cum caſtorei parte una admixta ad tres obolos in principio cum piperis obolo ex melle, & ex aqua calente ſoluta. Quam poſtea aucta doſi ad ʒ. ij. & plus etiam interpoſitis diebus dare conſueverat. Nonnulli commendarunt ſummis laudibus hieram Pachii Antiochi à Scribonio Largo deſcriptam; atque etiam Logadii, Diacolocynthidoſque Galeni. Noſtri familiarius catapotiis cochiis vocatis utuntur. Aurelianus contendit, cathartica non convenire, iis profecto argumentis, quibus alias ex Methodicorum placitis cathartica haud frequentius, familiariuſque eſſe in morbis uſurpanda, à nobis demonſtratum eſt: de qua re fortaſſe in ſequenti capite denuo quædam conſiderabimus. Sed ad rem redeo. In primis hominem apoplecticum adſtantes concutiunt, ejus corpus perfricant, in pedum plantis pruritum movent, barbam vel pubis pilos vellicant, modicumque aquæ vitæ in nares indunt, ut nimirum à paroxyſmo removeatur, atque (ut dictum eſt) permittentibus viribus, præmiſſoque clyſtere, ſecta vena ſanguinem demunt, mox catharticis purgant: per os aliqui ſagapenum ad ervi magnitudinem, vel aſſam fætidam exhibent, aliqui caſtoreum ad drachmam uſque, vel theriacam antiquam illis offerunt: exterius caput capillis deraſum oleo calido inungunt, ac fovent, ſpongiamque ex eodem oleo expreſſam capiti adhibent. Oleum vero vetus à nonnullis ſummopere laudatur, in quo ſcylla ebullierit, ſi eo caput calido foveatur, oleum non minus laudatur, in quo ebullierint ranunculi radices, aut piper, aut caſtoreum, aut pyretrum, aut cachry, aut ſpondilii radix. Cucurbitulæ item cum ſcarificatione capitis partibus utiliſſime affiguntur, præſertimque occipitio & ſpinæ partibus, ut & Aureliano viſum eſt. Sinapiſmi extremis partibus appoſiti, & poſtea etiam capiti, maxime conveniunt. At nunc his de apoplexia præmiſſis, ad paraplegiam ſive paralyſim curandam declinemus: cujus quidem curatio fere eadem erit, quæ apoplecticis congruit.

CAPUT. III.

De paralyſi curanda.

POſt apoplexiam ſequitur paralyſis, paraplegia, & paraplexia ab Hippocrate vocata affectio, & noſtris nervorum reſolutio, ſideratiove alicujus partis vel partium corporis. Nam quemadmodum in apoplexia omnes partes corporis motu atque ſenſu deſtituuntur, ita in paralyſi aliquæ partes cum motum tum ſenſum amittunt, illæſis ſenſibus interioribus. Differt à ſtupore, qui fit, ubi in parte ſervato motu aut leviter læſo, ſenſus amittitur, aut obſcurior redditur: at vero à torpore (modo differat à ſtupore cum plerique utrumque ſimul confundant, idemque eſſe velint) quia in hoc partes affectæ, haud plane ſenſu motuque, ut in paralyſi, deſtituuntur, ſed ſenſum, motumque obtuſum, hebetem, atque diminutum habent. Ceterum partes paraplecticæ aut ſenſum, aut motum amittunt, aut utrumque & hæc eſt exquiſita paralyſis, in qua ſenſus atque motus amittitur. Imperfecta vero, in qua perit motus, illæſo ſenſu: imperfectiſſimaque, in qua perit ſenſus, illæſo motu. Aurelianus diſtinxit paralyſim in eam, quæ conductione (ut ait) ſive retractione fit, & in eam, quæ extentione. Hæc eſt vera paralyſis, de qua hoc loco agimus; illa non vera, cum ſæpius ex vulnere, aut ex contuſione, partibus retractis, ac veluti convulſis, oriatur. Ceterum quadruplex paralyſis obſervatur: una, in qua partes faciei reſolvuntur; altera in qua partes infra cervicem patiuntur; tertia, cum pars dimidia corporis vitiatur; quarta, demum ubi pars quædam tantum læditur. Omnes vero partes, quæ motu voluntario præditæ ſunt, quæque proprium nervum habent, huic paſſioni videntur obnoxiæ. Hinc Aurelianus credidit, interna viſcera paralyſi affici, præſertimque pulmonem, cor, ſeptum tranſverſum, pleuram membranam, ſplenem, atque jecur. Omnis vero paralyſis in nervorum læſionem refertur: propterea Celſus merito nervorum reſolutionem hunc affectum vocavit, & Scribonius Largus ſyderationem. Læſio autem, quæ nervis accidit, vel

eſt

eſt eorum incraſſatio, vel obſtructio, vel quælibet compreſſio: à quibus impeditur ſpiritus animalis, ne, tanquam radius, in partes inferiores diffundi queat; unde eædem partes amittunt motum & ſenſum. At nunc ad ſigna deſcendimus, per quæ ſingulæ partes paraplecticæ deprehenduntur. Si faciei partes, vel dimidia pars corporis paralyſi fuerit vitiata, apertiſſime cuique patebit ex amiſſo motu atque ſenſu, illæſis ſenſibus internis; at ſi aliqua pars tantum paraplectica ſit, ipſius vitium deprehendemus ex amiſſo ejus motu, quo movebatur, atque ſenſu. Complures autem ſunt partes, quæ vitiari paralyſi poſſunt, hæque præſertim, ſupercilia, palpebræ, oculi, lingua, labia, odoratus inſtrumentum, quod eſſe cerebri ventriculos anteriores Galenus docuit, muſculus, qui buccas colligit, quem Græci σιαγών appellant, mentum, fauces, guttur, ſtomachus, muſculus laryngis, atque gulæ communis, quem πτυών vocant, pylorus, ileum inteſtinum, cæcum, colon, rectum, veſica, peritonæum, colis, meatus ſpermatici, crura, brachia, pedes, atque manus: quarum partium paralyſes ſignis propriis comprehenduntur. Etenim ſupercilia paralyſi vitiata, laxiora circa palpebras ſuperiores propendebunt; vel certe ſuſtollentur, ut ipſas palpebras etiam ſuſpendant: idque fit cum alterum ſupercilium, quod ſanum eſt, ægrum ad ſe trahit, nam in paralyſi ſana pars ægram trahit, ut in convulſione ſanam ægra: item palpebræ ſuperiores hac paſſione oppreſſæ laxiores fiunt, & pupillam oculorum contegunt, aut è contrario extenta ſuſtollitur, atque oculorum pupillam nudat: item inferiores palpebræ paraplecticæ nunc interius flectuntur, nunc in ſemetipſas aut exterius refunduntur, & motu carent, oculos non contegunt: ſequitur etiam involuntarius lacrimarum fluor, quod eſt utrique palpebrarum vitio commune: & ſi in riſum venerint ægrotantes contortum, vel conductum ſimulant vultum. Tunicæ vero oculorum, ſive membranæ, hoc vitio affectæ viſum impediunt, pupillis ampliatis: qui affectus mydriaſis dicitur: at ſi conductione fuerit paralyſis facta, ceſſante nutrimento, pupilla fiet anguſtior, qui affectus itidem phthiſis pupillæ appellatur. Lingua vero paralyſi vitiata vocem non articulatam profert, ſed in-

interius movetur; & nunc nullius ſignificationis vocem reddit, nunc amputatione facta medio tempore oppreſſis conatibus conticeſcit; demonſtrata tamen verbi intelligibili prolatione; nunc imperfecto motu, nunc ex omni parte motu carens; ſed diſcernuntur ab iſta paſſione, qui forte ex alia cauſa vocem amiſerunt, cum neque colorem linguæ ſuperficies mutaverit, neque ſenſu caruerit, neque motu, neque ſchema ſuæ mutaverit poſitionis, quod fieri neceſſe eſt, cum fuerit paralyſi vitiata. Cognoſcitur itidem odoratus inſtrumentum paraplegia tentari, quod nullum odorum accipiat ſenſus; diſcernitur tamen ab iis, qui narium vitio odoris inſtrumentum amiſerunt, quem affectum ozænam appellant, quia neque partium torpor, neque pallor, neque atrophia ſequitur. Labium ſuperius paraplecticum invertitur forinſecus, proditum magis cum riſus advenerit, aut locutio: conducitur enim cum ſano inferiori: item potu ſumpto exterius facit fluere liquorem. Muſculus vero buccas colligens (quem σιαγὼν Græci appellant) paraplecticus conducitur, aut laxatur, vicinuſque denique, oculus non poterit perfectam facere apertionem, conducta retractave palpebra inferiori. Mentum itidem eodem modo vitiatum, emiſſo motu, laxatur, aut vehementer ſuſtollitur. Fauces paraplectæ tranſvorationis difficultatem faciunt. Gutturis vero ſummitas vitiata (quam vel arteriam aſperam vel bronchon Græci vocant) fortem, aut parvam, cum difficultate tranſvorationis, tuſſiculam inducit: ſiquidem operculum ligulæ ſuperperpoſitum ad radicem linguæ jacens, Græcis epiglottis vocatum (quo perfecto, aſſumpta deglutiuntur) haud perfectam eo tempore contractionem facit. Deinde etiam videbitur ejus extantia plurimum relaxata. Stomacho autem eodem malo vexato, fit tranſvorandi difficultas, aut omnino impoſſibilitas, unde etiam præſens vitæ periculum imminet, videbuntur etiam difficilia tranſvorantibus accepta, veluti acriora, aut immaturo tempore collecta: item ſequitur præfocationis ſenſus cum frigore, in quacunque ejus parte fuerit paralyſis: illic namque etiam tranſvorata deglutitave ſiſtuntur. At diſcernuntur ab iis, qui paralyſi ſimilem affectum ex difficultate tranſvorandi patiuntur; ſiquidem etiam decoloratio, ceſ-

ceſſante nutrimento, ac frigus, & immobilitas faucium neceſſario concurrit. Item ab iis, qui ſupradictis querelis afficiuntur, ſi in ſtomacho humores fuerint, diſcernuntur, quod dolore etiam atque fervore partium vexantur. Si vero muſculus laryngi & gulæ communis (quem Græci Κοινὸν appellant) fuerit paraplecticus, aut ejus ſummitas, locorum gravedinem faciet, atque ſumpti cibi & potus in præcordiorum viis permanebunt, cum ſenſuum torpore, ac manuum tumore, aliquando etiam crurum, atteſtante ſingultu cum inani tumore, ſcilicet qui ſubito eminet & conſidit. Aliqui etiam revomunt aſſumpta nulla corruptione alterata vel mutata. Pyloro vero affecto, cibus nulla digeſtione mutatur, ſed tanquam per infundibulum ad inferiora deſcendit, & circum ventrem laxior locus efficitur inferius, inflatiorque: quæ vero per ventrem egeruntur, aſpera atque plurima erunt, & neque fluida. Ileo atque cæco inteſtino paralyſi vitiatis, quæ per ventrem excluduntur, erunt plurima & minus fluida. Videtur enim ileon cum naturam ſervaverit, & nullo fuerit morbo vexatum, alimenti plurimum accipere, & parum excrementorum facere. Et colo eodem modo vitiato, inordinato motu atque involuntario ſtercora deſcendunt, ſine ulla humectatione, & cum fætore maximo eorum fit egeſtio, abſque ullo dolore. Rectoque cum ſphincter atque podice paralyſi vitiato, erit involuntaria egeſtio ſtercorum, niſi id ex aliqua circumciſione fiat, ut cum hæmorrhoides, condylomata, thymi, calloſæ fiſſuræ, & id genus morbi, ſcalpro tolluntur. Aliquando etiam præcedit, vel certe dejectionem ſtercorum ſine tumore & ſine aliqua ſimili cauſa fieri permittit. Veſica eadem paſſione vitiata, fit involuntarius urinæ exitus abſque ullo dolore, neque inciſura, neque circumciſione antecedente; aliquando etiam per intervalla prohibitus, vel paulatim retardatus, aut omnino negatus: & ſæpe etiam pubetenus extantia partium fit, extenta veſica. Sed ſi ex tumore, vel ex ſanguinis gelati corpuſculis (quæ Græci thrombos vocant) aut ex lapide, vel ex vulnere difficultas fuerit mictus, aut ex toto ſupprimatur, diſcernitur, quod ſine dolore & partium livore,

& ſanguinis mictu, appoſita manu compreſſo pectine, urina in paralyſi excludetur. Præterea etiam peritonæo paralyſi affecto (ut Eraſiſtratus ait) urina ſupprimitur, & neque excluditur niſi adhibito cathetere. Non enim veſicæ ambitus naturali conſuetudine peritonæo incumbente opprimitur, neque ſimiliter contrahitur ad exprimendam urinam. Colis itidem paraplecticus multo major, aut minor efficitur, & nulla tentigine provocatur. Seminalibus vero viis (quas Græci poros ſpermaticos vocant) vitiatis, ſi ſolutione fuerit paralyſis effecta, ſine ulla tentigine involuntarius fit ſeminis lapſus: & dicitur hæc paſſio gonorrhœa, quam nos ſeminis fluxum appellamus. At ſi ſtrictura concluſioneve paralyſis fuerit, jugis tentigo ægrotantis ſequetur, abſque ullo dolore, atque ſeminis lapſu, fluxuve, vocaturque hæc paſſio priapiſmus. Crus quoque paralyſi læſum, aut conductione brevius fit, aut extenſione longius, ut plerique putent articulorum luxationem hic factam: ſed hoc diſcernitur, ſiquidem concavitas, atque extantia à loco motos aut ejectos articulos ſequitur. Atque hæ ſunt partes, quæ paralyſi vitiatæ cognoſci poſſunt, quibuſque ſignis deprehendantur, hactenus ex Aureliano, qui fuit in tradendis ſingulorum affectuum ſignis, ſi quis alius, accuratiſſimus, didiciſtis. Credidit etiam (ut alias dictum eſt) interna viſcera paraplectica fieri aliquando poſſe, ſcilicet, pulmonem, cor, diaphragma, pleuram membranam, ſplenem, atque jecur. Quorum quidem paralyſes nos latent, quia propria ſigna, quibus deprehendantur, non habent. Herophilus ſubitaneam mortem ex nulla manifeſta cauſa ſecutam, cordis paralyſi fieri credidit. Eraſiſtratus vero paralyſeos genus quoddam paradoxum appellavit, quo ambulantes repente ſiſtuntur, ut ambulare nequeant, & tum rurſum ambulare ſinuntur: quod accidit flatibus ſic muſculos diſtendentibus, ut brevi ſpacio temporis iis uti non liceat. Sed tempus eſt, ut de paralyſis cauſis agamus. Itaque ſi partes in facie poſitæ reſolvantur, cauſa erit cerebri læſio (auctore Galeno in 3. de loc. affect.) ſi animantis partes ſub cervice poſitæ, quæ à conſilio & voluntatis imperio moveri poſſunt, nervos habent à ſpinali medulla procedentes læſos, aut ipſam-

met

met ſpinalem medullam. Qua tota læſa omnes partes ſub ipſa poſitæ reſolvuntur, quippe ſuſcipiente ſpina à cerebro vim tum ſentiendi tum movendi pro arbitrio. Itaque ſi in ipſa fiat aliqua diſpoſitio, qua impediatur, facultas, quominus permeet inferius, omnia membra inferiora (excepta facie) ſenſu motuque privabuntur. Atque etiam ſi dimidia pars ſpinæ lædatur, dimidiæ quoque, corporis partes è regione poſitæ patiuntur. Demum ſi una ſolummodo pars paralyſim patiatur, læſio erit nervi illius, qui ei inſervit, ſive à cerebro, ſive à dorſali medulla communicetur. Ex quibus vero cauſis nervorum principium, quod eſt cerebrum aut ſpinalis medullæ principium, aut denique nervi particulares hinc deducti paraplecticis partibus inſervientes, vel in exortu ſuo, vel in proceſſu afficiantur, nunc cognoſcere oportet. Alii dicunt, quod ſi paralyſis ſubito fiat, hominemque repente corripiat, ſubſtantiam nervorum per defluxionem imbui humore, qui eos molliores reddit: ipſos enim nervos extendi atque laxari, ſicuti tendones: quo fit (ob plenitudinem, & obſtructionem, ſpiritu non tranſeunte, vel quia leviſſima contractione ſit opus nervo ad movendam partem) ut membrum concidat, & immobile permaneat: hique putarunt aliquando præſentem paſſionem fieri à ſanguine, ſed plerumque ex pituita tenuiori multa à cerebro defluxa, atque in nervorum ſubſtantiam penetrante. Galenus vero paralyſim fieri ſtatuit, ſi nervi à frigore conſtringantur, aut à craſſo lentoque humore obſtruantur, aut ab aliqua externa cauſa comprimantur; & alibi ſcribit: torporem atque paralyſim fieri à nervorum obſtructione, vel humidorum, aut craſſorum, aut glutinoſorum impactu. Itaque paralyſis cauſa erit aut nervorum obſtructio ab humore craſſo aut lento; aut incraſſatio obſcuratioque, qua via ſpiritus impeditur, quo minus inferius permeare queat. Hinc errare eos deprehendimus, qui nervos ab imbibita humiditate laxari, ipſorumque laxationem paralyſis eſſe cauſam dixerunt, cum obſtructio vel compreſſio, vel denſatio, ſeu incraſſatio nervorum, ſit præcipua cauſa, quominus ſpiritus tranſire & permeare inferius valeat. Plerique Methodicorum paralyſin omnem adſtrictam paſſionem fecerunt, ſcilicet ob duritiem partium

In 2. de ſympt. cauſ. cap. 2. In 2. prorrh. 26.

tium vitiatarum, ſiccitatem, gravedinum, atque torporem. At cur omnes etiam Dogmatici idem non fateantur, cum (uti dictum eſt) ex Galeno conſtet, paralyſim fieri vel ubi nervi à frigore adſtringuntur, aut à craſſo lentoque humore obſtruuntur, aut ab externa cauſa, vel interna comprimuntur; unde ex vulnere, aut ex ictu, aut ex caſu nervis compreſſis, partes paraplecticæ evadunt. Unde Eraſiſtratus quondam Medicus graviſſimus Aureliano viſus fuit erraſſe, quod ſtatuerit omnem paralyſim laxatione fieri, atque exinde etiam collegerit, non convenire malagmata & emplaſtra in paralyſeos curatione uſurpari ſolita, quod laxatoriæ eſſent facultatis: membra enim cum extenſione aut laxatione reſoluta, dicebat illorum uſu magis laxari atque extendi; proindeque methodicam curationem damnari. Siquidem, ut Aurelianus docuit, extenſioni membrorum, ſtrictura facta, maxime conducere medicamenta laxantia, diſcutientiaque, obſervatione deprehenſum eſt. Malum eſt graviſſimum, quod ni medicamentis hebeſcat, minatur apoplexiam & mortem. Aurelianus ait: *paralyſis eſt paſſio gravis & difficilis, & curatio longe gravior, ſi partes toto ſenſu atque motu caruerint, maximeque in corporibus debilibus, vel alio morbo vexatis.* Proinde diligenti curatione eſt opus, quæ fiet per medicamenta laxatoria, cum paſſio ſtricturæ ſit. Omnes quidem conveniunt, quod paralytici debeant in loco calido collocari, qui ſit etiam mediocriter humidus; item quod iis parco victu, concoctu facili, optimi ſucci, & qualitate calido atque humido ſit utendum. Verum & à vino abſtineant, aut oligophoro tenui, odoris aromatici, quantitate pauco, itidem utantur. Quod pertinet ad præſidia medica, quæ omnia laxatoria eſſe oportebit, in primis vacuationes, purgationeſque locum habebunt; tandemque localia digerentia. Omnes fere Medici in hac paſſione phlebotomiam commendarunt, omniumque maxime in paralyſi cum plethora, ex contuſione, ictu atque caſu facta. At Aſclepiades in iis, qui etiam ſenſu privati ſunt, abſtinendum à ſanguinis vacuatione cenſuit. Themiſon phlebotomabat ex ea parte, quæ paraplectia eſt, modo ſenſu non caruerit. Aurelianus laudavit & ipſe phlebotomiam ex parte pa-

tien-

tienti contraria. Græci modice ſanguinem detrahendum ex cephalica partis ſanæ arbitrati ſunt. Arabes vero liberalius magis in hujuſmodi præſidii genus inclinarunt. Nobis quidem videtur niſi corpus plethoricum ſit, quamlibet modicam ſanguinis evacuationem ſufficere, modo tamen vires eam permittant. Omnes itidem laudarunt laxatoriorum clyſterum, etiam catharticorum uſum frequentem, non minus quam purgantium medicamentorum. Praxargoras ex antequis, ſi Aureliano credendum ſit in paralyticis laudavit vomitum, ventriflua medicamenta, urinalia ſive diuretica, clyſteres aſſiduo acres, ſudoris provocationem, ac etiam ellebori albi uſum ad vomendum. Mirum eſt, Aurelianum in paralyticis tantopere damnaſſe medicamenta cathartica, quod nimirum ea ſint corruptivæ virtutis, & corpus conſumant potius quam laxent; cum tamen poſtea in eodem capite dixerit: præterea, perſeverante paſſione, ad hellebori uſum probemus accedendum, non ſolum ſemel, ſed & cogentibus rebus, ſecundo, vel tertio. Ex purgantibus vero eadem erunt in paralyſi in uſum accipienda, quæ apoplecticis convenire ſuperius meminimus. Purgare caput Errhinis, maſticatoriis, & apophlegmatiſmis, erit utiliſſimum. Conveniunt etiam cucurbitulæ dorſi partibus, præſertim ſpinæ, cum igne adhibitæ, & aliquando etiam cum ſcarificatione, modo partes ſenſu non caruerint. Exhibentur antidota calefacientia digerentiaque, cujuſmodi eſt Theriaca, & Mithridatium, ad drachmam ex vino aromatico. Aliqui utuntur ſudorificis in balneo Laconico, cujus in libro, in quo de podagricis doloribus egimus, meminimus, & modum docuimus, quo ſudorificum admoveri debeat. Suffitus vero quo incalefiet balneum Laconicum, erit decoctum ſalviæ, ſtæchados, calaminthæ, origani, chamomeli, fœnugræci, & ſimilium: quo lapides igniti conſperguntur. Verumenimvero parum utilia eſſe obſervavimus ſudorifica, ſeu ſudoris provocationes in cruribus paralyticis, potiſſimum, ſi ſimul cum motu ſenſum quoque ex toto amiſerint. Etenim medicamenta efficacius evacuantia, digerentiave plurimum ſpiritus diſſipant, proindeque membra debiliora redduntur, nimirum, quæ parum caloris innati habeant.

beant. Multo minus ſudorifica erunt admittenda in balneo ſicco, nimirum in ſtuphis, ubi ſicco calore ſudor provocabitur; namque humoris obſtruentis nervum craſſities & lentor adaugebitur, ſcilicet humidiori, & tenuiori humoris parte reſoluta, manenteque craſſiori & lenta: unde difficilius nervi ab obſtructione liberabuntur. His peractis ad humoris evacuationem attinentibus, topica medicamenta ad ſpinam & ad partem affectam nervorum adhibenda dicamus: è quibus utile erunt, inunctiones ad cervicem, ad ſpinam ex oleo chamomelino, anethino, amygdalino dulci, de meliloto, de radice cucumeris ſilveſtris, & tandem ex coſtino vel laurino, vel rutaceo, cum euphorbio, aut caſtoreo, aut pipere; convenient etiam medicamenta rubefacientia, ſcilicet dropaces, phænigmata, atque ſinapiſmi. Atque hæc nunc à nobis præſcripta medicamenta cum iis, quæ in cura apoplexiæ meminimus, ſufficient in communi ad paralyſim tollendam: qui vero particularia medicamenta ad ſingulas partes paralyticas ſcire deſiderant, legant Aurelianum, qui ad ſingulas partes vitiatas perſanandas, præcipua medicamenta atque præſidia non omiſit.

CAPUT. IV.

De vertigine ſcotomatica curanda.

VErtigo, Græcis *δῖνος*, eſt turbulenta commotio ſpirituum craſſorum, aut flatuoſorum, aut ſolius ſpiritus cum multo vapore in anterioribus cerebri ventriculis, ex qua caput circumagi videtur; *σκοτωδῖνος* autem, ubi caput circumagitur quidem, at cum tenebroſa oculorum offuſione. Aurelianus ait, ſcotomaticam paſſionem à ſymptomate, ſcilicet, quod repentinas oculis ingerat tenebras, dictam fuiſſe. Quo *σκότωμα* & *σκοτωμία* hæc paſſio à Græcis appellata eſt. Veteres parvam epilepſiam appellarunt. Fit hic affectus ubi repente obtenebrationes hebetudineſque oculis obſervantur, & omnia circumagi & rotari videntur. Hujus paſſionis hæc ſigna eſſe Medici ſtatuunt: ſcilicet primo repentinam viſus tenebrationem,

nem, atque nebulam cum capitis vertigine, ita ut omnia ſecum moveri ſcotodini exiſtiment: ante oculos jactus ſentiunt, marmarygas Græci vocant; aliqui ex Hippocrate ſpectra rubra oculis obverſantia interpretantur; adeſt quinetiam capitis, oculorumque gravatio, & ſedere volentibus timor, aurium tinnitus, ſudor frontis, repentinus caſus cum celerrima ſurrectione. Exaſperatur hæc affectio, ſi ex alto ægroti aſpexerint meatum fluminis, aut rotæ vertiginem, ſive ignis. Paulus addidit, quod levi occaſione protinus etiam concidunt, veluti quando aliqua circumagi extrinſecus aſpexerint, ut rotas, verticeſve, aut quando etiam ipſi circumaguntur. Oboriri autem hunc affectum experimur cum frigidus glutinoſuſque humor cerebrum occupat, interim vero etiam calfacti capite circumaguntur, cum humores in eo contenti vel ſpiritus quoque commoventur: interim excitatur etiam in prioribus cerebri ventriculis, dum calvaria confracta perforatur, preſſis, in quibus etiam vehementes oboriuntur cruciatus. Aliquando hic affectus fit cerebro primario læſo, ſcilicet ubi craſſus lentus humor ipſum occupat, à quo vaporoſus ſpiritus à debili calore reſolutus in cerebri partibus inordinate movetur; in qua paſſione præcedunt, vehemens capitis dolor, veternoſus ſopor, qui κάρος Græcis dicitur, & aurium ſonitus, & quidam olfactu læduntur quidam vero guſtu. Addidit Aurelianus gravitatem capitis præcedere, læſionemque olfactus, aut alterius cujuſque ſenſus. Et aliquando ſcotomia fit per ſympathiam ex ore ventriculi, in qua morſus ſtomachi, quem Græci cardiogmon appellant, obſervatur, & nauſea. Hic affectus, ſcilicet, qui conſenſu oris ventriculi fit, minus gravis eſt, quam qui cerebro per idiopathiam patiente oboritur: hic enim minatur epilepſiam, vel etiam apoplexiam: proculdubio quod hæc ſtricturæ paſſio ſit, proba victus ratio pro inſtituenda curatione, ſcilicet, laxatoria præſcribatur: in qua illud primum obſervabitur, ſcilicet, ut in loco calido vertiginoſi collocentur: qui caveant ab aſpectu fluminum, atque aquæ celeriter fluentis, nec non rotarum, atque ignis: caveant itidem à diuturno ſomno, atque à meridiano præſertim. Cibi pauci ſint & optimi, ſcilicet, ova ſor-

bilia, panis in jure pulli coctus, & carnes avium montanarum, aut gallinaceorum pullorum, aut hædi, aut vituli: à vino abſtineant generoſo; & in acceſſione dum caput hoc affectu vexatur, nunquam vino utendum erit, ſed ejus loco, aqua cum cinnamomo decocta: ſed in tempore, quo abeſt affectio, utantur vino tenui odorato, paucifero. Caveant ab animi paſſionibus: exercitationes non intermittant, procurent alvi quotidianam exonerationem. Præſcripta ratione vivendi, quamprimum præmiſſo clyſtere, ſanguis erit vacuandus ſecta vena cephalica, modo vires permittant. Veteres ſumma cum utilitate ſecabant arterias poſt aures poſitas. Ægyptii etiam illas, quæ in temporibus ſunt, ſecant, & tuto quidem, ut nos in libris de Medicina Ægyptiorum probe docuimus. Paulus laudat clyſteres acres ex decocto præſertim centaurii minoris, atque pulpæ colocynthidis paratos: commendatur quoque purgatio ex hiera diacolocynthidos, vel ſimili alio cathartico. Poſtea probantur apophlegmatiſmi, qui per os pituitam purgant, atque per nares itidem purgantia, ſcilicet, errhina, atque ptarmica, id eſt, ſternutatoria, quorum ſæpe ſuperius meminimus. Quibus præmiſſis, deraſo capiti cucurbitulæ ad occipitium cum ſcarificatione; vel etiam, ſtatim facta phlebotomia, altera die adhiberi poterunt. Caput irrigare oportet oleis calidis digerentibus, maximeque chamomelino, anethino, amygdalino dulci, aut tandem eo in quo ſemina fœniculorum fuerint decocta, aut peucedani, aut ſpondilii radix. Eodem modo & fomenta ex decocto chamomeli, meliloti, althææ, fœnugræci, & ſimilium, & aut ſpongia aut veſica ſuſcepto capiti adhibenda erunt; non minus quoque utilia erunt ſtillicidia aquæ dulcis calidæ, atque ſponte naſcentium ſulphurearum, atque bituminoſarum.

CAPUT V.

De caro,

CAros paſſio eſt, in qua homines ſomni profunditate occupantur cum ſenſuum, univerſarumque motionum privatione, ſpirandi facultate illæſa. Solet hic affectus febribus accidere plerumque in acceſſionibus ſemitertianarum, ac aliarum febrium ſuperveniens. Præcedit quidem febris, & in ejus acceſſione fere ſenſu atque motu, ægroti privantur, ſomnoque profundo ita occupantur, ut inclamati & ſtimulati, tametſi ſentiant, nihil tamen reſpondeant, & vix quidem ſtimulati aliquid dicant, neque oculos aperiant (oculis ſcilicet perpetuo conniventibus) illæſa tamen reſpiratione. Fit etiam hic affectus (ut Paulus eſt auctor) in cerebri compreſſionibus, potiſſimumque calvaria coarctata, aut membrana anteriorem cerebri ventriculum cuſtodiente itidem compreſſa. Quæ vero non fit ex cerebri compreſſionibus, pro cauſa habet humorem frigidum, craſſum, omnino viſcidum, cerebrum occupantem. Qui affectus differt à comate, quia comatoſi neque ſenſu, neque motu privantur, ut in caro: & à lethargo, quoniam lethargum febris ſubſequitur, & carum antecedit: & lethargici ſtimulati aliquid loquuntur, neque omnino muti permanent; in caro vero nihil etiam ſtimulati dicunt. Malum eſt grave, & in febribus ſemitertianis longe gravius, ac periculoſius, præſertimque in ſenili ætate, in qua majori ex parte exitiale eſt. Hoc quidem morbo affectuve interiit Marcus Antonius Guadagninus Baſſanenſis Guadagninæ olim uxoris meæ dilectiſſimæ frater. Paſſionem vero eſſe ſtricturæ, nemo contradicet, proindeque laxatoria etiam ad inſtituendam curationem indicare præſidia, eademque profecto, quæ de lethargi, atque ſoporis comatiſve curatione ſuperius meminimus: de quibus (ne eadem cum faſtidio iterum repetantur) nihil aliud in præſentia dicemus.

CAPUT. VI.

De catoche & catalepsi.

Cap. 4.

CONfuse satis cum veteres Medici, tum juniores de catoche & catalepsi egisse visi sunt; nonnulli distinguere videntur, catochen à catalepsi: Galenus in 3. de locis affectis visus est affirmasse catochen esse coma vigil, & catalepsim occupationem: plerique recentiorum pro uno eodemque affectu cum catochen tum catalepsim accipiunt. Unde etiam mirum non est, hunc affectum à multis variis nominibus fuisse vocatum.

In 4. de cauſ. pulſ. cap. 16.

Veteres (auctore Galeno) κατόχους & κατεχομένους appellabant; juniores ipsum affectum κατοχὴν & καταλήψιν. Unde nostri occupationem, detentionem, & deprehensionem dixerunt; & recentiores congelationem; Diocles aphoniam; Hippocrates catochen; Praxagoras comatoden; Asclepiades catalypsum; Philippus catochum; atque Aurelianus ex Methodicis apprehensionem, atque oppressionem itidem nominavit. Auctor finitionum medicinalium ait, catochum esse, cum sensu privatur anima, corpusque omne veluti gelu obrigescit. Triaque genera constituit, unum somniculosum, lethargo proximum; alterum vigilans, cui affinis tetanus est; atque tertium phreniticum non inerudite appellatum, quod fiat ex mixtis inter se morbis, catocho & phrenitide.

In 3. epidem. 2. com. 8. In lib 3. cap. 10.

Verum Galenus ex Archigene & Philippo profundum coma, aliquod habere cum catocho consortium, statuit; non vigilans. Paulus vero catochen pro comate vigili accepit: postea vero catochon ex aliorum etiam opinione à comate vigili distinxit. Quod fieri statuit non ex composita causa, ut vigil coma, scilicet ex permixtione bilis & pituitæ, sed ex simplici humore frigido & sicco posteriorem cerebri ventriculum obstruente: quo si æger corripiatur subito, in illa permanet figura, qua erat, dum corriperetur, stans scilicet, vel sedens, clausis oculis, aut apertis. Ob quam causam antiquiores Græci hoc pressos morbo, catochous, vel catochomenous, quasi dicas occupatos, detentosque nominaverunt.

In 3. epidem. 2. com. 8.

Hunc affectum (ut nuper etiam dictum est)

eſt) Galenus diſtinxit à comate vigili, covenire autem cum profundo comate, cum Archigene ſtatuit. Unde cum errore Paulus caput de catocho (De catocho, aut comate vigili) inſcripſiſſe, viſus eſt, cum vel etiam ipſemet poſtea diſtinxerit coma vigil ab ipſo catocho, aliumque à comate vigili morbum per catochum deſcripſerit. Aurelianus vero (qui & ipſe itidem una cum Paulo catochum & coma confudiſſe videtur, quod nimirum, ſigna catochi ab ipſo propoſita, cum ſignis comatis vigilis à Paulo propoſitis maxime convenire videantur) haud ita debuit gloriari, quod hunc affectum ſoli Methodici probe cognoverint. Nam falſo ſibi perſuaſit ne quidem Hippocratem (quem nihil in medicina latuiſſe, auderem affirmare) hunc affectum probe perſpectum habuiſſe, quia aliquando ipſe catalepſim, aphoniam, dixiſſe viſus eſt. Aurelianus autem deceptus eſt, quia non omnes libros Hippocratis fortaſſe legit, in quibus catochen ab aphonia diſtinctam expreſſit: etenim in multis locis de catochis egit: in prorrheticis ait: *capite dolentes cum catoche delirantes, & cetera*; & poſtea: *catoche cum exolutione perniciosa*. Complura loca alia in ipſius libris reperiuntur, in quibus veræ catoches meminit. Paulus de proprie catochis vocatis inquit, eos, qui eo morbo corripiuntur ſubito, in illa permanere figura qua correpti ſunt, ſtantes ſcilicet, vel ſedentes, clauſis oculis, aut apertis. Addit Galenus in medicis definitionibus, corpus omne veluti obrigeſcere, animamque ſenſu privari; & alibi hoc ſingulare, quod proprie vocati catochici oculos habent tenſos atque apertos, non ut comatoſi, & cataphorici clauſos. Ait Galenus de quodam preſſo aut catocho detento: *Jacebat enim veluti lignum prorſus inflexus, rigiduſque atque extenſus, videbaturque oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniveret quidem, nihil tamen loquebatur; is quoque tempore eodem, quæ loqueremur audire ſe dixit, quanquam non evidenter clareque: nonnulla item & memoria tenens ferebat, præſenteſque omnes ſeſe conſpicere dixit, ita, ut quorundam actiones recordatus exponeret: ſed neque loqui poſſe, neque poſſe ullum membrum movere.* At Paulus ſigna omnia catochi proſecutus ita inquit: *Detinetur æger ſupinus extenſuſque, interim facies ſubtumeſcit, & modice lethar-*

In 2. acut. c. 10.
In 2. chron. c. 5.
In 2. prorrh. tex. 56.
In 3. prorr. tex. 4.
In 1. prorrh. 3.
In lib. 3. c. 10.

thargicorum modo livet; interim rubore tincta eſt; & ſuperior gena ſurſum convelli videtur, ac excedere, ut ne connivere quidem æger queat: reſpiratio nulla apparet, ſed quaſi emortuus decumbit: pulſus eſt exiguus, languidus, & creberrimus: urina & alvus cohibetur, aut certe modice redditur: at qui ſanè mediocriter habent liquorem aliquem infuſum deglutiunt, qui vero malo victi ſunt, ad nares regurgitant. Aurelianus vero ait, febriculam adeſſe, vocis amputationem, oculos patentes, atque palpebras itidem immobiles, in paſſionis præſertim ſtatu, quando in declinatione aliquid moveantur; ait itidem, inclamatos oculos intendere, lacrimantes abſque ulla reſponſione; reſpirationem eſſe frequentem; eoſdemque laceſſitos collugere, ingemere, cum vultus rubore, cum pulſu magno ex vehementibus & fortioribus ſaltibus confecto; ipſoſque fœtida naribus oblata fugere, ſentireque dulcia atque amara labiis admota: ſudorem item multum & ferventem ſæpe in declinatione apparere: pejorante vero paſſione in acceſſione accedit plurimus fervor cutis, & reſpiratio eſt celerrima, quam Græci Tachypnæam appellant; fit itidem oculorum converſio, manuum contractio, igneique ſudoris defluxus, maculis emergentibus in vultum; & thoracem, primo rotundis, ulcerum ſimilitudine. Hæc ſunt ſigna catalepticorum ex Aureliano ex lib. 2. chronicor. Quædam alia in libro 2. acut. addidit, quo in loco omnia quidem ſigna tum quæ paſſionem antecedunt, tum quæ in conſtituto affectu obſervantur, tum illa, quæ in ſtatu, & in declinatione apparent, atque etiam pejorante paſſione, omnia diligenter proſecutus eſt. Ex quibus catalepſis propriam eſſe febrem acutam ſtatuit, aphoniam, ſenſuum hebetudinem, pulſum magnum vehementem, & plenum, & humectum, atque obtutum oculorum fixum. De febre non videtur ſibi conſtare, atque in aliis quoque: cum alias dixerit febrem eſſe acutam, alias febriculam: item de pulſu; ſed quia meum non eſt inſtitutum, omnia quæcumque de hac paſſione ſcripſit, proſequi, ſed ſolummodo ad eſſentiam affectus neceſſaria; ideo unum tantum diligentius conſiderabo, ſcilicet de febre, quæ in hoc affectu excitatur: an febris ſimul fiat cum catocho, vel in febrium acceſſionibus accidat? porro

Ga-

Galenus de catocho locutus quicquam de febre non meminit. Paulus (quod dixerit ſigna catochi eſſe communia phrenitidis & lethargi) videtur voluiſſe catochos ſimul febre aſſidua, ſed parva, laborare. Qua de cauſa fortaſſe recte Aurelianus de catocho ſeu catalepſi, tanquam de chronico morbo agens dixit, adeſſe febriculam, id eſt, parvam febrem: ubi vero de eodem, tanquam de morbo acuto egit, dixit itidem febrem eſſe acutam. Nos dicimus quandoque hunc morbum eſſe per ſe, & idcirco habere ſimul febrem ſimilem lethargicorum febri: ſæpiſſime vero conſequi febres continuas, aut intermittentes acutas, atque chronicas, in tempore acceſſionis. Verum tametſi (ut Diocles & Archigenes docuerit) febres intermittentes tutæ atque innoxiæ ſint frequentius, quam continuæ; nihilominus homines etiam periclitantur, ſi in acceſſionibus catocho ſeu catalepſi apprehendantur vehementi. Ait enim Archigenes, pernicioſos eſſe typos periodicos, quibus acceſſionis tempore preſſuræ vehementes adveniunt, & quodam ſomno corpus demergitur: quem affectum ſighon vocavit. Quem etiam aliquando quotidianis contingere ſcripſit, at magis tertianis. De quo affectu Aſclepiades (auctore Aureliano) ita habet: *Apud Romam vero frequentare advertimus haſce febres cum corporis, atque mentis oppreſſione in ſimilitudine lethargiæ, quæ ſecundo vel tertio in ſtatu acceſſionis conſtitutæ ſtatim recalefacto corpore, vel ceſſante vehementia, in reſumptionem, atque reſurrectionem mediocrem revocant ægrotantes; at ſi non re vera ceſſaverint ſemel appræhenſo ægro, nullam reſurrectionem dabunt, ſed in ſudores & reſpirationem celerem, in pulſum febricitantem definunt, ac occidunt.* Hæc Aſclepiades. Itaque hiſce ſignis nobis innoteſcent cataleptici, catochi, preſſive. Qui affectus diſtinguetur à compluribus aliis. & ſimilibus propriis quibuſdam ſignis. Et primum à lethargia quia in lethargia pulſus eſt major; ſed tardus & vacuus, & palbebræ clauduntur; cum catochi apertis oculis palpebriſque jaceant, atque pulſum habeant plenum, celerem, & vehementem. Ab apoplexia, quia apoplecticis pulſus eſt parvus, celerrimus, durus, & febre carent; neque etiam corpus apoplecticorum rigidum eſt. Similis affectus oritur vitio

ſtomachi, in quo affectu pulſus parvus, debilis eſt, cum ſtomachi exolutione, & aphonia, cum frigido torpore poſt oppreſſionem: atque hæc paſſio febri non ſupervenit. In ſyncope ſtomachica ex jejunio immodico, homines demerſi videntur, oculos habent diſtentos cum dentium clauſione, pulſu parvo, prælanguido, frigido torpore, atque hæc cito finiuntur; quæ ſi perſeveraverint, catalepſin prænunciant. Ab uteri præfocatione in mulieribus, catalepſis diſcernitur, quoniam in mulieribus, uterus ſuſtollitur, & ſupra umbilicum, vel ventrem, aparens extantia cernitur; & etiam ex eo, quod fuerint aſſuetæ pati hanc paſſionem: in ipſis collum latius fit, cum palpebrarum clauſione, & frigido torpore. Paulus ait: *At ſi mulier hoc laborare vitio ceperit, hac nota diſcernes, quod naturaliter jacere videatur, & inclamantes percipiat, excitetur, & rurſus ſomno gravi ſopiatur.* A vermibus non raro pueri hoc vitio laborant, ſed in ipſis oculis conniventes ſunt, dentium ſtridores, motus convulſivi apparent, cibumque ſtomacho continere nequeunt.

In 2. aphoriſ. com. 3. De cauſis Galenus ſentit, fieri catochos refrigerato cerebro: *quæ refrigeratio* (ait) *ſi fortis fuerit, mixta quidem humiditate facit lethargum, cum ſiccitate catalepſin.* Paulus rectius à frigido ſiccoque humore poſteriorem cerebri ventriculum obſtruente. Aëtius aliquando ex ſanguine in caput irruente ſe vidiſſe ſcribit in adoleſcente ſanguineo, qui cum dies tres exegerat, neque connivens, neque ad objecta quidem oculis nutans, neque reſpondens, tandem quarta die copioſa hæmorrhagia protinus convaluit. In hoc affectu corpus totum ſtrictura laborare deprehenditur, quare morbus adſtrictus cum ſit, eget laxatoriis. Eſt tamen graviſſimus, qui cito interimit; dicebat Hippocrates catochum cum exolutione pernicioſum: & in epidemiis, cum

In 1. prorrh. 3. oculorum diſtorſione eſſe peſſimum. Quare ſtatim, cum ſit magna ſtrictura, & acutus affectus, opus erit phlebotomia, ſi vires permiſerint: hocque faciendum, poſteaquam acceſſio declinaverit, ex vena aut interna, ſi fuerit plenitudo ſanguinis, aut ex cephalica, idque præmiſſo clyſtere communi. Qua præmiſſa ſanguinis vacuatione, etiam uſum habebunt cathartica, atque acres clyſteres & purgatorii ex decocto centaurii mi-

no-

noris, & pulpæ colocyntidis, parati. Chryſippus dabat diagridium cum caſtoreo; & Themiſon ante acceſſionem per quatuor horas dabat diagridii obolum, cum tribus obolis caſtorei ex aqua. Poſt hæc fomenta capiti capillis deraſo adhibenda erunt ex decocto althææ, chamomeli, ſerpilli, fœnugræci, & ſimilium; aut ex oleo dulci calido concinnata: accommodatiſſimum erit amygdalinum dulce, chamomelinum, irinum, anethinum, & ſimilia. Ultiſſimum erit capitis occipitio adhibere cucurbitulam cum flamma, & aliquando etiam cum ſcarificatione. Themiſon occipitium & tempora illinebat ex thapſia aqua trita. Principio conveniunt, frictiones extremorum, ligaturæ, & omnia, quæ & evellere humorem ex capite poſſunt, & corpus incalefacere. Chryſippus utebatur ſinapiſmo ad articulos. His conveniens vivendi ratio adjungenda erit, ut in loco calido mediocriterque humido æger maneat, parco cibo utatur, qui facilis ſit coctionis, & boni ſucci. Qua ratione ovum ſorbile cum pane in jure pulli aquoſo decocto ſat erit pro prandio; atque in cœna aqua vini loco dabitur cum cinnamomi modico decocta; & hæc de catocho & catalepſi dicta ſufficiant.

CAPUT VII.

De epilepſia, ſeu morbo comitiali.

EPilepſia Græcis dicta eſt, quod hæc paſſio ſenſum pariter atque mentem apprehendat. Nonnulli morbum comitialem, à Romanorum comitiis dixerunt. Alii ſacrum morbum, ſcilicet quod ſacram animam contaminet, vel quia in capite fit, quod plurimorum philoſophorum opiniones ſacrum templum dicitur partis animæ in corpore dominantis. Alii affectum puerilem vocant, quoniam pueri eo vexantur frequentius atque familiarius. Hippocrates heracliam, ab Hercule, qui (auctore Ariſtotele) fuit epilepticus, appellaſſe viſus eſt. Demum aliqui lunaticum dixerunt, quod Lunæ motu hæc paſſio moveatur, vel natos interlunii tempore corripiat. Apud omnes con-

ſtat eſſe convulſionem totius corporis cum principis animæ functionum noxa, partim ſane (ut Paulus habet) in ipſo cerebro, partim in univerſis ejus ventriculis cauſam habentem, modo ex pituitoſo, modo ex melancholico humore obſtruente eoſdem ventriculos, aut ex vapore frigido (ut ait Galenus) in cerebrum ex partibus infernis delato, nempe, aut ſtomachi, vel uteri conſortio. Itaque una ſpecies eſt, quæ fit cerebro primario affectu læſo, atque altera partium aliarum conſortio, ſcilicet aut ex ſtomacho, aut ex utero læſo, aut ab externis etiam partibus, alias à crure, alias à manus digitis, alias à coxendice, maligno vapore ad cerebrum ſublato. Ubi vero jam paſſio inſtiterit, ægri derepente concidunt, convelluntur, interdum exclamant voce nihil ſignificante: peculiaris eximiaque illorum nota eſt ſpuma circa os, nonnunquam urina, & ſtercus, aliquibus etiam genitura præter voluntatem excernitur. De his perbelle Aretæus ita habet: *At in ipſo morbi inſultu ſenſibus captus homo jacet: manus ipſi nervorum diſtentione convelluntur: crura vero non ſolum diſtracta ſunt, ſed etiam huc atque illuc à tendonibus projiciuntur: id genus calamitatis jugulatis tauris haud abſimile eſt: cervix incurvatur, caput varie diſtorquetur: ſiquidem nonnunquam pronum, ceu arcus inflectitur, quandoque pectori maxilla adhæreſcit; nonnunquam vero in ſcapulas refringitur: veluti iis, qui per vim crinibus trahuntur, uſu venit, quando modo in hanc, modo in illam partem ad humeros admovetur: ſic laborantes magno hiatu os aperiunt: id ſiccum habent, linguam prælongam, ut periculum ſit, ne magno vulnere ſaucietur, aut penitus abſcindatur. Interdum convulſione dentes inter ſe colliduntur: oculi inverſi ſunt: palpebræ cum palpitatione frequenter dehiſcunt: quod ſi quando connivere velint, palpebræ non committuntur, ſed alba oculorum cernuntur, ac ſubapparent: ſupercilia nonnunquam, ut his, qui ad iram concitantur, in globellam attrahuntur, nonnunquam ad tempora vehementer admodum revelluntur, ut cutis circa frontem valde prætenſa ſit, atque in ſupercilio-rum medio rugæ evanuerint: malæ ruentes palpitant: labia interdum quidem in acutum clauduntur, interdum vero ad obliqua dilatantur; quando in ridentis ſpeciem dentibus circumtenduntur: ma-*

In 1. lib. c. 5.

læ

læ rubent quidem; ſed cum morbus increvit, & faciei livor accedit: cervicis vaſa diſtenduntur: vox, ut in ſtrangulatu, aufertur: etiamſi vehementer inclames, non ſentiunt: eorum vox nihil niſi gemitus, & ſuſpirium eſt; reſpiratio vero ſuffocatio quædam eſt, veluti in his, qui laqueo ſtrangulantur: inter initia arteriarum motus vehementes ſunt, & celeres & parvi: in fine vero, magni, tardi & languentes, in univerſum autem ordine carentes; penis quoque erectio ſequitur. De epilepſia vero, quæ fit ex aura frigida, vel halitu maligno ab infernis partibus in cerebrum ſublato, idem ita habet: *Quibus vero familiare malum, & conſuetum eſt, ſimul atque morbus in digitum impetum dedit, aut aliunde exortus eſt, uſitatos, qui adſunt, adjutores inclamant futuram ab experimento calamitatem proſpicientes: obſecrant quoque, ut membra unde oritur, conſtringant, reflectant, dirigant. Quin etiam ipſimet ſibi ipſis affecta membra, tanquam inde morbum eximentes, trahunt, velluntque; atque ita ſibimet auxiliantes, nonnunquam eo die acceſſionem repulerunt.* Quandoque (uti dictum eſt) vitio ſtomachi, & quandoque vitio uteri hoc malum fit; ſi ex utero fiat, apparent ante ſigna læſi uteri, & ſentiunt mulieres hujuſmodi ſymptoma in utero incipere, & continuo ad caput ferri: quædam experiuntur calidas quidem evaporationes ex utero ad caput. Ubi vero ex ſtomacho læſo fit, præcedet etiam palpitatio, turbatio, eroſio, & privatim inedia itidem præcedere ſolet. Dicta ſunt ſigna, quibus affectio præſens nobis innoteſcet; ſed præſtabit illa quoque animadvertiſſe, quæ futuram prænunciant acceſſionem. Paulus ait, *præcedere invitum corporis, animique ſtatum, triſtitiam, oblivionem, ſomnos perturbatos, capitis dolorem, ejuſque continuam repletionem.* Aurelianus hoc malum duplicis differentiæ eſſe ſcriptum reliquit, alterum ſcilicet, quod cum raptu ſeu convulſione partium fit, atque alterum, quod videtur ſimile ſomno altiſſimo. Quæ paſſio longe eſt gravior, ſimiliſque apoplexiæ. Sed jam cauſas dicamus, à quibus oritur. Dictum eſt, fieri læſo cerebro aut primario affecto, aut per conſenſum vel ex ſtomacho, vel ex utero, vel ex aliis externis partibus, inferniſque, cujuſmodi ſunt pedes, crura, coxendices, brachia, digiti, & ſimiles

aliæ partes; læditur vero cerebrum per idiopathiam ab humore frigido craſſo, & viſcido ventriculos ipſius obſtruente, cujus præſentia ſeu moleſtia cerebrum in ſeipſum contrahitur, nititurque humorem, quo læditur, expellere. Nam quod ſubito obſtruat, & ſubito ſolvatur obſtructio, humorem craſſum viſcidumque ventriculos replere colligitur. Præter obſtructionem autem ventriculorum, ſimul à cerebri contractione fieri quoque adſtrictionem, alii voluerunt. Sunt quidem alii ex recentioribus, qui voluerunt, in qualibet epilepſia cerebrum lædi à prava quapiam vel humoris qualitate violenter cerebri expultricem commovente, quo in ſeipſum contrahatur, ut noxium expellat. Læditur vero ab ore ventriculi, aut utero vehementer læſo, per conſenſum, ſcilicet, nervorum principio itidem eodem modo læſo, contractoque in ſeipſum. Itaque cum ab hiſce cauſis hoc malum oriatur, merito dixit Galenus apoplexiæ eſſe ſimile, idcirco maxime timendum; in pueris vero minus. Ita Hippocrates inquit, epilepſiam ante pubertatem recipere amotionem; & quæ poſt annum vigeſimum quintum fit, ad mortem majori ex parte comitari: ante pubertatem vero pueros laborantes cum loci, victuſque, tum maxime ætatis mutatione, liberari. Quod tamen caute eſt intelligendum, cum ſæpe & puerorum aliqui ex morbo intereant, & poſt annum xxv. etiam aliqui fuerint ab illo liberati. Paulus inquit: ni in pubertate hic morbus ſolvatur, aut in menſtruis purgationibus, vel per conceptum, ſæpe uſque ad mortem comitatur. Ubi initio paroxyſmi ægri multum agitentur, & cito ceſſaverit ea agitatio, ſi æger minime relevetur, at illi ſtertor eveniat, ex ſigniſque ad apoplexiam, quam ad epilepſiam, plus accedere videatur, timendum erit periculum etiam in acceſſione illa: ſi vero poſt agitationem relevetur, ac probe reſtituatur, etſi de acceſſione haud erit dubitandum, tamen in diuturni morbi ſuſpicionem incidimus. Hic vero morbus cum paſſio ſtricturæ & quidem magnæ ſtricturæ ſit, idcirco opus erit pro curatione præſidiis laxatoriis, & magnis quidem laxatoriis. Curatio duplex erit, & quæ in acceſſione fit, ut ſcilicet homines ab acceſſione liberentur, & ab hoc malo præcaveantur, at-

Libro 3. de loc. affect.

In 2. aphor. com. 45.

In 5. aphor. 7.

atque liberentur. In acceſſi one partes convulſas ait Paulus oleorum aſpergine eſſe fovendas. Aurelianus adſtantes debere ſeu miniſtros manibus calidis nunc caput & frontem cum blanda fricatione, nunc collum; atque gutturis partes fovere; ſed conſultius hæc facienda, præmiſſis frictionibus, & ligaturis ad crura, & ad brachia, erunt: omneſque partes refrigeſcentes calidis vel pannis vel fomentis erunt recalfaciendæ, præſertimque etiam thorax, & pars inter ſcapulas, metaphrenon Græcis dictum: ſed aſſidue caput fovendum. At Aurelianus omnes partes capitis mollioribus lanis dulci oleo calido infuſis eſſe contegendas, maximeque occipitium, ſtatuit. Atque etiam pubetenus & veſicæ partibus veſicam ſemiplenam oleo calido adhibendam, ut ipſa quoque laxatæ & mitigatæ conquieſcant. In nares quoque, perſeverante acceſſione, peucedanum, aut aſſa fætida, aut bitumen imponendum; & in ore caſtoreum, aut aſſam fætidam, cum melle ex aceto. Quibus ni relevantur epileptici, cucurbitulæ ſicyæ Græcis dictæ, id eſt, leves cum flamma erunt apponendæ ſtomacho, thoraci, & inter ſcapulas partibus atque præcordiis. Alii oleo dulci calido, præmiſſis levibus perfrictionibus totum corpus inungunt, atque fovent; hæcque pauca ſat erunt, pro acceſſionis curatione. Altera vero curatio, ut ex toto homines hoc malo liberentur, longe majoribus auxiliis opus habet. Paulus in infantibus nihil faciendum putavit, quia mutatione ætatis ad ſiccum ſponte ſanentur. Verumtamen, ſi affectus magnus ſit, non erunt abſque remediis infantes relinquendi; ſæpe enim hoc malo quamplures ex infantibus moriuntur. Ideo cum ipſi haud omnibus medicamentis ſint apti, hæc poterunt admoveri. In primis utilis erit radix pæoniæ collo ſuſpenſa. Galenus enim ſcribit, puerum quendam epilepticum, quoad pæoniæ radicem collo geſtabat, nunquam in epilepticam acceſſionem incidiſſe: at illa ſublata, ſubito invaſiſſe illum epilepſiam. Clyſteres utiliſſime imponuntur cum decocto centaurii minoris, & oleo calido. At omnium utiliſſimi ſunt, qui ex calido lacte cum ſaccharo aut melle injiciuntur, quod plerumque à vermibus hoc malum excitetur, os ventriculi lædentibus. Oxymellis modicum

cum in os ponere juvat, quod craſſum humorem incidat atque extenuet. Caput fricare ſolent leniter quidem, aut calefactis manibus, vel linteis itidem calidis: & inungere calido oleo amygdalino dulci: quandoque fricant ipſum ex pipere trito, aut ex nitro, aut euphorbio, quoad rubeat: nonnunquam adhibent veſicantia capiti, ſed partibus primum extremis ſcilicet, cruribus, brachiiſque, & tandem capiti, cui utiliſſime quoque affiguntur cucurbitulæ, & una præſertim ad occipitium, cum flamma. At urgente occaſione, nullis juvantibus, occipitium Medici inurunt, aut auro candente, aut argento, aut denique ferro itidem ignito, ulcuſque diu ſervant apertum, ut per ipſum caput commode expurgari queat. Marcellus Virgilius in capite de ſimo, meminit uſtiones, quæ in Italia circa XL. diem à partu infantium occipitio, aut interſcapulio inferri ſolent candente ferramento. Cura etiam præcipue habenda erit nutricis, ut victu in primis utatur facultatis incidentis, attenuantiſque: abſtineat à vino, & à rebus flatuoſis, caput replentibus; nihil eſt magis noxium, quam nutrices uti in cibo ſelino, cæpis, porris, & ſimilibus. Haud erit inutile, ſi ea quoque aut agarico, aut turpeto, aut hiera purgabitur. At jam ad adultos homines, qui hoc malo tenentur, curandos accedimus; quorum curatio conſiſtere viſa eſt in ſanguinis vacuatione, purgatione, medicamentis alterantibus, cum interius tum exterius adhibitis. Quod pertinet ad phlebotomiam omnes quidem veteres atque recentiores Medici eam eſſe in hoc malo moliendam, ſecta vena in cubito cephalica, voluerunt. Aretæus primum in cubito, mox in fronte, venam ſecandam meminit: & mox ſecandas arterias ante & poſt aures. Ægyptii ſecant arteriam frontis. Aurelianus & poſt primam ſtatim acceſſionem, & compluribus prægreſſis, mittendum ſanguinem cenſuit. Themiſon quoque ex Methodicis nedum phlebotomandos epilepticos cenſuit, ſed hoc auxilium pluries reiterandum eſſe quoque credidit. Neque dubitandum eſt, phlebotomiam, modo vires patiantur, utilem eſſe omnibus epilepticis: quæ, ut alias meminimus, longe utilior erit exiſtimanda, ſi nihil eam impedierit, atque clyſter laxatorius fuerit præmiſſus;

Aretæus in r. curat. chronicarum, cap. 4.

In lib. 1. de curat. acut. c. 4.

ip-

ipſaque alvus commode fuerit laxata. Celſus ſcribit, quod ad Medicum pertinet, ultimum eſt, juxta talum ex utroque crure paulum ſanguinis mittere, occipitium incidere, & cucurbitulas admovere; poſt ſanguinis evacuationem, videtur reliquum curationis in corporis purgatione catharticis molienda conſiſtere. Unde clyſteres acres ex decocto centaurii minoris, atque colocyntidis pulpæ paratos convenire omnes fere voluerunt. Aretæus inſignes moliendas purgationes aut ex hiera, aut ex ſcammonio, aut ex coccognidio, aut ex ſimilibus catharticis ſtatuit. Paulus eſſe reiterendas, refectis prius corporibus, quantitatem ſemper augendo, ſtatuit. Aurelianus, etſi cathartica fere ſemper damnavit, atque etiam in hoc capite, contra Dogmaticos; tamen poſtea ita ſcripſit: *At ſi non ſufficiens fuerit ellebori agitatio, quam Græci ſparognon vocant, & parum eventus ſucceſſerit, perſeverante paſſione, erit etiam ſecundo, vel tertio ellebori uſus adhibendus.* Lib. 1. tard. c. 4. Quem uſum paulo ante laudavit, licet poſtea ſuo more cathartica omnia damnaverit. An non ellebori albi (nam hujuſce meminit) propinatio eſt purgatio inſignis, ad quam tamen urgente occaſione Aurelianus inclinavit? Praxagoras & alii vomitum jejuno ſtomacho etiam laudarunt. Complures quoque diuretica, id eſt, per urinam purgantia, cujuſmodi ſunt ſemina apii, petroſelini, fœniculi, irionis, & radix eryngii, cyperi, mei, & ſimilium, laudarunt. Poſt hæc commendant ex internis ſcyllam, helenii radicem, pæoniæ itidem radicem, & ſemen, luna decreſcente collectum, lapidem pulli hirundinis. Dioſcorides complura ad epilepſiam meminit; inter quæ commendavit muſtelam coctam, abiecto capite & pedibus, in cibis ſumptam: ejuſdem quoque jecur ex aqua potum; & aſininum aſſatum in cibo ſumptum; agaricum ad obolos tres ex oxymellite per aliquot dies voratum: rutam item ſylveſtrem: de cujus quidem uſu & Aëtius, & Alexander Trallianus mira ſcripſerunt. Galenus leporis coagulum cervi magnitudine jejuno ſtomacho ſumendum affirmavit. Experientia quoque cognitum eſt, oxymel ſcylliticum quotidie potum plurimum epilepticos juvare: item mel in quo ſcylla liquefacta ſit. Ex compoſitis vero laudatur ab Aretæo Mithridatium, Theriaca, an-

In 1. Epidem. c. 16.

In 2. ſimplicium.

tidotus Byſtini; ſed jam ad præſidia externa deſcendimus, quæ ſunt plura, ſcilicet, inunctiones, fotus, frictiones, ſinapiſmi, ſtillicidia aquarum calidarum, ſcarificationes, cucurbitulæ, hirundines, atque terebrationes. Aurelianus laudavit inunctionem totius corporis ex oleo calido dulci, fotuumque loco, lanis mollioribus dulci oleo calido infuſis, omnes capitis partes contegendas voluit, præſertimque occipitium: capitique raſo frictiones adhibendas ex nitro, ex euphorbio, atque ex pipere rubefacientes. Aretæus vero ad ruborem uſque fricandum caput ex cantharidibus ſtatuit; ſed triduo antea lac eſſe bibendum, ne vis cantharidum veſicam lædat. Hinc noſtri Medici intelligant, haud tutum eſſe veſicantia ex cantharidibus externis partibus corporis adhibere, quod facultas illarum exitialis ad veſicam feratur, eamque maxime aliquando lædat. Quo haud mirum eſt, quoſdam maligna febre vexatos, adhibitis veſicantibus ex cantharidibus, veneno ipſarum læſa veſica, interiiſſe. Paulus l. 3. cap. 13. Sinapiſmum non pauci adhibere ſolent, primum ad manus & pedes, & poſtea capiti: ſinuntque adhærere nedum quo ad capitis partes rubefiant, ſed quoad etiam ulcerentur; ſervantque ulcera diu aperta. Aquarum ſponte calidarum (cujuſmodi ſunt ſulphureæ, bituminoſæ) ſtillicidia per aliquot dies etiam eſſe molienda, Aurelianus meminit; cucurbitulæ quoque ſicyæ vocatæ cum flamma appoſitæ capitis occipitio juvant: cum ſcarificatione etiam nedum capitis tantum, ſed compluribus aliis corporibus partibus eſſe admovendas ab omnibus Medicis receptum eſt. Paulus primo voluit affigendas, cute, ſcalpello inciſa, præcordiis, atque dorſo; poſtea, purgato corpore, occipitio. Aurelianus vero occipitio, collo, vertici, & temporibus. Celſus ait: occipitium incidere atque cucurbitulam admovere, in hujus affectus curatione, ultimum eſſe. Inuſtionem quoque eſſe ex maximis præſidiis conſtat, quæ in occipitio fit; de hac Celſus: Ferro candente in occipitio quoque & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea pernicioſus humor evadat; quibus ſi finitum malum non fuerit, prope eſt, ut perpetuum ſit. Hanc ex veteribus Aretæus, Themiſon, atque fere omnes alii plurimum

mum commendarunt. Non paucis quoque viſum eſt, utile illis fore os capitis perforare uſque ad ſecundam laminam, atque terebra nuda oſſa circumcidere. Adduntur corporis exercitationes, quæ ambulatione fiunt, atque geſtatione; in epilepſia vero per conſenſum à partibus infernis vel ſint brachia, vel crura, vel pedes, vel manus, vel hypochondria poſt acceſſionem (antequam enim acceſſio fiat, ligare ſupra partem quam arctiſſime convenit) hæc præſidia admoveri oportebit: primum vero mittere ſanguinem, diſſectis venis, aut cute ſcarificata. Utile quoque erit affigere cucurbitulas ſicyas cum flamma, atque etiam cum ſcarificatione. In iiſdem partibus affectis cauterium infligere, aut ſinapiſmum, aut veſicans medicamentum, ut uſcus fiat, diuque ſervetur apertum, præſtabit. Quod aut ex lepidio, aut ex flammula jovis, aut ex radicibus ranunculi, vel ex ſimilibus commode fieri poterit, & hæc ſint de curatione iſtius affectus; in qua utantur ægroti ea victus ratione, quam ad vertiginem ſanandam congruam eſſe ſcripſimus.

CAPUT VIII.

De convulſione.

CONvulſionem totius corporis, quæ læſo cerebro fit; epilepſiam dici, ſuperiori capite dictum eſt, atque quomodo ſanari debeat, demonſtratum: Nunc vero de ea, quæ nervis muſculiſque contractis fit, agendum eſt. Paſſio hæc nervorum præcipue videtur, ex qua contorquentur muſculi ſimul cum nervis, & tendonibus, contrahunturque præter voluntatem ad ſuum principium, atque ſanam partem ſecum trahunt. Quo differt à paralyſi, quoniam in hac paſſione nervi reſolvuntur, & humore flacceſcunt, ita, ut concidant in partem ſanam, quæ partem reſolutam laxam, mollem, flaccidamque trahit. Itaque convulſio eſt contractio muſculorum vel plurium, vel alicujus; qui ad ſua ipſorum principia contracti, partem ſimul, cui inſeruntur, adducunt; immobilemque deinceps reddunt, ita ut vel recta, vel inflexa, vel denique contorta videatur. Si caput antrorſum curvatur, &

mentum annectitur pectori, duo, musculi anteriores, caput flectentes, laborant: atque hæc convulsio emprosthotonos Græcis appellata est. Si in dorsum & scapulas caput intorqueatur, ex duodecim musculis caput extendentibus in posteriore parte colli, vel aliqui vel omnes convelluntur: hæcque itidem convulsio Græcis dicta est opisthotonos. Tetanos autem, quando cervix recta & immobilis manet, in neutram partem curvata: & tunc utrique musculi, & anteriores & posteriores, affecti sunt. Si oculus contorqueatur, Græcis strabismos dicitur; fitque musculis, qui illum movent, contractis. Si mandibula itidem contrahatur, affectus fit trismos dictus, scilicet musculis temporalibus, vel nervis è secunda, & tertia conjugatione affectis. Labris vero naribusque contractis, & parte contracta sanam adducente, latus musculus, ex quo musculi narium, superciliorum, & labiorum fiunt, affectus in causa est, vel nervi affecti sunt, qui proveniunt à primis vertebris, & ramis tertiæ conjugationis: atque hic spasmus cynicus appellatur. Si utraque pars vultus, dextra scilicet, & sinistra, lædatur, musculi utrimque contracti, maxillares nimirum, in latera os labraque deducentes, ita, ut ægri perpetuo ridere videantur, spasmum (quem risum Sardonium vocant) faciunt. Hos affectus hæc signa concomitantur, auctore Aretæo, scilicet, dolores omnium atroces, vox omnium flebilis; suspirant autem mussantes profundius; labor, & intentio tendonum adest, & dorsi, & musculorum, qui in maxillis, & pectore sunt: inferiorem enim maxillam superiori adeo annectunt, ut neque vectibus, aut cuneis diduci possint. Facies rubida, variegata, oculi ferme rigentes, qui circumvolvuntur; strangulatio vehemens, spiratio vitiosa, manuum crurumque distentio, musculi palpitantes, facies variis modis distorta, buccæ & labia tremunt, maxillæ quatiuntur, dentes stridٍent, & quandoque aures moventur, lotium aut supprimitur, aut sponte effunditur, cum vesica premitur; hæc in omnibus rigentibus convulsivis observantur. Sed in tetano privatim, totius in rectum distentio apparet, nullam prorsus in partem detorta, neque declinans: recta quoque sunt crura

&

& manus. Opiſthotonus vero retrorſum incurvat hominem, ut reflexum caput inter ſcapulas locetur, guttur extat, maxilla inferior plærumque dehiſcit, & raro cum ſuperiore committitur, in reſpirando ſtertunt, venter & pectus prominent, lotium his minus contineri poteſt, abdomen intentum eſt, & ſi percutias reſonans, manus retrorſum extenſione detorquentur, crura inflectuntur: è contrario poplites vitioſe curvantur. Emproſthotonus autem è contrario fit: homines enim in priorem partem contrahuntur, & convexa quidem his terga ſunt æqualiter cum parte pectoris oppoſita, quam metaphrenon Græci appellant: coxendicibus extra pulſis, dorſum totum rectum eſt: vertex, caputque in pectus vergunt: mentum oſſibus pectoris annectitur: manus conſertæ ſunt, & cohærentes, crura extenta Hiſce ſignis hic affectus, privatimque & ſingulæ ſpecies nobis innoteſcent. Solet hoc malum (auctore Hippocrate) fieri, nervis muſculiſque vel repletis, vel ſiccatis inanitiſque. Recentiores addunt tertiam cauſam, quam vocant materiam non proportionatam, quæ noxia qualitate cerebrum movet in ſeſe ut expellat, quod noxium ſentit, ut dolente nervo ob puncturam, aut ob morſum venenoſum. Quo pacto ex vulnere partium nervoſarum homines convelluntur, maximeque membranis, aut tendonibus, aut nervis, punctis, ab ictu vehementi cervicis, ex abortu, ex ore ventriculi læſo ab æruginoſo bilioſoque humore, à morſibus feræ venenatæ, à vermibus, fungis, & ſimilibus. Nervi muſculique replentur, aut ſpiritu aëreque craſſo & frigido, aut à frigido humore, aut etiam à ſanguine: unde qui crapulis, ebrietatibuſque incumbunt, huic malo ſunt obnoxii. Siccantur itidem nervi muſculique aut ex vulnere, aut ex phlegmone membranarum ac nervorum, ex febre ardenti, atque ex immoderatis evacuationibus vel ſanguinis, vel excrementorum. Paſſio ſtricturæ, ex quavis cauſa oboriatur, exiſtit, & quidem magnæ ſtricturæ, quæ celerrime aut necat, aut non facilis ſanatu eſt. Quæ ex vulneribus, ex abortu in mulieribus, ex febribus ardentibus, aut ex inflammationibus, nervoſis partibus vehementer ſiccatis, fiunt, prorſus inſanabiles exiſtunt; & ſi quampiam ſanationem ægroti ſpe-

rare poterunt ex laxatoriis extrinſecus admotis medicamentis illud aſſequentur. Febris, ſi ſuperveniat ſpaſmo à repletis, vel congelatis, refrigeratiſve nervis oborto, utilis erit, quod calfaciendo ſiccet. Unde Hippocrates ait: Melius eſſe ſi ſpaſmo ſuperveniat febris, quam eam ſubſequatur. Ceterum, ut ad particularia deſcendamus, in omni rigoris ſpecie ſive tetanus, ſive emproſthotonus, ſive opiſthotonus ſit, ſtatim, præmiſſo clyſtere molli, phlebotomia eſſe facienda, ſi vires eam patiantur; hoc genus præſidii omnes laudarunt, Pauluſque, & alii veteres Medici, ne dum per venam ſectam; ſed etiam adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis ſanguinis largam evacuationem, modo vires permittant, eſſe faciendam voluerunt; non tamen confertim totam ſanguinis eductionem, ne vires collabantur, ſed per vices eſſe moliendam. Cucurbitulas vero cervici, ſpinæ, pectori, ubi pectus eſt muſculoſius, præcordiis, & aliquando renum, & veſicæ regioni adhibendæ erunt. Utiliſſimi ſunt clyſteres & molles, & purgatorii laxantes, ſi ſaltem alternis diebus exhibeantur. Poſthæc partes convulſæ lanis mollibus ex oleo calido, caſtoreoque imbutis contegantur; muſculorumque tendonibus veſica oleo calido dulci ſemiplena pro calido fotu erit adhibenda: aut fotus ex chamomeli, rutæ, althææ, fœnugræci, caſtorei decocto paratus iiſdem partibus erit adhibendus. Ratio vero fovendi hujuſmodi erit: tendonibus, reſupinato ægro, fomenta uſque ad verticem ſubjicienda ſunt: ulterius vero ad ſynciput non procedito. Inunctiones quoque ex calido oleo dulci, aut hydrelæo, aut ex oleo, in quo caſtoreum, vel euphorbium, vel nitrum, vel denique pyretrum fuerit diſſolutum. Cataplaſmata itidem ex radice althææ, ruta, manna thuris, polii coma, reſina pini, & terebinthina, cum oleis prædictis; & ex althææ radice in mulſa decocta parantur. Quid ſi modicum caſtorei permixtum ſit, adhuc magis ipſorum uſus proderit. Tandem complura ſunt, quæ per os (modo fieri commode queat) utiliſſime exhiberi ſolent. Dioſcorides memorat pulegium cum ſale & melicrato: Iridis radicem ad ʒ. ij. ex aceto epotam: myrrham fabæ magnitudine; laſer ervi itidem magnitudine aut cum biſcocto melle illi-

tum,

tum, aut ceræ involutum voratum conferre: ammoniacum itidem erui magnitudine; inter omnia vero caſtoreum expeditiſſimum eſt, ſi ejus duo vel tria cochlearia (ut inquit Paulus) partita ipſius quantitate & per vices exhibeantur. Dioſcorides vero ſcribit, caſtoreum omnium maxime efficax eſſe, ſi tritum cochlearis menſura exhibeatur. At hæc ſufficiant de medicamentis ad convulſionem. Quibus hæc adhibentur ex laxatoriis, ad convulſas partes ſiccatis nervis partibuſque nervoſis, ſcilicet, exterius inunctiones & inſeſſiones in oleo dulci calido: fomenta, ex decocto malvarum, althææ, fœnugræci, lini, ſeminum cytoniorum, & ſimilium; balneum itidem ex aqua dulci calida atque lavacrum: emplaſtra etiam hujuſce generis: Interius vero cum cibus liquidus, calidus, & humidus; tum decocta ex ſupradictis herbis, & ſeminibus parata; tum oleum dulce, tum hydrelæum calidum; tum clyſteres omnes molles, laxatoriive.

CAPUT IX.

De tremore.

COnvulſioni ſimilis affectio eſt, quam tremorem appellant, atque ab iiſdem fere cauſis oritur, idemque fere judicium, atque curationem habet. Paſſioque ſtructuræ exiſtit, quæ & ipſa laxatoriis medicamentis tollitur (ſi initio recte tractetur à Medico) curationique cedit, quæ vero aliquandiu neglecta, & parvi fuerit æſtimata, potiſſimumque in ſenibus, minime ſanatur. Oritur enim à nervorum imbecillitate quocumque modo facta, ſcilicet, cum facultas movens per ipſos quidem nervos aut frigiditate denſatos, aut ab humore obſtructos, libere minime tranſit, verum multo paucior, quam par ſit ad recte movendas partes; aut cum ſufficienter non defluit ex cerebro, quoniam hoc admodum refrigerato, in ſolita copia minime ſuppeditari poteſt: unde, quæ per nervos delabitur, exigua eſt, & debilior, quam ad movendum eſſe debeat. Quæ poſſunt huic affectui favere ſunt ea quidem omnia, quæ poſſunt cerebrum refrigerare, atque labefactare, cujuſmodi eſt aëris ſumma frigiditas,

tas, vel potio frigida, aut vinum ex gelu vel ex nive immoderatius refrigeratum, & ipſum quoque generoſum liberalibus, immoderatiuſque epotum, immodica venus, crapula, otium, & ſimilia. Ceterum in hunc affectum incidunt homines non raro vel ab ardentibus febribus, vel à phlegmonis membranarum cerebri admodum exſiccati. Qua de cauſa iiſdem præſidiis trementes curandi, quibus & convulſi, hoc excepto, quod in tremore non ſemper ſanguis ſit mittendus: præſtabunt purgationes aut ex agrico, aut ex colocynthidis pulpa, aut ex turpeto, aut ex iiſdem medicamentis catharticis paratæ, ut ex aliis etiam ſimplicibus compoſitæ, cujuſmodi eſt hiera diacolocynthidos, pilulæ cochiæ vocatæ, fætidæ, & his ſimilia medicamenta cathartica. Exterius inunctiones ex oleis calidis, emplaſtra, cucurbitulæ cum flamma à priori vertebra ſpinæ ad lumbos uſque, quæ & capiti erunt adhibenda, occipitioque præſertim. Ad affectum hunc etiam inunctiones laudantur. Sed qui hoc vitio vexatur, optima victus ratione uti debet: & inter cetera parce vivat, caveatque à pravis cibis, ut ſunt legumina, piſces, caro porcina, ovina, bovina: Lacticinia omnia fugienda, atque omnium maxime à vinis generoſis abſtineat, vinoque paucifero ſobrie utatur. Venus denique eſt cavenda.

CAPUT. X.

De mania, ſeu furore ſanando.

MAniam Græce dictam Latini inſaniam, amentiam, deſipientiamve cum furore appellarunt: quod nimirum hoc malo detenti, ferarum inſtar, effrenes reddantur, atque furiant. Diſtinguuntur tamen à phreniticis febre, quæ aſſidue phreneticos tenet: maniaci autem non febriunt. Hi vero amentium, deſipientium, vel delirantium genere comprehenduntur, ſed tamen ab his maniaci differunt, quia præterquam quod delirant, etiam, inſtar ferarum, furiunt, atque effrenes reddunturtur. Primum deſipere ſeu delirare deprehenduntur, quoniam (ut Galenus docuit) loquuntur aguntque nihil rationi conſentaneum, aut multa præter conſuetudinem, etſi in quibuſdam ſa-

ſapientes videantur. Præterea homines amentes dicuntur, qui ſolitis ſenſibus abſque cauſa defecerunt, vel iis præter conſuetudinem utuntur, aut demum, qui aliqua ex voluntariis actionibus carent, vel abutuntur. Quare merito auctor Coacorum præſagiorum inquit: *Facere quid præter conſuetudinem, veluti inſtituere, velleque ea, quæ prius non conſueveras, aut contrarium iis, quæ fuerint conſueta, malum, & proximum dementiæ.* Qui itaque amentiam patiuntur, ſeu deſipiunt, delirantve cum animi motu, vel furore, maniaci, inſani atque furentes merito dicuntur. Nonnullis vero differentiis hi invicem diſtingui ſolent: ſiquidem alii cum riſu delirant, utpote qui ex ſanguine hoc malum habuerunt; alii cum rixa, & iracundia, qui ex bile flava inciderunt in hanc paſſionem, alii cum furore & ferocitate, cum hoc malum fit ex flava bile exuſta caloris incendio, atque ad atram accedente, hancque amentiam manioden & tyrioden Græci, noſtri autem ferocem, furioſam, ac ferinam, dixerunt. Demum alii cum timore & triſtitia deſipiunt, ſcilicet ex melancholico humore in hunc affectum provecti. Quæ melancholica amentia duplex obſervatur: una enim, quæ ab humore melancholico nondum putri reddito, orta eſt, abſque tumultu fit; altera vero cum tumultu agitationeque & ferocitate obſervatur, quippe quæ aut à melancholia putrefacta, aut à bile flava exuſta, in atramque mutata, excitatur. Hinc nonnulli ex antiquis, qui de hoc affectu ſcripſerunt, melancholicam inſaniam, ſub capite de mania, ſeu de furore, merito comprehendiſſe viſi ſunt: cujuſmodi fuerunt Aurelianus, Aretæus, Paulus, atque alii, qui vel ſub melancholia furorem, vel ſub furore melancholiam comprehenderunt. At maniam præcedere ſolent capitis debilitas, tinnitus aurium, ſplendoreſque oculis obverſantur, curæque ſibi invicem ſuccedentes, eos turbant, gravedo capitis, ſomni turbati, atque pauci, aut aſſiduæ vigilæ, animi anxietas, jactatio, oculorum frequens palpebratio, cordis ſaltus, tremor, & ſimilia, cum paraphreneſi, aut levi deſipientia. In hac vero paſſione perfecta, abſolutave ſigna apparent amentiæ, cum motu, & agitatione vehementi. Ubi vero ſanguinis haud corrupti copia cerebrum

obſidens maniam facit, hæc ſimilis eſt ei, quæ in ebriis obſervatur, homines enim cum riſu (ut expreſſit Hippocrates) inſaniunt, canentes, aut loquentes, exclamant, atque exiliunt, ridiculis quibuſdam ante oculos obverſantibus. Si vero bilis flava, vel ſanguini mixta, cerebrum ejuſque membranas ſtimulat, divexatque; inſani ad iram atque ad excandeſcentiam proni redduntur, quo iracundi ac feroces evadunt. Quod ſi eadem bilis incendio caloris exuſta, retorridave, in atram mutata, cerebrum ejuſque membranas invadat, aut ejuſdem vapores inflamment, mordicent, divellantque eaſdem membranas cerebri, ferinum delirium oboritur: ex quo homines exclamant, exiliunt, calcitrant, pedibus manibuſque feriunt, morſibus impetunt, maximeque excandeſcunt, omnes quibus occurrunt tanquam hoſtes habentes, atque ubi inſania vehementer aucta ſit, hanc Græci tyrioden appellarunt: in hac ingentia quævis mala maniaci perpetrant. Eadem ſymptomata apparent etiam ex humore melancholico vehementer putrefacto, ſed cum iis adeſt quoque timor cum mæſtitia: unde iſti melancholici furentes præ timore plerumque ſe ex præaltis locis præcipitant, atque ita moriuntur. Qua morte Franciſcus à Ponte olim pictor excellentiſſimus, atque Delphinus à Como, ambo Baſſanenſes præteritis annis interierunt. Qui vero ex melancholico humore haud putrefacto inſaniunt, aut ex vapore aliquo tetro ex hypochondriis in cerebrum ſublato, timore ac mæſtitia abſque cauſa aſſidue divexantur. Unde recte inquit Hippocrates: ſi timor & mæſtitia diu abſque cauſa perſeveraverint, melancholicum ſymptoma eſt. Aurelianus ait hæc ſigna melancholicos concomitari, ſcilicet animi anxietatem, cum mæſtitudine, ſilentio, atque odio conviventium: ſequitur etiam nunc vivendi, & nunc moriendi cupido, cum ſuſpicionibus veluti inſidiarum ſibi ipſis paratarum: inanes fletus fiunt; murmura vacua ſentiunt; hilaritas magis poſt cibum: hypochondriorum inflatio cum frigore articulorum, & levi ſudore, ſtomachique vel oris ventris morſu uſque ad interſcapulas. Atque hiſce ſignis nobis omnes maniæ differentiæ probe innoteſcent. In hac poſſione aut primario affectu, aut per con-

In 6. aphor. 53.

conſenſum ex infernis partibus cerebrum cum membranis ipſius læditur, aut à ſanguine non putri, aut putri mixto cum bile flava, aut ex eadem bile non putrida, vel putrida, atque exuſta, tum etiam ab humore melancholico putri reddito. Accedit etiam eandem paſſionem quandoque fieri à vaporibus calidis, mordacibuſque ex infernis partibus ad caput ſubvectis, cerebrum atque ejus membranas calfacientibus, mordentibuſque. Ex Methodicis antiquis Mnaſeus, & qui ipſum inſectati fuerunt, putarunt furorem ſeu maniam eſſe morbum laxum, quod & animi paſſio videatur, atque hujuſmodi paſſionem Græci diachiſin appellarint, ſcilicet animi laxationem, ſeu diffuſionem. Quam opinionem docte ſane reprehendit Aurelianus, meritoque ſtatuit eſſe ſtricturæ, paſſionemque furentem ſtrictura affici, præſertimque in ipſo capite. Quod malum, ni ſubito probis medicaminibus tollatur, habituatur, atque inſanabile redditur. Itaque laxatoriis præſidiis ad ipſius curationem erit opus: & majoribus quoque, cum morbus aſtrictus ſit & magnus. Itaque conveniet primum ſanguinis vacuatio tum per venam ſectam cubiti dextri internam, tum per cephalicam, tum etiam ex venis frontis ſectis molienda eſt. Complures ſunt, qui ſola ſanguinis vacuatione per venam ſectam ab inſania evaſerunt: magnum enim in his morbis præſidium laxatorium eſt ſanguinis evacuatio, tum per venam ſectam, tum cruribus antiquorum modo ſcarificatis, tum ſanguiſugis primum hæmorrhoidibus adhibitis, præſertimque ſi à ſuppreſſis hæmorrhoidibus hæc paſſio eos invaſerit, atque poſtea capitis partibus, potiſſimumque venis retro aures poſitis; ſæpe enim repetitam hujuſmodi vacuationem plurimum prodeſſe longa experientia deprehenſum eſt. Aurelianus ait: cucurbitulas cum ſcarificatione primo eſſe adhibendas præcordiis, & interſcapulis (quas Græci metaphrenon vocant) deinde occipitio, vertici, atque temporibus capitis. Præſtabit tamen, antequam ſanguinis perficiatur eductio, clyſterem mollem laxatorium, ad alvum prælaxandam, præmitti, vel medicamentum ex leniter laxatoriis, cujuſmodi (exempli gratia) erit, ſi exhibebitur caſſia cathartica, ad unciam & ſemis: vel manna Calabra ad uncias tres, vel ſyrupus

roſaceus laxativus ad uncias quatuor, cum ſeri lactis caprilli probe clarefacti libris quatuor. At corpore prius medicamentis vulgo præparantibus dictis fluido facto, juxta Hippocratis præceptum, uſum habebunt ventriflua eductoria, cæliotica Græcis dicta, utpote quæ ex elleboro nigro, Melampodio olim (quod Melampodius paſtor eo precudes furentes, ut Plinius eſt auctor, ſanaverit) nuncupato, aut ex ſcammonio, aut ex colocynthide, aut coccognidio, aut denique etiam ex veratro albo ad purgandum per vomitum; à quo quidem cathartico-rum omnium maximo haud abhorruit etiam Aurelianus inter Methodicos, qui non ſemel, ſi ſit opus, ſed ſæpius per intervalla temporum eſſe exhibendum ſtatuit. Quibus magnis laxatoriis præmiſſis, atque, ut opus eſt, reiteratis, convenient capiti raſo epithemata ex aquis frigidis actu tamen calidis adhibitis: lotiones item ex dulci aqua, in qua malva, althæa, hordeum, atque chamomelum ebullierint, convenient, ſcilicet capitis, manuum, atque pedum. Nihil vero utilius ad eos ſanandos erit, quam ſi per plures dies maniaci ſtillicidio aquæ dulcis fluvialis tepidæ ad capitis ſuturam coronalem utentur; ſimulque etiam eodem tempore in aquam eandem tepidam toto corpore, capite excepto, immerſi per horam manſerint. Hoc ſtillicidium, inquam, atque balneum bis in die, ante cibum, per horam integram & plus erit continuandum. Eo namque ſolo præſidio complures inſanos atque melancholicos brevi tempore ſanavimus; atque hoc eſt ex utiliſſimis laxatoriis præſidiis ad hujus mali curationem facientibus. Themiſon itidem & alii maxime lavacrum laudarunt. Aurelianus denique embaſim ex oleo dulci cum althææ decocto factam commendavit. Veteres Medici etiam diuretica, quæ per urinam vacuando laxant, propoſuerunt: cujuſmodi erit lac quod ex ſeminibus melonis, cucumeris, althææ, malvæ, portulacæ, petroſelini, eriſymi, atque apii, cum aqua hordeacea contritis exprimitur; datur ad ſemilibram hoc diureticum mane per quatuor horas ante prandium: etenim medicamenta illa, è quibus paratur, evacuant humorem bilioſum per urinam. Aurelianus itidem leni cum frictione totum corpus perungendum voluit: & cataplaſma-

mata ex laxatoriis medicamentis, præcordiis calida adhibenda. Addidit, motum eſſe utilem, qui fit maniacis geſtatis in geſtatoria ſella, aut in vehiculo, & poſtea, fortificato corpore, cogendos in deambulationem, vociſque exercitium, quod Græci anaphoneſim appellant, deſcendere. Congruunt quoque colloquia amicorum, diſcurſus, lectiones, diſputationes, & ſimilia, de quibus Aurelianus accuratiſſime ſcripſit. Aſclepiades cantilenas laudavit; inſanos vero flagellandos & vinculis coercendos eſſe ſumma prudentia exiſtimavit. Alii eſſe vino inebriandos; alique in amorem ſeu in venerem perſuadendos. Demum affectu perſeverante ad cauterium occipitio, & ſincipiti, infligendum, atque ad trepanum uſque confugerunt.

CAPUT. XI.

De Melancholia.

MElancholia ab humore melancholico, vel, ut pleriſque viſum eſt, quod ab eo humore melancholica inſania fiat, aut, ut Aureliano placuit, quia in hoc affectu ſæpe nigra bilis per vomitum excernitur. Eſt enim melancholia, ut Paulus ſcribit, quædam mentis alienatio ſine febre, ex melancholico maxime humore naſcens, qui mentem occupaverit. Aretæus inquit, melancholiam eſſe animi angorem in una cogitatione defixum atque inhærentem abſque febre. Hippocrates addidit, cum timore & mæſtitia abſque cauſa. Id proprii habent melancholici, quod omnibus imaginatio ab humore, vel à vapore melancholico vitietur, lædaturque. Etenim hi plerumque falſis imaginationibus, tum timore atque mæſtitia, defixi divexantur. Varii vero corruptæ imaginationis modi, innumerique propemodum exiſtunt: etenim plerumque fit, ut circa illud objectum quod (quo tempore imaginatrix facultas à morbo incipit vitiari) in ipſa reſidet, & cum ipſa familiarius & frequentius verſatur, ſit melancholicorum angor, timorque, & mæſtitia, qua vitiata cogitatione defixi atque decepti mente aberrant. Nonnnulli fuerunt, qui cum aquam bibiſſent, atque in ea forte ſerpentem vidiſſent, ſtatim vitiata imaginatione

In lib. 3. cap. 5.

putarunt, ſe ſerpentem bibiſſe: alii (quos nos ſanavimus) eodem modo ranas ſe bibiſſe, eaſque in ſtomacho auctas alias peperiſſe, ab ipſiſque & præſertim ipſarum vocibus, plurimum moleſtiæ accipere mordicus affirmabant: Alii cum forte (quo tempore melancholiæ morbus incipiebat) vel cadaver abſque capite, vel ligneam aut marmoream ſtatuam inſpexiſſent, inde ſe & ipſos quoque capite deſtitutos exiſtimarunt. Ceterum innumeræ ferme, ut diximus, in melancholicis corruptæ imaginationes, innumerique imaginandi modi obſervantur: quorum ſane ſingulorum ſi rationem habere vellemus, nihil aliud profecto eſſet, quam velle cum ipſis una inſanire, ſiquidem monſtruoſa quamplura ſint, quæ cogitant, & imaginantur. Quarum profecto vitiatarum imaginationum exactam rationem haberi poſſe, haud eſt poſſibile. Signa vero, quibus melancholici deprehenduntur, complura exiſtunt; propria tamen, patognomonica Græcis vocata, ſunt, ut timeant, atque mæſtitia abſque cauſa afficiantur, cauſaque ipſorum & mæſtitiæ & timoris eſt defixa cogitatio, ſeu imaginatio vitiata: inania enim & falſa timent, atque ab iis mærore afficiuntur; unde perpetuo angorem in animo tenent defixum, ut Aretæus recte expreſſit, atque inhærentem vitiatæ cogitationi: id vero abſque febre patiuntur. Pars affecta in melancholia, ut recentiores cognoverunt, eſt cerebrum, quod mens in eo reſidens turbetur. Hoc vero aut per ſe patitur, ſcilicet morbo in capite exiſtente, ex atra bile in eodem capite genita; aut per conſenſum, ex univerſo corpore, aut ex præcordiis capiti humoribus vel vaporibus atris ſubminiſtratis, in ipſumque ſubvectis. Ex hypochondriis melancholiæ ſigna ſunt, quia præterquam quod melancholicum animi angorem patiuntur, timentque & formidant etiam, quæ non ſunt timenda, & citra occaſionem mæſtitia quoque anguntur, de ſtomacho conqueruntur, cruditates, acidoſque ructus patiuntur, aliquando ardor ſive æſtuatio hypochondriorum adeſt, præcordia ſurſum convelluntur, interim phlogoſi quadam divexantur, unde nonnunquam leviter ſudant, & aliquantulum refrigeſcunt. A quibus quidem ſymptomatibus concoctione levantur, aut alvi excretione, vel multis flatibus ex-

excretis, vel vomitu, vel denique ructibus editis. Nonnulli veterum, ut Diocles, in quendam pylori affectum inflammationi perſimilem hanc paſſionem retulerunt, quo venæ calidiores redditæ humore crudo à ſtomacho intempeſtive attracto obſtruantur; qua obſtructione, calore tranſpirari, humoreque moveri, ventilarive nequeuntibus, fit quædam in iis venis alteratio, agitatioque ac veluti etiam exinde à calore fere igneo ſemiputrefactio, ex qua vapores excitantur calidi, acres, aduſti; ex quibus juxta varias corporis partes, in quas ab hypochondriis attolluntur, variæ paſſiones oriuntur: ſi ad caput ferantur, mentem turbant, melancholiamque homini inducunt: ſi ventriculos cerebri impetant, epilepſiam; ſi principium nervorum, ſpaſmum itidem, vel tremorem faciunt: ſi regionem cordis invadant, palpitationem, & tremorem ejuſdem viſceris; ſi ſtomachum ſeu os ventriculi, cardiogmon, id eſt, cordis morſum, faſtidium, & non raro ſyncopen creant. Atque hæc melancholiæ ab hypochondriis generatæ erit ratio: quibuſque ſignis etiam innoteſcat, nuperrime dictum eſt. Eadem paſſio aliquando fit, cum bilis à ſolis calore aut ab aſſiduis vigiliis, curis, ſtudio, & ſimilibus cauſis in capite uritur, atque in nigram mutatur: qua cerebro læſo, melancholia itidem excitatur, in qua pauca vel nulla ex iis ſignis, quæ flatuoſam, ſeu hypochondriacam melancholiam concomitantur, apparent; ſed prægreſſæ dicuntur cauſæ antecedentes, à quibus ſanguis atque bilis flava uſtione caloris in nigram mutari potuit. Demum aliquando humor melancholicus, nigrave bilis in toto corpore abundans ſcilicet, in hepate ob caloris incendium uſto ſanguine genita, in caput ſubvehitur, inſaniamque melancholicam inducit: hocque facile deprehendetur, præſertim ex cauſis antecedentibus, urendi ſanguinem facultate præditis, ut æſtivus calor, cura, triſtitia & ſimilia. Accedit etiam totius corporis temperamentum calidum, ſiccum, habitus gracilis, & ſqualidus cum colore obſcureſcente. Hæc paſſio itidem ſtricturæ & magnæ etiam ſtricturæ eſt: quare Melancholici magno cum animi tum maxime corporis laxamento opus habent; eademque fere ex laxatoriis præſidiis ad curationem uſui venient,

quæ

quæ inſanis, furentibuſque conducere diximus. Nos, melancholicos omnes, qui nobis in principio curandi occurrerunt, probe & brevi etiam ſanavimus: primo in victu ptiſanam hordeaceam toto illo tempore inſtituimus, ova gallinarum ſorbilia, carnem pullorum gallinaceorum, vel vitulinam, aut hædinam, elixam, non aſſam, parce tamen exhibentes. Vini loco aquam hordeaceam tepidam cum ſyrupo boraginato, aut violato, aut ſimilibus conſervis ſaccharo conditis, pro potu dedimus. Pro medicamentis primum medicamentum laxatorium exhibuimus, cujuſmodi eſt, quod ex ſyrupo roſaceo laxativo ad uncias quatuor atque ex ſeri lactis caprilli libris tribus, vel quatuor, paratur: aut quod (exempli gratia) accipit ſyrupi de polypodio compoſiti uncias quatuor, & addita decoctione florum & fructuum cordialium cum modico ſenæ, atque epithymi fit potio; aut quod recipit electuarii lenitivi unciam & ſemis, confectionis hamech. 3. ij. quæ miſcentur, ut fiant boli: aut clyſterem laxatorium atque mollem injici curavimus. Altera die, modo vires ferant, primum ex ſecta vena jecoraria dextri cubiti (niſi in regione lienis ſit vel dolor, vel tumor) ſanguinis eductionem inſtituere; deinde è cephalica, tertio ex inciſa vena frontis eandem repetere: demum ut hæmorrhoides, ſi fuerint ſuppreſſæ, ſanguiſugis iterum aperiantur, ac reſtituantur conſulere ſolemus. Quantitas ſanguinis detrahi conſuevit per vices modica. Aliquando etiam, ſecta interna quoque ſiniſtri cubiti, eductionem ſanguinis repetivimus, potiſſimum, ut etiam dictum eſt, ubi lien iſtius affectus cauſam habuerit. Complures veterum Medicorum conſueverunt tandem ſanguinem mittere cucurbitulis cum ſcarificatione affixis primo jecori, ventriculo aut ejus ori, atque inter ſcapulas. At in molienda hac ſanguinis evacuatione, vires quantum ferant, ſemper accurate conſiderandum erit. In juvenibus, viriſque robuſtis toties ſanguinis eductionem repetivimus: mox, corpore tum cibis, tum quiete octo aut plurium dierum recreato, atque interim humoribus decocto quodam ſingulo mane propinato ad uncias quatuor, cum ſyrupi violati; aut borraginati, aut de ſoncho ad ſeſqui unciam paratis, ad electivum laxatorium progreſſi ſumus. De-

co-

coctum vero præparans paratur in jure pulli gallinacei juvenis ſine ſale, in quo ebullierunt, flores boraginis, bugloſſi, fumiterræ, violarum, & folia boraginis, ſonchi, lupulorum, endiviæ, meliſſæ, epithymi. Quo toties, ut diximus, ebibito, dedimus aut confectionis Hamech ſemunciam, cum ſyrupi roſati laxativi unc. iiij. & cum decoctione ſupra dicta; quamvis loco ſyrupi laxativi uncia diacatholiconis, aut electuarii lenitivi dari poſſit. Quo medicamento corpore laxato, per plures dies utendum erit balneo ex aqua dulci tepida fluviatili, ſi haberi poteſt; atque ſtillicidio ex eadem aqua, ſupra ſuturam coronalem, bis in die, ante cibum, horæ ad minus ſpacio: debent (inquam) ægroti eodem tempore & uti ſtillicidio, & in balneo prædicto manere, toto corpore, capite excepto, immerſi. Galenus quoque affirmavit ſe complures ſola humida victus ratione, & balneis prædictis, à melancholica paſſione liberaſſe; ſed interim opus erit ſolertium Medicorum prudentia, ut melancholicos decipiant, quomodo uſi fuerunt aliqui, in quibuſdam, qui exiſtimarunt, ſe vel ſerpentem, vel ſimile quippiam devoraſſe. Clam enim in excretis aut per vomitum, aut per alvum excrementis ſerpente aut rana ſuppoſitis, ac poſtea melancholicis oſtenſis, eam falſam opinionem imaginationemque, ob quam ipſorum animus angebatur, ex animo prorſus eruerunt. Simili artificio ii qui ſine capite ſe eſſe affirmabant, pileo magno plumbeo capiti ſuperpoſito, ſe caput habere cognoverunt. Atque alii aliis modis à Medicis decepti, citra medicamenta à melancholica inſania liberati fuerunt. Complures veterum, facta evacuatione ſanguinis, purgationem catharticis faciendam, ut etiam dictum eſt, voluerunt; ſcilicet elleboro nigro, epithymo, thymo, colocynthide, vel etiam, paſſione non cedente, veratro albo: quod tamen non niſi in robuſtis, neque ſine diligenti (ut Aretæus expreſſit) corporis, humorumque præparatione, ut vomitioni vomituros aſſuefaciant, atque etiam humores fluxiles reddant, Medici uſurpare debent. Paulus atque alii exhibebant ſuccum abſynthii per plures dies à minima portione inchoantes, aſcendenteſque ad geminas uſque drachmas ſinguloque mane ex aqua exhibebant, vel ejuſdem herbæ

decoctum ad uncias quatuor: quod medicamentum magis conducit illis, ſi una & ructus acidos, & cruditates patiantur, flatibuſque in hypochondriis abundent; quibus ſummopere conducent ſtillicidia ad ſtomachum, atque ad ſiniſtrum hypochondrium ex oleo chamomelino, anethino, amygdalino dulci, aut de mentha, aut ex pluribus mixtis, calidiſque ex alto ad ſtomachum, hypochondriumque ſtillicidii modo cadentibus; aut ex aquis ſponte naſcentibus, aut bituminoſis aut ſulphureis; aut ex decocto chamomeli, althææ; betonicæ, ſeminum lini, fœniculorum, parato ſtillicidio. Ad eaſdem quoque partes, ſi flatibus diſtendantur, aut aliquomodo doleant, utiliſſimum erit, ſi cucurbitula magna, cum flamma, aut plures affigantur: etenim calore eas partes roborant, flatuſque & humores egregie digerunt, eaque ratione cauſam, & materiam hujus paſſionis. Aliqui ad eos melancholicos, qui prædictis auxiliis medicis priſtinæ prudentiæ minime reſtituuntur, ad uſum fonticulorum cum in cruribus tum in brachiis tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Atque hæc de melancholicorum curatione dicta ſint.

CAPUT XII.

De tuſſi.

TUſſis ſymptoma eſt facultatis expultricis partium reſpirationi ſervientium, potiſſimumque pulmonum, tracheæ arteriæ, thoracis, pleuræ membranæ, diaphragmatis. Etenim eo motu partes thoracis conantur expellere quod noxium eſt, non ſecus quam cerebrum ſternutamento, & ſtomachus vomitione humores moleſtos rejiciunt, propelluntque. Hujus vero paſſionis, ſcilicet tuſſis, cauſæ complures ſunt, quippe (ut Dogmatici docent) caliditas, ut in febribus hecticis, frigiditas, ut in aquilonari conſtitutione hyeme vigente, humor aut infarctus in pulmonibus, aut in eos ex vicinis partibus reſudans, tum ex phlegmone pleuræ membranæ, vel diaphragmatis; vel alterius thoracis partis; tum ex vomica, nonnunquam per tuſſim diuturnam veluti grandines quædam excretæ ſunt: & aliquando cal-

calculus magnus, quo excreto, tuſſis ſtatim deſiit. Denique humor tuſſim excitans ex capite frequentiſſime deſtillat in pulmones, aut in tracheam arteriam. Ceterum ſi humor diſtillans ex capite (Paulo auctore) in nares decumbat, affectum facit, qui Græcis κόρυζα, & Latinis gravedo dicitur: ſi in fauces & palatum, Græcis καταῤῥοον & noſtris deſtillationem vocatam inducit, ſi guttur & aſperam arteriam, ut etiam membranam interiorem, quæ hanc integit, exaſperaverit, βρόγχου & ἀρθηρίακον Græcis itidem vocatum, atque Latinis vocis raucitatem; demum ſi in aſperam arteriam, & in pulmones fluxio irruat, tuſſim excitat. Quæ aut ſicca eſt, id eſt, abſque ſputis, ut in hecticis apparet: vel humida, quippe cum ſputis; hæc iterum, ſi ex pituita viſcida & lenta fiat, vel infarcta pulmonum cavitatibus, vel ex capite decumbente, magna eſt: magna itidem exiſtit, ſed admodum moleſta, ſi ex deſtillatione humoris tenuis fiat: etenim propter ſubſtantiæ tenuitatem humor ægerrime expellitur, unde magnis conatibus contendit natura, ut eum humorem propellat. Parva vero tuſſicula fit, ſed (ut ajunt) ferina, quæ ab humore vel acri, vel ſalſo excitatur, diuturnaque, niſi ſtatim tollatur, evadit, phthiſis nuncia. Eodem modo arteria ulcerata tuſſicula inducitur, quæ etiam in tabem, ni cito medicamentis conquieſcat, homines deducit. Quæ humorum in pulmones decubitu fit, hiſce ſignis innoteſcit: ſentiunt enim in thorace gravedinem, cum vehemente tuſſicula; ſi humor, uti dictum eſt, acris vel ſalſus ſit; ubi autem pituitoſus, magna eſt, cum ſputis humorem ex capite delabentem colore atque ſubſtantia denotantibus; difficulter reſpirant, cum vocis obtuſione, & vomitu cibi, qui à tuſſis vehementia excitatur; nonnunquam adeſt quoque febricula, præſertim ſi humor decumbens ſit calidus, ſcilicet acris, vel amarus, vel ſalſus. Haſque tuſſes ferinas vocant, phthiſis prænuncias: atque tot modis homines tuſſi vexari ſolent, atque ab iis cauſis, quas adduximus. Ceterum his præmiſſis, an hæc paſſio ſtricturæ vel ſolutionis ſit, vel mixta potius ex ſtrictura & laxitate, videndum eſt. Certe non poſſum non vehementer admirari Themiſonem atque Theſſalum præcipuos Metho-

dicæ ſectæ & fautores & auctores voluiſſe (ſi tamen Aureliano credendum ſit, qui de ipſis hoc affirmavit) tuſſim eſſe morbum laxum, fierique ſolutione, eo præſertim argumento, quod cum tuſſi humores copioſius excernantur. Quod tamen maxime à veritate videtur alienum. Neque enim quælibet purgatio aut evacuatio morbum laxum facit; at illa ſolummodo, quæ cum immoderata ſit, vires maxime reſolvit, atque corporis actiones lædit: ſiquidem nulla evacuatio vel purgatio humoris vel ſanguinis moderata, quæ corpus non lædit, morbum laxum inducit. Contra vero, ubi humores vel ſanguis ita immoderate profluant, ut iſta fluxio corpus & lædat & vires maxime diſſipet, ac reſolvat (cujuſmodi eſt immoderata hæmorrhagia vel per vomitum, vel per tuſſim ſanguis immoderatius profluens, vel hæmorrhoidum, vel menſtruorum inſigne profluvium) profluentem laxamve paſſionem inducit. Unde hæ quidem evacuationes, quod naturam manifeſte lædant, morbi laxi dicuntur. De qua re accurate ſcripſimus ſuperius in libro ſecundo. Hinc etiam cum Mnaſea, & Sorano, Aurelianus videtur damnandus, qui tuſſim humidam affectum mixtum eſſe voluit ex laxo atque adſtricto; cum nullo modo facta cum tuſſi excretio per ſputa, ſolutionem ſeu laxitatem denotare queat: cum moderata ſit, minimeque corpus offendat. Etenim neceſſario ut evacuationes per tuſſim morbi ſint, hominis tuſſientis corpus graviter lædere debebunt; cum vero excretio in tuſſi (modo immoderata non ſit) corpus non lædat, quomodo ipſam ſolutionem facere poterimus? Quare rectius, ut credidimus, tuſſis ſtricturæ magis, quam ſolutionis paſſio erit: ut humor intus pulmonum cavitatibus infarctus, dolor thoracis, gravitas, & diſpnæa, febris, atque ſimilia maxime decernunt. Unde laxatoriis medicamentis, ut tollatur, opus erit. Inter quæ primum locum habebit ſanguinis evacuatio è ſecta dextri cubiti vena interna: quam eductionem præcedet aut clyſter mollis laxatorius, aut medicamentum leniens, quo leniter alvus laxetur; hujuſmodi erit, quod accipiet, exempli gratia, pulpæ caſſiæ Abiſſinæ unciam & ſemis, ſacchari candidi pulverizati unciam ſemis; aut caſſiæ ſupradictæ unciam; & mannæ

næ Calabræ uncias duas, cum ſaccharo ſupradicto fiant boli: aut dabitur in potione medicamentum, quod aqua cum rebus pectoralibus, decocta diſſolutum, nimirum, ſi accipias mannæ Calabræ uncias duas, ſyrupi violati laxativi uncias tres: aut ſyrupi laxativi unc. iij. mannæ electæ unc. ij. & cum prædicta potione diſſolvas; parabitur vero decoctum, accipiendo foliorum tuſſilaginis, capillorum veneris, pulmonariæ recentis, althææ, florum violarum, borraginis; an. pug. ij. Jujubas maturas ſiccas, pruna ſebeſtena, num. x. paſſularum dulcium ſine vinaceis, hordei mundi, ſeminum fœnugræci an. unc. med. radicis glycyrrhizæ contuſæ, radicis althææ an. un. i. bulliant in ſufficiente quantitate aquæ ad conſumptionem tertiæ partis; atque hac decoctione pharmaca laxatoria in tuſſientibus propinanda, diſſolventur. Hoc etiam decoctum plurimum juvabit tuſſientes, ſi quotidie, ad ſemilibram, calidum, mane, ante cibum, cum mellis modico, aſſumatur. Quod longe efficacius tuſſim vel etiam antiquam compeſcet, ſi addita ſit uncia radicis iridis ſiccæ, minutim inciſæ, & cum prædictis decoctæ. Maſtahaleb Ægyptiorum vocata potio tuſſientibus maxime utilis eſt, quæ paratur, accipiendo ſeminum malvarum, althææ, fœnugræci, urticæ, fœniculorum dulcium, an. unc. med. radicis glycyrrhizæ raſæ, althææ caulium ſiccatorum, hordei mundi, paſſularum ſine vinaceis, an. unc. i. jujubarum, ſebeſten an. nu. x. Macerentur per noctem in aquæ fontanæ libris quinque, & poſtea bulliant, quoad tertia pars fuerit abſumpta; expreſſioni adde mellis optimi deſpumati uncias quatuor, & iterum modice ebulliant: ſingulo mane ſemilibra calidi hujus decocti propinabitur. Longe plura maſtahaleb ad tuſſim accommodata fuere in libris de Medicina Ægyptiorum à nobis perſcripta. Quæ Medicinæ ſtudioſi habebunt in libris ſecunda editione cum additionibus imprimendis. Aliqui exhibent, pro ſingulari medicamento, ſingulo mane, calidum, quod accipit aquæ chamomeli unc. iiij. ſacchari candidi unc. med. aut mellis deſpumati cochlearis menſuram. Datur & hydrolæum, aut oleum amygdalinum dulce recentiſſimum, cum ſaccharo candido, ad uncias quatuor. Alii propinant fœnugræci decoctum

cum melle; alii decoctum hyſſopi, ficuum, rutæ, aut marrubii itidem cum melle. Datur vero & diuturnis tuſſiculis & fluxione calida ad pulmones, vel ad aſperam arteriam delabente obortis; lac tepidum, ſingulis diebus, jejuno ſtomacho, ad uncias quatuor, aut aſininum, aut caprillum aut humanum. Datur etiam, pro eclegmate, maſſa ex ſaccharo candido, atque ex oleo prædicto conſtans, ad unciam cum eunt dormitum. Alii allium ſub cineribus decoctum, cum melle eodem modo delingendum exhibent: aut butyrum recens cum melle, aut reſinam omnem, itidem cum melle; aut radicem bryoniæ, vel dracunculi, vel ari, cum melle coctam: aut naſturtium tritum cum melle; aut eclegma Alexandri ex æquis portionibus ſucci marrubii atque mellis. Dioſcorides commendavit in difficillima tuſſi ſulphur vivum in ovo devorandum: duas itidem baccas lauri detracto cortice tritas ex vino. Quod pertinet ad externa, inunctiones commendantur, ex oleo amygdalino dulci, chamomelino, butyro recenti, pinguedine gallinæ, oleo in quo radix althææ fuerit decocta. Nonnulli ſebum bovinum calidum plurimum ad concoquendas tuſſes commendant. Inungunt pectoris partes, atque dorſum quod inter ſcapulas eſt. Fomenta utiliſſima ſunt ex decocto althææ, chamomeli, malvarum, fœnugræci, lini & ſimilium, ſpongiis adhibita thoraci; aut lanæ molles amygdalino oleo recenti madidæ, calidæque utiliſſime adhibentur: at hæc veſica ſemiplena ſupradictis oleis calidis, ſi eodem modo adhibeatur, & diu detineatur, non minus tuſſim concoquere poteſt. In victu tuſſientes cibis parce vivant, pro potuque vino diluto dulci, aut aqua hordeacea cum ſaccharo, aut mulſa diluta; & ſervetur quod in ſcola Salernitana ita legitur:

Eſuriat, ſitiat, vigilet, qui rheumata curat.

CAPUT XIII.

De aſthmate

MEdici ſuſpirioſos, atque aſthmaticos vocant, qui veluti citatiori curſu ſine febre reſpirant: & orthopnoicos, qui ſuffocari metuentes omnem figuram totius thoracis rectam, reſpirando ſervant; aut qui non niſi recta cervice reſpirant. Etenim aſthma eſt motricis facultatis ſymptoma, in quo ægri crebra tuſſi correpti ſpiritum ſine ſono atque anhelatione ducere nequeunt. Cauſæ ſunt, aut humor craſſus viſciduſque bronchia ſeu pulmonum cavitates infarciens, ſive in eo viſcere collectus & retentus, ſive ex capite in ipſum delapſus, aſperaſque arterias obſtruens ipſiſque pertinaciter hærens: unde & ſonus, & quandoque ſtertor, reſpirando, in aſthmaticis auditur: aut tuberculum in pulmonibus genitum, cavitates aſperæ arteriæ obſtruens, in pulmone vel in ſpina interius genitum: aut vehemens pulmonum reſiccatio: aut abſceſſus in iiſdem pulmonibus factus. Ab omnibus hiſce cauſis læſis pulmonibus, ægroti cum tuſſi ægerrime reſpirant, omniumque maxime orthopnoici. Si vero hoc malum fiat ab humoribus, omnes cum tuſſi anhelant, & ſputis pituitoſis abundant: qui vero à tuberculo aſthmate vexantur, parum aut nihil expuunt; atque etiam multo minus, qui pulmonibus vehementer ſiccatis difficulter reſpirant: hi quidem plane ſiccam tuſſim habent. Ex abſceſſu vero tuſſiunt cum ſputis, quia ex ipſo in pulmones humiditas reſudat, quæ tuſſi excitata expellitur. Malum eſt ſane hoc & diuturnum & plurimum timendum, à quo, niſi principio probe medicamentis tollatur, ægre ſpirantes eo vel cito ſuffocantur, vel ad mortem uſque detinentur. Eſſe ſtricturæ paſſionem, & magnam quidem, neminem latere putamus, licet etiam fiat cum multa ſputorum excretione, quæ vacuatio nedum, quod laxus (ut perperam Themiſoni, & Theſſalo Medicis viſum fuit) morbus non ſit, non erit cohibenda; ſed quinimo, ſi laxatoriis foveatur, plurimum ſuſpirioſi ſublevantur, atque juvantur. Itaque victus ratio prorſus eadem erit præſcri-

ben-

benda, quæ ſuperiori capite præſcripta fuit tuſſientibus. Cibi enim erunt exhibendi boni ſucci concoctu faciles, qui & extenuent, & detergant, cujuſmodi erit ptiſana hordeacea, cum porro cocto, vel melle: ova ſorbilia cum ſaccharo, carnes hædinæ, vitulinæ, aut pullorum gallinaceorum, aut avium montanarum, ſed in modica quantitate. Vino dulci, albo, non generoſo modico utantur; reliqua in victus ratione ſerventur, quæ in tuſſientibus ſervanda expreſſimus: nunc particulatim ad præſidia laxatoria aſthmaticis congruentia deſcendimus. Phlebotomia dextri cubiti ſecta vena interna aſthmaticis convenit, ſi modo vires commode ferant. Eadem purgantia, quæ tuſſi vexatis auxilio ſunt, etiam ſuſpirioſis conveniunt: aliqui efficaciora cathartica offerunt, cujuſmodi eſt agaricus trochiſcatus ad drachmam & ſemis; & trochiſci alandal ad obolos duos; aut catapotia, vel cochia, vel fœtida, vel de hiera cum agarico, ad drachmam & ſemis. At eductoria medicamenta longe utiliora erunt, quæ in potione propinabuntur. Clyſteres ſimpliciter laxatorii, & cum catharticis, conveniunt. Primas partes inter medicamenta expectorantia, quæ per os aſſumuntur, ſcylla habere videtur, quod ſcilicet valenter extenuet, & detergat; unde mel ſcyllinum, acetum, atque oxymel itidem ſcyllinum eſt efficaciſſimum. Oribaſius jus galli veteris dari ſummopere commendabat, ſi ſingulo mane jejunis ad ſemilibram calidum exhiberetur: gallum rufum, & decrepitum ſale infarciebat, cum porro, & anetho multo, & oleo dulci & pingui decoquebat. Nonnulli thapſiæ radicis obolos quatuor, cum anethi ſeminum ʒiij. ore aſſumendos commendarunt: vel ſuccum expreſſum ex radice ad obolos tres cum iiſdem anethi ſeminibus; aut gummi ejuſdem thapſiæ obolum. Utile quoque erit decoctum hyſſopi, marrubii, iridis radicis ſiccæ, atque adianthi, ex melle epotum. Non minus etiam decoctum radicis helenii, itidem cum melle. Ex eclegmatis vero datur pulmo vulpinus ſiccatus ex melle. Botrys cum vino mulſo, bitumen, ammoniacum, & ſuccus radicis bryoniæ, ad drachmam, ex melle delingenda dantur. Dant quinetiam complures ſandaracham tritam, in exigua quantitate, ſcilicet ad ſemi obo-

obolum, ex vino mulſo. Sulphur itidem vivum ex ovo ſorbili gallinaceo. Præterea audent aliqui arſenicum ſumme exitiale venenum illis exhibere. Narrant quidam nepotem patris fratri decrepito orthopnoico, ut eum interimeret, clam in ferculo ex cucurbita parato porrexiſſe arſenicum, eoque non modo non interemiſſe decrepitum, verum & ab aſthmate prorſus ſanaviſſe. Ex externis medicamentis eadem, quæ ad tuſſim meminimus, erunt admovenda; ſed hæc præterea, nempe emplaſtrum laxatorium, quale Paulus parabat ex lolii farina, ficubus ſiccis pinguibus, reſina, cera, atque melle. Nonnulli ſinapiſmum pectori admovendum, ab eoque ulcera excitata diu aperta ſervanda, ut per ipſa ex thorace humor reſudet, plurimum commendarunt. Ægyptii pectus inurunt, non ferro, aut alio metallo ignito, ſed involuto ex lineis petiis parato, atque incenſo: de quo inuſtionis modo atque uſu nos in libris de Medicina Ægyptiorum ſecunda editione imprimendis, ſatis accurate agemus.

CAPUT. XIV.

De palpitatione ſeu tremore cordis.

COrdis palpitationem etiam ejuſdem viſceris tremorem vocant, quod cor palpitando tremere videatur: ſiquidem motus eſt cordis depravatus à natura inceptus, qui à morbo impediente non perficitur. Facile hic affectus deprehenditur: quandoquidem ægri evidenter cor palpitare ſentiant, aut eo modo moveri, quo aliarum partium palpitationes ex flatu excitatæ, obſervantur: pulſum enim motumve ſimilem aliis palpitationibus ægri apertiſſime percipiunt. Hæc vero paſſio fit ab omnibus, quibus cor lædi poteſt; læſo etenim corde, cujus proprius eſt motus ille ſyſtolis, atque dyaſtolis, id eſt, conſtrictionis, & dilatationis, læditur & neceſſario ipſius motus, vitiaturque. Nonnullis viſum eſt hunc affectum fieri ab iis omnibus, uti dictum eſt, quibus cor graviter lædi poteſt, à quibus & ſyncope quoque fieri poteſt, ſcilicet à forti intemperie vel calida vel frigida, aut venenoſo humore, ab eryſipela-

te, vel inflammatione, aut à tumore præter naturam; inter has vero omnes præcipuas cauſas, Galenus ſtatuiſſe viſus eſt aquam in pericardio collectam impedientem, quominus cor moveatur; à qua cauſa ſi fiat palpitatio, ſentiunt evidenter hoc malo vexati cor ipſum perinde, ac in aqua poſitum, moveri; fit ſæpe etiam tumore præter naturam vel humido, vel duro. Recentiores addunt abſceſſum, ſanguinis abundantiam in pericardio collectam, vapores venenoſos cor petentes, uti in febribus peſtilentibus. Malum eſt vehemens, quod ſyncopen & mortem minatur; ni cito auxiliis occurratur. Stricturæ autem paſſio eſt, & non ſolutionis, ut perperam aliquibus viſum fuit. Quandoque tamen non negandum, eſſe morbum laxum, utpote quando habet conjunctam ſyncopen: cujus quidem palpitationis meminit Galenus in 2. libro aphoriſm. Hippocratis, ita ſcribens: Quomodo is, cui una cum animi deliquio cordis vehemens palpitatio acciderat de repente de medio ſublatus eſt. Quare palpitatio per ſe ſola ſtricturæ paſſio eſt, ſed ſi habeat animi defectum conjunctum, mixta erit ex laxo & adſtricto; de qua nos poſterius in ultimo libro hujuſce operis accuratius agemus. Nunc vero de ſola palpitatione quæ morbus adſtrictus exiſtit, agimus. Cujus profecto curatio, quod paſſio ſtricturæ magna vehemenſque ſit, fiet magnis laxatoriis, inter quæ phlebotomia unum eſt ex maximis laxatoriis quæ hoc malo vexatos juvant Gal. de hoc præſidio inquit: *Palpitatio autem viſceris hujus pluribus integra valetudine degentibus, tum adoleſcentibus tum adultis, ſubito, ſine alio manifeſto accidente, evenire viſa eſt; atque omnes eos ſanguinis detractio juvit. Atque hoc accidente plane liberati ſunt, qui poſt ſanguinis miſſionem uſi ſunt victu, & medicamentis, quibus eſſet extenuandi facultas.* Itaque qui hoc malo vexari ſolent, conſultius agent, ſi ſervata victus ratione extenuantis facultatis, ſemel aut bis in anno ſanguinem ſecta vena, aut adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis, inter ſcapulas, aut cruribus Ægyptiorum modo ſcarificatis, ſibi ipſis adiment, vel, ſi hæmorrhoides ſolitæ fuerint interceptæ, etiam ſanguiſugis appoſitis venas hæmorrhoidales aperiri curabunt: at ſi in mulieribus hoc malum ex ſuppreſſis menſtruis

In 2. arphoriſ. com. 41.

In lib. 5. de loc. affect. cap. 1.

oc-

occaſionem habuerit, tum medicamentis, quæ menſes movere apta nata ſunt, menſium purgatio erit reſtituenda, aut cruribus, uti dictum eſt, ſcarificatis, vel ſecta vena pedis utriuſque interna juxta talum. Juvabit quinetiam, præter ſanguinis evacuationem, ſi corpora eorum, quibus palpitatio cordis fieri ſolet, levibus eductoriis, laxatoriiſve medicamentis laxabuntur, præmiſſa tamen humorum præparatione per extenuantes potiones, quales ſunt, quæ ex jure pulli juvenis ſine ſale in aqua elixi, additis bugloſſo, boragine, agrimonio, petroſelino, meliſſa, ſeminibus vel etiam corticibus citri, parari ſolent; dantur mane jejunis ad uncias quatuor, vel quinque. Medicamentum accommodatiſſimum erit ex laxatoriis rhabarbarum, aut agaricus, aut veratrum nigrum, aut ſena, aut turpetum: horum enim ex vino aromatico infuſum erit propinandum: aut pulvis ex vino, præſertimque rhabarbari, agarici trochiſcati, aut turpeti, aut ſenæ foliorum, ad drachmam. Ex compoſitis hiera erit accommodatiſſima, diaphœnicon, hamech, diacatholicon. catapotia de tribus cum rhabarb. & de hiera cum agarico, cochia etiam vocata cum veratro nigro præparata, & ſimilia. In debilibus corporibus præſtabit uſus rhabarbari, vel agarici, cum manna Calabrica, vel melle roſaceo laxativo, vel ſyrupo roſaceo itidem laxativo. His medicamentis purgatis corporibus, convenient deinde conſervæ bugloſſi, boraginis, roſarum, florum roriſmarini, cum ſeminibus & corticibus citri, cinnamomo, aut caſſia aromatica, aut carpobalſamo. Opobalſamum vero per os devoratum, ad obolum, magni adjumenti eſſe ſolet. Radix quoque angelicæ tranſylvanæ, ad obolos duos, ſingulo mane, ex vino jejunis epota, plurimum juvabit. Ex compoſitis autem convenient Diambra Meſuæ, Diamoſchum dulce, diarhodon Nicolai, aromaticum roſatum, caryophyllatum, diacalamintha, diatrion pipereon, & ſimilia, quæ frigidiori tempore potius, quam æſtate, convenient: atque inter omnia theriaca magna antiqua, fabæ magnitudine, multis diebus devorata. Exterius vero calidæ inunctiones in regione cordis ex oleo amygdalino dulci, chamomelino, anethino, irino, & in quo althæa, vel flores cyclaminis incocti

fuerint. Fomenta itidem ex aqua cum modico vini albi aromatici, in qua fuerint decocta, althæa, chamomelum, roſæ, ſantalum flavum, fœnugræcum, aniſum, & ſimilia. Epithemata quoque parata ex aquis meliſſæ, boraginis, chamomeli, roſarum; florum citri, ad libram, cum ſpeciebus cordialibus temperatis, caryophyllis, ſantalis flavis ad obolos ſex, cum obolo croci, & vino albo aromatico ad uncias duas. Sequuntur morbi adſtricti, quæ ſtomachum ſæpius male habent: cujuſmodi eſt cibi faſtidium, appetitus caninus, & ſimiles alii: de quibus cum in libro ſexto ſcripſerimus, quantum præſens illa illius libri occaſſio requirebat: pauca nunc de iis dicemus.

CAPUT. XV.

De cibi faſtidio, appetitu canino, atque ſiti.

NOſtri cibi faſtidium vocant, malum, quod Græci ἀνορεξίαν dixerunt, ſcilicet cum ſtomachus aut intemperie, ut inquit Paulus, vitiatus, aut humorum redundantia preſſus, cibos averſatur. Cujus quidem cauſa plerumque eſt humor corruptus vitioſus, in ſtomacho contentus imbibituſque, aut ad ipſum aliunde veniens, aut prorſus naturalem ſtomachi facultatem ſua prava qualitate extinguens, ut fit in febribus peſtilentibus & malignis phlegmonis internis. Qua de cauſa plures maluiſſe mori, quam cibum aſſumere, auctor eſt Hippocrates in epidemiis, & nos ſæpe in praxi vidimus. Etenim prorſus extincta facultate ſentiente in ſtomacho, aut à pravis, ſummeque putridis humoribus, aut à vaporibus, tollitur ſenſus ſuctionis venarum, qui, ut Galenus docuit, naturalis fames eſt: ubi vero vitioſus in ſtomacho continetur, non plane adimit, ſed diminuit ſenſum exuctionis venarum; & exinde appetentia cibi deficit, homineſque cibos averſantur. Plerumque autem humores vitioſi qui hoc malum concitant ſunt calidi, ſicci, putridi, & corrupti, quemadmodum frigidorum humorum ſtomachum alterantium proprium videtur, ut cibi appetentiam faciant: unde fit, quod cibos abhorrentes plerumque plurimum

num ſitiant, ructuſque habeant nidoroſos & fætidos. Aliquando etiam fit cibi faſtidium ob affectum plethoricum aut abundantiam crudorum humorum, quam corpus dum non digerit, non inanitur etiam: unde homines quaſi cibis, ut ajunt, ſaginati, eos non appetunt. Hunc affectum morbum adſtrictum eſſe, nemo eſt, qui contendat, ni fiat in maligno lethalique morbo, ſcilicet naturali facultate reſoluta, atque extincta. Itaque laxatoriis hæc paſſio, ut tollatur, opus habet medicamentis. Humor enim vitioſus, in ſtomacho infarctus atque adſtrictus, ſenſum exuctionis diminuens aut vomitu, aut ventriſluo evacuandus medicamento. Vomitus promovebitur aqua tepida copioſius epota, aut hydrelæo calido, aut decocto althææ, aut oleo dulci, vel ſimilibus aliis vomitoriis epotis. Ventriſlua vero, quibus per alvum humores corrupti purgantur, atque huic negotio ſunt accommodata, atque alia hujus mali curationi congruentia, nos accurate in libro ſexto circa finem proſecuti ſumus: ibi ſtudioſe lector ea deprehendito; neque enim eadem repetere voluimus. Unum tamen non eſt in præſentia diſſimulandum, nempe ad hanc paſſionem adſtrictam tollendam nos ibi acida, auſtera atque ſubauſtera plurimum commendaviſſe: quod fortaſſe aliquis dubitavit num Methodicorum placitis convenire poſſet: ſiquidem acida, ſubauſtera, atque auſtera ſint medicamenta adſtrictoria, non niſi laxo morbo congruentia. Veritas erit, appetitum acido atque acetoſo ſapore plurimum gaudere, atque excitari. Acida namque omnia incidendo, extenuando ſine acrimonia, partes humoribus adſtrictas, tumenteſve commode laxare poſſunt. Quare mirum non eſt, ſi obſtructis conveniant, atque ſuppreſſæ urinæ non minus, quia craſſos humores extenuant, atque detergunt: tenuiſſimarum etenim ſunt partium; quibus de cauſis merito laxatoriorum medicamentorum genere à nobis comprehenſa fuerunt. Acetoſa vero habent præter acidum ſaporem etiam modicum auſteri mixtum, qui ſapor, ut etiam Galenus in lib. 5. ſimplicium docuit, in internis viſcerum obſtructionibus tollendis auget roborando facultatem acidorum incidentem, extenuantem, aperientem, atque ab infarctu meatus obſtructos li-

berantem; unde acidos fructus atque acetoſos, itidemque medicamenta acida, acetoſaque ſtricturæ paſſionibus internis non parum congruere videntur. Cibi faſtidio opponitur paſſio Græcis acynodis orexis dicta, & à noſtris caninus appetitus, quod perinde, atque canes facere ſolent, hoc malo vexati plures cibos appetentes devorent; qua ciborum multitudine ſtomacho gravato, neque citra noxam eam ſtomacho ferre valente, ad vomitum ducuntur, eoſque vomunt, poſteaque iterum plures vorantes, & ſtomacho iterum gravato, eoſdem revomunt. Fit hæc paſſio, ut plurimum à frigido ventriculo, potiſſimumque ab humore frigido, crudo, acidoque, exuctionis ſenſum, perinde ac ſuctus naturalis in ſtomacho facere ſolet, concitante. Hi non ſitiunt, acidos ructus habent, cruditatibuſque abundant, unde nauſeabnndi facti ſæpe vomunt. Differt hic affectus à bulimo, id eſt, ab ingente fame, quæ paſſio ſolutionis eſt; etenim hac paſſione vexati cibos quidem multos aſſumunt, qui uſque adeo à naturali calore coquuntur digeruntque, ut exinde corpora maxime reſolvantur. Porro cum caninus appetitus ſtrictuæ morbus ſit, proinde laxatoriis quoque tollitur, quibus vero, qualibuſque, ad hunc affectum adimendum uti debeamus, in ſexto libro, in quo de cibi faſtidio ſcriptum eſt, oſtendimus: Non minus, quam etiam fecerimus de medicamentis ad ſitim compeſcendam, cujus curationem ibi quoque tradidimus. Qui affectus itidem ex adſtrictis eſt, cum, ut ibi diximus, foveatur aut à ſumma caliditate partium internarum, aut à præſentia humorum calidorum. Aliquando vero ſitis non ſtricturæ paſſio, ſed ſolutionis eſſe videtur, cujuſmodi fieri ſolet ab æſtuoſiſſimo calore febrium ardentiſſimarum ſynocharumque, & maxime æſtuoſarum: in quibus merito omnes Medici algidam aquam propinant; de quibus ſuperius à nobis ſcriptum eſt, & fortaſſe aliquid etiam rurſum dicturi ſumus in ultimo libro hujus operis, cum ſermo à nobis fiet de morbis mixtis ex adſtricto & laxo, quo genere ſitis quoque comprehendi poteſt.

CAP.

CAPUT. XVI.

De hepatis atque lienis obſtructione, & ſcirrhoſi.

HEpar obſtructionibus maxime eſt obnoxium ob venas capillares per ipſius viſceris cavam & gibbam partem, & à vena cava vocata, & à porta diſſeminatas. In his vero fit obſtructio aut ex flatu, aut ex craſſo lentoque humore intercluſo atque infarcto. Cauſæ antecedentes ſunt cibi craſſi lentique nutrimenti, vinum craſſum, nigrum, & dulce, aut aqua pro potu, vel in ciborum uſu paluſtris, & cænoſa, exercitium, balneæque à cibo. Paulus ſcribit: gravitatem cum diſtentione & doloris ſenſu in dextra præcordiorum parte, nullo ſubſtante tumore, nullaque febre urgente, venarum ſignificare obſtructionem in hepate, aut in cava ejus parte, aut in gibba, ſcilicet in ipſius venis parvis à cava vena atque à porta exporrectis. Lien quoque à melancholico humore ſæpe obſtruitur: cujus quidem paſſionis notæ ſunt, ut in liene obſtructo ægroti ſentiant gravitatem, diſtenſionem, atque dolorem gravem. Patiuntur vero, quod eſt gravius malum, hæc duo viſcera, ſcilicet jecur, atque lien, tumorem ſcirrhoſum, ſcirrhoſim Græcis appellatum: de quo nunc quoque pauca ſunt à nobis dicenda. Plerumque in hepate poſt aliquam obſtructionem, atque etiam manentibus in ipſo & auctis obſtructionibus, tumor fit, aliquando cum inflammatione (de quo ſuperius ſufficienter egimus) & aliquando citra inflammationem, qui facile, tenuioribus humoribus digeſtis, craſſioribuſque induratis, congelatiſve in ſcirrhoſam duritiem mutatur. Proinde de eo, qui ex phlegmone fit, Paulus ita inquit: *At ſi tumor in ſcirrhoſam affectionem deciderit, dolores quidem remittunt; ſed tumor cum duritie eſt conſpicuus: quæ ambiunt partes extenuantur, & tempore procedente difficulter poterunt diſcerni, quippe aqua inter cutem protinus comitatur, & tota præcordia humiditate conteguntur.* Aurelianus ceteris accuratior in ſcirrhoſis ſignis proſequendis viſus eſt; primo enim ſigna meminit omnibus ſcirrhoſi affectis communia; & poſtea propria: inquit enim: omnes gravedinem ſentire, difficul-

Gal. lib. de coſtit. artis med. c. 17.

culter ſpirare, eoque difficilius in itinere & ambulationibus clivoſis, pigros atque tardos eſſe in motu, anhelantes, ſiticuloſos, ipſorum colorem mutari, pedes tumefieri, aliquando ſimul cum his adeſſe latentem febriculam, hydropiſin, ſuffuſionem, atque continuam cibi corruptionem. Ex propriis vero ſignis hepaticæ ſcirrhoſis, eſt durities extans in dextra præcordiorum parte ſchemate rotundo, coſtis ex aliqua parte ſubjecta, & propterea veluti deciſa, ex alia vero parte circumſcripta atque rotunditate terminat, ſæpe color auriginoſus ſive arquato ſimilis apparet: urina veluti ſandarachæ colore turbata: acceſſionis tempore dolor extendens uſque ad dextrum jugulum; difficilis ſupra latus ſiniſtrum decubitus, ſiquidem dextræ partes tumentes ſuo pondere propendentes ſunt, idcircoque gravedine ob pondus ſuſpenſi jecinoris, punctione, ob diſtractam ac divulſam membranam, cui jecur adnexum eſt, & quæ cum diaphragmate colligatur, læſi commode eo decubitu minime uti poſſunt. Egeſtiones apparent bilioſæ. In lienis vero ſcirrhoſi, apparet extans durities, atque ſaxea ſub parte ſiniſtra præcordiorum ſchemate longo porrecta, & veluti pectus invadens, vel umbilici ſæpius tranſgrediens finem, atque latitudine ſuperans, nunc minime, nunc vehementer, ut omnia cohærentia videantur, ut nihil videatur ſub coſtis inane jacere, quod tamen vacuum in ſanis deprehenditur, & inſpicientes eo falluntur, ut membranam tumere ſive extare putent, quam Græci peritonæon vocant: color plumbeus, atque acceſſionis tempore dolor tendens ad jugulum ſiniſtrum, & palam, & difficilis ſupra dextrum latus jacendi copia. Plerique memorant pediculorum multitudine ægrotantes affici, & graviore per ſomnum ſudore, atteſtante veretri in officio ventris erectione, & aſſiduo è naribus ſanguinis fluore. Præterea in ipſis os fætet (quæ & Paulus expreſſit) gingivæ exeduntur, ulcera in cruribus oborta cicatricem non recipiunt, atque varices itidem in cruribus apparent. Utraque viſcerum paſſio ſtricturæ eſt, ea excepta, quæ cum profluvio ſanguinis è naribus obſtructum aut induratum jecur aut lienem tenet; hæc enim habet conjunctam ſolutionem: de qua paſſione in ultimo libro agemus; nunc

de

de utriuſque viſceris obſtructionis & ſcirrhoſis curatione per laxatoria agimus à phlebotomia magno inter cetera laxatoria medicamento exordientes. Nam horum viſcerum obſtructio atque ſcirrhoſis ratione partis affectæ magnæ paſſiones non immerito ſunt judicandæ, cum ipſas aqua primum inter cutem ſubſequatur, à qua poſtea homines intereunt. Itaque viribus conſentientibus, mittendus erit ſanguis, in hepatica dextri cubiti hepatica ſecta vena, & in ſplenica ſiniſtri cubiti eadem vena ſecta: ſanguis vero in copia modica adimetur, hæc quidem evacuatio, maxime poteſt laxare viſcera hæc adſtricta. Si vero in hoc malum hæc viſcera ex ſuppreſſis vel menſtruis, vel hæmorrhoidibus, inciderint, ſecanda erit vena tali interna in mulieribus, aut crura more Ægyptiorum erunt ſcarificanda, atque hæmorrhoides erunt aperiendæ, ut ſolita evacuatio, quâ intercepta hoc malum factum eſt, reſtituatur. Aurelianus ait cucurbitulas cum ſcarificatione hepati atque lieni induratis vel obſtructis adhibitas juvare, atque etiam hirudines iiſdem partibus appoſitas haud leve laxamentum in ipſis inducere poſſe. Poſt ſanguinis vacuationem purgantia uſum habebunt, inter quæ laudantur vomitoria, vel etiam veratro albo ex Aureliano molienda. Diocles elleboro nigro per ventrem purgabat: Praxagoras, atque Eraſiſtratus, in jecore obſtructo, aut indurato vomitibus itidem atque ventrifluis utebantur. Noſtri vero ad hujuſmodi mala, utuntur rhabarbaro, aut agarico, aut colocynthide, aut centaurio minore, aut turbit, atque ex his ſimplicibus compoſita parant, eaque exhibent. Nonnulli ex antiquis laudarunt ſudorificorum uſum quo ſudores moverentur; at ubi tumor, ſive ſcirrhoſis induruit, inutilis videtur: quia ſudore tenuiores humores abſumuntur; unde craſſi, & lenti magis ſiccati, tum craſſiores, tum magis lenti evadunt, tumoremque reddunt ſanatu difficiliorem, clyſteres quoque utiles erunt molles, laxatorii, ex decocto malvæ, althææ, fœnugræci, lini, chamomeli & ſimilium parati cum oleo chamomelino, aut dulci amygdalino, aut anethino, cum melle, aut ſaccharo rubro, & ſale. Exterius autem ad partes induratas, aut obſtructas, utiles ſunt inunctiones calidæ ex oleo chamo-

melino, amygdalino dulci recentiſſimo, vel ex eo in quo radix cucumeris ſylveſtris, aut althææ, aut cyclaminis, aut ariſtolochiæ rotundæ, aut bryoniæ fuerit incocta; oleum de capparibus, de floribus cyclaminis, irinum, lilinum ad hujuſmodi durities emolliendas eſt maxime accommodatum; eodem modo pinguedines gallinæ, anſeris recentes, & medullæ vitulinæ, hædinæ, porcinæ, atque ovinæ, ſi calidæ adhibeantur plurimum juvant; eodem modo ex ipſis paratis unguentis cum ſucco cyclaminis, bryoniæ, althææ, ebuli, erit utendum; non minus fomentis utendum erit, quæ ex chamomelo, meliloto, althæa, & iridis, capparis, cyclaminis, atque ſylveſtris cucumeris radicibus, ſeminibus fœnugræci, lini, fœniculorum, in aqua cum modico vini albi aromatici decoctis parantur. Aegyptii inuſtione non ex metallo ignito ſed ex involuto de lineis petiis parato, atque ignito ſatis fæliciter hos affectus ſanant, inurendo eo modo, quo nos docuimus in libris de Medicina Aegyptiorum. Complures ex antiquis commendarunt etiam inuſtiones metallo ignito factas præſertimque in liene, ut Themiſoni placuit, qui ait, pungendum lienem obſtructum induratumque tribus vel quatuor locis igneo cautere; eoque præſertim argumento, quod hoc viſcus magis robuſtum ſit, atque hebetioris ſenſus, ideoque minus ab inuſtione, quam jecur, patiatur. Cataplaſmata etiam ex nuper dictis medicamentis laxatoriis, & ex ſimilibus parata erunt huic occaſioni opportuniſſima. Non defuerunt, qui dropaces, ſinapiſmata, veſicantia, atque potentialia cauteria, affectis partibus adhibenda eſſe voluerunt; cum tamen, ut recte Aurelianus animadvertit, quomodo juvare queant, nondum deprehenſum ſit: cum vel etiam ex Hippocrate conſtet, in ſcirrho vexatis, ulcera ægerrime ſanari, quia difficulter cicatrice ea obducuntur. At jam ex internis etiam quædam haud omittemus, quibus obſtructa, indurataque hæc viſcera ad ſanitatem deduci ſolent. Inter quæ ſcylla primas partes habere videtur. Qua ratione acetum ſcyllinum efficaciſſimum eſt ad id mali medicamentum, nam præterquam quod vomitu purgat, etiam valenter incidendo atque detergendo venas ab infarctu liberat, juvat quinetiam mel ſcyl-

li-

linum, vinum, atque oxymel. Robuſtis datur acetum ad unciam, & ad geminam etiam: qui vero ſtomacho imbecillo conſtant, ab eo omnino abſtinere debebunt. Chamædrys ex aceto decocta, ſi exhibeatur per plures dies, hepaticos atque lienoſos ſanat: præclare enim viſcera ab infarctu liberat, unde etiam in febribus chronicis, quod nimirum egregie obſtructiones abigat, apud complures pro ſingulari ſecreto habita eſt. Eupatorium etiam, cum Græcorum, tum Arabum, eodem itidem argumento opportuniſſimum eſt. Datur & ammoniacum ad drachmam ex aceto albo acerrimo. Caules recentes bryoniæ, ruſci, malvarum, cum oleo, aceto, & ſale conditi in cibis utiliſſimi ſunt, ſi prima menſa aſſumantur. Ad lienem induratum Dioſcorides commendat aſplenii cum aceto decoctam herbam, & diebus quadraginta epotam: bryoniæ radicem, ad obolos tres; ſemen periclymeni, rubiæ, capparis, tamariſci, ad drachmam ex aceto diebus multis epotum. Commendatur in robuſtioribus ſquamma ferri ad denarium ex aceto epota: atque vinum ferratum in quo ſcilicet ignitum ſtomoma ſeu ferrum pluries fuerit extinctum; hac noſtra ætate habetur ſtomoma probe paratum, ita, ut ad hoſce affectus tuto & commode ad tres obolos uſque aſſumi poſſit. Atque hæc ſunt, quæ de obſtructo, induratoque jecore, atque liene fuerant à nobis dicenda.

CAPUT. XVII.

De morbo regio, ictero appellato.

MOrbum regium, de quo ſcribimus, homines appellarunt, quod in aulis regum molliter curetur ludis, laſciviaque per quæ mens exhilaretur: quem alii vocarunt arcuatum, à colore, ut inquit Celſus, arcus cæleſtis æmulo; icterum etiam, à colore galbulæ avis, ut quibuſdam viſum eſt; atque demum auriginem alii dixerunt, à bilis colore aurum imitante. Eſt hic affectus bilis aut flavæ aut atræ per totum corpus effuſio. Unde duplici colore ictericia diſtinguitur, ſcilicet flavo atque atro. Quæ paſſio hiſce ſignis deprehenditur: color enim cor-

poris mutatur in fellis qualitatem aut flavam aut atram: qui color primo apparet in albo oculorum, plantarum talis, vel in venis, quæ sub lingua sunt: alvus siccatur, & quæ egeruntur, sunt alba, & argillosa; urina est crassior, atque sandarachæ colore: oris amaror, sitis, cibi fastidium, corpus grave, pigrum, atque segne, insuetæ partium carnosarum palpitationes, animi difficultas, pruritus, ariditas corporis, ac veluti solis exustione cutis superficies aspera: sæpius in jecore tumor, sive saxea durities, vel in liene constituta: de qua in proximo capite egimus: qui morbi, si ab ipsis causam habuerit ictteritia, ut hæc passio tollatur, prius erunt sanandi. Verumenimvero icterica hæc passio, aliquando critice apparet, nimirum in morbis natura ex alto bilem critice propellente, cujusmodi est, quæ febricitanti superveniens febrem finierit. De qua Hippocrates inquit: *Quibus in febribus morbus regius septimo vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit bonum, nisi dextrum ilium obduruerit.* Hæc porro ictteritia medicamentis, ut tollatur, non eget: sponte enim ipsam natura digerit, aut balneo calido, aut frictioni moderatæ facile cedit. Plerumque vero symptoma est jecoris male affecti, aut lienis, si color ictericus ater sit, scilicet aut obstructi, aut inflammati, aut scirrho indurati. Etenim hæc fit, ubi ipse lien melancholicum humorem, qui veluti limus sanguinis existit, vel ob facultatem attractricem infirmam, vel ob meatus, per quos ad lienem trahebatur, obstructionem, vel ob phlegmonem, aut tumorem scirrhosum non attrahit: quo humore una cum sanguine non repurgato, sed in universum corpus effuso, cutis colore atro inficitur. Eodem itidem modo de flava ictteritia dicendum est, namque hæc itidem fit, aut hepatis, aut vesiculæ fellis morbo: hæc, inquam, ob infirmam attractricem aut propter meatuum, quos Græci cholodochos appellant, id est, ductuum ad ipsam venientium, obstructionem, vel phlegmonem, vel tumorem, ex venis ad se bilem, non atrahat, sanguis non repurgatus effusus per corpus ictericum colorem facit. Signum proprium hujus passionis ab iis causis obortæ, est in urinis crassioribus color sandaracæ, tingens pannos lineos albos, atque chartam

In 4. aphor. 64.

cro-

croci colore. Si cum febre, & biliosis dejectionibus invadat, & in præcordiorum dextra parte gravitas adsit, fervens jocinoris phlegmone significatur, cujus vi sanguis in bilem mutatus per universum corpus defertur; si autem fervor citra gravitatem in ipso subsistat, malum ex jecoris calida intemperie fieri, indicio est. Si vero absque febre fiat, vesiculæ fellis malum, vel ipsius meatuum indicatur, scilicet uti dictum etiam est, factum vel ab obstructione ipsorum, aut ob tumorem, aut ejusdem vesiculæ ob facultatem attractricem ex venis ad se redditam debilem, aut ob expultricem ab ipsa ad intestina itidem redditam imbecillam, vel ob meatuum ab ipsa fellea vesica ad intestina bilem ducentium itidem obstructionem, aut tumorem. Horum proprium esse videtur, ut per alvum alba, & argillosa dejiciant, atque urinam croceam reddant; si gravitas præcordiorum dextram partem premat, obstructionem; si pressu durities sentiatur, tumorem ictericiæ causam esse deprehendimus. Atque icterica passio à prædictis causis ortum ducit, quibus nunc hasce alias addimus, scilicet calidam solidarum partium intemperiem mutantem alimentum in bilem: deinde medicamenta cathartica, & lethalia, atque virus à serpentibus aliisque feris venenosis morsu corporibus illatum. Passio hæc strictura est, & idcirco laxatoria præsidia pro curatione indicabit, eademque plane quæ ad hepatis lienisque cum obstructionem, tum tumorem scirrhosum tollendum superiori capite meminimus. Itaque convenient omnia superiori capite præscripta, nempe phlebotomia pro sanguinis missione, modo vires ferant, aut cucurbitulæ cum scarificatione scapulis, atque præcordiorum parti affectæ, appositæ, aut hirudines hæmorrhoidibus etiam, si eæ forte fuerint interceptæ, & in mulieribus, si menstruæ purgationes defecerint, sectio venæ tali, aut poplitis internæ, aut crurum scarificatio. Purgantia itidem vomitoria, & ventriflua, quæ bilem educere apta nata sunt, erunt utilissima. Aurelianus ait, perseverante passione, veratri albi decocto propinato, etiam corpus esse agitandum: verumtamen catharticorum usum frequentem damnavit, nimirum, quod frequenti illorum usu sitis extendatur, & solidioris cibi fasti-

dium duplicetur, & corporis fortitudo minuatur, & cibi aſſumpti in ſtomacho corrumpantur, & omnis corporis materia adulterio medicaminum deterior fiat, cum corporis quidem habitudo tota fuerit mutata. Laudat & ipſe deobſtruentia, atque per urinam purgantia, urinalia ab ipſo vocata. Concedit abſynthium potui datum, aut ſuccum intybi agreſtis duobus cyathis: tum intyba cocta cum vino, tum aſparagum, daucum, fœniculum, aliaque diuretica, id eſt, urinam moventia, ut caules recenter nati ruſci, vel bryoniæ, vel tamariſci, vel aſparagorum, vel ſimilium, quæ generoſe cient urinam. Quorum uſum frequentiorem etiam damnavit, quinimo inquit, multos haud ictericos frequentiori uſu conſimilium medicamentorum ictericos factos fuiſſe: & nos vidimus nonnullos obſtructos eorundem medicamentorum frequenti uſu tumorem ſcirrhoſum in viſceribus, quo vitam finierunt, contraxiſſe. Optimum quoque eſſe ſublatis, & obſtructionibus, & tumoribus, ſudorificum præſidium: qua ratione ſudare in balneo juvabit, plurimumque in aquis naturalibus aut ſulphureis, aut bituminoſis, vel in balneo Laconico, quod fit ex ſuffitu & calore ignitis lapidibus decocto aſperſis excitato: de quo ſuperius non ſemel meminimus. Hæc cum iis, quæ ſuperiori capite complexi ſumus, medicamenta ad ictericos ſanandos nobis ſufficient.

CAPUT XVIII.

De renum & veſicæ calculis.

RENum affectum, in quo à calculis homines vexantur, Græci lithiaſin appellant, noſtri renum calculum, & Aurelianus calculationem itidem vocavit. Dolor eſt, qui à calculis introcluſis modo in altero rene, modo in utroque, modo in vaſis ureteribus homines vexat. Cujus notæ ſunt propriæ, quod dolor ſit gravis, videaturque in ipſis renibus infixus inſtar pali impacti; ejuſdem lateris ac è directo teſticulus dolet; femur quoque ejuſdem lateris obſtupeſcit; alvus initio ſicca, aliquando tamen ſed raro excernit: excernit vero clyſteribus ex-

excitata flatus, atque ſtercus bilioſius: urinæ paucæ & arenoſæ prodeunt. Diſtinguitur à colico dolore, quoniam hunc in dexteriore potius ilium parte nephritici ſentiunt ad ſtomachum uſque, & jecur, aut ad lienem extenſum: in his alvus omino cohibetur, adeo ut ne ſpiritus quidem per podicem excernatur. Ubi vero calculus veſicam divexat, hæc ſigna apparent, ſcilicet præter dolorem, qui acutus eſt, ſed minor, quam in renibus fiat, urina cruda ſubalbidaque excernitur, cui ſubſidet arenoſum; pruriunt laborantes crebro & contrectant pudendum, intenduntque, & continue ad urinam reddendam urgentur, ac ſtillicidio ejuſdem vexantur, aliquando repente urina ex toto ſupprimitur. Aurelianus longe accuratius hunc affectum expreſſiſſe videtur. Etenim inquit, hunc affectum ſequi dolorem ſecundum pectinem, atque veretri radicem, & ilia, & clunes, & magis in initio, & fine urinæ reddendæ: tum fervor incendioſus, item pulſus, & extantia partis affectæ, cum jugi ac frequenti urinæ reddendæ deſiderio, & repentina ceſſatio, ac rurſum excretio ſeu mictio fit cum dolore intolerabili per ſingulos mictus, ut extenti ægrotantes etiam ventum per podicem reddant, aut ipſe podex procidens excludatur; præterea ſupinus decubitus urinæ exitum facit faciliorem, nimirum quoniam in eo corporis habitu lapis in veſicæ amplitudinem relabitur, ex colli anguſtiis. Quidam denique neceſſitate coacti defixo capite ſuper latis ſedibus ſeſe poſuerunt, ut lapis anguſta deſerens loca, atque veſicæ aditum repetens, mictus tribuat facultatem. Mulieres denique etiam, digitis intromiſſis in muliebrem ſinum, ſibimet ipſæ hortatione quadam provocando lapidem emiſerunt. Pueris vero veretrum magis prominens fit. Sæpe etiam extantia quædam ægrotantibus occurrit, ſi ſuo podici digitum injecerint. In urina ſedimenta apparent aliquando craſſiora & pallida, aliquando arenoſa, & ſaxoſa: Quibuſdam itidem aſper lapis, aut ſanguinolentus excluditur, & ſanioſus. Sed quoniam ſigna hæc prædicta communia ſunt, & contingit ſæpius, non cognoſci, an urinæ difficultas fiat à calculatione, cum non raro fiat, vel à grumo ſanguinis, vel ab ulcere in veſica exiſtente; idcirco conſultius erit, ut lapidis ſuſpi-

picio confirmetur intromiſſo catethere ſolido, non fiſtuloſo. Hiſque notis nobis lapides ſive calculi tum in renibus geniti, tum in veſica innoteſcent, atque deprehendentur. Pleriſque viſum eſt, materiam lapidum eſſe crudum humorem, craſſum, viſcidum, pituitoſum; atque cauſam efficientem eſſe calorem ſiccantem, cogentemque. Quibuſdam etiam perſuaſum eſt, frigiditate eam materiam cogi in lapidem: ſed cum in corpore vivente nunquam tanta ſit frigiditas, quæ humorem cogere in lapidem queat, idcirco nobis rationabilius videtur, à caliditate exurente lapides fieri, niſi dixerimus cum Georgio Agricola lapides fieri ex ſucco lapideſcente, qui cum uſque adeo ſuapte natura aptus natus maxime ſit, ut lapidis formam recipiat, mirum non eſt, ſi ex leviſſima etiam cauſa caloris, vel frigoris, lapis fiat. Hinc ajunt adamantem, carbunculum, ſmaragdum, ſapphyrum, atque alios lapillos pretioſos gigni, cum in locis calidioribus, tum in frigidioribus. Inſuper contendunt alii non dari, neque generari lapides in renibus atque veſica ſeparatim, at unum eundemque eſſe lapidem cum renum tum veſicæ, nimirum quod primo lapides in renibus facti in veſicam deſcendant, in eaque augeantur, concreſcantque. Quod tamen à veritate eſſe alienum, hoc argumento maxime deprehendi poteſt, ſcilicet, quod omnibus liquido conſtet, inventos fuiſſe calculos lapideſve genitos in compluribus partibus corporis, nimirum in capite, in pulmonibus, in hepate, in fellea veſica, in liene, in meſentereo, in inteſtinis, in renibus, in veſica, atque etiam in longe pluribus aliis partibus; præterea, quod renum lapides ab iis qui è veſica educuntur, figura, magnitudine, colore apertiſſime differant. At de iis, aliorum eſto judicium; nunc ad rem redeuntes, dicimus lithiaſim quoque eſſe ſtricturæ paſſionem, quæ laxatoriis medicamentis opus habet, tam ut ab ipſa calculi generatione homines præcaveantur, quam ut præſentes introcluſi, & acerbius ægrotos divexantes excludantur; qui certe ubi lapideam duritiem adepti ſint, nullo medicamento comminui, & educi poſſunt. At hac ætate eductio calculorum, quæ ſectione fit, uſque adeo facilis & tuta reddita eſt, ut nos complures vel etiam ſenes ſeptuagenarios facta ſectio-

ctione à lapide veſicæ fuiſſe omnino liberatos viderimus: adeo, ut ipſi poſtea multos annos integra valetudine ſupervixerint. Sed Aegyptii, ut nos oculatim vidimus, ſine ſectione lapides è veſica per meatum pudendi, magnitudine nucis avellanæ, & paulo etiam majores, abſque ulla noxa educunt. Ore etenim ſpiritum vehementer attrahendo, in quandam cannulam membraneam intra os veſicæ uſque per penis meatum, ſeu canalem, vento plurimum ampliatum, intromiſſam, digito intra anum poſito, lapidem in ipſius quidem cannulæ os intra veſicam, uti dictum eſt, perveniens deductum violento quaſi raptu ore ſpiritum fortiter attrahendo, cannulam cum lapide per penis canalem, ſeu meatum, extrahunt. Sed quomodo Aegyptii prædicto modo lapides educant, nos in libris de Medicina Aegyptiorum ſcripſimus. Itaque & quomodo præſerventur, ne in renibus, & in veſica lapides generentur, & quomodo etiam imperfecti, ſcilicet tophacei nondum lapideam duritiem adepti, ſed aliquatenus friabiles comminuantur, & educantur, nunc dicemus. Itaque ex laxatoriis convenit phlebotomia, purgatio, viarum laxatio, & qui per os aſſumpta craſſum humorem incidunt, extenuant, atque detergunt, abluuntque renes atque veſicam, doloremque & illarum partium exaſperationem demulcent. Præmittetur clyſter mollis, aut exhibebitur catharticum lenitivum, cujuſmodi erit caſſia cathartica ad unciam & ſemis, cum pulveris radicis glycyrrhizæ drachma, & ſaccharo candido pulverizato: aut dabitur eadem caſſia ad unciam, & ſuperbibent ægroti ſeri lactis caprilli libras tres: aut dabitur medicamentum ex manna, aut ex ſyrupo roſato laxativo, vel ex melle roſato itidem laxativo ad uncias quatuor, ſero lactis diſſolutas: & ſuperbibent ægroti ſeri ſupradicti libras tres. Altera die ex ſecta vena interna dextri cubiti ſanguis ea quantitate evacuabitur, quam vires commode ferent: & poſtea eadem repetetur evacuatio è ſecta vena poplitis dextri cruris, ſi commode ſecari queat, aut ex vena malleoli, aut ex cruribus ſcarificatis; atque demum haud erit inutile ſanguiſugis aperire hæmorrhoidas, præſertimque ſi ſolitæ fluere defecerint. Deinceps corpus evacuabitur electivo pharmaco, ſed prius præpa-

ratis humoribus, medicamentis incidentibus, detergentibuſque abſque multo calore. Pro purgatione vomitus maxime laudatur jejunis provocatus, aut aqua tepida cum ſyrupo acetoſo, aut oxymelite ſimplici, aut ſcyllino, vel cum acori modico copioſius hauſta: per ventrem vero purgantia maxime congruent, atque ex iis agaricus, rhabarbarum, aut turbit, aut colocynthis, aut polypodium, aut elleborus, aut mechoacan, aut ſimile aliud ex ſimplicibus, eo modo, & ea doſi parata, quibus ea in colicis doloribus convenire ſuperius diximus. Ex compoſitis conveniet hiera picra ad drachmam, pilulæ de hiera cum agarico, diacolocynthidoſque & ſimilia. Poſt corporis purgationem, etiam renes purgando laxare oportebit, nimirum vel ſero lactis caprilli acido limonum clarefacti quotidie à libra una uſque ad quatuor libras, cum lacte ſemin. melonis, aut cum ſucco roſarum, aut cum ſyrupo roſato ex ſimplici infuſione roſarum: in viro adulto propinabuntur libræ quatuor prædicti ſeri, cum ſemin. melonis lacte opera ejuſdem ſeri expreſſo ad uncias 4., & ſyr. roſ. ſimpl., violati an. unc. 1. Utiles ſunt aquæ naturales in agro Patavino B. Virginis vocatæ, ſi quotidie ad libras xv., & plures etiam bibantur, per decem, & plures dies: aut Villenſes vocatæ de agro Lucenſi ad libras quatuor. Hæc omnia renes abluentia detergentiaque calculoſis conducent, modo calculi vel in veſica, vel in renibus geniti non ſint. Si vero in iis membris lapis exiſtat, ægroſque doloribus divexet, nihil pejus quam abluentia, & detergentia exhibere medicamenta: etenim viſciditatibus veſicam, aut renes munientibus, quominus à lapidum aſperitate lædantur, deterſis, deterſiſque itidem quadantenus lapidibus, atque exinde aſperioribus redditis, renes, aut veſica magis doloribus conflictabitur. Si vero nondum lapides fuerint geniti, ad tollendos humores craſſos viſcidoſque quibus ſiccatis, & coactis, lapides in hiſce viſceribus fiunt, mirifice juvabunt & ſerum, & aquæ prædictæ, ſi per plures dies ægroti ebibant. Interim utile erit, ſingulis diebus inſeſſionibus uti ex aqua tepida fluviatili, aut ex ea, in qua malva, althæa, fœnugræcum, viola ebullierint: in quibus ſpacio unius horæ calculoſi immerſi uſque

que ad umbilicum manebunt. Inunctiones itidem juvabunt ex dulci oleo amygdalino, chamomelino, roſaceo, aut communi dulci temperate calido: aliqui commendant oleum ex ſcorpionibus paratum, quo inungantur lumbi, pubes, & teſtes cum perinæo. Ad eaſdem partes congruent etiam fotus ex ſupradicta aqua, cum malva, althæa, fœnugræco, & lino parati: item ex hydrelæo cum veſica, aut ſpongia excepto. Hæc prædicta externa præſidia juvabunt particulatim eos magis, qui actu à lapidibus dolore excruciantur. Paulus ad calculoſos commendat ſuperfuſiones, cataplaſmata, fotus, atque inſeſſus, relaxantes, & lenientes, qui ad colicos dolores uſurpari ſolent. Quibus multum quoque conferet lac aſininum, vel caprillum calidum, ſingulo mane, per plures dies epotum ad uncias quatuor, ante cibum. Demum addamus medicamenta ſingularia ad lapides tophaceæ duritiei comminuendos, atque educendos. Ex veteribus plerique commendarunt, ad lapides comminuendos, & ad urinam ex ipſis impeditam movendam, acetum ſcyllinum, jejunis epotum; decoctum itidem radicis, foliorum, atque ſeminis althææ, atque adianthi, radiciſque ruſci, foliorum, & ſeminis, in vino albo paratum; itidemque anonidis corticis radicis ex vino decoctum; aut corticis lauri radicis, eodem modo epotum ſummopere commendatur: datur potui & oleum amygdalinum amarum, calidum, ad uncias quatuor: datur & decoctum umbilici veneris, ſcilicet foliorum, atque radicis; pro ſecreto aliqui dant decoctum foliorum ſempervivi arborei Cretici; non minus lapis judaicus è cote detritus cum aquæ calidæ cyathis tribus epotus laudatur. Ligures ſe à calculis præſervant, quotidie ante cibum aſſumentes ſuccum limonis ad unciam cum ſaccharo: profecto, ut nos in praxi vidimus, hoc medicamentum eſt ex maximis lapidis generationem prohibentibus, ut & acetum ſcyllinum epotum idem præſtare diximus. Namque materiæ craſſitiem maxime extenuant, atque detergunt.

CAPUT XIX.

De priapiſmo.

CUm nos in ſeptimo libro de ſatyriaſi ſcribentes nonnulla quoque ea occaſione de priapiſmo fuerimus complexi, reſtat, ut pauciora de hoc affectu à nobis ſcribenda ſuperſint. Priapiſmum antiqui hanc paſſionem nominarunt, à Priapis quondam hortorum Diis, qui fingebantur rigido veretro ſeu pene arrecto. De qua paſſione Demetrius Attaleus vel Apameus, auctore Aureliano, in libro ſignorum, dixit, quod in quodam viderit ſene, atque in ſeipſum manu operante, nec quicquam tamen potuiſſe peragere; tenſionem autem fuiſſe veretri nimiam, cum parvo dolore, ut cornu putaretur, & ita perſeveraſſe multis menſibus, nullo quoque adjutorio medicinali ceſſiſſe; ſed tardo atque longo tempore quieviſſe. Aurelianus inquit: priapiſmum eſſe paralyſim ſeminalium viarum, & aliorum nervorum ad veretri partes attinentium, quorum diſtenſione ægroti afficiuntur. Nos vero paralyſim eſſe negamus, at potius convulſionem partium genitalium. Paulus ex Galeno ſcribit, priapiſmum eſſe firmum ſtabile, ſeu permanens genitalis incrementum, quod in longum latumque intumeſcit, citra veneris appetentiam. Fit hoc malum, ut Paulus docuit, cum flatulentus ſpiritus particulam in tumorem attollit, ex humoribus craſſis, & viſcoſis modici caloris opera procreatus. Galenus ob arteriarum ora immodice patentia laxatave hunc affectum fieri addit: etenim lumbis calefactis, arteriæ quoque calidiores redduntur, ideoque oſcula ipſa laxiora amplioraque evadunt, unde plurimum ſpirituum eſſentiæ in fiſtuloſum nervum illabitur, quo coles oppletur, tenditur, arrigiturque. Quæ cauſa priapiſmi ſi vera eſſet, profecto ægroti calorem perpetuum in lumbis cum dolore & aliquando cum febre ſentirent; perindeque affectus inflammatorius diceretur, qui ſatyriaſim faceret, id eſt, veneris appetitum inexplebilem. Cum vero nullum veneris deſiderium faciat priapiſmus, propterea aut à flatulento ſpiritu, ut ex Paulo dictum eſt, replente nervum, aut à copia ſeminis immoderata facul-

In lib. 3. acut. cap. 18. & in 5. chron. cap. 7.

In lib. 5. chron. c. 7.

In 6. de loc. effect.

ta-

tatem ſeminis expultricem ita diminuente, ut neque manu fricato pene arrecto, neque mulieris concubitu, ſemen excernatur, & durities (ut Demetrius Attaleus in ſeipſo expertum ſe fuiſſe poſteritati tradidit) eadem perſiſtat. Itaque paſſio ſtricturæ eſt, quæ laxatoriis medicamentis, ut tollatur opus habet, iiſdem propemodum, quæ de ſatyriaſi affectu ſimillimo in libro ſeptimo ſcribentes meminimus, ſcilicet, ſanguinis vacuationem per venam ſectam, cucurbitulas cum ſcarificatione, hirudines lumbis, pubi, inguinique appoſitæ coxendicumque & crurum ſcarificationes: corporis item purgationem per agaricum, turpetum, vel colocynthidem, vel elleborum, vel per alia ſimilia medicamenta cathartica; aut quæ ex jam dictis ſimplicibus habentur compoſita, cujuſmodi eſt hiera picra Galeni, diacolocynthidos, diaphænicon electuarium vocatum, confectio hamech, diacatholicon, & ex catapotiis cochia vocata, de tribus cum rhab. de hiera cum agarico, & ſimilia. Poſtea per os medicamenta moderate calida juvabunt, cujuſmodi eſt decoctum ex bugloſſo, borragine, malva, althæa, fœnugræco, petroſelino, & ex ſimilibus. Eodem modo clyſteres molles, fomenta laxatoria, inſeſſus cataplaſmata, inunctiones laxatoriæ convenient paratæ ex oleo dulci amygdalino, chamomelino, de floribus cyclaminis, & ex eo, in quo radix althææ, aut cucumeris ſylveſtris fuerit incocta. Fomenta itidem, inſeſſuſque ex aqua calida, ex hydrelæo, vel ex decocto malvarum, althææ fœnugræci, meliloti, chamomeli, & ſimilium valde utilia erunt. Quod autem medicamenta frigida (ut Dogmatici omnes voluerunt) huic affectui utilia eſſe poſſint, non video, niſi in principio repellendi gratia adhibeantur; namque à calidis, ſed tamen non vehementer calidis (ut Paulus expreſſit) in principio, verum moderate quidem calidis, ſive in cauſa ſit flatulentus ſpiritus, ſive copia ſeminis, ſive humor frigidus, craſſus, viſciduſque, hoc malum ſtricturæ laxabitur, digereturve. Poſterius autem, penis arrectione diu perſiſtente, etiam vehementer calida erunt ad uſum recipienda. Unde Paulus & ſemen viticis, & rutam, & ſimilia calida eſſe adhibenda memoriæ tradidit, ſed nunc ſatis de priapiſmo egimus.

CAPUT XX.

De uteri ſtrangulatu.

MAlum, quod Græcis πνὶξ ὑςερικὴ, & Latinis vulvæ ſtrangulatus, & uteri ſuffocatio dicitur, eſſe ejuſdem viſceris recurſum ad ſuperiora, neminem Medicorum latet; paſſio ſane magna, vehemenſque eſt, & magni periculi plena, citiſſime ægras mulieres interimens, frequenterque viduas, male purgatas, ſteriles, atque juvenculas ad veneremque pronas per circuitus invadit, ut morbus comitialis facere ſolet. Qua paſſione oppreſſæ, ſine motu, ſine ſenſu, atque ſine reſpiratione, quaſi mortuæ, jacent. Quæ gravia ſymptomata excitantur ab illiuſce viſceris ad ſuperiora recurſu, atque decubitu, interna alia viſcera præcipua ſibi contermina magnopere comprimente lædenteque. Paulus inquit: *ſtrangulatus vulvæ ad ſuperiora recurſus eſt, quæ principaliſſimas partes in doloris conſortium perducit, utpote arterias, quas vocant carotidas, cor, cerebrique membranas.* Aretæus vero Medicus antiquiſſimus ſcribebat: *In mediis ilibus mulierum vulva poſita eſt, muliebre viſcus, animalis ferme naturam adeptum. Siquidem per ſe huc atque illuc verſus ilia movetur: quin etiam ad ſuperiora è regione pectoris cartilaginem ſubit: in latera quoque in dextram videlicet, aut lævam partem, aut ad jecur aliave inteſtina movetur: & ad inferiora natura proclivior eſt: utque paucis abſolvam, penitus errabunda eſt, & jucundis odoribus delectatur, ad ipſoſque ſe recipit: contra fœde olentibus contriſtatur, & ab ipſis longius ſe proripit, ac prorſus eſt in homine vulva perinde, atque in animali quoddam animal. Hæc itaque ſi repente ſuperiora petierit, ac diutius ibi commoretur, viſceribuſque violenter incumbat, interdum homo veluti comitiali morbo correpta citra nervorum diſtentiones ſtrangulatur; anguſtiis namque jecur, tranſverſum ſeptum, pulmones, cor celerrime opprimuntur. Qua de cauſa ſpiritus privatio, imbecillitaſque adeſſe videtur. Præterea & venæ ſomniferæ (carotidas Græci vocant) cordis vitium participantes, affliguntur; unde capitis gravitates, & ſenſuum abolitio cum novo quodam ſopore adveniunt.* Atque hæc

In lib. 2. de cauſ. & ſig. acut. c. 11.

hæc eſt accurata gravium illorum ſymptomatum ratio ex Aretæo tradita. Nunc ſigna quibus hoc malum deprehenditur tradenda. *Itaque ſi in ſuperiora ſubeunte vulva vexari mulier inceperit, ad obeunda negotia pigrior redditur, exolvitur, infirmatur, genua labant, vertigo infeſtat, extrema debilitantur, caput dolet, ingraveſcitque, in venis ab utroque naſi latere jacentibus dolerem mulier percipit: quod ſi eciderit, ſtomacho mordetur. Juxta præcordia ilia, ubi vulvæ domicilium eſt, inania ſunt: pulſus intermittentes ſunt, inordinati, deficientes; ſpiritus magnopere angitur, vox intercipitur, ſentiendi facultas impeditur ſpiratio ignota, obſcura, celerrima eſt, nec opinato mors advenit. Ceterum ſi priuſquam malum ad extremum venerit, aliquando vulva in ſedem propriam migret, à ſtrangulatione liberantur, quando alvus ſubmurmurat: humiditas adeſt locorum muliebrium; ſpiritus aſperior, manifeſtiorque redditur: celerrime ab affectu excitantur, quemadmodum & celerrime interitus advenit; nam facile ſuperiora vulva petit, facile quoque inde recedit.* Galenus in lib. ſexto de locis affectis; haud in omnibus hyſtericis præfocatis mulieribus prædicta ſymptomata obſervari tradidit, quando alias viderit ſine ſenſu immobiles jacere cum obſcuro parvoque pulſu, vel omnino ſine ullo pulſu: alias ſentientes, & moveri potentes, atque integra ratione, ſed tamen animi defectione, & difficili reſpiratione laborantes: alias crura & brachia contrahentes. Simillimus hic affectus eſt ſyncopi, catalepſi, apoplexiæ, atque epilepſiæ: at à ſyncope diſtinguitur, quoniam in ipſa nullus eſt pulſus, ſudor circa faciem frigidus, & pallor apparet odorataque naribus admota juvant. Contra vero in uteri præfocatione pulſus, licet languidus aliquis ſentitur, nullus ſudor erumpit, pallor faciei minor, quinimo facies, quo pejus ſe habent mulieres, eo ad ruborem magis inclinare (auctore Aretæo) videtur: odorata autem naribus admota hyſtericas lædunt. A catalepſi vero diſcernitur, quia in ipſo affectu rigor aut refrigeratio ſentitur, qualis in corpore gelu concreto videri ſolet: quæ in præfocatione non obſervatur. Ab apoplexia itidem diſtinguitur, quoniam in ipſa non ſentiunt, etſi pungantur; hyſtericæ vero ſentiunt puncturas. Et demum ab epilepſia etiam

di-

diſcernitur, quod præfocatæ mulieres non diſtorqueantur, neque concutiantur, ut epileptici. Cauſæ, à quibus hyſtericæ in hanc paſſionem incidunt, ſunt, ut pleriſque viſum eſt, uteri recurſus ad ſuperiora, à quo compreſſis, læſiſque membris proximis principaliſſimis, gravia ſupradicta ſymptomata excitantur, præſertimque perdita reſpiratio: unde Heraclidem Ponticum librum in quo egit de uteri præfocatione, apnum, id eſt, perditam reſpirationem inſcripſiſſe, Galenus eſt auctor. De qua præfocatione, locutus Plato in Timæo, ita habet: *Ea pars quæ in mulieribus & uterus & vulva nominatur, cum ſit animal prolem generare cupiens, ſi intempeſtivè, diuque infructuoſum fuerit, ſuccenſens ægre fert, erranſque per totum corpus, & ſpiritus meatum obſtruens, reſpirareque non ſinens, in extremam anxietatem dejicit, atque multos alios morbos excitat.* Ceterum uterus non, ut Plato ait, ſurſum trahitur, ſed, convulſionis modo, à ſanguine menſtruo retento, aut ab alio humore uteri ligamentis imbutis, retractiſque. Quomodo autem hoc fiat, docet Galenus in ſexto de locis affectis. Alii probabilius cenſuerunt hoc malum fieri utero refrigerato, à quo refrigeretur univerſum corpus: refrigerari autem, aut ex ſemine retento, aut à menſtruis ſuppreſſis contingit; etenim ſemen paulatim in utero coacervatum, ut in viduis fieri ſolet, putrefactumque refrigeratur, eamque frigiditatem cordi, cerebroque membris principaliſſimis communicando, gravia quidem ſymptomata inducere ſolet; hæcque evenire illis, veluti à veneno quodam (quando ſemen corruptum potiſſimum in corpore cacochymo, venenoſam qualitatem nanciſci videatur) illato. Ex ſanguine itidem menſtruo ſuppreſſo. Idem quandoque evenit, quod & ipſe paulatim in utero collectus, corruptuſque refrigeretur, & eodem vitio uterum afficiendo eodem itidem modo eandem affectionem prædictis membris principalibus communicando eandem paſſionem inducat. Hanc vero apnœam, ſine præfocationem, longe minorem, quam, quæ ex ſemine corrupto fit, eſſe Galenus affirmavit. In ea enim, quæ à retento ſemine fit, mulieres, ſine ſenſu immobiles, ut mortuæ, jacent: ſpiratione tamen non privantur, neque animi defectione, neque

In l. 6. de loc. affect. cap. 5.

In 6. de loc. affec. cap. 5.

aliis

aliis ſymptomatibus laborant, quæ ex ſuppreſſis menſtruis in hanc paſſionem labuntur. Alii addunt humorem quendam in utero inſitum, & putrefactum hoc malum inducere mulieribus. Alii ex flatulento ſpiritu frigidæ qualitatis, vel malignæ uterum præfocationem pati putant. Nonnulli addunt, uterum plerumque primario affectu vitiatum, ab iis cauſis, ut dictum eſt, in hoc malum deduci, ſed ſæpe etiam ex aliis proximis membris læſione ipſi communicata hanc paſſionem pati, quandoque ex ventris repletione, & nonnunquam ab hepate, vel à liene paſſione ei communicata. His itaque conſtabit primum, quomodo, & à quibus cauſis, mulieres apnœicæ evadant; deinde etiam, paſſionem hanc ſtricturæ quidem eſſe, & uſque adeo magnæ ſtricturæ, ut nedum ſpatio diei, ſed intra paucas horas mulieres interimat. Cujus quidem mali ad exitium tendentis ſigna hæc erunt: pulſus primo denſiores evadunt, inordinati, at poſtea prorſus intercipiuntur, exigua quædam humiditas cutis ſuperficiem humectat, & reſpiratio primum obſcuratur, & poſtea penitus tollitur. Quibus ſignis apparentibus, ſolo prognoſtico relinquantur ægrotæ mulieres, ne infamentur remedia. Sed priuſquam eo malum deventum ſit, curatio laxatoriis medicamentis erit molienda: & primo, ut à præſenti paroxyſmo apnœicæ liberentur, atque poſtea, ſi diu ægritudo protrahatur, ut omnino etiam à prædicto morbo præſerventur. Itaque quod primum ex magnis laxatoriis apnœa vexatis conveniret, eſſet phlebotomia: at quia vires prælanguent, à magno hoc laxatorio cavendum erit. Aretæus tamen, ſi uteri ſtrangulatus à phlegmone fiat, phlebotomiam laudavit in cubito, atque mox è malleolo repetitam ſanguinis evacuationem, atque privatim è ſecta vena ad pubem perveniente. At nos de uteri phlegmone curanda in ſeptimo libro ſcripſimus. Igitur primo ad ſublevandas ægras à paroxyſmo incumbendum erit, atque ubi mulieres ſine ſenſu, aphonæ, immobiles, ut mortuæ, ſine reſpiratione jacent, cum pulſu languido, omnino, ut diximus, à ſanguinis evacuatione per venam ſectam abſtinendum erit, quia vires non patiuntur. Ubi vero neque pulſus perierit,

neque ſenſus, neque motus, neque animi defectio ſit, ſed ſolummodo crurum, brachiorumque contractiones adſint (modo, ut dictum eſt, virium robur ferat) ſanguis præſcripto modo vacuandus erit. Paulus tamen nunquam voluit ſecta vena eſſe mittendum ſanguinem, niſi poſtquam præfocata ab acceſſione fuerit revocata. Tunc enim, ut prorſus ab ea paſſione liberetur, laudat primo phlebotomiam, & poſtea, purgationem ex hiera picra ad ʒi, cum cyathis tribus mulſæ moliendam: deinde, ut applicentur pubi, ilibus, atque lumbis dropaces, cucurbitulæ, & cum multa flamma, & cum ſcarificatione, etiam ſuadet. Verum præter iſta, & ſinapiſmus ſupradictis partibus, atque extremis etiam erit admovendus, ulceraque diu aperta ſervanda. Cum iis conjungenda ſunt exercitia, frictiones totius corporis, atque uſus naturalium aquarum, in quibus mulieres inſidere oportebit, ſingulis diebus, per horam ad minus, ante cibum. At jam ad medicamenta præfocatas ab acceſſione liberantia (quod profecto primum faciundum eſt) declinemus. Equidem primo eas revocare à paroxyſmo Medici omnes ſtudent, vinculis manus atque pedes ad torporem uſque ligantes, frictionibuſque crurum, atque totius corporis, naribus fætida objicientes, cujuſmodi eſt pix liquida, capilli uſti, lanaque itidem uſta, caſtorium, vetus lotium, & ſimilia; poſtea cucurbitulas leves ilibus, coxis, inguinibus, atque dorſo inter ſcapulas adhibent, & quandoque cute ſcarificata. In vulvam odorata cum olea, tum unguenta injiciunt: cujuſmodi erit cybetum ex oleo dulci amygdalino, aut lilino diſſolutum, aut cum moſcho orientali, vel ambra; aut aliquod unguentum odoratum ex iis omnibus mixtis confectum calidum in vulvam indito. Utiliſſimum erit, in viduis præſertim ſuffocatione uteri laborantibus, ſi obſtetrices digitis in pudendum intromiſſis, cum prædictis oleis calidis, vel unguentis inunctis pudendum tractent, ut, orta aliqua titillatione, vulva humorem excernat. Galenus ſcripſit, quandam mulierem viduam præfocatam, dum ab obſtetrice digitis ejus vulva cum oleis calidis varie tractaretur, orta titillatione, cum labore, & voluptate, veluti

per

per coitum uſu venire ſolet, excreviſſe plurimum ſemen craſſum, eaque ſeminis excretione plane ab acceſſione fuiſſe liberatam. Proinde, uti dictum eſt, muliebres partes calidis oleis, aut amygdalino dulci, aut lilino, aut ſeſamino, aut irino, diu & ſuaviter tractandæ ſunt, ut excitata titillatione ſemen aut humor corruptus malum fovens excernatur. Præterea peſſus calidi, molles, laxatorii injiciantur, quales parabuntur ex oleo amygdalino, pinguedine gallinæ recenti ſine ſale, vel anſerina, & ſucco ex althæa in aqua decocta expreſſo, aut ex fœnugræco, aut ex decoctis laxatoriis. Fomenta etiam ex iiſdem cum pubi, tum inguinibus atque iliis calida adhibenda erunt. Inſeſſus quoque ex iiſdem decoctis, ſcilicet, chamomeli, althææ, fœnugræci, aut meliloti, vel artemiſiæ, vel amaraci, vel ex ſimilibus parati plurimum ægrotas mulieres juvabunt. Aretæus laudat decoctum althææ, atque ſuccum ejuſdem, & fœnugræci: quin etiam clyſteres molles laxatorios ex ſupradictis cum oleis tum decoctis paratos, & glandes commendat. Addunt ſternutamenta quoque ex pulvere piperis, aut caſtorii, aut ſtruthii plurimum juvamentum adferre. Aliqui ſtatim in acceſſione extremis ſinapiſmum adhibendum eſſe voluerunt, ulceraque ab ipſo concitata eſſe diu aperta conſervanda, ut exinde per ea humorum utilis evacuatio procuretur. Ut vero præſerventur mulieres, ne in hoc malum labantur, præter illa medica præſidia, quæ hactenus meminimus, ab ipſis illud erit obſervandum, ſcilicet, ut pluries in anno ſanguinem mittant, ſi menſes fuerint ſuppreſſi, ex vena aut poplitis, aut tali, aut cruribus ſcarificatis: poſtea purgentur exactiſſime ex agarico, aut colocynthide, aut rhabarbaro, aut elleboro nigro, aut turpeto, aut ſimilibus, aut ex iiſdem, compoſitis paratis, præſertimque ex hiera picra Galeni, ex diacolocynthide, ex catapotiis cochiis cum elleboro præparatis, & ſimilibus, quorum ſæpe in aliis adſtrictis paſſionibus tractandis meminimus. Purgatoque corpore, præter aliquod ſudorificum, quod non omittendum

duximus, uſus antidoti alicujus erit utiliſſimus. Inter antidota vero convenientia eſt theriaca antiqua drachmæ pondere per multos dies devorata, item Mithridatium, diatrion pipereon, diacalamintha, diamoſcus, & ſimilia. Non omittendus etiam erit uſus multorum nuper propoſitorum; præſertimque peſſorum, inſeſſuum, inunctionum, & ſuffituum ex aromatis paratorum.

FINIS LIBRI DECIMI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

In quo agitur de evacuationibus, & purgationibus adſtrictis reſtituendis.

POſtea quam de omnibus morbis adſtrictis hactenus ſcripſimus, reſtat, ad perficiendam abſolvendamque ſtricturæ paſſionum cognitionem, ut nunc agamus de evacuationibus quibuſdam, purgationibuſque, quæ cum antea fieri in corporibus utiliter conſueverint, poſtea adſtrictæ, ſuppreſſæque fuerunt, ad conſuetam laxitatem pro ſanitatis conſervatione, reſtituendis. Plurimi enim intereſt ad valetudinem conſervandam, atque etiam ad complures morbos tollendos, ut conſuetæ in corporibus evacuationes, & purgationes conſerventur, maximeque eæ, quæ pro excernendis excrementis, quotidie ex variis concoctionibus à natura in corpore factis, neceſſariæ exiſtunt, cujuſmodi ſunt, ut parcius magis eas complectamur, quæ per nares, per oculos, per aures, & fauces fiunt cerebrumque purgant à pituitoſis mucoſiſque humoribus, quæ itidem fiunt per alvum, per urinam, per tuſſim, & quæ in mulieribus ab anno decimo

quarto ut plurimum uſque ad quinquageſimum in menſtruo ſanguine obſervantur, atque in viris ab annis pubertatis ad ſenium uſque ex concubitu in ſeminis excretione animadvertuntur. His non minus neceſſaria eſt evacuatio, quæ inſenſibiliter fit per poros cutis meatuſve, qua fuligines, quæ in corporibus generantur, commode evacuantur; quibus neceſſariis evacuationibus interceptis, homo quidem proba valetudine minime gaudere poteſt. His adduntur complures aliæ in corporibus evacuationes, purgationeſque, quæ licet non fuerint in ortu corporum inſtitutæ; tamen aliquibus corporibus, pro ipſorum ſanitate conſervanda, non raro contingunt: cujuſmodi ſunt, ſudores, vomitiones, ſanguinis hæmorrhagiæ è naribus, maximeque in pueris, per venaſque hæmorrhoidales, ſanguinis itidem evacuationes plerumque à natura pro corporum quorundam conſervatione inſtitutæ, quæ quibuſdam, menſium modo in mulieribus, in conſuetudinem veniunt: quandoque & vomitus, qui familiaris cuidam corpori factus eſt, tuto non intermittitur. Quandoque etiam quum ulcera quædam in corporis partibus quibuſdam diu invaluerunt, tutum non eſt ea ſanari, atque tolli. Quemadmodum etiam metaſtaſes quaſdam, id eſt, humorum ad cutim tranſmiſſiones, atque ad articulos potiſſimum, ut in arthriticis fieri ſolet, ex toto prohibere tutum itidem non eſt; totque ſunt evacuationes, & metaſtaſes, quæ ſi conſueto modo conſerventur, corpora cum optima valetudine vivunt: contra vero, ubi aliquo modo intercipiantur, aut cohibeantur, neceſſario in morbos labuntur. Itaque de his adſtrictis laxandis reſtituendiſque merito ſcribendum tractandumque in hoc libro duximus.

CAPUT II.

De evacuatione, quae per poros cutis inſenſibiliter fit, intercepta, reſtituenda.

AGgredimur nunc evacuationum, purgationumque interceptarum, cohibitarumve curationem, ab ea quidem ſuppreſſa evacuatione, quæ fit per poros cutis inſenſibiliter, exor-

exordientes: de qua quidem, priuſquam medicamenta, ad ipſam reſtituendam, præſcribamus, quædam ſcitu digna, & præmittenda, nobis viſa ſunt, nempe, quid hæc ſit evacuatio, quomodo fiat, quibuſque à cauſis aliquando ſupprimatur, & quæ mala ab ipſa cohibita oriantur, Igitur evacuationem hanc Medicis inſenſibilem appellatam, eſſe eorum excrementorum, quæ tenuia ſunt, fumoſaque & fuliginoſa vocantur, per totius corporis cutis meatus, quos Græci poros appellant, expurgationem, neminem Medicorum latere arbitramur. Etenim in corde in ejus ſcilicet meatibus (quos ventriculos Anatomici appellant, duoſque ſtatuunt, nempe dextrum, atque ſiniſtrum) ex ſanguine puriori ab hepate profecto ulteriori concoctione à calore inſito facta generantur ſpiritus vitales, & in ipſorum concoctione fumidi vapores oboriuntur, difflanturque quos natura motu cordis arteriarumque per oſcula ipſarum in cutem deſinentia excernit atque expurgat. Quæ fumida excrementa, ex prædicta concoctione continenter genita, niſi per arteriarum meatus excernerentur, cor per oppreſſionem ſuffocarent: ſi quidem veluti flamma à multo fumo craſſo extinguitur; ita cor à vaporibus fumidis coërcitis ſtrangulari neceſſe eſt. Accedit etiam, quod, cum omne calidum (ut divine profecto docuit Hippocrates) frigido moderato nutriatur, foveatur, atque conſervetur, neceſſaria fuit aëris ambientis inſpiratio, ad calorem inſitum nativum cordis ventilatione conſervandum. Non poteſt enim fieri, quin (veluti flamma loco anguſto coercita, aëreque minime ventilata, difflataque marceſcit) calor naturalis animalium frigidi defectione langueat, aut contabeſcat, ac tandem extinguatur. Præterea cor ob perennus ipſius motus, niſi aëris inſpiratu tanquam flabello quodam ventilaretur, periculum foret, ne incendio conflagraret, & ne calor naturalis in igneum mutaretur, atque ne febris accenderetur. Quamobrem animalium corporibus neceſſaria fuit reſpiratio, qua fit aëris introductio, atque extraductio, ſcilicet thoracis extenſione, atque contractione; hanc expirationem Medici vocant, illam inſpirationem: illa frigidus aër intra pulmones ducitur trahiturque, hac inde expellitur. Verum præter reſpiratio-

In lib. de natura pueri.

nem,

nem, datur etiam in corporibus tranſpiratio, qua itidem motu diaſtoles aër per ora arteriarum in cutem finientia ad ventilandum, refrigerandumque naturalem calorem, attrahitur, & motu ſyſtoles aër incalefactus, fumidumque excrementum extrapellitur. Unde Galenus in libro de ſalubri diæta ſpirationem, quam Græci πνοὴν vocant, duplicem eſſe ſtatuit, unam, quæ fit per os atque nares, ſcilicet per meatus corporis manifeſtos, quam Græci ἀναπνοὴν, & reſpirationem Latini appellarunt; atque alteram, quæ fit per meatus cutis, quos poros Græci appellant, nempe cum per totum corpus aër per inſenſibiles meatus (uti dictum eſt) cutis inſpiratur, atque expiratur. Hanc ſpirationem Galenus tranſpirationem & perſpirationem appellat. Itaque reſpiratio & tranſpiratio ſunt duæ actiones, quibus ad cor, & ad totius corporis calorem vitalem conſervandum animalium corpora opus habent. Animalia vero, quæ ſunt pauci caloris, languidique, cujuſmodi exanguia, inſectiliaque exiſtunt, ſola tranſpiratione, id eſt, ſpiratione per cutis meatus facta, contenta, vivunt: ſic fœtus in utero tantum tranſpirat; ſic ex hyſtericis mulieribus præfocatæ plurimum exoluto cordis calore vivunt aliquando ad tempus ſola tranſpiratione. Porro quæ plurimum calida ſunt, caloremque & multum, & vehementem habent, utraque inſpiratione ad vivendum egent, ſcilicet reſpiratione, qua aërem animalia per os, & per nares inſpirant, atque expirant; atque tranſpirationes, qua corpus totum inſenſibiliter per poros cutis aërem itidem inſpirat, atque expirat. Hinc Divinus Hippocrates dixit: *Foras introque ſpirabile eſſe totum corpus.* Quare ex his cuilibet conſtabit, utramque inſpirationem animalium corporibus eſſe ita neceſſariam, ut abſque illa, ſi nimirum ex toto ſublata ſit, ne tantillum quidem animalia vivere queant. Cum vero diminuta, aut aliquo modo impedita eſt, vivere ſane ea poſſunt, ſed cum ſanitate vitiata, atque, ni cito reſtituatur, non ſine gravi morbo. Etenim quovis modo inſpiratione impedita, cor ipſum vel ſtrangulatur, vel ejus calor extinguitur, aut in igneum vertitur: unde febres accenduntur, inflammationeſque fiunt, & quidem (ut Galenus recte expreſſit) non ſolum impe-

In lib. 11. meth. med.

In 6. epid. ſec. 6. tex. 1.

In lib. de cauſ. morb. cap. 9.

pedita reſpiratione, quæ fit per os atque per nares; ſed non minus etiam ea, quæ fit per meatus cutis inſenſibiliter: quandoquidem per hanc calor totius corporis tranſpiret, ventiletur, humoreſque hac ipſa ventilatione imputres, atque incorrupti maneant. Unde mirum alioquin non ſit, ſi corpora plurimum humida atque excrementoſa proba valetudine multos annos vixerint: quoniam expeditos meatus, per quos calor tranſpirat, habuerunt. Itaque hiſce meatibus omnibus natuliter profecto ſe habentibus, præſertimque cutaneis nobis occultis (de quorum inſenſibili evacuatione impedita reſtituenda, agere in hoc capite noſtrum fuit inſtitutum) corpora recte valent; atque quovis modo iiſdem impeditis, ſcilicet, aut ſtipatis, vel obſtructis, corpora in morbos delabuntur; nam quemadmodum eorundem laxitas præter naturalis morbos facit; ita & innaturalis ipſorum adſtrictio; utraque immoderatio vel laxitatis, vel adſtrictionis, vitioſa eſt, à qua corpora patiuntur. Unde Hippocrates inquit: Raritas corporis ad perſpirationem, quibus amplius aufertur, ſaniores ſunt: Denſitas corporis ad perſpirationem, quibus minus aufertur, morbidiores. Et Galenus, cutem denſam habentes pati ab internis demonſtravit; atque raram ab externis. Ab internis (inquam) qui habent poros cutis adſtrictos pati recte ait, quia, ut alibi docuit, clariuſque oſtendit, ſtipatis plane arteriis, ipſorumve oris, aut obſtructiones aliquas patientibus ita, ut nihil tranſpirent, calorem extingui neceſſe eſt, atque ita affectum corpus mori. Si modica fuerit ſtipatio, non adeo pati calorem; atque ſi in corpore ſanguis optimus abundaverit nullo ſuperfluo humore coinquinatus, vapor eo incaleſcente exurgit, qui, ſi, ob conſtipata aut obſtructa arteriarum oſcula, non excernatur, verum intus retineatur, aut corpus plethoricum facit, aut ipſum ſupra modum calefacit: ſi vero non vapor benignus, ſed fumoſa exhalatio, & acris à ſanguine ſcilicet bilioſo incalefacto elevetur, exhalatio hæc aut febrem accendet, ſi nempe multa non ſit, nec multa ſtipatio adſit; aut, ſi plurima ejus retineatur intus copia, cum arteriarum magna ſtipatione, aut obſtructione, vix effugiet homo, quin ſtrangulatus pereat. Quare arteriarum mea-

Gal. in 11. meth. med. cap. 8.

In lib. de alimento circa medium. In 1. de ſanit. tuenda c. 10. Gal. in lib. de cauſ. morb. c. 5.

tibus, potiſſimumque ipſarum oris in cutem deſinentibus, aut ſtipatione, aut obſtructu impeditis, morbos quidem complures oboriri neceſſe eſt, ſcilicet caloris nativi ſtrangulationem, extinctionemque, aut febres, (etenim cute ſtipata ſtatim febricitare, qui temperamenti calidi, & humidi ſunt Gal. docuit in libr. 8. meth. med. cap. 7.) inflammationes, ſeu phlegmones, aut ſimiles alios morbos graves. Ora vero arteriarum in cutem deſinentia (meatus occultos in cute totius corporis conſtitutos Medici appellant) impediuntur, aut à denſatione conniventiave, ſive ab earundem meatuum conſtipatione quam Græci *μυσὶν* dicunt: aut ab obſtructione, pygnoſi Græcis itidem vocata; *στεγνωσὶν* vero vocant impeditionem hanc ſcilicet cutis vitium, quo tranſmittere ſupervacua excrementa fumoſa corpus prohibetur. Deprehenditur vero (auctore Galeno) cutis ſtegnoſi affecta ſive impedita, ubi homines ſe exuerint, ex cutis albo colore, ejuſdem duritie, atque denſitate, & quod in exercitatione vix incaleſcant. Galen. in primo libro de febribus, ad Glauconem, inquit, ex tactu cutem ſtipatam cognoſci, atque in febribus ex conſtipatione ortis, ex calore: ex tactu, nimirum, ſi (ut Stephanus Athenienſis interpretatur) rhu acceptis, ac aqua diſſolutis, manus fricueris; tunc certe invenientur denſati digiti, meatibus ipſorum veluti coactis, & denſatis. Ex calore vero, dum in his, qui ſunt denſati, manus in thoracem injicimus, primum quidem caliditas pauca apparet, propterea quod foras exire non permittitur, cum meatus clauſi ſint: ubi vero diutius immorati fuerimus, & ob id cutem calfecerimus, ipſamque rariorem fecerimus, ex diuturna manus applicatione, calor reſurgit, ac major appareret. Cauſæ vero conſtipationis, ſive eam dicamus denſationem, ſive conniventiam exiguorum cutis meatuum, ſunt aut valida refrigeratio, aut magna adſtrictio, aut ſiccatio. Et quidem valida refrigeratio fit ab aëre frigido, (nam Hippocrate auctore; frigus cutem obdurat) aut ab aqua frigida, aut à ſudore non deterſo, refrigerato, præſertimque ſi cutis vel ex calido balneo, vel calido ſudore laxata fuerit; facile enim à valido frigore denſata conſtipatur. Idem ſuccedit à magna adſtrictio-

Galenus in 10. meth. cap. 2.
In 3. de ſanit. tuenda.
In lib. 8. meth. c. 4.
In primo epid. ſec. 2. com. 74.
In 5. aphoriſ. 20.
Gal. in 6. epid. ſec. 6. com. 4.
Gal. in 1. meth. cap. 2.

ctione vel à balneo, vel ab aliis adſtrigentibus cauſata: quomodo aliquos ex uſu balneorum aluminoſorum, vel ex marina aqua in ſtegnoſim incidiſſe, atque ab ea in febres, nos non ſemel vidimus. Etiam à ſiccatione denſari conſtiparive cutem, argumento nobis eſſe poſſunt, qui à ferventi ſole nimium ſiccati in febrem inciderunt. Obſtructiones vero iidem cutis meatus quoſdam patiuntur, vel obſtruuntur quidem ubi in ipſos aut humor copioſus, aut craſſus, aut lentus impegerit, ſive impactus adhæſerit. Galenus ſcribit: ſubitam meatuum obſtructionem fieri viſcoſo atque craſſo humore, eos ſcilicet infarciente. Cum itaque cutis conſtipatio, aut ipſius meatuum obſtructio (quod & caloris ventilationem, tranſpirationemque, nec minus fumidorum excrementorum, quæ, dum corpora recte valent, aſſidue continenterque fit, excretionem, evacuationemque prohibeat) complures morbos faciat, ſcilicet, ut & ſuperius dictum eſt, aut plethoram, aut phlogoſim, aut febres diarias, putridaſque, vel phlegmonas, vel cordis palpitationes, ſyncopeſque, atque ſimiles alios affectus, quorum multi & ſumme graves, & magni periculi ſint: idcirco omni ſtudio quam primum ſtegnoſis erit tollenda, cutiſque adſtricta reſtituenda, laxatoriis profecto medicamentis, Galeno etiam aſtipulante, qui febres ex hac cauſa obortas ſolas morbos adſtrictos fecit. De qua re, nempe an hæ ſolæ febres, vel etiam ceteræ omnes ſtricturæ paſſiones ſint, quod alias fuerit determinatum, in præſentia agere noſtrum inſtitutum non eſt. At nunc curationem tractamus. In qua primum victus ratio erit præſcribenda, ſcilicet, ut conſtipati, ſive cute adſtricti, obſtructique maneant in loco calido & humido: parum dormiant, ſive melius, abſtineant à ſomno prolixiori, & ab otio: cibis parce utantur, boni ſucci, tenuioris nutrimenti, extenuantis, detergentiſque facultatis, caveant ab iis, qui craſſi, lentique alimenti ſunt, atque à dulcibus & pinguibus, cum hæc adſtrictos foveant meatus: vinum ſit album, dilutum, tenue, modice ſubauſterum. Caveant nigro, craſſo, & omnium maxime à dulci, quod facile obſtruat meatus infarciatque. Opportuna exercitatione utantur. Caveant ab animi paſſionibus, hilaremque vitam, ut

Gal. 9. meth. cap. 1. In lib. de differ. meth. cap. 7. In 3. de loc. affe. cap. 7.

1. ad Glauc.

Gal. in 2. de ſanit. tuenda cap. 2.

queunt, agant. Excrementa ſtudeant per alvum ex conſuetudine quotidie excernere: ad quod clyſteriorum emollientium uſus eſt accommodatiſſimus, vel aliquod medicamentum ſtercoraceum. Modo vires ferant, ſanguinis vacuatio per venam ſectam, aut per crurum ſcarificationem, aut cucurbitulis cum ſcarificatione inter ſpatulas adhibitis, aut apertis hæmorrhoidibus procurata plurimum hos juvabit. Quibus etiam purgantia addi poterunt, ad majorem corporis laxationem moliendum. Decocta ex aqua cum chamedry, chamomelo, ſeminibus malvarum, althææ, abſynthii, parata, mane calida erunt propinanda: cum his oxymel ſimplex, aut oxyſacchara, aut ſyrupus ex acido citri una miſcendus erit. De externis Hippocrates inquit, calidum balneum cutem emollire & extenuare. Galenus itidem ſuccos cuti inhærentes tolli per calida medicamenta ſtatuit, ad quam rem etiam calida fomenta laudavit. Paulus huic vitio ait ſuccurrere calefactionem, quæ valentiore exercitio, balneiſque calidioribus excitanda eſt. Huc pertinent inunctiones ex calido oleo, dulci, tenui, cujuſmodi eſt amygdalinum dulce, quod juvabit præmiſſis lenibus frictionibus calidis ad omnes corporis partes, ſi calido eo oleo tenuioris ſubſtantiæ totum corpus inungatur. Laudatur etiam oleum chamomelinum, anethinum, atque ex populo nigro (Paulo auctore) confectum. Galenus chamomelino, atque anethino ad humores craſſos lentoſque cuti inhærentes evaporandos, primas partes tribuit. Fomenta etiam, ſed commodius balnea ex aqua fluviatili calida, aut ex ea, in qua folia althææ, aut chomomelum, aut anethum viride, aut fœnugræcum, aut melilotus cbullierit, item farina ervi, vel lupini, vel nitrum oleo incoctum, ſi cum leni frictione cuti adhibeantur calida, erunt accommodatiſſima; atque etiam inunctio Ruffi ex oleo amygdalino, vel chamomelino cum nitro parata, quæ itidem præmiſſis frictionibus lenibus cuti totius corporis calida adhibeatur. Denique ſudorem in balneo calido humidoque promovere non erit parum utile. At hæc externa medicamenta utiliora erunt, ſi præmiſſa cum ſanguinis miſſione, tum corporis purgatione, ſingula adhibebuntur. Atque hæc ad cohibitam purgationem, ex cute adſtricta, reſtituendam, ſufficient. CAP.

In 3. ſimpl. cap. 13. In 2. de ſanit. tu. cap. 2. In 4. de ſanit. tue. cap. 8.

CAPUT. III.

De ſudore, qui ſaepius fieri ſponte in aliquibus corporibus conſueverat, ſuppreſſo, reſtituendo.

NOnnunquam obſervatum eſt, homines non paucos, quibus ſudores copioſi die vel noctu familiares facti fuerant, ne dum per æſtatem, in qua propter æſtum fere omnes facile ſudare ſolent, ſed quoque non minus per hyemem vel etiam frigidiſſimam. Quod nos privatim in Melchiore Zambono horti medici Patavini, noſtro topiario, etiam proxima hyeme ſcilicet anni MDCIIX. quæ fuit frigidiſſima, obſervavimus: huic enim fere aſſidue, vel etiam ex leviſſimo labore, ſudor effundebatur. Quo ſudore aliquando cohibito, ac ſuppreſſo, in gravem morbum incidit, à quo nunquam probe convaluit, ni ſolitus ſudor redierit. Quare ſudorem (qui multus, ſæpeque in corporibus erumpere conſuevit, longoque tempore quaſi uſum naturalem contraxiſſe viſus eſt) ex quacunque cauſa deſinentem, morbos excitare, à ratione non eſt alienum, ſiquidem omnibus quibuſvis evacuationibus per ſanitatis tempus fieri ſolitis ſuppreſſis, interceptiſque corpora in morbos labuntur: cujus profecto ratio eſt, quod copia excrementorum, quæ familiarius excernebantur, intra corpus retenta, plurimum augeatur, & aucta hominibus morbos inducat. Sudores vero fiunt in ſanis quidem ex humiditate tenui ichoroſa aliquid bilioſæ qualitatis habente, plurimum exuperante, per poros cutis exeunte, meatuum cutis multa raritate adjuvante, ob calorem corporis, quacunque à cauſa concitatum, atque auctum, vel ab exercitiis, vel à laboribus, vel à calore ex igne, aut ex ſole, aut ex balneo calfaciente, aut ex calore itidem in ſomno aucto; unde plethorica corpora ſolent noctu in ſomno copioſe ſudare, prædicta ſcilicet humiditate fuſa, atque ad cutaneos meatus attracta. Itaque cum cohibita ſudoris ſoliti evacuatio morbos inducat, merito revocanda eſt. Revocabitur vero medicamentis laxantibus, cum ſtricturæ ipſa paſſio ſit. Quamobrem, ſi hoc eveniat, quod ho-

mines vel exercitationem, vel ſolitos labores omiſerint, aut propter cibos craſſi lentique nutrimenti, aut à vinis nigris craſſioribus, aut quod ipſorum cutis à frigore, vel à balneo alumino ſo, aut ſalſo quadantenus denſata ſit, ad priſtinam conſuetudinem homines erunt reducendi. Primo igitur victus ratio recte inſtituatur, in qua cibi tenues erunt, vinum album dilutum, tenuioris ſubſtantiæ: caveant ab animi paſſionibus, præſertim à triſtitia, mœrore, atque à timore: ſolitos labores, atque exercitia intermiſſa recipiant. Quibus ni ſolitum ſudorem ſibi reſtituerint, adhibenda ſunt calida balnea, inunctiones calidæ ſudorificæ, atque etiam per os ſudorem moventia aſſumenda erunt. At quæ ſudorem moveant, dicta à nobis ſunt, in libro tertio iſtius operis.

CAPUT. IV.

De intercepta evacuatione capitis, quae fit per nares, de catarrho ſaepe proveniente ſuppreſſo, reſtituendo.

IN corporibus, ubi nares probe caput purgant, id eſt, ubi meatus laxos, apertoſque habent, de morbo capitis futuro haud erit timendum. Etenim iiſdem naribus aut ſtipatis, aut obſtructis quoſdam patientibus, pituita, mucus, vel alius humor per eos ductus purgari ſolitus intra caput retentus varios morbos in capite concitare ſolet, ſcilicet, vel (ut Galenus in libris de uſu partium docuit) epilepſiam vel apoplexiam, vel vertiginem, vel ſurditatem, vel cæcitatem, vel ſimiles alios morbos, qui ob capitis, cerebrive non expurgata excrementa, cerebrum, aut alias capitis partes lædentia, oboriuntur. Itaque hac ipſa excrementorum per nares (aut à frigore denſatas ſtipataſve, aut obſtructas à copia excrementorum ex cerebro delapſa, in ipſis infarcta, adſtrictaque aut ab humoris craſſitie vel lentore maximo) purgatione cohibita, ſuppreſſave, ne homines in morbos labantur, medicamentis laxatoriis erunt in priſtinam laxitatem, apertionemve narium meatus reſtituendi.

di. Quamobrem pro revocanda hac purgatione adſtricta, præſtabit homines in loco calido & humido verſari, quemadmodum adſtringuntur nares ab aëre aquilonari, frigido, atque ſicco. Quem aërem eos qui habent narium meatus impeditos, quoad reſtituantur, effugere oportebit. Unde, ut Avicenna docuit, balneum calidum ex aqua fluviatili ad omnes partes vultus maxime conveniet. Spongiæ itidem ex eadem calida aqua imbutæ juxta naſi partes utiliter adhibebuntur. Non minus utilia erunt fomenta ex decocto althææ, chamomeli, iridis radicis, malvarum, fœnugræci, lini, meliloti, cymarum ebuli, & ſimilium parata atque ſpongia adhibita. Utiliſſimum quoque erit, inungere cum interius nares ex oleo dulci calido, aut amygdalino dulci, aut irino, aut lilino, aut eo, in quo althææ radix ebullierit, aut oleo ex cyclaminis floribus parato, & ſimilibus aliis oleis: eodem etiam modo butyrum conveniet recentiſſimum calidum illitum, adeps gallinaceus, anſerinus, & porcinus, medullæ etiam, ſcilicet ſuilla, vitulina, hædina, & ſimiles aliæ, calidæ illitæ juvabunt: non minus conferet, ſi ſingulis diebus mane ante cibum ſæpiſſime in nares detrahatur aqua calida, aut althææ, aut malvæ, aut lilii, aut iridis, aut cucumeris, aut cyclaminis radicis decoctum calidum: commendatur etiam ſuccus aut anagallidis, aut anemones, aut betæ, aut majoranæ, aut cyclaminis, aut cucumeris ſylveſtris, eodem modo attractus. Experientia deprehenſum eſt, fruſtula radicis cyclaminis viridis in nares impoſita & per noctem retenta, maxime valere ad obſtructas nares aperiendas, atque ad ſuppreſſam purgationem per nares revocandam. De catarrho vero, qui in aliquibus corporibus aliquando fieri ſolet, præſertimque hyemali tempore, aut in vere, ſi aliquando ceſſaverit, deſieritque purgatio, quæ per ipſum fit, videndum erit, an ſit ea purgatio, vel poſſit tuto medicamentis reſtitui. Per catarrhum autem intelligi volumus quamcunque evacuationem capitis ex humore ſcilicet deſtillante, irruenteque in nares aut in fauces, vel in palatum, vel in guttur, vel in aſperam arteriam, vel denique in pulmones, factam. In adagio dicitur, eos, qui aliquando catarrhis, ac ſternutamentis purgantur, recte

&te capite valere; contra vero, illos qui, cum antea commode iis modis purgarentur, poſtea talibus purgationibus deſtituuntur, male ſe habere, periculumque exinde fieri, ut in morboſum ſtatum mutentur. Utrum vero conveniat, ſublatas ſternutationes reſtituere ptarmicis, id eſt, ſternutatoriis, atque operam dare, ut ſuppreſſæ purgationes ex catarrhis reſtituantur, non eſt plane omnibus compertum, attamen hoc quidem moliri non videtur inutile, ſcilicet ut renoventur purgationes ex ſternutationibus gravedinibuſque ſive catarrhis ſequi ſolitæ, non quidem iis, quæ catarrhos excitant, at medicamentis errhinis, ſternutatoriis, apoplegmatiſmis, caputpurgiiſque vocatis; ita, ut ſublatis illis ſolitis purgationibus, caputpurgiis nuperrime præſcriptis, caput ſit purgandum, quod commode atque tuto ſuccedet, ubi antegreſſa fuerit totius corporis communis purgatio, evacuatioque.

CAPUT. V.

De ulceribus in quibuſdam corporis partibus obortis, & antiquatis, pro tuenda valetudine, conſervandis, deque iiſdem ſublatis reſtituendis.

SÆpe nos vidimus complures diu, multos ſcilicet annos, proba valetudine vixiſſe, quia in ipſorum corporibus habuerunt ulcera cacoëthia, diuturna, per quæ excrementa ſuperfluentia aſſidue veluti per fonticulos quoſdam evacuabantur. Aliqui in ambobus cruribus, vel in altero tantum, aut in pudendis, aut in brachiis, aut in ore; aut in aliis locis. Qui quoad, uti dictum eſt, ea ulcera aperta ſervabantur, probe valuerunt; à quacumque vero cauſa iiſdem ulceribus cicatrice clauſis, ſanatis, ſublatiſve, cito in morbos ii delabi ſolent, ſæpiſſimeque in lethales, à quibus extincti ſunt Georgius Amicus, civis Baſſanenſis, Minerva Forcatura, Fauſtinaque Monacha in Æde D. Sebaſtiani, ejus ſoror: qui omnes ad ætatem vigentem uſque crura ulceribus defædata habuerunt, quo tempore perfecta ſanitate ſemper uſi fuerunt; illis vero ulceribus cicatrice clauſis, ſinguli in morbos lethales paulo poſt delapſi, mortem obie-

obierunt. Memini, cum olim ex Ægypto patriæ redditus, Baſſani per annum & plus fuerim commoratus, me à nobili viro Franciſco de Rubeis, annos ſupra ſexaginta nato, naturæ (ut ajunt) ſatis robuſtæ, fuiſſe accerſitum, ut à crurum tibiis ulceratis (diu enim hæc ulcera cacoëthia in tibiis cum magno profecto ſui faſtidio tenuerat) ipſum liberarem. Quibus attentius conſideratis, conſului, ut doloribus demulcitis, ea ulcera non niſi antegreſſa exquiſita cum evacuatione, tum maxime purgatione, tollerentur, neque plane, ſeu ex toto ea omnia cicatrice clauderentur, quod nimirum per ea multum humoris viroſi purgaretur: is mea opinione non contentus, alio Medico accerſito, ab iis ulceribus ſanatus eſt: verum poſt pauciſſimos dies, ſyncope repente oborta, extinctus eſt. Itaque conſultius erit, ut hujuſmodi ulcera, quæ longo tempore corpora tenuerunt, & quibus nunquam probe obducta fuit cicatrix, aperta conſerventur: & ſi quando cicatrice claudantur, denuo aperiantur, ne interceptus humor malignus ad viſcera convertatur, gravemque noxam illis inducat, à quo morbus gravis fiat. Denuo reſtituuntur, ſi cauſtico actuali partes exulcerari ſolitæ inurantur: ſed mox, cruſta adempta, medicamentis humectantibus putredinemque augentibus aperta ſervanda erunt: quandoque ſcarificatio in iis locis ad renovandum ulcus ſat erit; aliquando vero medicamentum veſicans appoſitum, aut cauſtica vi præditum. Ad hunc ſcopum ſequentia erunt accommodata, ſinapi tritum, atque impoſitum, vel radix ranunculi trita impoſita, vel folia clematidis urentis, aut modicum auripigmenti, aut arſenici, aut aliud ſimile, hæc enim partibus adhibita ulcus conſuetum renovabunt. Ad hoc idem balneum ex aqua dulci erit accommodatiſſimum: atque non minus fomentum ex dulci oleo, aut ex decocto althææ, malvarum, fœnugræci, & ſimilium.

CAPUT VI.

De arthritide antiquata, quae poſtea ex toto ſublata eſt, pro tuenda valetudine, renovanda.

HUmorum quoque à partibus nobilibus ad ignobiles metaſtaſes, id eſt, tranſmutationes, cum ſemper ad vitam tutandam ſint utiles; idcirco, quæ longo tempore ſive per multos annos fieri in quibuſdam corporibus aliquando conſueverunt, & poſtea ceſſaverunt, malum grave, ni reſtituuntur, præſagire ſolent. Nos, doloribus intermiſſis, de his (licet evacuationes non ſint, ſed metaſtaſes, id eſt, à viſceribus ad extimas partes tranſmiſſiones, quæ merito evacuationibus proximæ æſtimari debent) reſtituendis agendum eſſe duximus. Hujuſmodi vero metaſtaſes, id eſt, humorum vel ad cutim, vel ad articulos à viſceribus tranſmiſſiones, in habentibus viſcera interna robuſta (quod ipſorum expultrix valide expellat) familiarius fieri ſolent, vel ad brachiorum articulos, vel ad pedes, humorum moleſta qualitate, aut quantitate à viſceribus quibuſdam ordinatis circuitibus propulſa, & decumbente: à quibus licet dolores invadant, atque homines vexent, corpora tamen in internis viſceribus recte valere obſervantur. Qua de cauſa in adagio dictum eſt, podagricos diu vivere; nam quoad podagrici ſunt, ſolitiſque modis podagrico morbo vexantur, nunquam graviori morbo periculoſoque corripi ſolent. Verum deſinentibus iis doloribus, in dubio illorum vita eſt, ſiquidem humorum copia, quam viſcera ad articulos, aliaſque partes corporis tranſmittere ſolent, intus coërcita, ejuſque tranſmiſſione cohibita, aut quovis modo impedita, ſi ad viſcera converſa fuerit, morbos alios graviores, & periculoſiores facit. Unde mirum non eſt, ſi complures, quoad podagrico morbo vexati ſunt, ſalubriter vixerint, qui poſtea, morbo conſueto intermiſſo, alio graviori correpti brevi interrempti ſunt. Magnus Dux Hetruriæ (ut audivimus) cum prius acerbe quidem podagra vexatus, poſtea liber fere evaſiſſe viſus eſſet, oborto poſtea ca-

tar-

tarrho, ab humore, qui antea ad articulos decumbens podagram faciebat, in pectus irruente ſuffocatus diebus proximis (non ſine Hetruriæ, atque totius Italiæ magno dolore) interiit. Hermes Forcatura Patavinus Juriſconſultus celeberrimus, poſtquam ſolita podagra in ipſo deſiiſſe viſa eſt, apoplecticus factus, mortem obiit. At mirum eſt, quoſdam diu podagra vexatos, & poſtea in apoplexiam incidentes, ab eaque ſuperviventes, nom amplius podagra, quoad vixerunt, fuiſſe tentatos. Quod evenire in iis corporibus ſolet, quæ viſceribus internis debilitatis, haud probe ab ipſis ad articulos humores ſuperfluentes depellere, vel tranſmittere poſſunt. Hinc non pauci, qui fere per omnem ipſorum ætatem acerbe quidem dolores podagricos paſſi ſunt, in ſenium provecti, viſcerum ſcilicet expultrice in ea ætate quadantenus labefactata, minime amplius in ipſis humorum metaſtaſi ſolitis temporibus continuata, à podagra melius ſe habuerunt, ac nonnulli fere omnino liberi evaſiſſe viſi ſunt. Qui ſi parce vivant, & in ipſis aut medicamentis catharticis, vel ſpontaneis per alvum laxam dejectionibus, aut vomitionibus, excrementa ſuperfluentia commode expurgentur, diutius illorum vita protrahi poterit. Itaque in iis, quos per longum tempus podagra haud viſa eſt afflixiſſe, periculum eſt, ne ipſi in gravem morbum labantur; unde aliquibus temporibus præſtabit hujuſmodi fluxiones rurſum excitari, atque commovere. Quod facile aſſequemur, ſi crura & pedes perfricuerimus bis aut ter in die, pedeſque ſæpe aqua dulci fluviatili calida abluerimus, aut large calidis oleis dulcibus eos articulos ſæpe inunxerimus, aut in illis partibus (ad attrahendum ſcilicet ad eas humorem) ligaturis etiam uſi fuerimus. Hæc medicamenta non raro uſu venient in aſſuetis pati podagram, ſi alio graviori morbo, detineantur, ut apoplexia, vertigine ſcotomatica, aut mania, aut aliqua phlegmone interna. Et nos ipſi quidem ab hinc tribus annis angina exitiali laboravimus: in qua prædictis auxiliis conſueti nobis podagrici dolores à Medicis fuere non ſine fructu revocati. Sæpius in vanum laborant Medici, ut in quibuſdam aut apoplectico morbo, vel alio graviori affectu exitium minante occupatis illos excitent

dolores, atque phlegmonas externas, quando natura gravius à morbo vexata, languidior reddita, nequit humores ex afflictis viſceribus ad articulares partes ſolito modo demandare. Ad hoc caput etiam ſpectare videntur quædam corpora crura œdematoſa habentia, aliquando poſt morbum gravem ita tumida reddita, & aliquando ex pituitoſi humoris è ſuperiori parte corporis ad infernas tranſmiſſione, vel demum ex jecoris morbo copioſius eo humore genito, atque ad crura (natura propellente) tranſmiſſo. Neque enim ea humoris fluxio aliquo pacto erit cohibenda. Quod ſi fieret, humoris abundantia ad hepar, vel ad aliud viſcus internum converſa gravem morbum faceret. Quod Horatio Lugo civi Baſſanenſi contigiſſe olim vidimus. Namque, conſilio cujuſdam Medici cum faſciis crura inferius incipiendo arcte ligaſſet, cito crura aliquatenus detumuiſſe viſa ſunt, & non ſine magna patientis voluptate; ſed (quod illi antea futurum prædixeram) paulo poſt, exſiccatis, ſanatiſque cruribus, oborta febre, interiit.

CAPUT VII.

De conſueta haemorrhagia, id eſt, de ſanguine in quibuſdam per nares familiarius, ſaepe, ſalubriterque exeunte, ſuppreſſo, reſtituendo.

PLurimi intereſt, ut ſolitæ in corporibus ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ ſedulo à Medicis obſerventur, præſertimque hæmorrhagia, id eſt, particularis ſanguinis evacuatio, quæ per nares fit. Hæc cum familiarius quibuſdam temporibus fieri in aliquibus conſueverit, præſertim in jnvenibus, poſtea ſi plane cohibeatur, abſque dubio morbos futuros prænunciat. Pueri, adoleſcentes, atque juvenes ſolent facile hæmorrhagiam pati, qua ſæpius à capitis dolore liberantur, à vigiliis, atque etiam à febribus ardentibus & ſynochis. At, ut uno verbo dicam, quo ad patiuntur hæmorrhagias, & copiſiores etiam, recte valere obſervantur: quibus præter conſuetudinem ſuppreſſis, interceptiſque ipſi in morbos incidere ſolent, nempe aut in capitis dolorem, aut inflammationem, aut in maniam, aut

in

in anginam, aut in pleuritim, aut in pulmoniam, aut in ſputum ſanguinis, & phtiſim, aut in febrem ſynocham, vel ardentem. Quare in iiſdem, priuſquam, ipſi in morbum aliquem deducantur, ſuppreſſa hæmorrhagia erit quanto citius reſtituenda. Hanc vero reſtituent balnea calida ex aqua dulci ad caput facta, vel lotiones ex eade aqua, in qua ebullierint aut althææ folia, aut malvæ, aut fœnugræcum, aut linum, aut ſimile aliud. Hippocrates laudavit, ad provocandam hamorrhagiam, in quodam acuto morbo laborante, aquam calidam fronti affuſam: ſpongiæ idcirco imbutæ eadem aqua, & expreſſæ utiliter fronti atque temporibus adhibebuntur. Inunctiones itidem calidæ ex oleis dulcibus intra nares, atque extra adhibitæ plurimum laxando eas partes juvabunt. Agyptii, præter præſcripta auxilia, hæmorrhagiam excitant ſectis venis intra nares. Galenus in libro de facile parabilibus ad eundem ſcopum laudat florem graminis intra nares poſitum. Quo medicamento nos ſæpiſſime per æſtatem vidimus pueros complures ſibi ſanguinis hæmorrhagiam concitaſſe. Si vero his vel aliis ſimilibus medicamentis ſanguinis ſolita evacuatio non fuerit revocata, præſtabit, pro ſanitate tuenda, in iis corporibus ſanguinem aut ſecta vena, aut cruribus ſcarificatis, aut alio modo educere, & evacuare.

CAPUT. VIII.

De hæmorrhoidibus ſuppreſſis reſtituendis.

NOn minus mariſcæ, ſeu hæmorrhoides modice quibuſdam temporibus fluentes ad tuendam ſanitatem utiles eſſe obſervantur. Hippocrates ſcribit: *Qui hæmorrhoides habent, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, forſan neque lepra, & forſan neque aliis morbis vexantur*; & in aphoriſmis ait: *Atra bile vexatis, & renum paſſionibus, hæmorrhoidas ſupervenientes bonum:* quia tum revellunt, tum evacuant materiam, quæ renum, & melancholicas paſſiones, atque etiam inſaniam generabat. Galenus & ipſe ſcripſit,

In 6. epid. 3. In 6. aphorr. 11. & 21. In 4. aphor. 25. In 6. epid. ſect. 6. com. ult.

melancholiam incipientem ſæpius hæmorrhois prohibuiſſe viſa eſt, atque jam factam ſanaviſſe, & lieni indurato non minus profuiſſe. Contra, ſi cohibeantur, homines in graviſſimos morbos labuntur. Multos novimus, apertas quoad hæmorrhoidas habuerunt, recte valuiſſe; quibus poſtea à quavis cauſa ſuppreſſis, obortis exinde morbis gravioribus, interiiſſe. Itaque à ſuppreſſis hæmorrhoidibus ſolet in hepate atque liene fieri ſcirrhoſis ac refrigeratio caloris innati, unde aqua intercus quoque ſuccedit: præterea vertiginoſi fiunt, atque melancholici, quibus dictæ venæ cohibentur. Hieronymus Capellus illuſtriſſimus ampliſſimuſque Senator Venetus DD. meus Colendiſſimus proximo anno à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, quas multos annos habuit, in affectum ſcotomaticum incidit. Magni igitur juvamenti ad conſervandam ſanitatem erit, ſi mariſcæ cohibitæ aperiantur iterum, interceptaque ipſarum evacuatio conſueta, quanto citius fieri poteſt, revocetur. Hoc enim quo celerius fiet, eo utilius erit, & tutius, ad defendendum, ne in morbos labantur. Itaque ut adſtrictæ hæmorrhoides revocentur, laxatoriis cum balneis, tum fomentis, tum inunctionibus laxandæ, aperiendæque ſunt. Dioſcorides ait; iridis decoctum oſcula venarum laxare, aperireque. Idem præſtabit decoctum cyclaminis, aut cucumeris ſylveſtris, aut bryoniæ, aut mercurialis, vel fomenti modo adhibitum, vel ſi ex eo inſeſſus parentur calidi. Aliqui hæmorrhoidas aperiunt fel bubulum glandis forma intra anum mittentes; aut tritam mercurialem eodem modo impoſitam. Alii adhibent ſuccum cyclaminis; alii eundem ſuccum cum pari mellis menſura ad compagem mellis decoctum immittunt. Alii piperis & nitri æquas partes tritas ſedi adhibent. Alii hoc compoſitum adhibitum maxime aperire hæmorrhoidas dicunt, ſcilicet, quod accipit centaurii minoris, aluminis liquidi, ſingulorum ʒ. ij. miſyos, ſtaphydis agriæ ſingul. ʒj. melle excipito. Ceterum, ni hæc profuerint, eaſdem adhibitis hirudinibus, aut ſectione cum phlebotomo, ſi appareant, revocato.

CAPUT IX.

De menſtruis in mulieribus ſuppreſſis revocandis.

SAnguinem, qui in mulieribus unoquoque menſe commode evacuatur, ſi ob aliquam affectionem retineatur, moleſtiam iis atque noxam neceſſario inducere Galenus eſt auctor. Retineri vero ait vel propter venarum in utero menſtruam purgationem deferentium conniventiam, contractionemque oſculorum, vel ob obſtructionem earum, vel ob ſanguinis craſſitiem, & frigiditatem, vel ob ipſorum uteri vaſorum robur affluentem ſanguinem non admittentium. Paulus ſcribit menſtruam purgationem ſupprimi aut vitio totius corporis, aut uteri: vitio totius corporis, utpote cum ab aſſiduis curis totum digeritur, ita, ut ſanguis, in ipſo minime ſuperfluat, qui menſtruam purgationem faciat, aut cum ex immodico timore, vel mærore ingenti, totum adſtringitur, ipſiuſque venæ, quæ ad uterum ſanguinem ſingulo menſe deferunt, itidem adſtringuntur: eodem modo ex immodica caliditate totius corporis ſanguis digeritur, unde corpus maxime gracile ſiccumque redditur. Contra vero ex intemperie frigida ſanguis craſſior fit frigidiorque, idcircoque, ut ad uterum feratur, ineptior redditur; in mulieribus vero nimium pinguibus ſanguis in adipem mutari ſolet: unde hæ parum vel nihil purgantur. Demum ob diuturnum morbum corpora extenuata menſtruas purgationes non patiuntur, ſcilicet ſuperfluente ſanguine menſtruas purgationes faciente, ob morbum, abſumpto; veluti ob immoderatam evacuationem vel ſanguinis vel excrementorum idem evenit, nimirum, humore alio divertente, menſtrua purgatio fieri nequit; quo modo etiam utero gerentes non purgantur; ſicque vitio totius corporis menſtrua purgatio ſupprimi ſolet. Uteri vero vitio menſtrua purgatio non fit, ſi uterus morbo aliquo laboret, ſcilicet aut calida intemperie ſiccante ſanguinis humidiorem tenuioremque ſubſtantiam, atque ita ſanguinem craſſiorem ad motumque inhabiliorem faciente, aut frigiditate ſanguinem ceu congelante atque ad fluendum ineptiorem reddente,

te, aut aliquo tumore, aut phlegmone, aut carnis excreſcentia, aut adipe vaſa uteri comprimente affectus ſit, vel ſi ipſius uteri venæ obſtructæ ſint, aut ipſarum oſcula denſata, aut ſi ſubſtantia itidem uteri denſata, ac indurata venæque vel à frigiditate, vel ab aliquo comprimente anguſtiores redditæ, aut ſanguinis, uti dictum eſt, craſſitie, vel frigiditate, quod commode meare uteri venas nequeat, purgatio menſtrua defecit, ex qua quidem menſtrua purgatione cohibita, ſi diu duraverit, mulieres in graves morbos neceſſario delabuntur. Aliquæ in ſputum ſanguinis incidunt, ex quo deinceps phthiſi intereunt. Quod proximo anno Æmiliæ nobili virgini Bellaſinæ Bergomenſi accidit, cui cum menſtrua purgatio ex mærore aſſiduo defeciſſet, cum ſputo ſanguinis orta febricula cum aſſidua tuſſicula paucos poſt menſes interiit; facile itidem in epilepſiam, aut in melancholiam, aut in maniam, aut in vertiginem, aut in phlegmonem, aut in cordis palpitationem, vel ſyncopen, in cachexiamque & hydropem, atque etiam aliquando in tumores ſcirrhoſos, canceroſos, vel in elephantiaſim, vel in lepram, vel in ſcabiem, vel in ſimiles alios affectus mulieres incidere ſolent. Quare cunctandum non eſt, ut adhibitis præſidiis purgatio renovetur, reſtituaturque. Itaque præſcripta victus ratione, in qua cibi incidentes, extenuantes detergenteſque atque ſanguinem commoventes convenientes erunt, ſcilicet calidæ facultatis, & ſubſtantiæ tenuis, cujuſmodi eſt porrum capitatum decoctum cum pipere manſum, fercula ex herba viridis fœniculi, aut petroſelini, vel apii, & ſimilibus parata maxime convenirent, aut radices itidem petroſelini, vel paſtinacæ tum domeſticæ tum ſylveſtris decoctæ, cum oleo, ſale, pipere conditæ eſitatæ; eodem modo juvabunt caules recentes tamari, vel ruſci, vel malvarum, vel aſparagi & hortenſis & ſylveſtris in aqua decocti cum pipere, ſale, oleoque itidem conditi primo cibo aſſumpti. Paulus commendavit ad ſanguinem commovendum in cibo decoctos lolligines, ſepias atque polypodes. Quibus addèntur carnes convenientes aut hædinæ, aut vitulinæ, aut vervecinæ, aut avium montanarum, aut gallinaceorum gallorum juniorum, decoctæ in aqua cum pe-

petroſelino, aut apio, aut fœniculo, vinum erit album, tenue, non merum neque multum aquoſum. In loco calido manere mulieres oportebit, hilareſque eſſe, atque omnino ſi fieri poteſt, ut caveant ab aſſiduis curis, à mærore, timore, & ſimilibus animi paſſionibus. Victus ergo ratione præmiſſa, ad laxatoria præſidia erit deveniendum: & primum cum ſanguis in corpore retentus ſtricturæ paſſionem faciat, ejus evacuatio erit congruentiſſima, aut ſecta vena tali vel poplitis: Aëtius in magna plenitudine ſecabat primum venam cubiti, atque poſtea venam tali; Nos conſuevimus ſecare venam tali dextri pedis, & poſtea etiam ſiniſtri. Tempus vero huic evacuationi accommodatum erit per tres aut quatuor dies, antequam futura eſſet menſtrualis purgatio; quo nempe tempore mulieres commode ſingulo menſe antea purgabantur. In mulieribus vero albidioribus præſtabit magis (auctore etiam Galeno) ſanguinis evacuationem, cruribus Ægyptiorum antiquorumque Medicorum modo ſcarificatis, moliri, aut cucurbitulis intra coxendices atque cruribus recentiorum more cum ſcarificatione adhibitis. Ceterum, antequam ſanguis evacuetur, præſtabit, niſi alvus ſponte laxa fluidave fuerit, eam laxare aut clyſtere molli, aut medicamento cathartico ex lenitoriis, ſcilicet, ex caſſia, aut ex manna, aut ex ſyrupo vel roſaceo laxativo, vel violaceo, aut ex electuario lenitivo, aut ex diacatholicone vocato, vel ex melle roſato itidem laxativo, aut demum ſecundum artem ab his ſimplicibus ex aliquo ad laxandam alvum compoſito paratoque medicamento; utiliſſimum quoque erit paratis humoribus cum ſyrupis accommodatis, ſcilicet incidentibus, detergentibus, emollientibuſque decocto opportuno dilutis ſingulo mane per aliquot dies calidis propinatis, corpora cathartico eductorio purgare. Pro parandis humoribus accipe oxymellis ſimpl. aut ſyrupi acetoſi ſimpl. ſyrupi de betonica, de borragine an. unc. ß. decocti capil. veneris recentis, agrimonii, althææ, foliorum ſonchi, boraginis, betonicæ, unc. iij. pro Purgatione molienda poterimus exhibere medicamentum quod recipit rhabarbari electi ʒ. j. ß. agarici trochiſcati ʒ. j. ſpicæ, cinnamomi an. ſcrup. ß. per noctem infundantur in vino albo aromatico, & expreſſioni

addatur ſyrupi de polypodio unc. j. ß. mannæ electæ unc. j. miſce cum decocto flor. & fruct. cord. cum modico ſenæ & epithymi q. s. fiat potio, quæ in aurora dabitur; aut dabitur in bolis, quod itidem recipit rhabarbari electi pulverizati, agarici trociſcati an. ʒj. diacatholiconis unc. j. confect. hamec ʒij. miſce fiant boli. evacuatoque & purgato corpore his medicamentis vel ſimilibus, ad uſum eorum medicamentorum, quæ intro aſſumpta menſes movere poſſunt, deveniendum erit, quæ medicamenta, ex Galeno etiam, erunt facultate calida & modice ſicca. Attamen ſi humiditatem habebunt conjunctam, non erunt ſpernenda, quod ſanguis craſſus ſiccuſque humectatione fluxilior reddatur. Itaque per plures dies opportunum erit decoctum ad ſemilibram calidum cum tantillo croci ſingulo mane propinatum. Hoc autem erit decoctum pulegii, capillorum veneris, cum tantillo croci, aut leucoii lutei ſeminum, aut radicis cyperi, aut cicerum rubrorum, aut floris junci odorati, aut helenii, aut calaminthæ, aut chamedryos, aut ariſtolochiæ longæ, aut cinnamomi, aut caſſiæ odoratæ, aut amomi, aut mei; ex efficacioribus vero decoctis, quæ non niſi aliis pertentatis prius erunt exhibenda, eſt decoctum, dictamni, iridis, ſabinæ, ariſtolochiæ longæ, atque aſari; hæc quandoque ex aqua parabuntur, quandoque ex vino albo tenui; quandoque dabitur pulveris prædictorum ad drachmam & ad geminam quoque ex vino albo. Gal. in 2. med. loc. cap. 1. dabat ſabinæ vel dictamni drachmam cum cyathis tribus aquæ calidæ. Sed hæc omnia dabuntur calida. Verum ex compoſitis dabitur decoctum paratum ex iridis radicis minutim inciſæ unc. jß. ex ſeminum althææ, malvarum, fœnugræci an. unc. ß. foliorum althææ, pulegii an. m. 1. bulliant in lib. duabus aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & colatum dabitur ad unc. iiij. calidum in aurora per plures dies, & poſt, ni menſes redierint, hoc efficacius exhibebitur. Quod parabitur accipiendo radicis iridis Illyricæ ſiccæ minutim inciſæ, ariſtolochiæ longæ itidem minutim inciſæ an. unc. ij. caulium althææ, unc. j. ß. caſſiæ aromaticæ, cinnamomi an. ʒ. j. capillorum veneris recentiſſim. pulegii, calaminthæ, chamedryos, ſonchi, an. p. ij. Vini al-

In lib. 5. ſimpl. cap. 22.

albi aromatici, aquæ communis an. lib. iij. Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & colatum exhibeatur decoctum per decem & plures dies calidum in aurora ad uncias quatuor cum tantillo croci: at ad peſſorum uſum venimus, qui eſt ceteris præſidiis longe ad provocandos menſes efficacior, ſed hi ſolummodo ad mulieres corruptas erunt accommodati, nequaquam vero ad virgines. Accommodatiſſimus erit peſſus ex contuſis malvarum, & althææ radicibus, cum adipe anſerino vel gallinaceo ſaccharoque rubro, ex lana vel ſerico paratus, calidus inditus: ex œſipo quoque atque ex lana per tres dies inditus erit utiliſſimus, & ex oleo itidem dulci paratus, aut amygdalino dulci cum lana ad uteri locos adſtrictos laxandos erit utilis: non minus & is, qui ex lilii albi radice, aut cyclaminis, aut dracunculi, aut bryoniæ cocta contrita eodem modo paratur. Rubiæ quoque radix trita ex melle ſubdita commendatur, atque hyperici ſemen tritum itidem ex melle ſubditum. Efficaciores vero ad movendos menſes peſſus ſunt hi, ſcilicet urticæ folia cum myrrha trita atque ſubdita; ariſtolochia longa cum myrrha & pipere ex melle indita; aſſa fætida ex oleo irino diſſoluta lana excepta & ſubdita: ſuccus cyclaminis ex melle, opoponax, galbanum eodem modo ex oleo dulci amygdalino inditum. Elleborus albus, aut niger tritus, aut dictamum itidem tritum, aut cyclaminis, aut bryoniæ radix trita ex melle ſubdita, non minus, quam ſcammonium tritum, itidem ex melle. Nonnullæ mulieres pro peſſo fæliciter uſæ fuerunt radice betæ ad peſſi formam accommodata, decocta ſub cineribus ex oleo dulci inuncta atque ſcammonio trito aſperſa; elaterium itidem cum œſipo, ita ut ſemunciæ œſypi drachmæ duæ elaterii permiſceatur, ſubditum uterum efficaciter purgare in praxi ſæpe deprehendimus. In muliere vidua ſuppreſſis menſtruis melancholica atque maniaca reddita pro peſſo uſi fuimus fructibus ſylveſtris cucumeris recentibus contuſis, lana exceptis, ſubditiſque tanto cum juvamento, ut, reſtituta purgatione menſtrua, probe ad mentem redierit, ac priſtinæ valetudini fuerit reſtituta; pulpa quoque colocynthidis contuſa ex melle ſubdita maxime uterum purgat. Alii peſſum parant ex farina loliacea cum ſucco

porri ſubacta; alii cum elaterio, & cyclaminis ſucco. Alii parant accipientes medullæ cervinæ, galbani, ammoniaci oleique æquas partes. Suffitus quoque ad evacuandos menſes utiliſſimi ſunt, ſed maxime aromatum, juxta aphoriſmum Hippocratis dicentis: *Suffitus aromatum muliebria ducit*; unde & ex decocto althææ, malvarum, chamomeli, radicis cucumeris ſylveſtris, fœnugræci, lini, anethi, & ſimilium, in aqua decoctis, ſi fumus calidus excipiatur, erit ad revocandos menſes præſidium ſatis accommodatum; ſi vero paſtilli ex aromatibus parati ſupra carbones ignitos aſpergantur, ipſorum fumus utiliſſime excipietur; paſtilli convenientiſſimi erunt hædycroi, cyphi vocati, atque qui ex ligno aloë, cariophyllis, caſſia, cinnamomo, ſcænantho, cypero, coſto, ſpica celtica, benzoo, ſtyrace, myrrha & ſimilibus parabuntur, cum opobalſamo orientali, aut ejus loco, ex occidentalibus Indiis delato, aut oleo nucis moſchatæ: aut ex oleo irino, vel rutaceo, vel anethino, vel cicino, vel amygdalino: vel ex melle, vel ſimili alio ex ſucco, aromatibus tritis atque permixtis, paſtilli parabuntur ad drachmæ pondus, in umbraque ſiccabuntur. Inſeſſiones quoque accommodatiſſimæ ſunt ad movendos menſes, quæ ex decocto althææ, malvarum, fœnugræci, & chamomeli ex aqua parato fiunt. Nonnullæ mulieres in aqua decoquunt comam allii ſiccatam; aliæ pulegium, & calamintham, aliæ porra capitata in aqua itidem decoquunt, aliæ ſambuci folia, vel ebuli, vel leucoii ſemina, ex quorum decocto inſeſſiones parant. Decoctum vero ex iridis illiricæ radice ſicca, auctore Dioſcoride, maxime vaſorum uteri ſpiracula laxat, atque idcirco ad menſes movendos eſt maxime utile, non minus vero in aqua paratum ex radice Ariſtolochiæ longæ, vel cyclaminis vel bryoniæ. Ad hunc uſum itidem accommodantur fomenta ſpongiis excepta atque imo ventri, inguinibuſque appoſita ex decocto ſcilicet althææ, fœnugræci, chamomeli florum, pulegii, dictamni, & ſimilium. Aut ex hydrelæo, aut ex oleo irino, vel amygdalino dulci veſica excepto. Inunctiones itidem calidæ ad imum ventrem, pubem, atque ad inguina, factæ ex oleo dulci, aut amygdalino, aut anethino, aut eo in quo-

In 5. Aphor. 28.

quo radix althææ ebullierit, utiles erunt: non minus etiam quæ ex oleo irino, lilino, atque ex floribus cyclaminis parato parabuntur: ex pinguedine quoque anſeris, vel gallinæ, & ex butyro recenti eas partes inungi, erit utile, non minus, quam ſi unguentis calidis ex iiſdem oleis, adipibus, atque ex medicamentis ſupraſcriptis paratis eædem partes foveantur, illinianturque.

CAPUT X.

De urina ſuppreſſa reſtituenda.

TRiplex eſt urinæ non probe per veſicæ canalem exeuntis vitium, primum ubi urina guttatim ex veſica deſtillat, Græci hunc affectum ſtranguriam vocarunt, & noſtri urinæ ſtillicidium. Secundum, ubi urina ægre, difficulterque excernitur, dyſuriam itidem Græci hunc affectum dixerunt, & noſtri, urinæ difficultatem: atque tertium, ubi ipſa ex toto ſupprimitur, retineturque quem affectum Græci quoque iſchurian nominarunt, & noſtri ſuppreſſionem urinæ. Primum urinæ acrimonia affectum concitat, vel veſicæ ulceratio, aut humor aliquis mordens in veſicam delabens, aut pus ex jecore, vel ex renibus in veſicam fluens. Aegre vero excernitur, ob veſicæ imbecillitatem à frigida intemperie, aut ob obſtructionem meatuum urinariorum ex humore craſſo, & lento; à qua cauſa, & à grumo ſanguinis; & quandoque à pure, aut à tumore aliquo, vel ab adnata caruncula, & quandoque à calculo, ex toto aliquando ſupprimitur cohibeturque. Quæ paſſio eſt uſque adeo gravis, ut, niſi cito ei occurratur, & urina medicamentis per os, aut exterius adhibitis, aut denique intromiſſo cathetere movendo educendoque proliciatur, citiſſimam mortem minetur. Itaque ſuppreſſa urina (quod ſtrictura paſſio ſit) laxatoriis medicamentis intus, foriſque adminiſtratis, ad curationem agendum erit. Inter quæ inunctiones ad pubem ex oleis calidis, erunt accommodatæ, ſcilicet ex oleo amygdalino dulci, chamomelino, anethino, irino, atque ex eo in quo radix al-

thææ incocta fuerit, aut lilino, aut è ſcorpionibus parato; fomenta etiam perquam utiliter adhibebuntur, aut ex decocto althææ, parietariæ, chamomeli, fœnugræcique, aut ex parietaria, aut chamomeli floribus in ſartagine cum oleo amygdalino frixis, pubique calidis adhibitis. Inſeſſus quoque utiliſſimus erit calidus ex oleo, aut ex hydrelæo, aut ex decto althææ, malvarum, chamomeli, fœnugræci & ſimilium; aut ex aqua dulci calida concinnatus. Clyſterum itidem ex eodem decocto, oleo, atque melle paratorum uſus, erit mictionis defectui convenientiſſimus. Ex iis, vero quæ per os aſſumpta urinam movere apta ſunt, hæc erunt aptiſſima. Decoctum primo ſeminum althææ, malvarum, fœnugræci, cyperique radicis; aut ℞. ſeminum, althææ, malvarum, eryſimi, apiique an. ʒ. j, ſeminum melonis decorticatorum ʒ. iiij. in libris duabus aquæ decoquito quo ad tertia pars abſumatur, & exhibeto calidi decocti ſemilibram. Datur etiam ſummo cum juvamento, aqua radicum anonidis herbæ, aut eryngii. Decoctum itidem radicum aſparagi, aut ſenecionis, aut fœniculi, aut juniperi. Nonnulli decocto ſabinæ, aut radicis rubeæ, tinctorum fæliciter uſi ſunt. Datur autem; tanquam ſingulare medicamentum, drachma ſeminum eryſimi tenuiſſime triti, vel drachmæ duæ in vino albo. Aliqui pro ſecreto extollunt ovi corticem, ex quo pullus ſit excluſus, à pellicula ſua probe emundatum, tritumque ad drachmam ex vino albo epotum. Nonnulli audent exhibere cantharidum decoctum in aqua fœniculi paratum, decoquentes ipſarum drachmam, detractis capitibus atque alis: a quo quidem medicamento, tanquam ab exitiali veneno, cavendum eſſe exiſtimamus. Et tandem, ni medicamentis urina moveatur, cathere intromiſſo erit ducenda, aut cerea candela ſubtili inuncta amygdalino oleo per penis meatum intra veſicæ os immiſſa.

CAPUT XI.

De vomitione intermiſſa, reſtituenda.

QUemadmodum in multis vomitus ſæpius excitatus ad ſanitatem conſervandam plurimi adjumenti eſſe ſolet, quod per eum corporis complura excrementa expurgentur, præſertimque ea, quæ in ſtomacho abundant: ita quoque ſi aliquandiu, in iis, qui ipſo familiarius atque frequentius uti ſoliti fuerunt, intermittatur, corpora in morbos labi, neceſſe eſt. In me ipſo hoc experientia didici; etenim cum abhinc annos multos vomitum familiarem habuiſſem, recte valui, quam vomendi conſuetudinem deinde, ſtomacho ad vomendum duriori reddito, poſteaquam intermiſi, morboſiorem vitam, ex morbo articulari aucto, ducere cæpi. Ceterum vomitum moventia, partim in victu, partim in medicamentis conſtituta ſunt. Ex victu ea omnia ad movendum vomitum erunt accommodata, quæ humida, inſipida, aut dulcia, non ſicca, non acerba exiſtunt, uti eſt malva, cucurbita, bliton, & ſimilia; vinum dulce, tepidum, aqua itidem tepida. Ex mendicamentis vero, ad movendum leniter vomitum, aqua dulcis ſimplex tepida copioſius hauſta, aut cum modico aceti, & ſacchari, vel mellis, eſt maxime accommodata. Decocta aqua cum radice glycyrrhizæ, & ſeminibus fœniculi calida copioſius hauſta Ægyptios ad vomendum ter quaterque in balneo familiarius uti, in libris de medicina Ægyptiorum, poſteritati tradidimus. Decoctum ex aqua itidem radicis cucumeris, ex modico mellis calidum epotum ad vomitionem faciendam eſt admodum accommodatum. Item ſemen peponis atque cucumeris in aqua maceratum, detritumque per os ex melle aſſumptum, vomitum movere veteres cognoverunt. Mulſa dilutior, raphani, vel agarici decoctum, hydrelæum, atque oleum itidem dulce calidum epotum idem præſtabunt. De medicamentis vero vomitoriis, quæ violenter agunt, nos in iſtius operis libro tertio ſatis ſuperque egimus: proinde ad eum librum lectorem remittimus. Non omittam, acetum ſcyllinum eſſe admodum utile

ad

ad purgandam pituitam, atque alia omnia excrementa per vomitum. Quo nos in juventutis annis præſervationis gratia magno cum commodo uſi fuimus: datur quidem calidum ab uncia. 1. ad geminam uſque.

CAPUT XII.

De alvo adſtricta laxanda.

QUantopere alvus adſtricta faciat ad corporis ſanitatem vitiandam, neminem Medicorum latere certo ſcimus. Etenim ad ſanitatem conſervandam ſatis eſſe nonnulli antiquorum tradiderunt, ſi alvus quotidie, & urina, pro ingeſtorum tum cibi tum potus copia, ſine vitio, & abunde reſponderet: & cum evacuatio juxta aſſumptorum proportionem eveniebat, eam commendabant; ſin minus promovebant. Ex iis, qui habent alvum adſtrictam, nonnulli alternis diebus, alii ternis, quaterniſve, fæces excernunt: In aliis vero uſque ad octavam etiam diem alvi dejectionem tardatam fuiſſe vidimus, atque non ſine magna profecto illorum corporum moleſtia. Unde in iis, qui adſtricta alvo laborant, caput vaporibus repleri obſervamus, atque exinde gravedinem caput, ſuffuſionem, tinnitum, aliquando vertiginem, & ſimilia pati, homineſque exinde inappetentia laborare, nauſeabundos evadere, quandoque ſingultire, & quandoque, ut in ileo, ſtercus per os evomere. Quare adſtrictam alvum habentes plurimis noxis obnoxii redduntur; neque ſane immerito, cum alvus laxa, fluidave à multis incommodis, moleſtiiſque corpus liberare ſoleat. Itaque non cunctandum, ut laxetur, atque ad excretionem prompta reddatur. Porro alvus adſtringi, cohiberique ſolet, imprimis cibi potuſque culpa, ut Galenus docuit, nimirum aut propter ipſorum acerbam qualitatem, auſteram, vel ſiccam, aut propter quantitatem, ſcilicet quod plures, aut pauciores aſſumantur cibi, aut denique propter ordinem, utendique modum, utpote quandoque, quæ ſicca, adſtringentiaque ſunt, primo aſſumantur, poſtea vero dulcia pinguiaque, aut cum bis ſolitus ſit homo in die comedere, ſemel tantum deinde cibum aſſu-

1. de tuc. valet. cap. 13.

aſſumere aſſueſcat. Adſtringitur quoque alvus non raro ventriculi, vel inteſtinorum, vel viſcerum inteſtinis adjacentium culpa, nimirum cum ipſorum expultrix debilitatur, aut ob intemperiem in exceſſu conſtitutam, vel calidam, vel ſiccam, vel frigidam, vel humidam, vel ex ipſis ſimplicibus complicatam: hæ intemperies aliquando adeo valide augentur, ut vel ventriculi, vel inteſtinorum aut tenuium, aut craſſorum, aut omnium, aut aliquorum, vel partium ipſis adjacentium (ut eſt hepar, lien, veſicula fellea) expultrix facultas maxime debilitetur, atque ob id ventris excrementa retardentur, quominus prodeant, ac protrudantur. Quod ſæpe fieri etiam ſolet, tum ob inteſtinorum anguſtiam, quam vel adſtrictio ex tumore, compreſſioneve, aut exſiccatione cauſata, vel convolutio eorundem in quadam ilei ſpecie peperit; tum propter obſtructionem ab ipſis fæcibus factam: tum denique propter oſculorum, per quæ bilis alvi excrementis acrimoniam & irritationem concilians in teſtina excutitur, conniventiam. Exſiccatur vero alvus, & cohibetur nedum inedia, & uſu (uti dictum eſt) ciborum potuumque ſiccantium, atque adſtringentium, ſed etiam vi medicamentorum ejuſdem facultatis aſſumptorum, aut intra alvum injectorum; atque (uno verbo) eorum omnium, quæ quovis modo vim expultricem, debilitare, infirmareque poſſunt. Quod maxime facere uſum familiarem medicamentorum purgantium (ſive aſſumantur per os, ſive intra alvum clyſteribus indantur) à Medicis practicis longa experientia deprehenſum eſt, unde multis rationibus, nempe inteſtinis humiditatem adimendo, & expultricem labefactando clyſteres ſæpius injecti, & purgantia frequenter aſſumpta, alvum adſtrictam reddere ſolent. Cum igitur conſtet, alvum adſtrictam morbo adſtricto laborare, laxatoriorum præſidiorum uſus ad eum affectum tollendum erit idoneus. Itaque tum in victu, tum in medicamentis, ea admovenda erunt quæ quovis modo alvum laxare queunt: cujuſmodi ex cibis atque ex potibus erunt, ſi prima menſa, vel ante cibum, exhibeantur olera mollia, leviter cocta, cujuſmodi eſt malva, beta, braſſica levis, mercurialis, aſparagi hortenſes, tamari cauliculi recentes elixi,

cum oleo & ſale aſſumpti; atque etiam ſambuci folia elixa itidem cum oleo & ſale comeſta; cucurbita, itidem & cucumer elixus ventrem laxabit: melones ſimiliter & pepones tum crudi tum cocti idem faciunt; ſic ova ſorbilia recentia cum melle, aut ſaccharo ad laxandum idonea ſunt, non minus, quam beta ex mulſa cocta, & allium elixum, cæpaque cocta ex melle, oleo ſaleque eſitata, atriplexque hortenſis: ad idem etiam accommodatiſſimus eſt panis triticeus furfuraceus, quo complures ad laxandum ventrem non immeritò familiariter untuntur. Ex fructibus præcoces omnes primo cibo ingeſti alvum movent, maximeque ceraſa matura dulcia, vel inſipida, mora itidem matura, pruna matura & cruda & cocta cum ſaccharo, uvæ recentes pingues, aut coctæ cum ſaccharo, aut cum melle crudo, aut quæ per noctem ſub dio manſerint, cum melle, aut cum ſaccharo: ficus recentes atque etiam ſicci pingues ſunt idonei ad laxandum ventrem. Ex cibis etiam conveniunt, mel crudum eſitatum, caſeus recens ex melle, nuces itidem recentes, & quæ in aqua macerantur laxatoriæ ſunt. Ex carnibus autem conveniunt pingues, agninæ, porcinæ, atque avium aquatilium: ex piſcibus ſaxatiles, & molles, primo cibo (uti dictum eſt) aſſumpti, butyrum eodem modo affatim comeſtum per ſe ſolum fluidum facit ventrem, & longe efficacius idem faciet, ſi cum melle, vel ſaccharo edatur. Ex juribus vero laxatoriis, & potionibus, quæ ex herbis leviter coctis exprimuntur, eſt braſſicæ levis leviter coctæ jus ex melle aſſumtum: at omnium maxime confert jus ejuſdem braſſicæ (cui M. Cato miras laudes in laxando ventre tribuit) in quo cymarum braſſicæ viginti manipuli efferbuerint, quodque eo modo paratum fuerit, quo M. Cato id parandum eſſe tradit. Jus quoque mercurialis herbæ cum ſale, oleo, vel melle ſatis efficax eſt ad laxandum ſtimulandumque ventrem, non minus quam ex foliis ſambuci paratum. Succus itidem fœnugræci cum melle idem præſtabit. Idem facit jus carnis porcinæ recentis, piſcium ſaxatilium recentium per ſe ſolum, aut ex vino epotum, privatimque (ut Dioſcorides eſt auctor) ex gobiis, ſcorpionibus, vel julidibus, vel percis, paratum: quod paratur ex cochleis,

In lib. de re ruſtica cap. de braſſica.

chleis, conchisque marinis, est maxime idoneum, cum oleo, & melle, vel sale epotum. Sepiarum quoque atramentum solvit alvum; jus itidem galli antiqui est ex maxime laxatoriis. Lac aquosum itidem emollit ventrem atque ejus serum; quod efficaciter illud præstabit, si ad heminas quatuor, cum salis & mellis modico, propinabitur: quod si multum salis habuerit, multum purgabit. Mustum, vinaque dulcia, mulsum, & similia laxantis quoque facultatis esse neminem latet. Oleum quoque dulce ante cibum absorptum alvum lubricat, cujusmodi est commune, dulce, & amygdalinum: item cicinum, & quod ex grano cnidio exprimitur. Itaque hæc ex cibis, potibusque prima mensa ventris laxatoria, & stimulatoria erunt: post cibos vero tales (ut auctor est Galenus) assumptos, ventrem moventia non dulcia, pinguia, molliaque esse debebunt, sed, in ultima præsertim mensa, facultatis adstrictoriæ & stipticæ. Unde mirum non est, si post cœnam fructus adstringentes assumpti alvum moveant: cujusmodi sunt pyra austera, mala cytonia, mespila, sorba, mora rubi acerba, atque mori fructus itidem acerbi. Itaque prima mensa ad laxandum ventrem accommodatissima erunt omnia dulcia, insipida, pinguiaque. Non minus etiam, quæ detersione laxant, cujusmodi sunt omnia salsa & acria: unde aqua marina, vinum salsum, garum, & cetera alia salsamenta detergendo ventrem laxant. Verum acria, ut allium, cœpa, porrum, & similia incidendo extenuandoque excrementa, & facultatem expultricem irritando, detergendoque ventrem movent. Hujusmodi vero omnia prædicta ex cibis & potibus parata, tum intra os assumpta, tum in alvum clystere indita apta erunt, ad adstrictam alvum restituendam, laxandamque. At operæ pretium est, ut ex medicamentis etiam quædam dicamus, quæ adstrictam alvum laxare possunt. Itaque per os ex iis, quæ assumuntur, laudatur resina terebinthina avellanæ magnitudine dormituris exhibita, vel per se sola, vel cum modico rhabarbari mixta: radix itidem polypodii trita ad drachmam ex jure pota: item aloë lota ad semidrachmam ante cœnam, vel vulgaria catapotia ex ipsa parata, vel mastichina vocata: epithymum item ante cœnam ad drach-

mam ex oxymelite utiliſſime datur. Hac ætate uſus foliorum ſenæ ad laxandum ventrem compluribus maxime innotuit: plerique enim utuntur ejus infuſione ex vino, ante cœnam; aut aceto, in quo folia ipſius efferbuerint, aut per noctem macerata manſerint, in acetariis utuntur: aut eorundem foliorum pulverem ante cœnam, ad ſemidrachmam, cum modico cinamomi (quo ſemper ejus qualitas ſtomacho infenſa corrigi debebit) ex vino, aut ex jure carnis epotant. Non deſunt alii, qui paſſulas decocto, aut infuſione ejuſdem ſenæ maceratas, vel decoctas, ante cœnam primo cibo aſſumant: vel pruna damaſcena eadem facultate imbuta reliquo cibo præmittunt. Prunis etiam per ſe ſolis Damaſcenis præſertim in vino dulci decoctis cum ſaccharo vel melle complures utuntur ante cibum, ſive prima menſa. Omitto clyſteres, & balanos ad alvum molliendam, & irritandam à multis in uſum receptos, tamquam omnibus notiſſimos. In pueris butyro exterius copioſo ad umbilicum adhibito mulieres alvum laxant. Idem, quando opus eſt, tentant eædem cyclaminis ſucco abdomen illinentes. Sic ad hunc uſum parari ſolet in officinis medicis unguentum de arthanita appellatum. Non pauci & ori ſtomachi, & umbilico, vel toti abdomini adhibent ad alvum laxandam pulpam colocynthidis, aut ſcammonium, vel agaricum, vel trochiſcos laxatorios, ex melle; vel electuaria, vel catapotia cathartica. Atque hæc ad laxandam alvum, eamque adſtrictam reſtituendam ſufficient.

Gal. in 7. ſimp.

CAPUT. XIII.

De venere multo tempore intermiſſa, pro valetudinis conſervatione, reſtituenda.

EX adſtrictis morbis ſuperſunt nobis affectus, qui naſcuntur à venere aliquandiu intermiſſa in præſentia tractandi: ſiquidem ex feminis abundantia, genitalium vaſis exinde tumentibus eodemque ſemine aliquandiu non excreto, ſed diu intus retento, homines in graves quidem affectus labuntur; omnium-

que

que maxime quorum corpora calidi & humidi temperamenti ſunt, quibus (auctore Galeno licet Epicurus nunquam veneris uſum poſſe juvare crediderit.) Venus amica atque utilis eſſe ſolet: veluti calidis & ſiccis, frigidiſque inimica exiſtit. Quod eo præſertim conſtat argumento, quod calida & humida plurima ſemine abundent; quod ſemen niſi tempore idoneo per coitum excernatur (hoc enim natura in ſingulis animalibus ad ſobolis conſervationem neceſſario fieri oportere voluit) & copia vaſa genitalia replendo, & ex quadam putredine à prohibita ipſius ventillatione, quæ excretione fit, pravam qualitatem adeptum (Galenus enim corruptum ſemen perinde ac exitiale venenum eſſe in corporibus demonſtravit) graviſſima profecto mala inducere ſolet. Quibus ſane malis ſæpius, & gravius vexari obſervantur, tum mares, tum feminæ, quæ cum antea concubitu creberrimo uſæ fuiſſent, poſtea eo plane, ob aliquam cauſam, per multum tempus caruerunt, atque ab eo abſtinuerunt. Huc accedit etiam, quia, cum ſemen in animalibus excrementum ſit, ad excernendum quidem (quod omnium excrementorum ſit propria excretio) pro generatione tamen factum, niſi ſuo tempore excernatur, intus retentum computreſcit & corrumpitur, ut cetera alia excrementa faciunt, atque ex eo vapores ſumme putridi ad nobilia viſcera ex genitalibus ſubvecti ſæva quidem ac lethalia ſymptomata, perinde, atque ex veneno exitiali naſcuntur, excitant; præſertimque in mulieribus viduis, quæ antea crebro veneris concubitu uſæ fuerunt. Hæ, præter cetera mala, uteri præfocationem, diſtentionemque nervorum patiuntur: Galenus ſcribit de quadam muliere, quæ ex retento ſemine apnœam paſſa, ſimulque nervorum diſtentione oppreſſa erat, quod, cum ab obſtetrice, manibus oleis calidis inunctis, pudenda ipſius tractarentur, orta titillatione, cum labore & voluptate; ſemen craſſum putridumque emiſerit, eoque excreto ab omni moleſtia liberata fuerit. Non minus etiam mares ab intermiſſo concubitu multis malis obnoxii reddunturi. Nonnulli (ut Galenus tradidit) niſi aſſidue coeant, capitis gravitatem incurrunt, cibos faſtidiunt, aliquando febricitant, cibos non concoquunt; & aliqui præ pudore à libidi-

In 6. de ſan. tue. cap. 4. Gal. in 3. epid. 1. com. 4.

In 6. de loc. affect. c. 4.

In 6. de loc. affect. cap. 5.

nis uſu abſtinentes torpidi, pigri, melancholicorumque modo præter modum mæſti, atque timidi, fiunt, cibi inappetentiam patiuntur, ciboſque non concoquunt, & proinde cruditatibus aſſidue vexantur; quibus non liberantur, quoad ad ſolitum libidinis uſum devenerint, concubituſque uſum denuo receperint. Quidam uxoris mortem lugens, & à concubitu abſtinens, quo antea creberrime fuerat uſus, cibi cupiditatem amiſit, ac ne exiguum cibi concoquere potuit, ubi vero ſeipſum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur. Quo malo liberatus eſt, poſtea quam ad priſtinum concubitus uſum rediit. Quare ex his liquido nobis conſtabit, in aliquibus venerem intermiſſam multorum malorum cauſam eſſe, præſertimque in ætate juvenili, atque in habitu carnoſo, temperamentoque calido atque humido. Unde ad ſanitatem conſervandam in multis venus diu intermiſſa erit reſtituenda (dum quidem ad uſum veneris apti, ac potentes ſint) alias uxores iis procurando. In iis vero qui aliquam ob cauſam jam ad veneris uſum impotentes facti ſunt, quique ob impotentiam coguntur ipſam venerem dimittere, medicamentorum uſu coëundi *vis* in ipſis labefactata erit reſtituenda. Cum vero hæc impotentia coëundi, aut totius corporis, aut alicujus viſceris præcipui, aut genitalium culpa fiat, ſi debeat hæc coëundi facultas reſtitui, totius corporis, aut partis innaturalis affectus, tanquam cauſa, erit tollendus; nam ſi corporis temperamentum frigidum, vel ſiccum, concubitus impotentiæ fuerit cauſa, impotentes ſive ægroti, & victu calido atque humido, & balneis calidis ex aqua dulci paratis atque aliis medicamentis intus foriſque admotis laxatoriis uti debebunt. Ita etiam, ſi ad eam impotentiam veneris infirmitatemque impulerit hominem ſiccus ſqualiduſque habitus, eorundem ſupradictorum medicamentorum uſus conveniet. Quæ medicamenta itidem conducent iis, qui venereo defectu laborant aut ob hepar, aut ob cor, aut ob cerebrum vitiatum vel ex intemperamento frigido & ſicco, aut ex calido itidem atque ſicco, aut ex aliquo alio affectu ex adſtrictis. Accedit etiam, ſi genitalia patiantur itidem à frigiditate, aut ſiccitate, aut à ſeminis ſpirituumque vitio frigido im-

impotentia oboriatur, eadem præſidia, quippe laxatoria, uſui futura erunt pro facultate concumbendi reſtauranda. Si de iis loquamur, quæ etiam inter cibos locum habent, hæc erunt maxime huic uſui accommodata, ſcilicet, ex fructibus dactylus, ficus recens, uva dulcis, nuclei pini, amygdalæ dulces, avellanæ, & ſimiles alii; teſtes gallorum eſitati, ex vinoque ipſorum pulvis aſſumptus, impotentibus maxime auxilio erunt: ex piſcibus vero locuſtæ, cancri marini; conchilia marina cum pipere eſitata utilia erunt: ex ſeminibus, etiam triticum coctum, faba, piſum, cicer in jure pingui percoctum atque eſitatum: ſemen itidem ſeſami, fœnugræci, atque lini, coctum, cum melle devoratum conveniet: ex radicibus carduus, & cynaræ tum radix, tum fructus decocti cum ſale, oleo, & pipere eſitati laudantur: radix itidem ſelini, id eſt, apii hortenſis, tum cruda, tum cocta, cum pipere eſitata, venerem accendit: item rapa, napus, paſtinaca, raphanus, cœpa, aſparagus, ferulæ corculi recentes ſub cineribus aſſi & cum pipere eſitati idem faciunt. Quod vero pertinet ad medicamenta interna, datur piper ex vino, ſatyrii radix, eruca in acetariis, cum modico ſalis & oleo devorata. Been rubrum, zedoar, eryngii radix, galanga pulverizata ex vino ad drachmam devorata juvat: quibuſdam quoque viſum eſt, hanc, ſcilicet galangam; ore tantummodo contentam efficacius venerem incendere: ſcylla item aſſata in exigua quantitate aſſumpta prodeſt: Sic ormini ſemen (ut Dioſcorides ſcripſit) tritum in vino aſſumptum juvat: & radicis quoque gladioli pars ſuperior, & craſſior cum vino epota; & radix cynoſorchidis majoris ſimiliter cum vino bibita: ſemen autem urticæ ſylveſtris, & ſemen lini, cum vino mulſo & pipere devorata magnopere conferunt. Scincum Indicum potui datum præſertimque ipſius renum partes ad drachmam epotas intenſius ad concubitum ſtimulare Dioſcorides tradidit. Teſtes itidem gallorum ex vino poti non minus utiles exiſtunt. Ex efficacioribus vero eſt Aſſa fœtida ad ſemidrachmam ex vino epota, etenim valide homines ad libidinem incendit. Addimus ex compoſitis Mithridatium ſingulo mane ad drachmam ex vino, aut per ſe ſolum, devoratum,

In 2. euporiſt.

In lib. 2. de mat. medica

ratum, diamoſchum, diaſatyrium, diaſpermatum, & ſimilia. Exterius autem, ſcilicet ad genitalia, convenient calidæ oleorum inunctiones. Paulus ait; conducere iis inunctionem ex pingui oleo, cui additum ſit modicum radicis narciſſi, aut cocci cnidii, aut ſeminis urticæ. Ad id etiam accommodata erit inunctio ad genitalia ex moſcho orientali, aut ſibeto ex cicino oleo diſſoluto parata: tum maxime unguentum Rhaſis Arabis Medici expertiſſimi, præſertim ad genitale movendum, erigendumque quod accipit olei lilini unc. ij. caſtorei unc. j. euphorbii, piperis, ſinapis an. ʒj. Moſchi orientalis ſcrup. ß. fiat unguentum, quo viris inungantur, renes, femora, coles, atque teſtes, ante aliquot præſertim horas, quam velint ad concubitum cum mulieribus accedere. Aliud ad idem utile eſt, quod recipit aſſæ fætidæ ʒj. mellis unc. j. cum vino per duas horas ante concubitum penis illinatur. Atque hæc ſatis erunt, ad reſtituendam venerem, in iis, qui refrigerati concubitu uti nequeunt.

In lib. 1. c. 36.

FINIS LIBRI UNDECIMI.



PROSPE-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA LIBER DUODECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De morbis laxis esse agendum, quotque hi sint.



Um hactenus de morbis seu affectibus, qui adstrictorum genere comprehenduntur, nos scripserimus; restat, ut etiam de laxis vocatis eodem itidem modo agamus. Inter quos connumerantur in primis resolutiones, quæ fiunt calore innato ob aliquam causam immoderatius per poros cutis, insensibiliterque exhalante, ita, ut in animi deliquium vel in syncopem homines labantur: evacuationes etiam, quæ sensibiliter fiunt per poros cutis, cujusmodi sunt sudores ex toto corpore immoderatius exeuntes. Immoderata itidem hæmorrhagia, vel sanguinis per os quovismodo immodica excretio, vel per alvum, vel per urinam, vel per hæmorrhoidas, vel denique per uterum in mulieribus. Immoderatus quoque vomitus, lienteria, dyarrhœa, dysenteria, gonorrhœa, uteri profluvium, diabetes, fluxus vulgo hepaticus vocatus, cholera, & similes alii affectus, qui immoderatius laxatis ampliatisque corporis meatibus fieri solent.

CAPUT. II.

De inſenſibili evacuatione, quæ in lethalem ſyncopen deducit, cohibenda.

EVacuatio, quæ per poros cutis fit, ſi multa ſit, leve animi deliquium, quod Græci ἔκλυσιν appellant, inducit; ſi auctior, graviorem quidem animi defectionem, Græcis λειποψυχίαν, & λειποθύμιαν vocatam; tandem vero profuſior, ut vires maxime diſſipet, reddita ſyncopen, id eſt, animi graviſſimam defectionem, morti ſimillimam, facit. Lipothymia uſque ad ſudorem, animi deliquium habet: in ſyncope vero ſudor aſſiduus, diaphoreticus, & ſyncopticus dictus, in toto corpore apparet, pulſuſque defectio adeſt, ſenſus motuſque aboletur, nulla pene reſpiratio editur, in ore pallor viſitur, extrema algent, ac madent; denique ipſiſſima mortis imago ſpectatur. Qua de cauſa mirum non eſt, ſi Galenus ſyncopem definiendo dixerit, eſſe præcipitem lapſum virium omnium, præſertimque vitalium. In hoc enim affectu concidunt omnes ſpiritus, maximeque vitales, quorum copia partes corporis vivunt. Itaque in omni ſyncope fit ſpirituum, præſertim vitalium, exſolutio: quibus quidem exſolutis, innatus calor partium ſolidarum, viſcerumve perit, ipſorumque una temperamentum in eodem calore inſito, atque humido ſubſtantifico, radicalive, conſtitutum. Quandoque vero ſpiritus per ſe concidunt, ſcilicet, ubi diſſipantur, vel cum ſpirituum ſubſtantia plus juſto fuerit extenuata, atque exhalabilis reddita, ut in ira: unde fit, ut ea corpora, quæ tenuiſſimis ſuccis abundant, facile reſolvantur: vel quod corpus immodice fuerit rarefactum, ut in immoderato gaudio, quod Græci perichariam, quaſi exceſſum gaudii dixeris, appellant: vel ob defectum alimenti, propriique humidi conſuptionem, ut in immoderatis evacuationibus, purgationibuſque, atque in vigiliis, motibuſque immoderatis. Aliquando vero non per ſe deficiunt, ſed quod ſuffocantur intra corpus coacti: uti fit, ſi, reſpiratione vel ventilatione intercluſa, aëre cor diutius privetur. Id accidit in ingenti timo-

Gal. in 12. meth. cap. 6. Gal. in 12. meth. cap. 5.

re,

re, triſtitia, anxietate, mærore; item ſpirituoſis partibus obſtructis, ut in Antipatro à Galeno fuit obſervatum. Nam ita non modo ſpiritibus materia, qua nutriantur, & recreentur, deficit, verum etiam fuliginum cohibetur evacuatio: quibus neceſſario calor naturalis extinguitur, & opprimitur. Hoc modo complures degentes in calidis vel hypocauſtis, vel cellulis undique clauſis, ſuffocati interierunt. Demum ſpiritus aliquando non primario affectu concidunt, ſed ex aliqua quidem noxa partis alicujus principis, ſcilicet, vel nervorum principii, ſcilicet cerebri, vel oris ventriculi, vel cordis, vel inteſtinorum, potiſſimumque ilei & coli, vel uteri in mulieribus. Cerebro quippe à maligno, acrique humore, maxime læſo, aut vulnerato, ſpiritibus ad partem læſam, atque ad cor ipſum, quod cerebri magnæ noxæ conſentit, retractis, fit lipothymia, & quandoque etiam ſyncope: non minus & ab ore ventriculi aut à vehementi atque acuto dolore laceſſito, aut à maligno ſummeque acri humore commorſo, aut eroſo, ſpiritus concidunt; humore autem crudo ibidem ſubſiſtente, opprimuntur. Unde Galenus in lib. 12. meth. cap. 3. & 4. ſyncopem fieri ore ventriculi à flava bile, atque à crudorum humorum copia læſo, poſteritati tradidit. At omnium maxime ex corde dolorem patiente acutum, à maligno humore vel à pravo vapore, vel à tumore, vel denique ex inflammatione, ſyncope, exſolutis ſpiritibus, accerſitur, non minus quam fiat ab iliaco & colico dolore vehementi, atque ab utero eodem modo læſo. Itaque à magna alicujus partis principis noxa, ſpiritibus vitalibus affatim ad ſuum principium revocatis; idcircoque extimis partibus quaſi vita plane privatis, virium præceps lapſus fit: qua ratione homines & in levem animi defectionem, & non raro in graviorem (ſyncopen Græcis vocatam) incidunt. Ceterum cum hunc affectum fieri per ſe dixerimus ſpiritibus exſolutis vel ab immodica cutis meatuum rarefactione, vel ab ipſorum ſubſtantia nimis extenuata, atque nimis exhalabili ex quacunque cauſa reddita, vel alimenti inopia, vel denique ab immoderatis excretionibus; unde merito Galenus dixit; *Virium exſolutionem immoderatas excretiones, non retentiones*

In 3. prorrh. com. 39.

conſequi: idcirco hæc paſſio ex laxis morbis erit; de qua propterea nos hic agemus. De illa vero virium exſolutione, quæ vel à pravis humoribus, vel doloribus, vel ab aliis paſſionibus viſcerum, retractis ſpiritibus fit, cum morbus mixtus ſit ex laxo & adſtricto, in poſtremo libro agemus. Nunc de illa paſſione quæ laxus affectus eſt, ſermonem inſtituimus. Quæ fit, ubi vires concidunt vel ex ingenti gaudio; vel ex ira, vel ex prohibita reſpiratione, caloriſque naturalis ventilatione, vel ex colliquatione, aut inopia alimenti. In hac paſſione laxa indicatur adſtringendum, denſandum, cohibendumve, ac omnino prohibendum, ne calor nativus exhalet, atque exſolvatur. Quæ indicatio uſum habebit in omni virium exſolutione, vel lapſu, etiam ſi fiat à cauſa adſtricta, & paſſio ſolutionis laxitatiſve, atque etiam ſtricturæ ſimul exiſtat. Cum vero in morbo mixto, urgentiori, ex Methodicorum placitis, ſit incumbendum, & magis urgeat virium lapſus, ſive exſolutio, quæ laxa paſſio eſt; hac de cauſa adſtringentibus præſidiis, ad curationem inſtituendam, opus erit. Malum hoc, ni cito ei occurratur, celere exitium macchinatur: etenim exitium non *fit*, niſi quadam cum ſyncopes ſpecie. De his dicebat Hippocrates:

In 2. aph. 41.

Qui ſæpe & multum exſolvuntur ſine cauſa manifeſta, ii repente moriuntur. Quare quamprimum exſolutis auxiliari debemus cum alimentis tum medicamentis opportunis ex adſtrictoriis vocatis. Itaque ſtatim facies aqua frigida, aut roſacea, aut oxycrato frigido erit ſæpe aſpergenda, ſcilicet ut ſpirituum exhalatio prohibeatur: odores optimi ſunt offerendi; & per os quoque ſæpe danda aqua frigida. Galenus cyathos tres ejuſdem aquæ frigidæ bis, aut ter per intervalla propinandos eſſe voluit. Alii exhibent quidem aquam frigidam cum omphacio. Alii ſuccum expreſſum ex malis punicis, vel ex palmulis, vel ex malis cytoniis, vel ex pyris auſteris exhibent, aut ſuccum pampinorum vitis: alii cum aqua frigida exhibent pulverem roſarum, aut nardi Indici: at alii exhibent panem ſucco mali punici imbutum, aut vino nigro auſtero aqua frigida diluto ſimulatque exſolutio fit, animuſque deficit. Tunc quoque offerentur jura caponum, vel pullorum gallinaceorum juvenum, vel vitulinæ carnis,

In lib. 8. de comp. med. ſec. loc. c. 4.

nis, aut lutea ovorum conquaſſata cum jure prædicto & ſucco granatorum. Eodem modo dant utiliter panem tritum in jure pulli decoctum cum ſucco aut mali punici, aut cytonii, aut pyri, aut pomi auſteri, vel meſpili, vel ſorbi, vel fructuum nigrorum mori, vel rubi, vel prunorum auſterorum, vel berberis fructuum, & ſimilium. Nonnunquam in juribus, aut ferculis aliquid prædictorum fructuum adſtringentium decoquunt. Nonnulli ad excitandos à ſyncope ægrotos, arcte extrema ligant, ac perfricant brachia, & crura naſumque perſtringunt, comprimunt, & huc illucque dimovent, in pudendis vero pilos detrahunt, evelluntque: hæc ad excitandum calorem intro retractum etiam convenire videntur, ſed in iis præſertim, qui ob adſtrictam cauſam animo deficiunt, quomodo hæc conveniant, in ſequenti libro, Deo favente, dicemus.

CAPUT. III.

De ſudore vires exſolvente cohibendo.

CUm & ſudor immoderatius exiens homines ad virium exſolutionem provehere ſoleat, atque ad ſyncopem, merito de medicamentis ſudorem cohibentibus in præſentia eſt agendum. Quid vero ipſe ſudor ſit, quibuſque cauſis in corporibus fiat, in ſuperiori libro ſatis ſuperque à nobis dictum eſt. Qualis autem ſudor à Medico ſit ſupprimendus, nunc intelligi à nobis oportet: ſi quidem non omnis ſudor, ne is quidem qui copioſe profluit, cohibendus eſt, verum ſolummodo is, qui vires exſolvit, quique, ut ajunt Medici ſymptomatice fit, ſcilicet à cauſis morbificis, qui diſtinguitur ab eo, qui à natura recte in corpore operante fit, criticum & ſalutarem Medici eum appellant. Nam ab hoc, ſive erumpat in morbis, ſive citra morbum in recte valentibus appareat, natura plurimum juvatur, ægrotique à morbis vexati critico ſudore erumpente copioſiori, vel à morbis confeſtim liberantur, vel ſaltem in melius maxime mutantur. Hæc de ſudoribus ſufficiat dixiſſe: ſi quis plura ſcire deſiderat, noſtros libros de vita & morte ægrotantium præſagienda inſcriptos legere non gravetur. Hoc

unum ex iis colligimus illum ſolummodo ſudorem eſſe à Medico coërcendum, qui cum vires maxime reſolvat, ſyncopem, atque exitium minatur. Hunc eſſe ſolutionis paſſionem, morbumque laxum dici, neminem noſtrum latebit, proinde in hoc affectu plane eſſe adſtringendum, etiam conſtabit. Galenus in iis, qui ob ſudoris multitudinem animi defectum incurrunt, inquit, ipſorum cutem Medicos adſtringere ac refrigerare debere: proinde illos operimenta detrahendo eſſe recreandos, aëreque ambiente refrigerandos, ſcilicet ventis refrigerantibus aditum præbendo, vel hos flabellis etiam excitando; imo conſulit aërem domus, & conclavis alterare medicamentis frigida & adſtringente qualitate præditis: quod fit myrtorum foliis, roſis, vitium capreolis; ſaliciſque ramis, vel rubi, vel mori, vel ſorbi, vel meſpili, vel mali punici, vel cytonii, vel equiſeti, vel polygoni, vel plantaginis, vel intybi, vel ſimilium foliis pavimentum conſternendo. Paulus pariter ait, ſudantes tenui velamine madidoque eſſe contegendos, iique panni, quibus conteguntur, utile fore, ſi actu frigidi ſint, vel oxycrato frigido madidi. Aliqui commendant eoſdem pannos aqua frigida imbutos dorſo, & thoraci ſubjiciendos: aliis viſum eſt, & collo, & locis ſub alis, inguinibuſque eſſe apponendos. Paulus pannos cimolia aqua diſſoluta pinguefactos jubet adhibendos. Nonnulli, quoad ſudor cohibeatur, nivem in extremis partibus ſupra venas pulſatiles, arteriaſve applicant; vel faciunt, ut ex alto aqua frigida cadat juxta carpum brachiorum ſuper arterias. Ad hunc uſum etiam conveniunt cutis inunctiones ex oleis, myrtino ſcilicet, lentiſcino, melino, roſaceo, œnanthino, oleæ ſylveſtris, terebinthino, de balauſtiis, de ſalicibuſque, actu frigidis adhibitis, ſcilicet collo, pectori, dorſo, ſub alis, inguinibus, manuum pedumque carpis, ſuper venis pulſatilibus. In iiſdem quoque partibus ſucci illiti convenient adſtringentes actu frigidi: cujuſmodi eſt ſuccus plantaginis, polygoni, aizoi, ſolani, portulacæ, intybi, cymarum rubi, capreolorum vitis, acaciæ, hypociſtidos, lycii, meſpilorum, ſorborum, pomorum, pyrorum immaturorum, prunellorum ſylveſtrium, malorum cytoniorum, granatorum, foliorum ſumachi, myrtillorum,

In 1. ad Glauc. c. 14.

rum, atque ſimilium; hi & per ſe ſoli appoſiti juvant, & cum oleis adſtringentibus nuperrime præſcriptis mixti. Emplaſtra quoque ejuſdem qualitatis adſtrictoriæ participes iiſdem partibus actu frigida adhibita efficacia ſunt, ad ſudoris profluvium cohibendum, firmandumque: cujuſmodi ſunt, quæ parantur ex polline ſupradictorum medicamentorum cum albumine ovi, aut mucilaginibus frigidis, cum ſucco aut mandragoræ, aut hyoſcyami, aut opii, aut ſempervivi, aut cicutæ. Nonnulli ex cimolia, albumine ovi, aut aqua plantaginis, diſſoluta opportunum emplaſtrum parant, aut ex manna thuris, & amylo cum ovi candido; terra item Samia; cui gummi aceto diſſolutum permiſceatur, actu frigida adhibita utiliſſima eſt. Demum pulveres quoque prædictorum medicamentorum, præſertimque myrtillorum nigrorum ſiccatorum, aut cimoliæ, aut malicorii, aut gallarum immaturarum, aut terræ Samiæ, aut Lemniæ, aut ſimilium, quæ adſtringunt, magnopere juvant, ſi prædictæ partes his actu frigidis aſpergantur. Hiſque medicamentis ſudores immoderatius profluentes cohiberi poſſunt.

CAPUT IV.

De profluvio ſanguinis per nares ſupprimendo.

CUm de variis ſanguinis profluviis vires exſolventibus, atque ſyncopem facientibus tanquam de morbis laxis fit à nobis in præſentia agendum, ab eo exordiri libuit, quod per nares fit, & hæmorrhagia à Medicis appellatur. Quam ſanguinis excretionem frequenter in pueris, & in juvenibus, atque etiam non raro in adultis, ac in mulieribus, quæ menſtruis purgationibus caruerunt, obſervari, Medicis praxim facientibus notiſſimum eſt. Hæmorrhagia vero, id eſt, ſanguinis excretio, quæ per nares fit, ſymptoma eſt in exeunte mutato à toto genere præter naturam. Sanguis autem ex naribus excernitur, aut fluit, quibus cauſis quælibet ſanguinis excretio, & ſive per nares fiat, ſive per os, vel per ventrem, vel per urinam, vel per uterum in mulieribus, vel denique per hæmorrhoidas, concitare ſolet venis, ar-

arteriiſque præciſis, aut punctis; aut ruptis, aut iiſdem eroſis, aut ipſarum oſculis apertis, aut rarefactis ipſarum venarum vel arteriarum tunicis, unde ex ipſis ſanguis reſudat. Rumpuntur vero ea vaſa ob nimiam tunicarum diſtentionem, aut à nimio ſanguine, aut eodem ſanguine præ calore rarefacto, fuſoque, proindeque in majorem tumorem elato, aut ab immodico flatu immoderatius tunicas diſtendente: eroduntur ab humore, vel acri, vel ſalſo, vel amaro. Oſcula vero venarum vel arteriarum aperiuntur ob ſanguinis acrimoniam, qua venarum, arteriarumque expultrix ad excernendum irritatur, aut à ſanguinis multitudine; aut ab imbecillitate eorundem vaſorum ſanguinem continentium; aut denique ſponte natura à copia, aut qualitate ſanguinis, excrementorumque ſanguini permixtorum excitata, oſcula vaſorum aperiente. Reſudat vero per eorundem vaſorum tunicas rarefactas à calore, vel ipſomet ſanguine tenuiori, rariorique reddito. Hæmorrhagiam vero ruptis venis, aut ipſarum oſculis apertis à multitudine ſanguis immoderatius diſtendente fieri ex plenitudinis ſignis cognoſcitur, ſcilicet quod in facie ſanguinem excernentium ſit rubor, atque tumor, venæque ſint plenæ & tumentes, gravitaſque tum in toto corpore tum præſertim in capite ſentiatur, præterea tenſiva laſſitudo, quæ à fluore ſanguinis tollitur, obſervari ſoleat. Si vero à flatu diſtendente, venaſque rumpente, aut ipſarum oſcula aperiente, hæmorrhagia oriatur, aderit tenſio venarum citra ullum gravitatis ſenſum, citraque ullum plenitudinis ſignum. Si autem eroſis venis ab humore vel ſalſo, vel acri, vel amaro profluvium eveniat, aderit ulceroſa laſſitudo, atque ſigna cacochymiæ, quæ etiam innoteſcent ex ſapore aut ſalſo, aut acri, aut amaro. Ab eroſis etiam vaſis ſanguis non confertim multus, ut in venarum ruptura fit, exit, ſed modicus & paulatim, quoad vaſis eroſio magna evaſerit. A rarefactis etiam venarum tunicis, extenuatoque ſanguine, per reſudationem facta hæmorrhagia deprehenditur facile, quoniam abſque dolore ſanguis exit, paucuſque eſt effluxus, antegreſſæque ſunt cauſæ rarefacientes ſanguinemque attenuantes, ut victus calfaciens, morbus calidus, balneum, hypocauſtum nimis calidum, ſol, & ſimilia. Totque

que ſunt cauſæ, & ſigna, cujuslibet fluxus ſanguinis. Porro quandoque eſt criticus, ſcilicet à natura ſponte ægrotos à morbo aliquo liberante excitatus; quandoque ſymptomaticus, à vi morbifica factus, de quo nos in præſentia agimus, præſertimque de illo, qui immoderatius profluens vires exſolvit, ſyncopemque accerſit: hic enim fluxus ſymptomaticus, quia morbus ex toto laxus eſt, ob id indicat plane adſtringendum eſſe. Ceterum de hæmorrhagiarum differentiis, de cauſis, de ſignis erupturi ſanguinis, & de bonis & malis hæmorrhagiis, cum in libro ſeptimo de præſagienda vita & morte ægrotantium abunde ſcripſerimus, nihil hoc loco de iis addendum judicavimus; præſertim vero, quod ea, quæ de hæmorrhagia hic præmiſimus, ſufficiant pro ſcopis curativis eliciendis. In libris vero de præſagienda vita, & morte ægrotantium, omnia de hæmorrhagia, quatenus faciunt ad morborum prognoſim cognoſcendam, complexi ſumus. At ad curationem deſcendimus: quæ à morbo laxo adſtrictoria tota indicatur; licet ad profluvium ſanguinis firmandum, nedum ex Dogmaticorum ſententia, ſed etiam ex Methodicorum, ut auctor eſt Aurelianus, conſtet, venæ ſectionem ex eodem latere aliquando juvare: item cucurbitulam cum ſcarificatione, & abſque ſcarificatione, hypochondrio dextro, ſi ſanguis è dextra nare, & ſiniſtro, ſi ex ſiniſtra nare ſanguis fluxerit, affixam, atque occipitio, etiam ſcapulis, collique lateribus. Ligatura itidem extremorum, ſcilicet crurum, femorum, atque præputii, frictioneſque extremarum partium familiarius ad quamcumque hæmorrhagiam cohibendam ab omnibus uſurpari conſtat: & ſi hæc præſidia non adſtringentia ſint, ſed laxantia, morbis quidem adſtrictis, non laxis congruentia. Quid itaque dicemus? Laxantia laxis morbis convenire? Certe quidem aliquando convenire, diverſionis quidem (ut ajunt Dogmatici) & revulſionis gratia, ſcilicet, ut ſanguinis impetus ad nares alio revellatur, atque divertatur. Methodici vero hæc laxantia non per ſe adſtringentia dicent, ſed quæ ex accidenti etiam laxo morbo aliquando medeantur: quod ſcilicet impetum ſanguinis itidem, ut Dogmatici inquiunt, ad nares alio convertendo ſint in cauſa, ut hæ-

Gal. in 5. meth.

morrhagia ceſſet, finiaturque; per ſe vero laxæ huic paſſioni plane congruæ dicuntur, quæ refrigerant, adſtringunt, & ſiccant: cujuſmodi ex ſimplicibus ſunt, plantago, polygonum, equiſetum, lichen, gallium, ſtratiotes terreſtris, œnanthe, vitis capreoli, myrtus, rubus, roſa, ſolanum, aizoum, ſalicis folia, portulaca, lenticula paluſtris, lactuca, cicuta, ſuccus cucurbitæ, ſuccus germinorum vitis, oleæ ſylveſtris, rubi, ſorbi, meſpili, cytonii, granati, & hyoſcyami, ſemina plantaginis, & myrtillorum, acetum, aqua frigida, plumbum uſtum, ſtimmi, alumen, gypſum: ex Galeno etiam balauſtium, malicorium, rhus, hypociſtis, acacia, omphacium, aloë, manna thuris, pini cortex, intybum, terra Lemnia, Samia, bolus Armenus, lapis hæmatitis, &, ut alii poſterius cognoverunt, ſanguis draconis, album ovi, telæ araneæ, quibus pollen è piſtrino inhæſit, ſanguinis grumus ſiccatus, ſtercus caninum, corallium, ſuccinum luteum, pompholyx, ſpodium, reſina fricta, farina lentis, amylum, lithargyrium, chalcitis, mumia, fuligo è clibano, vel è lebete æneo deraſa, gallæ uſtæ, & aceto extinctæ, fuligo thuris, plumæ gallinaceæ combuſtæ, pili leporis vel hominis itidem pili combuſti, oſſa cremata, ſpongia itidem cremata. Hæc enim medicamenta ſimplicia, & alia his ſimilia ſunt, quæ uſum habere à Medicis cognita ſunt, ad quodcumque profluvium ſanguinis & excrementorum cohibendum. At quomodo, pro hæmorrhagia firmanda, his ſimplicibus atque ex iis compoſitis Medici uti debeant, nunc dicendum, exordiendo ab internis medicamentis, quæ per os aſſumpta refrigerando, ſiccando, adſtringendoque impetum ſanguinis, atque ad nares motum compeſcunt, ſanguinem ſcilicet craſſiorem ad motumque ſegniorem reddendo, atque vias, per quas fertur, conſtringendo. Ad hunc uſum omnia ex prædictis medicamentis convenient, vel ſi ſuccus quorundam per os exhibeatur ad unciam unam, ſcilicet, plantaginis, vel equiſeti, vel rubi, vel millefolii, vel vitis capreolorum, vel mali granati contuſi ad geminas drachmas, vel hypociſtidis, vel acaciæ, vel prunellorum ſylveſtrium, vel ſimilium etiam ad drachmam; vel pulvis itidem, eodem ponde-

re,

re, prædictorum ſcilicet balauſtiorum, aut acaciæ orientalis, aut ſeminum meſpili cum ſetoniæ tum aroniæ, aut foliorum myrti, vel oleæ ſylveſtris, vel ſalicis, vel boli Armeni, vel terræ Lemniæ, vel corallorum, vel lapidis hæmatitis, vel ſimilium, ex vino auſtero, aut ex ſucco, vel aqua plantaginis, vel polygoni, vel ſimilium, epotus. Ad hunc uſum etiam commendantur ex compoſitis trochiſci de terra ſigillata, de ſuccino, quod karabe vulgus appellat: & ex opiatis etiam, urgente neceſſitate, theriaca recentiſſima, Athanaſia, philonium ad ſemidrachmam. Nonnulli exhibent ſyrupos vel per ſe ſolos ad unciam, vel unciam & ſemis, cujuſmodi eſt de ſucco acetoſæ paratus, vel de roſis ſiccis, vel de cytoniis, vel de granatis, vel de omphacio, vel myrtinus; vel cum decoctis, vel cum aquis adſtrictoriis mixtos, cujuſmodi eſſet, qui accipit ſyrupi de roſis ſiccis unc. j. de granatis acidis unc. ſemis, aquarum cichorii, plantaginis, polygoni an. unc. j. Ceterum longe uſitatiora ſunt medicamenta, quæ exterius faciei, fronti, temporibus atque naſo adhibentur; neque minus juvant ea, quæ in nares induntur, atque in aures, ad eas obturandas; quarum validas obturationes ex molliſſima cera, pro hæmorrhagia cohibenda, Medici vel etiam doctiſſimi utiles eſſe tradiderunt. Itaque, quod pertinet ad particularia medicamenta, in primis aqua gelida, cum aceto, facies aſpergatur, aut ſpongia vel linteum gelida aqua imbutum fronti temporibuſque imponatur; ſic convenit ovi candidum actu frigidum adhibitum, vel equiſeti herba trita fronti impoſita, aut lactuca ex aceto contuſa, vel cicuta iiſdem partibus applicita; ſed cavendum erit à vehementer frigidis, quod cerebrum magnopere lædant. Conveniunt etiam emplaſtra fronti impoſita refrigerantia & adſtringentia, ſcilicet, exempli gratia, quæ parantur ex gypſo, bolo Armeno, & ſanguine draconis; ex albumine ovi, cum ſucco polygoni, aut equiſeti, aut pomi granati contuſi. Succi itidem refrigerantes adſtringenteſque plurimum juvabunt, ſi ipſis actu frigidis frons illinatur, aut cum aceto mixtis. Deprehenſum eſt cochleam cum teſta contuſam cum aceto fronti impoſitam hæmorrhagiæ plurimum conducere. Ex iis vero, quæ

Gal. lib. de rem. fac. parabilib. Paulus in lib. 3. cap. 14.

intra nares indita hæmorrhagiam ſiſtunt, quædam pulverizata per cannam inſufflantur, ſcilicet ſtercus aſininum uſtum, atque tenuiſſime tritum, vel cochlea cum teſta uſta trita, vel galla immatura uſta, tritaque utiliſſime inſufflatur; vel fuligo è clibano, vel è lebete æneo deraſa eodem modo uſurpata, vel ex aceto linamento excepta, atque intra nares indita. Paulus unum monet pro ſiſtendo ſanguine, foramina ſcilicet narium non eſſe detergenda neque irritanda. Ex ſimplicibus vero intra nares imponendis, commendatur ex eodem Paulo chalcitis trita linamento excepta inditaque, & ovi teſta cremata cum gallæ dimidia parte trita, eodem modo indita, vel funiculum lucernarum intruſum. Cochlea cum teſta uſta ovi candido permiſta, aut gypſum lotum, vel cum albumine ovi, vel cum aceto inditum, vel tela aranei, cui ex piſtrino ſeu molendino pollen adhæret, impoſita valde juvant. Sanguinis item grumus ſiccatus; vel reſina fricta, quæ à Galeno commendatur. Dioſcorides laudavit radicem æthiopidis tritam ex aceto: proſunt quoque vitis cortex item tritus; aſini & equi ſtercus tum crudum tum uſtum ex aceto; germina vitis teneriora trita ſimiliter ex aceto impoſita, ferrique rubigo & ſquama eodem modo cum aceto indita; item galla immatura, quoad incandeſcat, cremata, aceto extincta, tritaque impoſita; ſpongia quoque cum pice uſta, & gypſum ovi candido cum pilis leporinis exceptum, inditumque; ſic cochlearum etiam caro trita cum thure ex aceto eodem modo immiſſa. Atque hæc ex ſimplicibus naſalibus hæmorrhagiam cohibentibus nobis ſufficiant. Quibus addimus ex compoſitis etiam quædam medicamenta ad hunc uſum facientia: & primum ex Paulo, quod recipit, mannæ thuris ʒ. j. aloës ſcrup. i. ß. candido ovi trita excipiuntur, & linamento contorto ſubiguntur. Galenus conficit hoc ipſum (quo nihil præſtantius credit) ex aloë itidem & thure cum ovi candido, molliſſimiſque pilis leporinis exceptum ut in nares indi poſſit. Aliud etiam conficit ex reſina, addito triticeo polline, cum gypſo, & ovi candido; medicamentum vero ex aloë à quibuſdam paratur ex aloës ʒ. j. thuris ʒ. ij. quæ ovi albumine excepta, cum pilis leporinis commiſcentur, atque intra nares in-

In 5. meth. med. cap. 4.

dun-

duntur. Atque ex Galeno conſtat, præſtantiſſimum eſſe, quod recipit thuris 3. j. & aloës ſcrup. i. ß. Verum antequam medicamenta ægrotis, pro hæmorhagia ſiſtenda, præſcribantur, præſtabit ipſis primum victus rationem inſtituere. In qua aër frigidus erit eligendus, cibi refrigerantis adſtringentiſque facultatis, vel etiam emplaſticæ: unde convenient fercula parata ex cichoreo, plantagine, acetoſa, portulaca, mentha, rumice, hordeo, & ſimilibus parata in jure vel capitis vel pedum vituli, aut caſtrati. Accommodatiſſimi in liberis erunt fructus adſtringentes, ut mala immatura cocta, pyraque, cytonia mala, granata, meſpila, ſorba, mora nigra, fructus berberis, rubique immaturi, oxyacanthæ, pruni ſylveſtris & ſimiles alii. Pro potu utantur aut vino nigro auſtero aquoſo, aut aqua ferrata, vel adſtringentibus rebus alterata. Fugiant ex animi paſſionibus iram, gaudium, atque riſum: eos vero timere, & mæſtitia affici quandoque non eſt inutile; quinimo in multis hæmorrhagiam à repentino, vehementique timore concitato plane cohibitam fuiſſe, à Medicis ſæpius obſervatum eſt, quod ſcilicet timor ſubitus & magnus ſanguinem extra fluentem, ad interiora & ipſum cor ſubito propellendo, ſiſtat. In 5. meth: med. cap. 4.

CAPUT V.

De ſanguine per vomitum immoderatius profluente cohibendo.

SÆpe fit, ut ſanguis ex ore per vomitum immoderatius excernatur, atque ita ſane, ut homines in exitialem ſyncopem deducat. Quamobrem cito huic profluvio erit occurrendum. At de medicamentis priuſquam agamus, primum cognoſcendum erit, ſanguis vomitu rejectus (qui ſymptoma eſt facultatis expultricis vitiatæ) & à quibus partibus fluat, & à quibus cauſis, & quando hæc excretio ſit bona, & quando mala. Quod vero ad primum attinet, Galenus expreſſit, ſanguinem vomitu rejectum à ſtomacho atque ventre manare. In ſtomachum vero, & ventrem plerumque ab infernis partibus mittitur, aliquando vero etiam ex capite in haſce partes deſtil- In lib. 7. aphor. Hipp. com. 37.

lat. Aurelianus ex Methodicis ait, ſanguinem, abſque tuſſi per vomitum à ſtomacho qui rejicitur, nigrum eſſe & gelatum, aliquando ſolum ſyncerumve, aliquando cibo permixtum: ex quo hæc ſigna quoque obſervari tradidit, ſcilicet animi diſperſionem, deliquiumve, cibi faſtidium, ſalivæ fluorem, nauſeam, corpuſque totum frigidum exinde reddi, atque pulſus obſcuros ac veluti demerſos deprehendi. Porro ſanguis hic aliquando cum dolore, aliquando ſine dolore excernitur. Si vero ex ventre profluat, præter jam dicta ſymptomata, dolor ſequi ſolet, morſus vel tormentum inter præcordia interdumque ſanguinis modicum per alvum dejicitur. Succedit autem hic ſanguinis vomitus, ut ſuperius etiam dictum eſt, venis, vel arteriis, aut diſſectis, ut in vulneratis, aut ruptis, ut ex caſu, aut eroſis, aut apertis, aut rarefactis ipſarum tunicis, nempe reſudatione. Quibus vero ſignis hæ fluoris ſanguinis cauſæ deprehendantur, ſuperiori capite traditum à nobis eſt, quæ non ſine tædio iterum repeterentur. His addimus ſanguinem quandoque evomi ob phlegmonem internam, aut ob aliquem abſceſſum, quod nobis denotabit dolor, febris aſſidua, atque tenſio cum dolore, ſi digitis ſtomachi vel ventris partes comprimantur; aliquando etiam cum pure evomi ſolet. De qua ſanguinis vomitione Hippocrates in aphoriſmis ita habet: *Qui ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidat, ſalutare eſt; ſi cum febre, malum. Curatio vero refrigerandi, & adſtringendi vim habentibus perficitur.* Ex quibus quidem verbis in iis, qui ſanguinem vomuerunt, & ſalutis prognoſticum, & qualis curatio conveniat, nobis conſtabit. Etenim iis, qui citra febrem ſanguinem vomunt, nullum vitæ diſcrimen impendet, quoniam hi facile uſu adſtringentium ſanantur: nam febre vacantibus liquet nullam eo loco inflammationem adeſſe, unde effertur ſanguis; quo fit, ut vel vaſis alicujus ore recluſo fiat ſanguinis vomitus, vel ſine inflammatione ulcerationem habeat conjunctam; facile autem, quæ ſunt citra inflammationem, ulcera curantur adſtringentium uſu. Eos vero, qui cum febre ſanguinem vomuerunt, in magno vitæ diſcrimine eſſe conſtitutos, intelligitur, quoniam, quæ inflammationem ſimulque febrem ha-

In 7. aphor. 37.

Gal. in com. aph. 37. lib. 7.

habent conjunctam, non ſolum curationem reſpuunt, ſed ne eadem quidem magnitudine poſſunt permanere: nam majora ſemper fiunt, & maligniora. Hæc ſanguinis vomitionem mixtam paſſionem faciunt ex laxo atque ex adſtricto, de qua nos in altero libro ſcribemus: illa vero morbum laxum, de quo in præſentia agimus, qui adſtringentibus auxiliis, ut & Hippocrates expreſſit, pro curatione opus habet. Itaque adſtringentia erunt medicamenta huic affectui cum per interius, tum per exterius adhibenda, ex iis vero, quæ per interius adminiſtrabuntur, eligenda erunt ſtomacho amiciora, ſcilicet, quæ etiam alimenta exiſtunt: ut ex herbis plantago, portulaca, cichoreum, polygonum, mentha, myrtus, rubus, œnanthe. Ex fructibus vero mala cytonia, granata, pyra auſtera ſylveſtria, meſpila tam ſetonia quam aronia, ſorba, oxyacantha, myrtei fructus, pruna ſylveſtria, mora nigra immatura, rubi fructus immaturi, gallæ. E ſuccis autem ſuccus granati integri contuſi expreſſique, hypocyſtidis, acaciæ. At ex ſeminibus, myrti, vitis, meſpili utriuſque ſupradictæ ſemina trita ex vino auſtero epota vomitum compeſcunt. Ex terris quoque & aliis metallicis, terra Lemnia, Samia, bolus Armenus, lapiſque, hæmatites, ſunt utiliſſima. Ex iis omnibus poterunt parari decocta in aqua vel in vino nigro auſtero; vel pulveres, quorum quidem dabitur drachma ex vino auſtero chalybeato, aut ex aqua ferrata. Non minus ad vomitum ſanguinis cohibendum ſucci plantaginis, vel equiſeti, vel polygoni, vel mali granati contuſi & expreſſi, vel pyri ſylveſtris, vel auſteri, immaturi, vel ſimilium, ad unciam unam, & uncias quoque duas offerri poterunt. Succi vero acaciæ, hypociſtidiſque, & ſimilium drachma ſat erit, ſi diſſoluta ex vino nigro auſtero, vel ex vino granatorum exhibeatur. Terræ itidem ad drachmam ex aliquo humore adſtringenti exhibitæ admodum proſunt. Extrinſecus ſtomacho, & ventri conveniet applicare fomenta ex iiſdem medicamentis adſtringentibus parata, vel olea adſtringentia, vel emplaſtra, vel aquas frigidas adſtringenteſque; vel decocta ex ſupradictis parata ſpongiis excepta; juvabit quoque plurimum ſtillicidiis, quæ ex iiſdem adſtrictoriis con-

cin-

cinnata ſint, ſtomachum, & ventrem irrigare, & perfundere.

CAPUT VI.

De ſanguine ex ore per ſcreatum, & per tuſſim rejecto cohibendo.

SEd jam ad ſanguinis ſputum deſcendimus, quod per tuſſim excernitur, atque adeo aliquando immoderatius fluit, ut non raro etiam multos ex eo profluvio exſolutis viribus interiiſſe viderimus; & nos ipſi à ſimili profluvio, ab hinc plures annos, poſt febrem quartanam, cum tuſſi critice (ſic enim finita eſt illa febris) oborto vix evaſimus. Ni vero hujuſmodi fluor ſanguinis ſtatim interimat, periculum eſt, ſi diu perſeveret, ne ad phthiſim homines deducat. Ceterum & de hoc ſanguinis fluore ſupprimendo ſcribentes, priuſquam ad medicamenta particulatim præſcribenda deſcendamus, illud unum primo intelligere operam dabimus, ſcilicet, excretio ſanguinis ſive ſputum tuſſi excretum quas partes læſas indicet, ſeu à quibus partibus proveniat, atque à quibus cauſis etiam fiat. Defluit autem ſanguis interdum à capite in aſperam arteriam deſtillans, repenteque irruens: quo tuſſis repente, ad ipſum excernendum commota expultrice, excitatur. Aurelianus ait primum in fauces ſanguinem deſtillare, & mox in arteriam, defluxum vero tuſſiculam excitare, quæ, ſanguine per ipſam rejecto, ſtatim ſedatur. Galenus quoque docuit eodem modo ſanguinem ex capite provenientem, per tuſſim aliquando excerni poſſe, idcircoque non minus, quam ſi à ſpiritalibus proveniret partibus, tuſſim (ſanguine ſcilicet in guttur irruente) concitare. Antequam vero ex capite deſcendat, atque ex ore tuſſi excernatur, ſolet præcedere fervor ingens, capitiſque gravedo, vel dolor, venarum extenſio earum præſertim, quæ in fronte, atque in temporibus ſunt: ſequitur faucium titillatus; aliquando etiam per nares defluit ſanguis, vel ex faucibus expuitur. Quare ſanguinis fluor per tuſſim factus quandoque fit à ſanguine ex capite proveniente: aliquando vero etiam ex faucibus ipſarumque ſum-

ſummitate excernitur ſcreatu primo, & ſi magis irruat, gutturque attingat, etiam cum tuſſicula, ita ut videatur hic ſanguis quaſi ſcreatu cum tuſſi conjuncto excerni: paucus primo educitur, & mox multus, qui non eſt ſpumoſus, locuſque, ex quo manat depreſſa lingua, viſu deprehenditur. Eraſiſtratus tradidit, aliquando in faucibus tumores quoſdam conſpici, hæmorrhoidibus ſimiles, à quibus ſanguis defluit. Demum ſanguis defluit plerumque ab aliqua corporis partium reſpirationi ſervientium, nempe ex aſpera arteria, aut ex pulmone, aut ex thorace, aut ex pleura membrana, aut ex diaphragmate, ſeptove tranſverſo. Ubi vero ex aſpera arteria provenit, ſanguis, qui excernitur, eſt paucus, flavuſque ſæpe ſalivæ permixtus; figura capilli unius, vel (ut ait Aurelianus) multorum, cum gutturis titilatu & levi tuſſicula excernitur, & circa gutturis extantiam pruritus, & mordicatio quædam percipitur. Ex pulmone itidem ſanguis plurimus excernitur, tenuis, plurimum fervens, ſpumoſus cum tuſſi vehementi, voce rauca obtuſa, & cum moleſto aliquando doloris ſenſu, qui nunc ſanguinis titillatu, nunc tuſſicula vehementi movetur, cum thoracis etiam gravitate, & aliquando dolore (Galenus ait, dolores in pulmonibus ulceratis admodum remiſſos) cum voce uti dictum eſt, rauca, obtuſa, & ſæpe cum rauco ſonitu ſanguis non multus inter tuſſiendum excernitur, non ruber, ſed nigricans, craſſus, & grumoſus, cum majori tuſſi, atque dolore etiam excreatus. Ex membrana pleura vocata excretus ſanguis deprehenditur ex lateris dolore pungitivo, vel quod dolor ſit ſecundum latera, vel pectoris, & aliquando etiam inter ſcapulas, ſanguiſque minus flavus & minus copioſus excluditur ac plerumque ſputo mixtus. At vero ex diaphragmate ſi provenerit, dolor inferius à pectore rotunditate quadam thoracem pungens obſervatur. Ceterum his cognitis, videamus, quot modis ex venis arteriiſque emanet. Apud omnes autem Medicos conſtat, ſanguinem exire ex vaſis primo eorum (ut ſuperius in capite de hæmorrhagia dictum eſt) apertione, qua ſcilicet ipſorum oſcula recluduntur aut à copia ſanguinis, aut à flatu diſtendente. Deinde ſanguinis exſudatione, quam præcedit

vaſorum ſubſtantiæ rarefactio, ſanguiniſque maxime ex calore attenuatio, ita ut ex vaſis etiam clauſis ſanguis reſudando emanet; quod illis ſæpe contingit, qui in balneis calidis diu commorati ſunt, vel plurimum aut ab igne, aut ab exercitio incaluerunt. Reſudat etiam non raro ex phlegmonis. Tertio ſanguis emanat, vaſis exeſis corroſiſve ab acri, amaro, vel ſalſo humore, ex capite in pulmones, vel in thoracem deſtillante, aut ex humore purulento in pulmonum ſubſtantia, vel in bronchiis, vel in venis, arteriiſque ex putredine, aut ex phlegmone, abſceſſuve ſuppuratus, facto, ejus acrimonia exedente ſubſtantiam pulmonum & vaſa ipſa ſanguinem continentia. De qua eroſione Galenus in lib. 4. de loc. affect. cap. 4. ſcribit: *Quum enim retroactis temporibus quis ex intervallis quotidie non ita multum ſanguinem tuſſiendo expuere conſueverit, atque ei poſtea ſuperveniat multi ſanguinis inter tuſſiendum eruptio, & quidem neque ab alto cadenti, neque in certamine, neque in palæſtra vulnerato, neque etiam ſub ullo gravi pondere oppreſſo thorace, reliquum fuerit, ut conjiciamus ob inſignem eroſionem plurimum ſanguinem inter tuſſiendum fuiſſe rejectum.* Demum ſanguis itidem emanat, tuſſique excernitur, iiſdem ſane vaſis aut ex copia ſanguinis, vel flatus nimium diſtendente ruptis, aut vulneratis, aut denique vel ex percuſſione, vel ex caſu, vel ex ponderis oppreſſione, vel ex magna clamatione, vel ex vomitu vehementi, vel ex coitu multo, vel denique ex tuſſi laborioſa perſeverante, diuque partes pectoris lancinante, venis arteriiſque confractis. Qui vero ſanguis ex arteriis prodit, flavior, tenuiorque exiſtit, atque cum motu excernitur: nigrior vero & craſſior ex venis exiens, quique abſque ullo motu excernitur. Ex hujuſmodi ſanguinis profluvio, ut etiam dictum eſt, periculum eſt, ni ſubito ei occurratur, aut ſanguine immoderatius profluente, ut repente, veluti jugulati homines, intereant; aut, ſi affectus permaneat, ut in tabem deducantur. Pulmonum ulcera inſanabilia eſſe omnes fere tradiderunt, veruntamen quoſdam ab iiſdem ſanatos fuiſſe, obſervatum eſt. Aurelianus voluit, propterea pulmonum ulcera difficillime coaleſcere & ſanari, quod natura in alto ferveat, multoque ſanguine vel humo-

Paul. in lib. 4. cap. 53.

more abundet, quapropter ulcera ægre ſiccantur; item quod motu aſſiduo vulnerum ulcerumve labia quatiantur, eoque motu ipſorum unio impediatur; adhæc quia ulcera nobis occulta ſunt, & remotiora quam ut medicamenta viribus integris non refractis ad patientem locum pervenire queant. Veruntamen non eſſe omnino inſanabilia pulmonum ulcera colligit Aurelianus, cum ſæpe quidam è vulnerato pulmone convaluerint. Minus vero ea, quæ in thorace fiunt, ſanatu ſunt difficilia. Nos non paucos, qui ſanguinem expuerunt, ex venis thoracis diruptis ſanatos vidimus. Eraſiſtratus ait, facilius ſanari ſucculentos, fortes, & parvicolles microtrachelos dictos; difficilius vero graciles, imbecillos, atque longicolles. At ad fluorem ſanguinis tum ſcreatu, tum tuſſi excretum cohibendum, quoniam multa ad ipſius cognitionem præmiſimus, declinandum eſt. De eo tamen in præſentia agimus, qui ſolummodo ſolutionis paſſio eſt, quæque ut de aliis laxis paſſionibus dictum eſt, adſtringentium uſu tollitur. Etenim ſæpe fit, ut, præter hunc affectum, ſanguinis fluor etiam adſtrictum affectum conjunctum habeat, utpote cum ſanguinis fluor aut à catarrho, aut à putredine in pulmonibus, aut ex phlegmone, aut ex abſceſſu orrum trahit. Ceterum de iſtius curatione nos poſterius agemus, ſcilicet, ubi de mixtis paſſionibus ex laxo & adſtricto ſermonem inſtituemus. Itaque in fluore ſanguinis, qui laxus eſt affectus, quique fit vaſis alicujus apertione, aut raritate, aut ulcere in partibus reſpirationi ſervientibus, præſertimque in aſpera arteria, vel in pulmone, vel in thorace, facto, ea medicamenta ſolummodo uſui congruent, quæ quovis modo laxatas partes adſtringere apta nata ſunt. Sed priuſquam hæc proponamus, victus ratio congrua erit præſcribenda. Primum itaque æger in loco frigido collocandus erit, quieteque decumbat, vel ſedeat, ab omni motu corporis caveat, locutioneque præſertim atque etiam ab animi motu, maximeque ab ira, voluptate, atque à riſu: contra timor vehemens ſubito concitatus ſolet eſſe, ad omnem ſanguinis fluorem cohibendum, magnæ utilitatis. Quod pertinet ad cibum & potum, plerique Medicorum ſolent inediam injungere, quæ

profecto conveniet, ſi fluor ab adſtricta cauſa foveatur, ſcilicet, ſi ſanguis excernatur ex catarrho ſalſo, vel acri, aut ex phlegmone, aut ex abſceſſu: ubi vero fluor hic laxus affectus eſt, tenuiſſima illa diæta, quod laxet, non conducit. Sed neque cibus admodum copioſus convenit, propter virium imbecillitatem, quæ haud ferunt multum cibum. Quare cibus quantitate moderatus offerendus erit, in eaque præſertim copia, quam vires commode ferunt, qualitate vero erit quovis modo adſtringens. Proinde Antiqui alicam ex poſca dabant, aut oryzam, aut ptiſanam hordeaceam cum palmulis, vel malo cytonio, aut pyro auſtero, aut ſimili alio fructu in ipſa decocto, aut panem decoctum cum plantagine, vel rubo, vel oxyacanthæ fructibus immaturis. Ex herbis vero exhibebant plantaginem coctam, vel portulacam, vel intybum, vel oxylapathum, vel lac coctum refrigeratum cum amylo, aut non coctum, aut lentem cum ptiſana coctam, aut milium coctum cum lacte. Aurelianus laudat panem elixum in decocto rubi, aut alterius adſtringentis, & plantaginem in aceto coctam cum oleo viridi aſperſo, & rhoe pulverizato, devoratam. Mala item cydonia cocta recenti mulſo, vel toſta prædempto ſemine, farina conſperſa, aut ſorba, aut mali punici grana. Cochleas item coctas meminit in cibo dandas. Ex carnibus volantum præſcripſit pectora turdorum, vel pullorum recentium gallinaceorum, vel columbarum, vel perdicum, vel phaſianorum. Sed commendavit quoque carnes porcinas, præſertimque cerebrum, pedes, & auriculas, quod nimirum ſint emplaſticæ facultatis. Noſtri vero conſultius utuntur, loco porcinæ carnis, vitulina, potiſſimumque cerebro, pedibus, & capitis carne viſcidæ lentæque facultatis. Ex jure autem harum carnium panem decoquunt, ac ptiſanam, aut oryzam parant. Uſui quoque ſunt ova ſorbilia rhoe aſperſa. Poſtremo lactis uſus in cibo, nullo reclamante Medico, ad ſputum ſanguinis maxime commendatur, de quo Alex. Tral. lib. 7. ait, ita huic uſui fuiſſe accommodatum, ut, qui per initia ipſo ſolo conſtanter longiori tempore uſi ſunt, omnes convaluerint. Quod confirmans ſubdidit: *Novi autem quendam, qui cum toto anno ipſum & bibiſſet*

&

& comediſſet, interim cum frumentaceo aliquo, aut ſimiligine, aut itrio, aut alica, aut lente, aut panico, cumque in agendo à vino abſtinuiſſet, liberatus fuerit, ut nec pus expueret, nec inde in phthiſim incideret. Et hæc de cibo congruo inſtituendo. De potu autem loquentes Medici, vel vinum pauciferum nigrum, auſterumque laudant, vel ferratum aut chalybeatum; vel aquam ferratam aut cum adſtringentium aliquo decoctam. At jam ad medicamenta ſeu præſidia huic affectui congruentia veniamus: ſed priuſquam præſcribamus particularia, de quibuſdam, an conveniant, pauca perſtringenda ſunt, ſcilicet, an in fluore ſanguinis phlebotomiæ, cucurbitularum, ligaturarum, frictionumque uſus conveniat? De quibus quidem dicemus illud in primis de phlebotomia affirmantes, quod tanquam laxativum præſidium minime conveniat in ſanguinis fluore, qui laxus affectus eſt; veruntamen aliquando, ſi modo vires commode ferant, pro divertendo ſanguine, in exigua quantitate concedi poteſt. Sed aliquis fortaſſe nobis objiciet, cur eam ſanguinis vacuationem per venam ſectam ea conditione ſolummodo laudaverimus in exigua quantitate, ne laxus affectus augeatur; cum illud præſidii genus in ſputo ſanguinis, quod ex morbo partium reſpirationi ſervientium proficiſcitur omnes fere cum Dogmatici, tum Methodici laudaverint, præſertimque ex Dogmaticis Hippocrates, Eraſiſtratus, Diocles, Praxagoras, Aſclepiadeſque & ex Methodicis Themiſon, Theſſalus ſectæ illius princeps, Aurelianus, atque alii phlebotomiam inquam laudarint, maxime in ſanguinis fluore à venarum corroſione, vel à ruptura facto, & avertendi ſanguinis cauſa, & ob tollendam ſanguinis copiam, ut venarum diviſura facilius coaleſceret, atque etiam, ut futura in ulcere phlegmone ſeu tumor (qui ſupervenientes affectus ulcera reddunt periculoſiora) prohiberetur. Si quidem Aurelianus ait: *Omne vulnus quod uſque in tertium diem glutinari non potuerit, neceſſario tumeſcit.* Verumenimvero omnes quidem fere Medicos phlebotomiam laudaſſe in ſputo ſanguinis aut à catarrho, aut à putredine, aut à phlegmone aliove tumore, vel abſceſſu excitato conſtat: quod, profecto, tunc affectus ſit laxus cum adſtricto mixtus, qui cum

magis urgeat ad curationem, propterea præſidia etiam laxantia videntur ei convenire. Plerumque vero fit, ut ſanguinis fluor cum tuſſi obortus (qui ceteris periculoſior, & exitialior videtur) foveatur in pulmonibus à cauſa adſtricta, ſcilicet, vel à catarrho maligno, vel à tumore, aut phlegmone: unde merito phlebotomia tanquam laxatorium præſidium uſum habebit, maximeque ſi ſanguinis fluor modicus fuerit, minimeque vires exſolvat. Hinc Teſſalus merito dixiſſe viſus eſt: *At ſi etiam intra diatriti tempus fuerit atteſtata partium gravedo, vel dolor, aut ſpiratio difficilis, vel tuſſicula ſicca, phlebotomare convenit.* At nedum ubi dolor, vel gravedo partium thoracis, vel aliquod aliud eas partes ſtricturæ paſſione laborare indicans adfuerit cum fluore ſanguinis, venæ ſectio uſum habebit; verum neque cucurbitulæ: aut hirudines, neque alia iſtiuſmodi præſidia laxatoria erunt reſpuenda. Sed ubi ſanguinis fluor ſolummodo laxus affectus ſit, ſcilicet ex apertione venarum, aut ex ulcere abſque inflammatione, febre, & plethora ſanguinis profectus, nullomodo phlebotomia uſum habere poterit, neque cucurbitulæ, neque hirudines, neque ſimilia præſidia congruent. Ubi vero ſanguis immoderatius defluat, ligaturæ ad avertendum ſanguinem & in articularibus partibus, & in brachiis & in femoribus convenient. Eraſiſtratus in inguinibus & in alis faciendas voluit. Tempus modo, iis expeditis, inſtat, ut particulatim medicamenta proſequamur adſtringentia, quæ apta ſunt fluorem ſanguinis cohibere, & primum ea, quæ ſanguinem ſcreatu ex faucibus manantem ſiſtunt, cum externa tum interna: inter quæ cum acetum comprehendatur, de eo etiam pauca ſunt dicenda, nimirum, an, quemadmodum extrinſecus ad ſiſtendam hæmorrhagiam utiliter partibus adhibetur, etiam per os ipſum debeat exhiberi? Quod non paucis ex veteribus viſum eſt, quia nimirum adſtringendi vi maxime valet, unde ex aqua mixtum ſolet ad hæmorrhagiam fronti, & temporibus commodo adhiberi: quo exemplo nonnulli vel ſyncerum ſeu per ſe ſolum in ſanguinis fluore utiliter dari exiſtimarunt, vel medicamenta cum ipſo danda: unde antiqui dabant plantaginem coctam ex aceto, vel acaciam, vel hypociſtidem, vel lycium,

Aurel. 2. chron. cap. 9.

cium, vel terram Lemniam, vel bolum Armenum, vel ſimile aliud ex aceto diſſolutum. Aurelianus in profuſo & largiſſimo fluore per ſe ſolum voluit eſſe propinandum: veruntamen in ſanguinis fluore ex vaſorum exeſione, fractura, aut vulnere, maxime (mea ſententia) erit damnandum, nimirum, quod propter acredinem & mordacitatem ulceribus, ſit inimicum. Ceterum adſtringentibus cum medicamentis mixtum non erit ſpernendum. Itaque fluente ſanguine ex faucibus, qui ſcreatu excernitur, gargariſmata utilia erunt, aut ex vino auſtero nigro, aut ex aqua ferrata in qua roſarum capita contuſa ebullierint, aut balauſtium, aut malicorium, aut cortex mali granati, aut myrtus, aut pruna ſylveſtria, aut pyrum ſylveſtre, aut galla immatura, aut ſumachum. Utiliſſimus ad eum uſum erit (aut pro gargariſmate, aut ſi locus, ex quo in faucibus ſanguis emanat, lingua depreſſa eo obliniatur) ſuccus aut è malo granato integro in mortario contuſo expreſſus, vel ex prunellis ſylveſtribus vel ex fructibus ſorbi, vel pruni ſylveſtris, vel oxyacanthæ. Conferet quoque ſuccus plantaginis vel equiſeti, vel polygoni, vel acaciæ, vel hypociſtidis, ex aceto diſſolutus, ſi eo locus affectus obliniatur. Hæc ad fluorem ſanguinis ex faucibus erumpentis cohibendum, firmandumque ſufficient: nunc ad eundem fluorem ſanguinis tuſſi excreti, & ex partibus reſpirationis proficiſcentis, compeſcendum, medicamenta accommodata etiam dicamus, & ſi eadem ſint, quæ ad hæmorrhagiam, & ad vomitum ſanguinis ſuperius meminimus. Verum & ſi illa omnia huic negotio congruant, & quodlibet illorum poſſit à Medico uſurpari; nihilominus, cum in curando ſputo ſanguinis, res maximi momenti agatur, nullo parcentes labori ſingula proponemus, quæ ad hunc uſum fuere & à veteribus Medicis & à junioribus cognita. Inter hæc vero præcipua ſunt, ſuccus portulacæ, aut plantaginis, aut polygoni, aut equiſeti ad unciam & ſemis epotus; rubi fructus immaturi, & flores ſiccati ad geminam drachmam ex vino auſtero epoti; quercus, vel ilicis, vel fagi membrana cortici ſubjecta trita eodem modo ex vino, vel aqua plantaginis vel polygoni potui data; terra Samia, Lemnia, vel Armena ſimili

mili pacto uſurpata. Aurelianus in potu commendavit lixivium ex cinere vitis ſarmentorum, & ex aqua pluviali, ad ſemilibram propinatum; at Galenus paratum ex cinere lignorum adſtringentium, cujuſmodi eſt vitis, rhus, lentiſcus, rubus. Ex Dioſcoride commendatur ad ſputum ſanguinis ſuccus porri cum gallæ aut thuris farina, vel acacia. Semen myrti tritum ad drachmam ex aqua plantaginis epotum convenit: ſuccus item ex myrti baccis viridibus expreſſus; roſarumque capita trita ex vino auſtero epota juvant. Decoctum radicis ſymphiti majoris epotum quam maxime à Tralliano probatum eſt; ſpinæ item albæ drachma cum oxycrato ab Oribaſio; & decoctum radicis althææ. Dioſcorides etiam laudavit farinam ex trimeſtri tritico coctam ad glutinis modum, atque delinctam. Glutinum ſimiliter, quod ex ſimilagine, & expolline fit ad libros glutinandos, ſanguinem inter tuſſiendum expuentibus non minus conducit, ſi cochlearis menſura liquidus abſorbeatur: item ſuccus hypociſtidis, aut acaciæ cum thuris modico epotus: arctii item radix cum nucleis pineis ex quopiam liquore adſtringente à multis commendatur; & Samia terra cum balauſtio trito; & membrana quercus (quæ eſt inter corticem & lignum, & ea, quæ circum glandem eſt) trita ex vino nigro auſtero ad drachmam epota; vel ipſius decoctum itidem epotum. Paulus longe ad id eſſe efficaciorem ſtatuit membranam fagi atque ilicis eodem modo aſſumptam. Cornu Cervi uſtum, lotumque ex aqua adſtringente, pondere duorum cochlearium eodem modo utiliter datur. Caſtanearum quoque decoctum non minus utile eſſe deprehenſum eſt; maximeque membranæ illius, quæ eſt inter putamen & corticem caſtanearum: ſicuti & cortex ſalicis & fructus ex vino ſumptus auxiliatur. Præclare commendantur etiam gentianæ radicis duæ drachmæ ex aqua aut vino; & rhaponticum eodem modo atque menſura datum: corallii item lapidis drachma cum ſucco mali punici, & cum thure etiam ex vino myrtite; ſed quid tandem de lapide hæmatite ad ſanguinis fluorem cohibendum, tantopere à multis celebrato, dicemus? An non & ipſe nedum ad ſputum ſanguinis, verum etiam ad pus ſiccandum in phthiſicis olim in magno

In 2. euporiſt. cap. 31.

gno uſu fuit? certe quidem (ut auctor eſt Trallianus) & ejus ſubſtantia in tenuiſſimum pollinem detrita, ex ſucco aut granatorum, aut polygoni, aut plantaginis epota: & vinum, in quo fuit hic lapis tritus per diem unum aut plures maceratus, ad hunc uſum maxime à multis concelebratum eſt; de hujus uſu Alexander Trallianus ita ſcripſit: *Uſus autem ſum eo in his, qui largius ſanguinem rejiciebant, cum ſucco mali punici, & granis, vel ſucco polygoni. In quibus autem ſanguis non copioſe evacuabatur, etiam ex aqua ſola tepida. At lævigare ipſum plurimum oportet, ut in tenuiſſimum pulverem redigatur, ſitque aëreus & vento perſimilis; dedi autem ex eo octo obolos; & paulo amplius minuſve.* Ex ſimplicibus quoque iis medicamentis poſſunt quædam ad hunc uſum componi cujuſmodi fuit paſtillus à Paulo dialectrum vocatus, & diacorallium, & qui paratur ex terra Samiâ, Lemnia, lapide corallio, radice ſymphyti majoris, atque amylo, tenuiſſime tritis ex ſucco plantaginis. Nonnulli addunt partem ſemiſſem opii. Paſtillus itidem ex roſis huic uſui eſt opportunus. Themiſon dabat ſuccum mali punici contuſi cum modico aloes, & medicamentum diaſycaminum vocatum, quod paratur accipiendo gummi Arabici, acaciæ Ægyptiæ ann. unc. j. aluminis ſciſſi unc. ij. trita excipiuntur decocto papaveris, & paſtillus paratur, qui drachmæ pondere ex liquore aliquo adſtringente aſſumitur. Theſſalus dabat & ipſe terram Samiam pondere duarum drachmarum ex aqua tepida, vel amylum, vel ſymphyti radicem, vel ipſius foliorum ſuccum, vel medicamentum, quod ex tragacantho, gummi Arabico, thure, atque opio conficitur. Aëtius vero cochlearis menſura ex vino auſtero, vel ex aqua polygoni, vel plantaginis propinabat pulverem, qui parabatur ex lapidis corallii, terræ Samiæ, ſuccini, maſtiches an. 3. vi. amyli, thuris, gummi Arabici. an. 3. iiij. Atque hæc ſunt medicamenta fluori ſanguinis conducentia, quæ per os aſſumi debent. Quibus nunc etiam illa, quæ exterius adhibita juvant, addenda ſunt, nimirum, quæ adſtringendo vias affectorum locorum denſant, præcluduntque, ut intra illas adſtrictas ſanguis retineatur. Proinde pectori conducet ſpongia ex aqua frigida cum aceto admota, vel ex decocto aliquo

adſtringentium ſupradictorum cum modico aceto permixto: aut lintei iiſdem decoctis adſtrigentibus, vel ſuccis, ſcilicet plantaginis, polygoni, portulacæ vel ſimilium imbuti, atque ante & retro adhibiti, pectori ſcilicet & dorſo, ſeu poſteriori thoracis parti. Convenient etiam inunctiones ex oleo viridi, vel roſaceo, vel myrtino, vel de cytoniis, vel ex ſimilibus aliis. Epithemata etiam convenient, ex ſucco aizoi, aut ſolani hortenſis, aut plantaginis, aut equiſeti, aut portulacæ, aut intybi agreſtis, vel ſimilium; aut ex multis ipſorum ſimul mixtis cum tertia parte aceti albi, pectore ac dorſo iis oblito & madefacto. Aëtius itidem laudavit illitiones ex aceto in quo cortex loti, aut meſpili, aut rhus, aut rhamni & polygoni folia fuerint decocta: in quo aceto etiam diluito aloem, aut acaciam, aut omphacium, & modicum gummi: pectus ac dorſum eo illinito, atque ubi exſiccatum fuerit, rurſus inungito. Eodem item modo emplaſtra adſtringentia maxime convenient. Aurelianus laudavit emplaſtrum, quod paratur ex palmulis *Thœ*baicis ex vino auſtero aut ex aceto tritis, mixtis cydoniis coctis, aut corticibus mali punici tenuiſſime tritis, aut alumine, aut acacia, aut hypociſtide, aut galla, aut œnanthe, aut aloe, aut maſtiche trito, melle exceptis. Aliud ex pulvere mali punici vel mannæ thuris, mixto alumine, ſucco plantiginis excepto componitur, appoſitumque confert. Sic quod ex polenta parabatur, & aliud ex cymis rubi, vel plantagine, vel ſolano, vel germine vitis, vel aizoo, aut ex alio ſtiptico medicamento concinnatum. Item ex intybi foliis, cum medulla panis, & aceto, emplaſtrum utile ad ſputum ſanguinis conficitur: ſi plantago, & polygonum tritum cum hordei farina acetoque pectori adhibeatur, dictæ paſſioni etiam valde proderit: non minus, quam faciat emplaſtrum de filicibus Aëtii. Demum, cohibito ſanguinis fluore, antiqui utebantur medicamentis Græcis metaſyncriticis vocatis, quæ Aurelianus recorporativa appellat; cujuſmodi ſunt dropaces, vel phænigmi, vel ſiccæ frictiones; nimirum ad partes denſandas, roborandaſque, & ad abſumendas partium humiditates, quibus partes ſolent in laxum affectum recidivare. Sed de iis præſidiis à nobis in ſuperioribus libris ſatis ſuperque ſcriptum eſt. Cap.

CAPUT VII.

De ſanguinis fluore, qui per alvum fit, ſupprimendo.

NOn raro etiam evenit per alvum ſanguinis fluor ita immoderatus, ut homines quaſi jugulatos interimat, idcircoque cito cohibendus eſt iiſdem ferme medicamentis, præſidiiſque adſtrictoriis, quæ in aliis fluoribus ſupprimendis ſuperioribus capitibus abunde memoravimus. Ceterum, cum (veluti de ſputo ſanguinis dictum eſt) hic fluor aliquando venis in inteſtina deſinentibus aut apertis, aut eroſis, vel ruptis, vel rarefactis fiat, quem affectum ſimpliciter laxum appellamus, & aliquando à cauſis adſtrictoriis una foveatur, quippe aut à catarrho ſalſo, aut acri aut ab humore ferventi, ſcilicet à bile flava maxime acri, aut ab eadem bile retorrida, aut à phlegmone, aut à calido morbo hepatis, ſanguinem valde putridum, acerrimumque reddente; merito fluoris ſanguinis talem fieri cernimus differentiam, ut quidam morbus laxus ſolummodo ſit, alius vero etiam cum adſtricto morbo mixtus: de hoc poſterius ſermone habebimus, & in præſentia illum qui ſolummodo laxa paſſio eſt, tractabimus. Eſt vero fluor ſanguinis laxus affectus, qui per alvum fluens immoderatius vires exſolvit, ſyncopemque & mortem accerſit. In quo fluore aliquando ſanguis merus emanat & aliquando aliis humiditatibus permixtus. Ille vero aut bonus, aut vitiatus exit: atque hic aut cum chyloſis dejectionibus incoctus, aut cum mucis, vel pituita ſalſa, aut cum bile flava ardente, aut retorrida, aut cum melancholia, aut cum variis humoribus permixtis quam maxime putridis, aut cum adipe, vel membranis, vel denique inteſtinorum ſubſtantia, aut ipſiusmet ſubſtantia hepatis, ut nos Cayri in Ægypto in Medico Nicolai Razevil Poloni Ducis Oliváe aliquando vidimus. In quo, præſente illo Duce & virtutibus, & moribus maxime illuſtri, per alvum in exitiali dyſenteria excretæ ſunt partes hepatis ſubſtantiæ Græcis parenchymatis dictæ, atque non ſine magna omnium circumſtantium admiratione. Sed jam ad fluorem ſynceri ſanguinis accedimus; qui aut bonus eſt, aut vitiatus, atque

que hic aut aquoſus itidem eſt, ſcilicet loturæ carnis ſimilis, ob imbecillitatem concoctricis in hepate facultatis factus, aut nigreſcens craſſus, & inſtar bituminis Judaici etiam ſplendens, dejicitur: qui ſanguis talis redditur, ſi nimium in hepate moretur aut ob venarum vim attractricem debilitatam minime ipſum attrahentem, aut propter aliquam obſtructionem in venis factam; item ſi juſto plus calefiat, vel à nimia hepatis caliditate aſſetur. Vel excernitur quidem nigreſcens, at fluidus, ſplendoris expers, qualis hepate ad frigidius temperamentum inclinante fieri ſolet. Demum mixtus aliis humiditatibus ſæpius ſanguis per alvum excernitur, colore atque ſubſtantia præditus ſimili, qua ovi leuteum in jure conquaſſatum apparet, quaſique ichor aliquando cruentus conſpicitur, ſed cum fœtore inſigni dejicitur. Huncque fluxum colliquativum Medici appellant, pathognomicum ſive proprium peſtilentium febrium ſignum, quique fit ab extraneo calore inſigniter humores putrefaciente. Aliquando apperet, ut dictum eſt, ichor cruentus albæ humiditati mixtus, aliquando bilioſæ, & aliquando nigreſcit aliquatenus, & non ſine aliquo ſplendore; utpote quando calor febrilis magis colliquat, quam putrefaciat, cujuſmodi in febribus ardentibus colliquativis fit, in quibus etiam præ inſigni calore humidiores partes abſumente humores bilioſi meri, ſyncerive per alvum dejici ſolent. Aliquando vero ſanguis cum fæcibus, vel chyloſis dejectionibus exit. Plerumque cum mucis, aut cum pituitoſa, aut cum bile ardente ſcilicet lutea, vel viridi, vel nigra retorridave, aut cum adipe, aut cum membrana, aut cum ſubſtantia inteſtinorum defluit. Hujuſmodi dejectiones cum torminibus ventris, magniſque doloribus fiunt, fluxuſque dyſenterici vocantur, qui ulceratorum inteſtinorum propria ſigna exiſtunt, de quibus paulo poſt nos particulatim agemus. Itaque ex iis conſtat, ſanguinem per alvum aliquando ſyncerum excerni, atque hunc vel bonum, vel vitioſum eſſe; & aliquando mixtum aliis humiditatibus, qui ſæpe immoderatius ita fluit, ut laxum morbum magnum faciat, atque proinde magna præſidia adſtrictoria, quibus ei occurratur, indicat: aliquando vero natura, vel ut cor-

corpora à morbis præcaveat, vel ægrotantia ut à morbis liberet, ſanguinem tanta copia ſæpe excernere ſolet, ut complures Medicorum artis medicæ ignari perperam hujuſmodi ſanguinis fluorem laxum morbum judicare ſoleant, ac proinde ſtatim adſtrictoriis medicamentis ipſi occurrendum eſſe judicent; cum tamen hujuſmodi excretio morbus laxus dici nequeat, quo ad vires ita exſolvantur, ut corporis actiones aperte lædi deprehendatur. Etenim ut ſuperioribus libris demonſtratum à nobis eſt ex Methodicorum placitis, nulla evacuatio (ſive ſanguinis, ſive excrementorum ſit) niſi ita vires reſolvat, ut corpora apertius lædantur, morbus laxus dici poterit. Bifariam vero evacuatio quælibet morbum laxum facere poteſt, uno modo cum repente adeo immoderate ſanguis emanat excerniturque, ut vel in ſyncopem homo incidat, aut, ni ſyncopem hic fluxus accerſat, tamen maxime corpus lædat, ſic, ut exinde corpus prælangueat, colore defædetur, tumeat, in malum habitum ſeu cachexiam mutetur, caput maxime debile evadat, atque ad vertiginem valde pronum, ſtomachus non appetat cibos, aſſumptoſque minus concoquat, pulſus langueant, & corpus ægrius moveatur. Quem ſanguinis fluorem per hæmorrhoidas nos olim in Hieronymo Capello Senatore illuſtriſſimo, in omni virtutum genere, morumque probitate iis, qui ipſum cognoverunt, maxime conſpicuo, obſervavimus. Quare fluor ſanguinis tam profuſus, & immoderatus, ut vires exinde aperte lædi videantur uno modo morbum laxum facit, & quidem magnum etiam, ſi ſyncopem, præ virium reſolutione, accerſat. Altero vero modo ſanguinis fluor præternaturalis non immoderata quidem quantitate, neque impetu, ſed diuturnitate, & perſeverantia (quod vel continuus ſit, vel ſæpiſſime revertatur) vires ita proſternit reſolvitque, ut tractu temporis morbum laxum faciat. Purdenter itaque Medici ſe gerere debebunt in cognoſcendis iis fluoribus ſanguinis, vel excrementorum, qui laxi morbi ſunt, cum ſæpe, ut dictum eſt, natura copioſas vacuationes, vel purgationes ſalutares moliatur, quæ quantitate ſeu copia inſigni morboſæ videri ſolent, cum tamen laxum morbum non faciant. Hujuſmodi ſanguinis fluor febrem

Gal. in I. de diff. ſymp. cap. ult. & in 6. de ſanit. tuenda c. 6.

quartanam critice, & ſalubriter in me ſolvens ab hinc annos duodecim me invaſit; nam ſanguinis ter in die per os inter tuſſiendum profuſi adeo crevit menſura, ut ſeptem librarum pondus æquaret, fortaſſe etiam excederet. Quem fluorem, & expuitionem ſanguinis ego ſolus inter multos graviſſimos Medicos, qui me viſitatum convenerant, criticam, atque ſalutarem eſſe credidi, eoque præſertim argumento, quod cum, antea & maxime ſitirem, & corpus meum admodum grave eſſet, ab evacuato eo ſanguine ſitis ſtatim ſublata fuerit, atque corpus ita alleviatum, ut promptius, quam antea, cum ad ambulandum, tum, ad aliud faciendum, eo uti potuerim, cum pulſu vehementia non carente. Colligo igitur, ſanguinis fluorem bonum, licet quantitate videatur malus, & morboſus, tamen ab eo diſtingui, qui laxum morbum facit, quia vires non ita debilitat, ut actiones in corpore lædantur; quinimo ab hujuſmodi hæmorrhagiis, pulſus majores, vehementiores, & magis æquales, ut nos in libris de vita & morte ægrotantium præſagienda docuimus, redduntur, & reliquæ actiones quoque vitalibus viribus reſpondent. At tempus eſt, ut iis obiter declaratis, ad præcipum noſtrum inſtitutum redeamus quod eſt, ut medica præſidia huic fluori congruentia explicemus. Quæ profecto huic fluori ſanguinis convenient, ſive ſanguis ſit bonus, ſive vitioſus, ſive ſyncerus, ſive mixtus aliis humiditatibus, dummodo à venis apertis, aut ulceratis emanet, aut repente unica vice ita ſupra modum effluat, ut vires maxime exſolvat, aut multis repetitis vicibus, licet in minori copia, tamen longo tempore perſeverans, idem faciat. Huic itaque conducet adſtringentia medicamenta adhibere, vel tunc etiam cum fluor non fuerit immoderatus, ſed modicus, cum ſanguinem, quomodocumque ſupra vel infra, non critice exire, malum eſſe cenſeatur; propterea in omni fluore erit adſtringendum, ni fluor foveatur ab adſtricta cauſa, ſcilicet vel à jecoris tumore, morbove alio, vel ab obſtructione venarum, vel à multitudine humorum corrodentium inteſtina, dyſenteriamque facientium: qui fluores morbum ex laxo & adſtricto mixtum faciunt: de quo poſterius agemus. Ex medicamentis autem, quæ

ad

ad hunc uſum facient, quædam erunt per os aſſumenda, quædam intra ventrem clyſteribus injicienda, atque alia ſupra ventrem adhibenda. At priuſquam hæc particulatim ægrotis præſcribantur, victus ratio huic affectui congruens erit inſtituenda, quæ eadem erit, quam ſuperiori capite ad ſanguinis fluorem per os erumpentem meminimus, cui ex cibis congruentibus addimus lac caprillum coctum, & chalybeatum in primo cibo dandum, ad tres cyathos, mane & veſperi, in prandio & cœna. Ex medicamentis per os aſſumendis eadem plane convenient, quæ ſuperiori capite præſcripſimus: cujuſmodi (exempli gratia) eſt ſuccus adſtringentium herbarum, videlicet aut plantaginis, aut polygoni, aut equiſeti, aut portulacæ, vel intybi ſylveſtris, vel ſimilium ad unciam & ſemis: aut in potu dabitur drachma acaciæ Ægyptiacæ, aut hypociſtidis, aut lycii tenuiſſime triti ex vino auſtero nigro, aut galla immatura trita, aut myrtus, aut balauſtium, vel cortex mali granati, vel terra Samia, vel bolus Armenus, vel terra Lemnia, vel lapis hæmatites eodem modo ex vino, aut ex aqua, aut ex ſucco plantaginis vel polygoni epotus; ſi quis plura particularia medicamenta ſcire deſiderat, ea ipſa ex ſuperiori capite petat; ex quo loco habebit etiam medicamenta omnia & ſimplicia adſtringentia ventri exterius adhibenda, & inunctiones adſtringentes, tum illitiones, tum epithemata, tum emplaſtra huic fluori ſanguinis accommodata. Ex medicamentis vero, quæ clyſteribus injiciuntur, quæque ſunt ceteris aliis ad hunc alvi fluorem ſiſtendum accommodatiores, erunt ſi clyſteres huic uſui accommodati parabuntur, aut ex vino nigro adſtringente, aut per ſe ſolo, aut rebus adſtringentibus alterato, ſcilicet roſis rubris ſiccis, aut plantagine, aut equiſeto, aut mentha, aut abſynthio, aut polygono, aut ſimili alio medicamento adſtringente ex iis, quæ ſuperiori capite præſcripſimus. Aut ex vino chalybeato clyſter parabitur, aut ex aqua ferrariorum, aut ex decocto rerum adſtringentium; aut ex ſuccis ſcilicet, vel aquis adſtringentibus, nimirum plantaginis vel polygoni, vel portulacæ, vel intybi, vel equiſeti, vel ſimilium, vel cum oleis ejuſdem facultatis, cujuſmodi eſt roſaceum, om-

omphacinum, myrtinum, de cytoniiſque, poſſunt addi pulveres adſtringentes ad geminas drachmas, aut terræ Samiæ, vel Lemniæ, vel boli Armeni, aut gallarum immaturarum, aut ſumachi, aut thuris, aut balauſtii, aut corticum granatorum, vel ſimilium, aut unius ſcilicet, vel plurium ſimul inter ſe mixtorum. Exempli gratia, hujuſmodi clyſter parabitur, accipiendo vini nigri auſteri: in quo roſa, & plantago ebullierint, lib. 1. olei myrtini, ſucci plantaginis, vel equiſeti, vel rubi, an. unc. iij. terræ Samiæ, boli Armeni, corticum granatorum pulverizatorum, acaciæ Arabicæ, vel ex pulpa prunellorum ſylveſtrium, tenuiſſime tritæ, an. ʒj. Præſtantiſſimus itidem ad hunc uſum erit, ſi parabitur ex vini nigri ferrati libra una, & ſucci à contuſo malo granato expreſſi unciis tribus. Atque hæc ſunt medicamenta, quibus alvi fluor ex venarum deſinentium in inteſtina apertione, aut eroſione, ruptura, immoderatus, vires cum actionum corporis læſione exſolvens cohiberi, firmarique poterit.

CAPUT. VIII.

De ſanguinis profluvio per renes & veſicam, cohibendo.

PEr urinam ex veſica, aut ex renibus, ſæpe etiam ſanguinis profluvium apparet, de quo in præſentia agendum eſt, ut, quibus cohibendum ſit, medicamenta etiam perſpecta habeamus. Sed in primis, quot modis per urinam profluat, & à quibus cauſis etiam, cognoſcendum eſt. Porro ſanguis per urinam excernitur aliquando cum meatus, per quos ex vena cava in renes urina percolatur, ſupra modum dilatantur, aut ob cauſam aliquam externam (uti eſt validum exercitium, aut balneum nimis calidum, aut caſus, aut ictus vehemens) aut ob nimiam ſanguinis plenitudinem venas diſtendo aperientem, aut ob flatum immodicum aut venarum, renumque ulcerationem, aut ex humore acri vel ſalſo, aut ex calculis. Si vero tenuis ſanguinis ſanies mingatur ſimilis excrementis, quæ in hepaticorum affectuum initio excernuntur, affectus fluxui hepatico ſi-

Gal. in 6. de loc. affect. cap. 3.

ſimilis cæpiſſe indicatur. Paulus inquit: renes propter imbecillitatem infirmos ſanguinem retinere non poſſe, quinimo ipſos patentiores redditos ſanguinis non nihil ex vena laxare; & ſæpe etiam ipſos juxta circuitum, perinde atque hæmorrhoides, ſanguinis profluvio laborare. Veſica ſæpe ex ulcere vel à calculo, vel ab urinæ acrimonia ulcerata ſanguinem & ipſa fundit per urinam. Aliquando vero natura ipſa corporis vel ut à morbis præcaveat, vel ut morbis vexatos liberet, per veſicam copioſum ſanguinem excernere ſolet, quæ ſanguinis excretio, à morboſa cohibenda, eo argumento diſtinguitur, quod natura corpus gravatum ſublevet, vel à morbo ipſum liberet ita, ut ex hoc ſanguinis profluvio ne dum corpus non lædatur, ſed contra juvamentum ſentiat. Quo pacto vero & à renibus ulceratis & à veſica ſanguinem per urinam mingi deprehẽdatur, Hippocrates hiſce verbis expreſſit: *Si quis ſanguinem aut pus mejat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.* Et: *Si quis ſanguinem, aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogaſtrium, & pectinem, & perinæum pertingente, ad veſicam loca laborant.* Et: *Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas mejat, & gravis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.* In 4. aph. 75. Aphor. 80. Aphor. 81. Ceterum quilibet ſanguinis fluor per veſicam factus haud negligendus erit. Sæpe enim fit, ſi negligatur, vel laxatis venis, quæ ex vena cava in renes deſinunt, aut facta vel in ipſis, vel in veſica, exulceratione, ut aut habitus corporis cachecticus reddatur, aut ſanguine extenuato in grumos concreſcente, & dolores, & ulcera excitentur: ſi vero illarum partium ulcus diu non ſanatum permaneat, exitium hominibus invehit. Itaque eodem modo, ut in aliis profluviis firmandis docuimus, medicamentis adſtrictoriis, ad ſanguinem per urinam manantem cohibendum, erit opus. Veruntamen Dogmatici ſolent ad firmandum hoc profluvium uti venæ ſectione in cubito, atque cucurbitulis iliis atque coxendicibus affixis aut revulſionis derivationiſque gratia, aut cauſæ profluvium foventis ratione, utpote quando fit aut ex caſu, ſeu vehementi percuſſione, vel propter affectum inflammatorium in renum, aut veſicæ partibus conſtitutum. Quibus præſidiis etiam Methodici aut revellendi Paul. lib. 3. c. 45.

gratia, aut quod hujuſmodi profluvium foveatur à cauſa adſtricta, cujuſmodi dictum eſt eſſe contuſionem, phlegmonem, atque ſanguinis plenitudinem: unde ſanguinis hic fluor non ſimpliciter laxus affectus ſit, ſed & affectum adſtrictum conjunctum habeat. Sed de his etiam poſterius agemus. Nunc agimus de laxo affectu, qui tollitur adſtringentibus. Unde per os aſſumpta omnia adſtringentia medicamenta, ſuperioribus capitibus expreſſa, utiliſſima erunt: cujuſmodi erit decoctum plantaginis, aut portulacæ, aut polygoni, aut equiſeti, aut intybi, aut rubi, aut ſimilium, vel ex multis illorum in aqua paratum; vel ſuccus eorundem; vel aqua ſtillatitia ex iis adſtrictoriis medicamentis parata ad uncias quatuor cum drachma acaciæ, vel hypociſtidis, vel terræ Samiæ, vel Lemniæ, vel ſimilis alterius medicamenti facultatis adſtrictoriæ. Aqua Villenſis ex Agro Lucenſi, ſi ad libras quatuor exhibeatur; vel ſerum lactis caprilli, in quo ferrum candens, ſepties fuerit extinctum, eodem modo ad tres quatuorve libras mane ante cibum epotum plurimum juvabit. Nonnulli propinant ſyrupum vel myrtinum, vel de roſis ſiccis, vel de cytoniis, vel diamoron vocatum ad unciam & ſemis, cum aquæ plantaginis, aut portulacæ, aut polygoni, aut equiſeti, aut roſarum, aut rubi, aut ſimilium herbarum, unciis quatuor. Paulus laudavit radicem per os dandam ſymphyti majoris, & tragacanthum vino maceratum, laudavitque itidem ſuccum plantaginis, vel polygoni ex poſca datum. Neque minus hoc medicamentum, quod recipit aluminis ſciſſi ʒ. j. tragacanthi ʒ. ij. gummi Arabici ſcrup. ij. ß. Exterius etiam conveniunt ad lumbos inunctiones frigidæ ex oleo myrtino, vel omphacino, vel de cytoniis, cum modico aceti. Conveniunt itidem ſucci plantaginis, vel polygoni, vel lactucæ, vel equiſeti, cum aceto, actu frigidi, aut tepedi hieme adhibiti. Eodem modo albumen ovi ex aceto adhibitum juvabit; vel emplaſtrum ex hordeacea farina cruda, cum poſca, & roſaceo; aut ex palmulis & pane ſiligineo, cum acacia vel hypociſtide ex vino adſtringenti aut ex poſca decoctis, contuſiſque paratum. Sedere in aqua fluminis currentis ſupra renes uſque maxime valere ad cohibendum profluvium, compertum eſt. Non-

nulli

nulli catethere per pudendum injiciunt vel aquam Villenſem, vel aquam ſtillatitiam chalybeatam, ſi cauſa fluoris in veſica eſt: aut ſuccos adſtringentes, vel olea itidem adſtringentia.

CAPUT IX.

De hæmorrhoidum profluvio ſiſtendo.

VEnas ani, per quas ſæpe ſanguis expurgatur, Græcos hæmorrhoidas, atque Latinos mariſcas appellare, alias à nobis dictum eſt, harum vero venarum, quædam in anum uſque terminantur, atque hæ ſunt, quæ aperiuntur, & aliquando per ipſas ſanguis excernitur; vocanturque hæmorrhoides inferiores, & apparentes: quædam ſuperius intra podicem contentæ clauduntur, haſque cæcas Medici itidem appellant, quoniam ſanguinem non excernunt, ſed dolores inferunt, quam aliæ, acriores. Dictum ſuperiori libro fuit moderatam ſanguinis evacuationem per illas venas factam, ex Hippocrate, Galeno, atque ex aliis omnibus Medicis, utilem eſſe corporibus, atque ipſam à multis malis homines præcavere: immodicam vero ſanguinis evacuationem maxime corporibus noxiam eſſe, gravioraque mala inducere. Unde Paulus inquit: *Hæmorrhoidibus juxta largius inanitis, habitum in aquam ſubter cutem reſolvi contingit, & affectos infæliciter contabeſcere.* Unde priuſquam hæc mala inducant ſupprimendæ ſunt, ipſarumque immoderata purgatio firmanda, præſertimque quo tempore vires fatiſcere incipiunt, pulſuſque imbecillus evadit, corpus totum gravius redditur (ut genua labaſcere incipiant) atque tumefieri, & decolorari incipit; profluit autem per hæmorrhoidas ſanguis, tum bonus præ multitudine oſcula venarum aperiens, vel à natura ſponte excretus, tum vitioſus, ſcilicet vel tenuis ſeroſus, aquoſuſque, vel acris qui pungendo expultricem ſtimulat ad ipſum excernendum. Itaque, ſi immoderatius per hæmorrhoidas ſanguis fluat, & præſertim bonus, vires exſolvi neceſſe eſt, caloremque nativum diminui, unde corpora præter alia mala in aquam intercutem incidere ſolent: quapropter hæ venæ quam-

Inlib.3.c.59.

primum claudendæ ſunt, ipſarumque excretio cohibenda. Notat tamen Hippocrates (quod in iis, in quibus vitioſus ſanguis profluit, erit obſervandum) non omnes mariſcas eſſe claudendas, ſed unam apertam eſſe conſervandam, ne omnino ſanguis vitioſus, quippe melancholicus, intus cohibeatur, à cujus copia (ut ait Gal.) nativo calore quaſi ſuffocatione maxime diminuto, corpora & in tabem, & in aquam intercutem incidunt. In 6. aph. 12. Quod ita expreſſit Hippocrates. *Diuturnas curanti hæmorrhoidas, niſi una quæpiam ſervetur, periculum aquæ inter cutem, vel tabis impendet.* Sed jam, his præmiſſis, medicamenta venas illas claudentia proponimus. Quæ illa omnia erunt, quæ ſæpe meminimus, tum quæ per os exhibentur, tum quæ exterius adhibentur, ſive ſint fomenta ex adſtringentibus in vino nigro auſtero ſive ſucci adſtringentes, vel pulveres, vel emplaſtra itidem actu frigida adhibita. Dioſcorides commendat aloëm ex ſucco adſtringente cataplaſmatis modo appoſitam; ſquammam ferri tritam; plumbum uſtum atque lotum: & ex compoſitis medicamentum, quod accipit acaciæ Arabicæ ʒ. iiij. In 1. euporiſton. plumbaginis itidem ʒ. iiij. tragacanthi dra. ij. trita ex albumine ovi miſceantur. Aliud accepit chalchanti, gallæ, aluminis, an. dra. j. trita ex oxycrato. Nonnulli ex noſtris oleo communi immaturo, in quo ſpongia tenuiſſime trita, roſa ſylveſtris, quam cynorrhodon Plinius appellat, & radix ſcrophulariæ itidem trita, ebullierint, inungunt hæmorrhoidas: alii eo, in quo trichomanes ebullierit.

CAPUT X.

De menſtruorum profluvio firmando.

CUm menſtruæ purgationes in mulieribus deſinant aut naturaliter, aut præter naturam; naturaliter, aut ob conceptum, aut ob ſenectutem incipientem, ſcilicet cum mulieres pervenerint ad annos circiter quinquaginta: præter naturam vero, ut ſuperiori libro dictum eſt, aut ob venarum uteri conniventiam, aut ob oſculorum contractionem, aut ob obſtructionem aut ob ſanguinis craſſitiem, aut denique ob uteri mor-

morbum, mulieres menſtruis purgationibus deſtituuntur. A contrariis vero cauſis menſtrua ſuperfluunt, immoderatiuſque fluunt, ſcilicet venis uteri aut ruptis, ut ex violento partu aliquando fieri ſolet, aut eroſis ab acri, vel ſalſo humore, aut ipſarum oſculis apertis vel à ſanguinis multitudine, vel flatu diſtendente, vel à prava ipſius qualitate expultricem irritante, aut ſanguine attenuato per venarum membranas rarefactas reſudante. Itaque menſtruis immoderatius profluentibus, vel tametſi immoderatius non fluant, tamen diu longoque tempore ſi continuo ſanguis emanet, ita corpus ab eo vel immoderato profluvio, vel non immoderato, ſed diu tamen perſeverante, vehementer læditur, ut vel repente ab immoderato profluvio viribus exſolutis in ſyncopem labatur, vel ab aſſiduo fluxu debilitato calore innato primum in cachexiam, & poſtea in aquam inter cutem, vel in tabem incidat. Corpus enim primo colore fædatur, tumidius evadit, præſertimque facies atque oculi; grave redditur, ad motum difficile, quod ambulando difficulter ſpirat, cibum non ſentit, ipſumque faſtidit. Itaque priuſquam ex ſanguinis immodica evacuatione corpus in hæc mala deducatur, curatio tentanda erit. Quæ præſidiis adſtrictoriis perficietur, namque in hoc laxo affectu plane adſtrictoria indicetur curatio: & tametſi in in hoc affectu tollendo medicamenta adſtringentia per ſe convenire videantur, ex accidenti tamen quædam etiam ex laxatoriis à Medicis quoque Methodicis uſurpari ſolent, ſcilicet (viribus permittentibus) venæ ſectio in cubito, præſertim internæ, cucurbitulæ, ligaturæ, atque frictiones, ut nimirum ſanguis ab uteri venis & divertatur, & revellatur, ſanguiniſque impetus ab utero avertatur, & cohibeatur. Itaque menſtruis immoderatius profluentibus, ſi vires ferant, revulſionis gratia, è vena interna dextri cubiti ſecta modicum ſanguinis mittatur: artuſque extremi ab alis & inguinibus (auctore Paulo) arcte vinciantur, vel fricentur. Cucurbitulæ itidem leves magnæ frequenter ſubter mammas affigantur, avertunt enim efficaciter impetum ſanguinis ab utero. Atque hæc ſunt ex laxatoriis præſidia non per ſe, ſed ex accidenti, diverſionis, revulſioniſque gratia, etiam in laxo

affectu (modo vires permittant) convenientia. Per se autem & proprie conveniunt illa omnia, quæ quovismodo adstringere dicuntur, quæque superius abunde perspecta fecimus. Hæc vero cum duplicem usum habeant, scilicet aut per interius, aut per exterius; de internis in primis agemus, ea proponentes, quæ per os assumuntur, aut quæ in uterum injiciuntur; indunturve. Per os ea omnia ad hunc usum convenient, quæ in aliis morbis laxis convenire, nuper diximus, præsertimque acacia, vel hypocistis, vel balaustium, vel terra Samia, vel bolus Armenus, vel rubi fructus immaturi sicci, vel equisetum siccum tritumque ad drachmam, ex vino austero, aut ex aqua plantaginis epotum: lentisci item fructus torrefacti cum vino epoti maxime conveniunt. Ad hæc coagulum leporis, aut hædi, aut ovis, aut vituli, aut cervi eodem modo assumptum. Vinacea trita, & ossa mespylorum, cornique fructuum immaturorum, aut fructus oxyacanthæ sicci triti eadem mensura atque modo ex aqua, succove adstringente, aut ex vino austero epoti juvabunt. Commendatur itidem succus ad unciam contusi expressique equiseti, aut plantaginis, aut portulacæ, aut polygoni, aut rubi, aut similium epotus. Decocta etiam ex iisdem medicamentis facultatis adstringentis parata in potu convenient. Eadem medicamenta summopere juvabunt, aut cathetere injecta, aut in pessos redacta & indita. Ego olim acacia Arabica ex vino dissoluta cathetere in sinum muliebrem injecta sanavi Guadagninam olim uxorem meam dilectissimam à profluvio uteri quo laborabat. Idem faciet hypocistis, lycium, terra Samia, Lemnia, & succus ex malo punico contuso expressus, & hujusmodi alia ex vino, vel ex liquore aliquo adstringente cathetere injecta in pudendum. Ex compositis etiam pastillus Andronis ex vino cathetere inditus maxime iis auxiliabitur. Pessus ex succo equiseti paratus plurimum à Fallopio commendatur, & qui ex succo plantaginis, vel polygoni, vel portulacæ, vel è malo punico dulci contuso, expressoque fit. Acacia itidem cum manna thuris contrita ex aceto in pesso ex spongia indita mirifice auxiliatur; aut eadem spongia liquida pice demersa pessarii modo imposita; vel ipsius combustæ ci-

nis

nis cum aceto eodem modo indita. Cinis itidem ſuberis in fictili Italico concremati eodem modo. Gallæ etiam quod interius eſt lævigatum, & thuris lachryma ex aqua plantaginis diluta, atque in peſſo indita. Eodem modo ex compoſitis auxiliatur iis, quod accipit aluminis ſciſſi, interioris gallarum, acaciæ Arabicæ, mannæ thuris, an. unc. iiij. ovorum toſtorum lutea quatuor: arida lævigantur cum ſucco plantaginis, & lana excipiuntur, & rediguntur in peſſum. Cortex itidem glandis in quercu, aut in ilice, exterior tritis in peſſis inditus maximi adjumenti eſſe ſolet. Ex externis vero medicamentis, plurimi æſtimantur inſeſſus, qui poſſunt parari ex decocto rerum adſtringentium, aut ex vino auſtero nigro chalybeato, aut in quo medicamenta adſtringentia ebullierint. Aut ad id opportunæ erunt aquæ ferreæ, aluminoſæ, aut chalcanthodes: oportebit in his mulieres inſidere, quouſque aquæ, vel decocta umbilicum operiant. Ad hunc uſum commendatur decoctum in vino auſtero paratum ex oxyſchæno, id eſt, marino junco, ex cymis myrti, roſis, rhamni foliis, rutæque ſurculis ſimul decoctis. Aliud etiam laudatur, quod accipit corticis radicis mali punici dulcis, myrti, corticis cupreſſi, an. m. iij. gallæ immaturæ m. 1. aquæ cæleſtis, vel vini q. s. Bulliant, quo ad tertia pars, vel medietas abſumatur, pro decocto, in quo tepido inſideant mulieres per ſpatium duarum horarum ſemel vel bis in die. Parari quoque poterit decoctum pro inſeſſu in aqua vel in vino ex oleaſtro, lentiſco, rubo, foliis quercus, & ex glandis cortice, ex corticibuſque mali punici, ſumacho, vinaceiſque tritis æquis portionibus. Demum muliebria foveantur lanis ex poſca, aut ex vino auſtero nigro cum roſaceo aut oleo myrtino, vel melino madidis: vel ex aliquo decocto, aut ex ſucco rerum adſtringentium: pubi quoque & lumbis hæc eadem convenient: aut hiſce partibus applicentur emplaſtra, ſeu cataplaſmata ex herbis facultatis adſtringentis contuſis (cujuſmodi eſt intybum, plantago, equiſetum, portulaca, polygonum, rubus, & ſimilia alia) ex acetoque compoſita; aut ex earundem herbarum ſuccis cum farina vinaceorum, aut ſumachi fructuum, aut ſorborum immaturorum,

rorum, vel pyrorum ſylveſtrium in clibano ſiccatorum, vel malorum granatorum ſiccatorum, mixtis cum aceto. Aut parabuntur cataplaſmata ex malo cytonio, ex palmulis, aut ex malicorio, aut ex fagea glande, aut ex rubi ſurculis, aut ex lentiſci foliis, aut ex acacia cum farina hordei, & aceto. Atque hæc ſunt medicamenta cunctis ſanguinis profluviis laxum morbum facientibus convenientia. Reſtat, ut de aliis profluviis, ſcilicet excrementorum, agamus.

CAPUT XI.

De vomitu cohibendo.

DE vomitu immoderato nunc ſcribimus, quo homines cibum ſtomacho rejiciunt, & ex immoderata vacuatione vires maxime languent atque ita, ut cito eos in ſyncopem labi ſit periculum; hujuſmodi vomitio ſæpe fit à ſtomachi laxitate, aut à quavis cauſa ejuſce viſceris contentrice ſublata, aut expultrice valde irritata ab humoris copia, aut prava qualitate; à qua ſane cauſa proprie vomitum fieri omnibus fere fuit perſuaſum. Ceterum cum omnis vomitio immoderata, qua homines quicquam ſtomacho continere non poſſunt, vires maxime exſolvat (unde merito ſolutionis paſſio dicenda eſt) continuo ipſum fore cohibendum firmandumque Medicis indicatur, iiſque præſertim medicamentis, cum internis tum externis, quæ facultate quovis modo adſtringunt. Unde ſingula ſæpius ad alias laxas paſſionis præſcripta medicamenta erunt accommodatiſſima. Ex iis vero familiarius per os hæc uſurpari medicamenta tum ſimplicia, tum compoſita. Datur quidem ad vomitum firmandum ſuccus granatorum dulcium, & ſubacidorum, mica nimirum panis ſubtorrefacta eo ſucco imbuta; vel ſuccus mali cydonii, vel pomi auſteri, vel pyri acerbi, vel meſpili, vel fructuum cornus, vel berberum, vel rubi, vel mori nigri, & ſimilium: datur etiam ſuccus abſinthii ex vino auſtero, vel ſuccus menthæ; vel datur ex eodem vino corianum tritum cochlearis menſura, aut maſtiche trita, aut carpobalſamum, aut ſumachum, aut ſemen lactucæ, vel portulacæ. Poſſunt ex iiſdem

dem etiam compoſita parari: cujuſmodi (exempli gratia) erit, quod accipiet ſucci granatorum acidorum unc. iij. ſubacidorum, dulcium, an. unc. ij. ſucci menthæ unc. ß. coriani pulverizati, carpobalſami, ſumachi; an. ʒ. j. ß. bulliant, & expreſſioni addatur ſacchari optimi unc. j. dabitur ad duorum vel trium cochlearium menſuram, aut ab uncia una ad duas, vel tres. Exterius admodum utilia ſunt epithemata parata ex roſis ſiccis, abſynthio, mentha, caryophyllis tritis, maſtiche trita ex vino nigro odorato decoctis, aut ſupra ferrum candens, aut ſupra lapidem lateritium itidem candens incalefactis, & aceto aſperſis; aut ſupra fumum candentis, aut ferri, aut lapidis aceto aſperſi incalefactis. Ori autem ventriculi erunt adhibenda hæc epithemata. Non minus utilia itidem deprehendentur cataplaſmata quædam adſtringentia, quæ poterunt parari ex abſynthio, ſpica Indica, mentha, malicorio, palmulis, cytoniorum, vel pyrorum immaturorum ſubſtantia, cum pane torrefacto, atque aceto, vel vino nigro auſtero. Hoc plurimum commendatur, quod paratur ex pulpæ mali cydonii immaturi ſub cineribus cocti, & panis torrefacti tenuiſſime triti an. unc. vj. olei myrtini, de cytoniis, an. unc. j. ß., maſtiches pulverizatæ, carpobalſami, & ſumachi tenuiſſime triti, an. ʒ. j. Vini granatorum acidorum, acetique an. q. ſ. miſce, fiat cataplaſma: quod ori ſtomachi adhibebitur. Alii hoc non minus utiliter admovebunt, ſcilicet, quod recipit ſucci granatorum auſterorum lib. 1. ſucci menthæ unc. iij., ſumachi, maſtiches, gallæ, balauſtii, tenuiſſime tritorum, an. ʒ. j. ß. panis torrefacti tenuiſſime itidem triti unc. vj. miſce, fiat cataplaſma.

CAPUT XII.

De alvi profluvio cohibendo.

PEr alvi profluvium immoderatum Medici triplicem paſſionem intelligunt, ſcilicet lienteriam, cœliacam, atque diarrhæam. Hoc genus profluvii in pravorum excrementorum humorumve dejectione conſiſtit, & illa duo in alimentorum excretione. In lienteria cibus potuſque quales ſumpti ſunt, an-

te ullam, vel exiguam quidem factam concoctionem, celeriter poſt aſſumptionem ipſorum è ventriculo atque ex inteſtinis elabuntur. Galenus hunc affectum diabeti, in qua potus, ut bibitur, ita mingitur, abſque ulla mutatione, haud immerito comparavit. In cœliaco vero affectu alimenta itidem egeruntur, ſed ea non plane cruda, verum ſemicocta, corrupta, fœtida, quæ non celeriter, vel ſtatim, poſt cibi vel potus aſſumptionem, egeruntur. Archigenes hoc malum, cum lenia atque humecta excrementa dejiciuntur, eſſe voluit. Cœliaca paſſio dicta eſt à ventre, qui patitur; idcirco ventralis, atque ventricularis quoque dicitur, quod quidem ventriculi, aut ventris, nempe inteſtinorum, vitio fieri ſoleat. Aretæus hanc paſſionem cum diarrhœa confundit: & Paulus cum lienteria, quæ fit ab imbecillitate ventriculi; Aurelianus ventris fluorem atque rheumatiſmum vocavit. Lienteria vero dicta eſt ab inteſtinorum lævitate, qua veteres Medici inteſtina alimentum continere non poſſe exiſtimarunt, unde crudum ſtatim fere aſſumptum alimentum egeritur. Lævia autem redduntur, ſi à torminibus (auctore Aretæo) ſublatis, profundis ſuperiorum inteſtinorum ulceribus, crebræ, craſſæ, ſolidæque cicatrices contrahantur: unde ſtercora deorſum liquida ab alibili materia indiſcreta prolabuntur: Aut (ut Oribaſius credidit) ob pituitam craſſam, & lentam, frigidamque inteſtinis ita inhærentem, quod repleat rugoſas ſinuoſaſque ipſorum inteſtinorum partes: ex quo inducta lævitate cibus effluit. In hac paſſione dejectio eſt alba, liquida, fœtida, non conſiſtens, venter vero eſt flatuoſus, ructus fere aſſidui tetri odoris, flatuſque deorſum erumpunt humidi: homo gracilis, emaciatus, pallidus, & iners evadit, cum ambulat, membra labaſcunt, venæ temporum exſertæ ſunt, tempora concava, corporis eliquatio, os aridum, ſumma cutis arida, nihil ſudant; & ſimilia ex iis profluviis ventris homines patiuntur. Sed ad diarrhœam, quam alvi profluvium itidem omnes dixerunt, veniamus, quem affectum Aretæus, ut dictum eſt, cum cœliaca paſſione confudit: ſed profecto abſque ratione hoc factum videtur, cum id proprii inter ventris poſtuvia diarrhœa habeat, quod in ea non alimen-

menta dejiciuntur, ſed majori ex parte humores pravi: unde quædam diarrhœa dicitur bilioſa, quædam pituitoſa, quædam atrabilaris, & quædam mixta ex multis pravis humoribus, quia in ea complures varii humores excernuntur. Atque etiam hoc proprium diarrhœæ erit, ut perpetuo humores in ipſa, aut ex toto corpore, aut ex aliqua parte, ſcilicet ex cerebro, aut ex hepate, aut ex liene, in ventrem confluentes dejiciantur; quandoque critice, natura videlicet aliquando cacochymiam vacuante; quandoque à cauſa morboſa per viam ſymptomatis in ventrem delabuntur, atque exinde inteſtinorum excretrice aut à multitudine, aut à prava ipſorum qualitate irritata, per alvum excernuntur. Singula hæc profluviorum genera cauſas, à quibus excitantur, habent. In hoc conveniunt lienteria & cœliaca paſſio, quod ab iiſdem fere cauſis ambæ paſſiones oboriantur, ſcilicet, aut à ventriculi, atque inteſtinorum debilitate, qua excrementa continere nequeunt, ſive ea fiat ab intemperie aliqua, ſive à ſuperioribus inteſtinis, aut ab ulcerum cicatricibus multis, craſſiſque in ipſis factis, aut à pituita viſcida, & lenta rugoſas atque ſinuoſas inteſtinorum partes replente lævigatis; aut demum ab inteſtinorum expultrice irritata vel à multitudine ciborum propter obſtructionem in meſeraicis venis minime diſtributorum, vel ab humiditate multa aliunde confluente dilutorum; vel à prava excrementorum qualitate acri, humorum tenuium, ciborumve corruptorum, vel ex aliquo ulcere in inteſtinis. Etenim partes exulceratæ ex cibo tranſeunte vexatæ eum à ſe propellunt. Ex quibus quidem mirum haud erit, ſi lienteriam, atque cœliacam paſſionem unum ſpecie eſſe affectum, multis fuerit perſuaſum, meritoque confundendam cœliacam cum lienteria eſſe. A diarrhœa vero maxime diſtinguuntur, tum quia hæc ſit pravorum humorum profluvium, & illa alimentorum; tum etiam quod diarrhœa foveatur à cauſa adſtricta, ſcilicet ab humoribus pravis vel in toto corpore, vel in aliqua parte tumentibus; de quo affectu in poſtremo libro iterum agemus, quatenus ad affectus ex laxo & ex adſtricto mixtos refertur. Lienteria vero, atque paſſio cœliaca & laxus morbus eſt, & fere ex toto à laxa cauſa foveri videtur, exce-

pto quando ob venarum meſeraicarum aliquam obſtructionem alimentum multum non diſtributum in ventrem delabitur. Malum hoc & diuturnum plerumque eſt, & ſanatu adprime difficile. Quod ſi ſanare velimus, adſtrictoriis medicamentis opus erit, intus, foriſque uſurpatis. Itaque ex iis, quæ per os aſſumuntur, hæc erunt accommodatiſſima huic uſui, ſcilicet, panis cum ovi luteo ſubactus & toſtus aſſumptus: amylum, cum alica, aut ptiſana cocta, & cum lacte; folia plantaginis cocta cum aceto & oleo vorata; ovum itidem coctum induratumque ex aceto eſitatum; lens cum cortice, & cum plantagine cocta, ex aceto aſſumpta. De qua Dioſcorides ita habet. *Fælicior lenti contra alvi fluores vis eſt admixtis illi, cum in aceto coquitur, intybo, aut portulaca, aut beta nigra, aut baccis myrti, aut putamine punici, aut aridis roſis, aut meſpilis, aut ſorbis, aut cotoneis malis, aut pyris, aut palmulis Thebaicis, aut intybo erratico, quod cichoreum dicunt, aut plantagine, aut gallis integris, quæ poſt cocturam, abjiciuntur, aut uvarum rhois, quæ obſoniis inſperguntur: verum acetum cum ea diligenter percoqui debet.* Datur in cibis hujuſmodi fereulum. Complura ſunt, quæ trita tenuiſſimi pollinis modo ad ſiſtendam alvum obſoniis inſpergunturn, ut vinaceorum nuclei toſti, & triti, aſperſi; pyra ſylveſtria ſiccata, trita, itidem aſperſa; aut ſorba, aut meſpila, aut rubi fructus immaturi ſiccati & triti; lens itidem trita eodem modo, cortex mali punici, rhus obſoniorum, & ſimilia farinæ modo trita & obſoniis aſperſa. Quædam vero ut medicamenta exhibentur, veluti eſt ſuccus aut plantaginis aut menthæ, aut abſynthii, aut mali cotonii, aut ſorbi, aut meſpili, aut ſimilium: cum vino dantur quædam trita ad drachmam, uti eſt lens trita, rhus obſoniorum, cortex granati, albæ hederæ flores ex vino poti, acacia, itidem hypociſtis, rubrica ſinopica, terra Samia, ſtercuſque canis ſiccatum ex vino, cum maſtiche, aut cum galla trita, aſſumptum; aut cortex caſtaneæ, inter ſubſtantiam & corticem; aut membrana itidem quercus inter truncum atque corticem exiſtens; aut uvarum nuclei toſti, & triti, devorati, aut nuclei meſpilorum eodem modo triti ex vino epoti; vel pyrum ſylveſtre, vel meſpilum, vel ſorbum

In 2. lib. de ma. med. cap. 92.

bum ſiccatum tritumque eodem modo epotum; vel oxyacanthæ, aut pruni ſylveſtris fructus, aut berberis, vel rubi itidem fructus immaturi eodem modo ſiccati, & aſſumpti. Eodem quoque modo myrtilli, vel folia myrti ſiccata & trita ex vino epota juvant; vel oleæ ſylveſtris, vel œnanthes, vel menthæ, vel intybi ſylveſtris. Rhus etiam obſoniorum, balauſtium, & ſimilia adſtringentia, quæ ſuperius ſæpe meminimus, huic affectui conducent. Clyſteres quoque aſtrictorii vel ex vino auſtero roſis ſiccis alterato, aut plantagine, aut equiſeto, aut mentha, aut balauſtiis, aut ex vino per ſe ſolo nigro auſtero chalybeato, aut ex ſucco plantaginis, aut mentha, aut portulacæ, aut intybi agreſtis aut ſimilum, aut ex oleis ejuſdem facultatis, quale eſt omphacinum, roſaceum, myrtinum, melinum, aut ſimile aliud. At cum ſæpe hoſce clyſteres ſuperius etiam parcius magis præſcripſerimus, non eſt, ut in præſentia de iis aliud dicamus. Eodem modo & de externis, ſcilicet, inunctionibus, unguentis, & cataplaſmatibus, epithematibuſque tum liquidis tum ſiccis dicimus, ſcilicet illa omnia ſuperius deſcripta maxime ad hoc profluvium ſiſtendum congruere. E quibus ſatis familiare erit unguentum ex maſtiche tenuiſſime trita cum oleo maſtichino paratum, quo & os ſtomachi, & venter erit illinendus: quod efficacius erit, ſi fuerit additum modicum pulveris ſpicæ Indicæ, menthæ, & abſynthii: vel, ſi adhuc efficacius deſiderabitur, addenda erit aut acacia, aut hypociſtis, aut rhus obſoniorum, aut putamen granati, aut ſimile aliud. Præterea ad hunc uſum maxime conveniet ſpica celtica, phu radix, cyperus rotunda, carpobalſamum, nux myriſtica, baccæ juniperi, viticis, ſaliciſque. Ex iiſdem & cataplaſmata paranda erunt, quæ cum vino nigro auſtero, aut cum aceto, aut cum ſuccis liquidis adſtringentibus, oleiſque itidem adſtringentibus nuper expreſſis, atque ex farina aut thuris, aut maſtiches, aut lentis, aut hordei, aut rhois, aut nucleorum uvæ toſtorum, aut corticum granatorum, aut cytoniorum ſiccatorum, aut ſorborum, aut meſpilorum immaturorum, aut myrtillorum, aut ſimilium commode parabuntur: ex iis etenim cataplaſmata parata erunt accommodatiſſima ad

ventris hoſce fluores ſiſtendos ori ſtomachi atque toti ventri adhibita. Eodem modo ex iiſdem poterunt parari epithemata cum liquida, tum ſicca iiſdem extimis partibus tepida apponenda.

CAPUT. XIII.

De urinae profluvio, quod Graeci Diabetem appellant, tollendo, ſive cohibendo.

TAmetſi urinæ profluvium (quod Græci διαβήτην appellant) graviores quidam Medici Græci in renum imbecillitatem ex calida renum intemperie, aut ex humoribus acribus, vel ſalſis in renum ſubſtantia imbibitis factam, tanquam in propriam cauſam retulerint; atque exinde conſtare videatur, urinæ profluvium foveri ab adſtricta cauſa, & propterea non eſſe, ut paſſionem ſimpliciter laxam pertractandam, verum ut habentem quoque adſtrictam paſſionem (ſcilicet affectum inflammatorium) ſibi commiſtam: de quo miſto genere affectuum merito à nobis in proximo, & ultimo libro, agendum erit: nihilominus cum ab omnibus fere Medicis, ad hanc paſſionem tollendam, uſus medicamentorum adſtringentium, fluoremque cohibentium affectari videatur, ejus cognitionem, & therapieam hic ſatis apto loco tradi, & explicari poſſe arbitramur. Porro, licet à nonnullis in principio iſtius paſſionis quædam etiam laxantia præſidia, particulatimque tam venæ ſectio, pro modica molienda ſanguinis miſſione, quam purgantia, atque etiam ſudorifica fuerint ſatis commendata; quo tamen judicio in morbo fere dubio hæc præſidia præſcribantur, & conveniant relinquo doctis judicandum. Neque defuerunt viri doctiſſimi, qui putarunt urinæ profluvium nequaquam fieri à renum caliditate inſigni, aut à calidis humoribus (ut pleriſque ex antiquis Græcis viſum eſt) in ipſorum renum ſubſtantia imbibitis, at potius iſtius paſſionis cauſam referendam eſſe in imbecillitatem, laxitatemve venarum meſeraicarum, atque illarum præſertim, quæ ab hepate ortæ ad renes uſque tendunt, vo-

voluerunt: quod nimirum, ut in lienteria cibus nulla qualitate mutatus, propter ventriculi inteſtinorumque imbecillitatem, ſublata illorum viſcerum facultate contentrice, affatim celeriterque ad ventrem delabitur, egeriturque; ita in diabete aquea humiditas nulla qualitate mutata à ventriculo per venas meſenterii primo, & poſtea per hepatis venas laxatas ad renes, & ad veſicam affatim & celeriter defertur, mingiturque. Quo pacto non immerito Galenus lienteriam aliquando diabeti comparavit, in qua potus, ut bibitur, ita mingitur ſine ulla mutatione. In lib. 6. de loc. aff. cap. 2. Quod vero non à renum inflammatorio affectu (ut plerique voluiſſe viſi ſunt) urinæ profluvium fiat, eo potiſſimum argumento dubitare videntur, quoniam in renum inflammatione urinæ profluvium excitari, haud obſervatum eſt. Quinimo nullum Medicorum antiquorum ex iis, qui de renum inflammatiotione ſcripſerunt, legimus, qui urinæ profluvium inter ſigna renum inflammatorum pathognomonica propriave comprehendiſſe viſus fuerit. Porro ſi renes ob intenſam caliditatem, non humores modo venarum, ſed (ut omnes fere exiſtimarunt) etiam totius corporis immoderatius attrahere compellentur, in omni affectu renum inflammatorio idem facerent; quod cum neque in inflammatione eryſipelatode, qua renes immodico calore maxime ſemper incenduntur, non fiat, neque obſervetur, cui mirum erit, nos dubitaſſe, an renibus calida intemperie, cum præſentia acrium ſalſorumque humorum, affectis, diabetes fieri queat? Nam probabilius eſt, quod in dictarum, venarum, renum, atque veſicæ laxitatem hæc paſſio ſit referenda. Nobis ſolummodo conceſſum eſt, ſemel diabetem vidiſſe, in homine ſexagenario, qui de urinæ profluvio, atque de ſiti intenſa tantummodo conquerebatur, nequaquam autem de caliditate renum aut de aliquo dolore. Neque enim tantus calor in renibus accenſus eum latuiſſet, neque etiam dolore (qui neceſſario in renibus affectum inflammatorium conſequitur) omnino caruiſſet. Sitiunt vero non ex affectu illo inflammatorio, at præ immoderata aqueæ humiditatis per veſicam, aſſiduaque evacuatione, toto corpore areſcente, atque tabeſcente. Quare diabetes non videtur in affectum inflamma-

to-

torium renum esse referenda; at in laxitatem venarum mesenterii, hepatisque ad renes pervenientium, ipsorumque renum, & vesicæ. Hic affectus facile innotescit ex urinæ profluvio, & siti assidua, atque corporis totius habitu gracilescente, arescente, contabescenteque. Malum sane longum est, &, ni principio ei occurratur opportunis medicamentis, exitiale. Itaque cum laxus affectus sit, à causaque etiam laxa foveatur, ut tollatur præsidiis adstrictoriis opus habebit. Unde etiam vivendi ratio erit adstrictoria. Aër igitur frigidus atque siccus erit eligendus. Cibus vero crassæ substantiæ, solidæque, ne ejus serositas præ crassitie facile per venas laxas delabatur ad renes atque ad vesicam. Potus erit aut vinum nigrum, crassum, adstringens; aut aqua alterata coriano, aut uvarum nucleis, aut myrtillis, aut fructibus sumachi, aut plantagine, vel intybo, vel portulaca, vel polygono, vel simili alio medicamento facultatis adstringentis. Utilissima quoque erit ad potum aqua vel vinum ferratum. Quies conveniet, à motu erit abstinendum tum corporis tum animi. Somni erunt longiores. Carnes pro cibo convenient macræ, & crassi, ut dictum est, alimenti; cujusmodi sunt bovinæ macræ, caprinæ, leporinæ, aviumque montanarum: lac etiam siliceis lapidibus ignitis decoctum, chalybeatumque maxime conveniet in cibo assumptum. Ex oleribus vero intybum, portulaca, oxylapatum, plantago, mentha, & similia quæ superius non semel meminimus, utilia erunt: ex fructibus conducent omnes adstringentes, ut poma immatura, pyra austera, & sylvestria, cydonia, mespila, sorba, corna, mora immatura, castaneæ, atque nuces. Ex medicamentis autem dabitur polygoni succus, aut plantaginis, aut rubi, aut acaciæ, aut menthæ, aut absynthii, aut portulacæ, aut rubi, aut polygoni, aut hypocistidis. Non latuit vel etiam mulierculas usus (ad urinæ profluvium tollendum) cremoris radicis symphythi majoris, cujus etiam radicis pulvis datur utilissime ex vino nigro austero. Non minus effertur usus quarundam terrarum, cujusmodi est Lemnia, Samia. Nonnulli exhibent thuris masculi drachmam cum aqua absynthii. Ex compositis etiam commendantur pastilli de spodio, de terra sigil-

gillata, de balauſtiis. Ubi vero hiſce propoſitis remediis hoc malum non cedat, etiam ad narcotica (vulgo ſtupefacientia vocata) fore veniendum, non paucis viſum eſt: proptereaque dandum lac papaverum alborum, & nigrorum etiam cum vino: atque ex compoſitis phylonium Perſicum, aut theriacam recentem ad drachmam, cum aqua menthæ, vel abſynthii, aut cum vino nigro auſtero. Utiliſſimæ quoque erunt aquæ Villenſes, in agro Lucenſi, ad libras quatuor per plures dies epotæ. Syrupi etiam ad hunc uſum laudantur, de abſynthio, de omphacio, myrtinus, de ribes, & ſimiles alii. Demum ad jecoris regionem in hypochondrio dextro, & ad renes, omnia epithemata, unguenta, cataplaſmata in ſuperiori capite ad lienteriam, & cœliacam paſſionem deſcripta erunt adhibenda: néque minus inſeſſiones, quas ſuperius non ſemel ad alios laxos morbos accommodatos docuimus, huic affectui convenient.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS DE MEDICINA METHODICA

LIBER DECIMUSTERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De morbis mixtis ex adſtricto atque ex laxo eſſe agendum, & primum quot ſint hi affectus, qui mixtorum morborum genere comprehenduntur.

DEI optimi maximi beneficio tandem ad ultimum iſtius operis librum pervenimus, in quo à nobis propoſitum fuerat agere de iis affectibus, qui tertio morborum genere comprehenduntur, quique mixti ex laxo atque ex adſtricto dicuntur. Dari vero morbos mixtos ex adſtricto & laxo, qui, ad curationem inſtituendam, & laxandum & adſtringendum indicant, in tertio libro demonſtratum eſt. Namque (exempli gratia) cholera eſt morbus laxus, quia hoc malo corpus per vomitum atque per ventrem immoderatius purgatur, atque reſolvitur, ut merito ſyncopen accerſat, verumtamen fovetur à cauſa adſtricta, ſcilicet quæ multitudo eſt pravorum humorum alimentorumque corruptorum, vehementer irritans expultricem ad eam colluviem pravorum excrementorum foras protrudendam. Quæ cauſa, cum affectus adſtrictus ſit, indicat laxandum, ut mirum

rum non ſit, ſi nonnulli & vomitum aliquando, & alvi purgationem in hoc morbo adjuvent, laxantiaque aliqua propinant, cujuſmodi eſt aqua calida, oleum dulce, vel amygdalinum, vel hydrelæum, quod hoc malo affectis aliquando calidum exhibent. Contra, purgatio immoderata, quæ & per ſtomachum & per ventrem fit, quia nimirum paſſio laxa eſt, ideo & ipſa aliquando adſtringendum indicat: unde mirum itidem non eſt, ſi Medici, ne ex ea ægroti in ſyncopem labantur, eam purgationem quibuſdam præſidiis adſtrictoriis moderari, ac firmare aliquando ſtudeant. Quod & Paulus confirmavit, ita de hoc affectu ſcribens; *Sin autem perſeveret evacuationis impetus, venter concidat, pulſus minor, creberque evadat, cataplaſma adhibendum ex palmulis cum œnanthe, & acacia: præterea datur aquæ frigidæ cyathus.* Ex quibus colligimus dari morbum mixtum ex adſtricto & laxo, in quo pro curatione præſidia & laxantia & adſtringentia per ſe indicantur. Non tamen eodem tempore utrique affectui occurrendum ſimul indicatur; at urgentiori incumbendum eſſe Methodici voluerunt, ſcilicet, ut uſui laxantium præſidiorum Medicus incumbat, ſi adſtricta cauſa vel paſſio magis urgeat, adſtringentium vero ubi laxus affectus magis itidem urgeat; unde (exempli gratia) in cholera propoſita, cum evacuationis impetus minus urgeat, Paulus exhibendo aquam calidam, vel aliud ſimile, cum vomitionem, tum alvi dejectionem juvandam affirmavit; at contra, magis urgente evacuationis impetu, & per os frigidam aquam dando, & exterius adſtringens cataplaſma admovendo, impetum evacuationis firmandum conſuluit. Itaque in morbis mixtis urgentiori erit incumbendum. Nonnullis vero etiam viſum eſt, in hujuſmodi mixtis affectibus poſſe adhiberi medicamenta mixtæ facultatis, ſcilicet, laxatoriæ, atque adſtrictoriæ: quæ, inquam, eodem tempore adhibita utrique paſſioni, mixtæ ſcilicet ex adſtricto atque ex laxo, medeantur; de qua controverſia egimus in ſuperioribus libris. At nunc illud, quod ex hoc ſermone ſupereſt, abſolvamus. Patefactum enim eſt, dari morbos mixtos ex adſtricto & laxo, qui & laxatoriis & adſtrictoriis ſimul medicamentis, pro curatione facienda, egent; his igitur mixtis affectibus, Lib. 3. cap. 39.

ut dictum eſt, ſemper urgentiori erit incumbendum, altero tamen non neglecto; aliquando vero ſi tamen hoc commode fieri poſſit, utrique affectui mixto, nempe adſtricto atque laxo, medicamentis mixtarum facultatum adhibitis erit medendum; eo profecto modo, quo voluit Galenus medicamenta compoſita confici, quæ exterius cuti adhibita & laxare & adſtringere valent. De qua re, ut dictum eſt, ſuperius egimus. Mixti itaque ex adſtricto & laxo complures ſunt affectus, qui vel laxi ſunt, & habent alium adſtrictum, quo foventur, affectum conjunctum, ut eſt cholera; vel adſtricti habent itidem affectum laxum ipſis conjunctum, ut phrenitis, vel pleuritis cum hæmorrhagia, aut cum vomitu, aut cum alia vacuatione, quæ laxa paſſio eſt. At hiſce præmiſſis, dicamus particulatim omnes affectus mixtos ex adſtricto & laxo, de quibus in hoc libro à nobis agendum eſt, ab adſtrictis, qui habent laxum affectum conjunctum, exordientes. Morbi itaque adſtricti laxum affectum ſimul conjunctum habentes ſunt febres ardentes, ſynochæ maxime æſtuoſæ, hecticæ, atque tabidæ ex ulcere aut pulmonis, aut ſtomachi, aut inteſtinorum profectæ; tuſſis itidem cum ſputi evacuatione, ſputum ſanguinis, phthiſis, empyema, rupta vomica, ſyncope cum ſtomachica tum cardiaca, tremor cordis cum virium exſolutione. Demum febres omnes & putridæ, & diariæ, & phlegmones, & quivis alius affectus particularis adſtrictus, qui habeat conjunctam aliquam evacuationem inſignem, uti eſt ſanguinis fluor, vel ſudor, vel vomitus, vel alvi, vel urinæ, vel uteri profluvium. Laxi vero mixtam habentes paſſionem adſtrictam, ſunt vomitus violenti, cholera, diarrhœa, dyſenteria, fluxus hepaticus, profluvium muliebre, atque gonorrhœa. De his vero ſingulis in hoc libro agentes complura ſupponemus, quæ in curatione morborum & adſtrictorum, & laxorum ſuperioribus libris docuimus.

CAPUT II.

De curatione febrium ſynocharum, ardentiumque maxime aeſtuoſarum.

METhodum demonſtraturi, qua ex Methodica arte poſſimus mederi morbis mixtis ex adſtricto & laxo, primo de adſtrictis habentibus laxum quoque affectum conjunctum ſcripturi à febribus continentibus, quæ maximæ, æſtuoſiſſimæque exiſtunt, atque ab hecticis tabidis, colliquativiſque inchoabimus. Porro continentes febres, quæ ſunt ſynochæ, atque ardentes, quando vehementes ſunt maximeque incendentes atque æſtuoſæ, habent mixtum ſeu conjunctum affectum laxatorium, nimirum, qui eſt caloris innati, ſeu virium magna reſolutio; quique etiam fit, ut accurate in libro quinto docuimus, ab æſtuoſiſſimo, maximoque calore meatus internos immoderatius laxante, atque vitales ſpiritus, idcircoque & vires, maxime exſolvente. Quod vero febres nedum hæ continentes, at omnes quidem (tabidis exceptis) ſint morbi adſtricti, in ſuperioribus libris demonſtravimus. Itaque in hiſce febribus curandis, quæ, cum adſtrictæ paſſiones ſint, laxum tamen affectum conjunctum habent, tum laxatoriis, tum adſtrictoriis medicaminibus indigebimus. Sed cum in morbo mixto, ex Methodicorum placitis, urgentiori ſit incumbendum, accurate videndum erit, ad inſtituendam curationem, in hiſce febribus, an laxa paſſio urgeat vel adſtricta? Adſtricta eſt meatuum cum internorum tum externorum obſtructio, humoris copia, atque putredo, intra venas magnas adſtricta, unde Medici etiam Dogmatici in harum febrium principio (quo tempore nondum hæ febres nactæ ſunt calorem maximum, æſtuoſiſſimumque, quem ſequitur neceſſario laxus morbus) laxatoriorum præſidiorum uſui incumbere ſolent, quorum omnium præcipuum, maximumque laxatorium dicitur ſanguinis copioſa evacuatio. Adminiſtratio tamen horum præſidiorum, illarumque febrium curatio ex eo libro quinto, ubi diligenter, exquiſiteque de iiſdem tractavimus, petenda erit. Febribus autem laxatoriis præſidiis nihil

cedentibus, at ipſis maximo calore auctis, redditiſque æſtuoſiſſimis, Methodici ad uſum medicamentorum adſtringentium ſeſe conferunt. Nam febrili calore vires immoderatius reſolvente, laxus ſupervenit affectus, qui magis urget, quam adſtrictus, quod ab illo periculum impendeat, ne ſpiritibus vitalibus immoderatius digeſtis, in lethalem ſyncopem, quæ mors eſt, ægroti tandem labantur. Unde in hujuſmodi febribus ex omnibus adſtrictoriis medicamentis Medici unum maxime concelebrarunt, ſcilicet aquam fontanam frigidam illis largius propinatam. Quod genus præſidii apud omnes Medicos & Dogmaticos & Methodicos & Empiricos perpetuo ad haſce febres ardentiſſimas olim in magna exiſtimatione, atque uſu familiari, habitum eſt. Ideo nos quoque in hiſce febribus maxime æſtuoſis frigidam aquam fontanam, vel fluviatilem, ad libitum uberius hauriendam, audacter dabimus, præſertimque, (ut recte Galenus monuit) ſi æſtate hæ febres æſtuoſiſſimæ vigeant, aliquaque coctionis ſigna apparuerint in urinis, in hominibus robuſtis, atque potui aquæ aſſuetis. Contra vero in debilibus, neque potui aquæ multum aſſuetis aquam frigidam exhibere non erit tutum, maxime vero ſi febris non ſit admodum æſtuoſa ab uſu aquæ erit abſtinendum: cujus ratio eſt, quoniam hæc febris, cum non habeat maximum calorem, laxum quoque affectum, à quo adſtringentia medicamenta indicantur, ſecum junctum, mixtumque non habet; propterea cum in talibus febribus ſolummodo urgeat paſſio adſtricta, mirum haud erit, ſi curatio harum febrium ex laxantium uſu ſit ſperanda. Quibus autem præſidiis particulatim hæ febres opus habeant, & quomodo ſanari ab ipſis ægroti debeant, ex quinto libro, in quo accurate de ipſarum curatione ſcripſimus, ſtudioſi diſcent.

CAPUT. III.

De curatione febrium hecticarum, quae tabidae evaſerunt.

JAm vero & febris hectica, quæ jam tabem attigit, cum morbus mixtus ex laxo & adſtricto ſit, merito mixtis medicamen-

mentis, ſcilicet adſtrictoriis, & laxatoriis tollitur. Hecticam enim febrem eſſe adſtrictam paſſionem, ſuperius à nobis comprobatum eſt. Quod vero habeat & ipſa mixtam etiam paſſionem laxam, eo argumento cognoſcitur, quod in ea, quæ vere hectica dicitur (quoniam in ipſa febrilis calor jam humidum conſumere cæpit) ægroti profluvio laborent. Namque hectica in principio, cum nondum ejus calor in ſolidis partibus adſtrictus cæpit humidum liquare & abſumere, verius Græcis ſchetica, quam hectica dicebatur. Cum igitur in hecticis, quæ tabem jam attigerunt, fiat humidi ſubſtantifici colliquatio, atque evacuatio, quis non viderit, ipſam habere laxum affectum mixtum aſtricto? Unde, ut dictum eſt, hæc febris, ut adſtricta, laxatoria indicabit auxilia; ut fluida laxave, adſtrictoria; in tabida tamen adſtrictoria habebunt præcipuum uſum, cum in ipſa febre colliquatio, & humidi conſumptio ab igneo calore facta, magis urgeat in curatione. Hinc Medici omnes in iis hecticis tabidis utuntur adſtrictoriis; & inter ea, quæ per os ſumuntur, lac commendarunt epotum, aſinium, vel camelinum, vel equinum, vel caprinum. Conferunt quoque potiones frigidæ ex aqua hordeacea, aut portulacæ, aut lactucæ. At in cibo magis congruere videtur cremor ptiſanæ hordeaceæ; cum lacte ſeminum melonis. Potio apud Ægyptios ſatis familiaris eſt, quæ paratur ex lacte ſeminum melonis, cucumeris, anguriæ, portulacæ, papaveris albi, lactucæ, hordei, & ſimilium. Contundunt in mortario hæc omnia, & ex iis cum jure pulli, aut caſtrati, facta expreſſione, extrahunt lac, quod modice ebulliunt, atque cum ſaccharo candido, & aqua roſacea, hecticis exhibent. Omnes Medici etiam inter externa medicamenta concelebrarunt balnea aquæ fontanæ primo tepida, & poſtea frigida, quæ non niſi in robuſtis conveniunt: etenim in excarnibus, debilibuſque, aquæ frigiditas nedum non auget calorem innatum, ſed potius ipſum extinguit. Nobiles autem ſolent uti etiam balneis ex lacte, aut aſinino, aut equino, aut camelino, aut caprino. Utuntur inſuper inunctionibus frigidis, ex oleo violato, roſaceo, vel nenupharino, & ſimilibus, ad univerſum corpus, particulatimque ad totum tho-

thoracem, ad ventriculum, ad hepar, atque ad lumbos adhibitis. Quibus partibus admovere ſolent etiam frigida epithemata ex lacte, ptiſanæ hordeaceæ cremore, ſucco lactucæ, vel ſonchi, vel lenticulæ paluſtris, aut polygoni, aut portulacæ, aut ſimilium. Quare in hecticis tabem attingentibus, quod affectus laxus, qui in conſumptione humidi ſubſtantifici conſiſtit, febre ipſa, quæ adſtrictus morbus eſt, magis urgeat, majuſque periculum vitæ invehat (namque ni principio tabida affectio tollatur, malum poſt longum tempus exitium adfert) idcirco uſui adſtringentium præſidiorum plane erit incumbendum. Sed ex iis, quæ ad hunc morbum congrua ſunt, quomodoque iis ad colliquationem firmandam Medici uti debeant, & ad ſcheticam febrem, quæ adſtrictus morbus eſt pro curatione conveniant, accuratiſſime in libro quinto diximus, propterea ab eo libro ſtudioſus ea petere non gravabitur. Eodem modo tabidæ febres ex ulcere aut ſtomachi, aut pulmonum, aut inteſtinorum, aut renum, obortæ uſu adſtrictoriorum auxiliorum tractandæ erunt. At de ipſarum curatione etiam egimus, ubi de phthiſi ſermonem ſuperioribus libris inſtituimus.

CAPUT IV.

De febribus, phlegmonis, & aliis morbis adſtrictis, quae habent conjunctam aliquam evacuationem, ſanandis.

QUoniam & febres, & phlegmonæ, & alii particulares affectus adſtrictorum genere comprehenſi, ſolent ſæpius habere conjunctas evacuationes, aut ſenſibiles, aut inſenſibiles, laxum morbum facientes; hinc pro inſtituenda curatione eorum curativi ſcopi aut turbantur, aut plane in contrarium mutantur. Namque cum ad uſum tollendarum febrium, vel phlegmonum, laxatoria auxilia fuerint recepta, atque incepta, ſuperveniente his inſigni aliqua evacuatione neceſſe eſt propoſitos ſcopos laxatorios vel turbari, vel in adſtrictorios mutari. Turban-

bantur quidem ſuperveniente aliqua inſigni evacuatione vel inſenſibili, quæ per poros meatuſve totius corporis facta calorem innatum immoderatius evaporat; vel ſenſibili, cujuſmodi eſt ſudor copioſus, hæmorrhagia, aut menſtrua purgatio, aut hæmorrhoides, aut vomitus, aut ventris fluor. Aliqua enim harum evacuationum febribus, aut phlegmonis, aut alii morbo ex adſtrictis, ſuperveniente, vel una cum morbo ſimul oborta, prohibetur uſus magnorum laxatoriorum, quæ ab abſtrictis magnis morbis indicantur. Etenim etſi ex morbi eſſentia habita indicatione molienda eſſet ſanguinis evacuatio, per venam ſectam; nihilominus ſuperveniente evacuatione aliqua (quod vires ob eam cauſam non ferant alias evacuationes ab arte factas) aut non erit ſecanda vena, vel hujus loco ſufficiet modicum ſanguinem eduxiſſe, aut crurum ſcarificatione, aut cucurbitulis dorſi partibus cum ſcarificationibus admotis, aut ſanguiſugis ad hæmorrhoidas adhibitis. Nullo autem modo erit ſanguinis evacuatio, aut purgatio aliqua tentanda, ubi oborta evacuatio ita inſignis extiterit, ut vires maxime reſolvat. Quare evacuatio aliqua, uti dictum eſt ſuperveniens morbo adſtricto uſum laxatoriorum præſidiorum maxime perturbat. Sæpe vero ea in adſtrictoria etiam commutat, nimirum, ſi evacuatio obortaita immoderatius profluat, ut vires maxime reſolvat, corporiſque actiones lædat; namque coguntur Medici, in morbo adſtricto habente commixtum morbum laxum maxime urgentem, planè ab uſu laxatoriorum præſidiorum deſiſtere, atque uſum adſtringentium complecti, ut omnino laxus morbus ab immoderata evacuatione factus, qui virium reſolutionem minatur, tollatur; quibus ſane probe adſtrictoriorum uſu reſtitutis, ſublatoque laxo affectu, ſi amplius adſtrictus morbus perſeveret, rurſum ad uſum laxatoriorum medicaminum redeundum eſſet. Quo pacto vero, & quibus particulatim auxiliis utendum ſit, pro morborum adſtrictorum, atque laxorum curatione, ſuperioribus libris à nobis præmonſtratum eſt. At his præmiſſis præſtabit deſcendere ad particularia, ut cognitio curationis morborum adſtrictorum habentium mixtum alium affectum laxum, quoad fieri poteſt, illuſtretur. Profecto, ſi febri lipothymia, ob immo-

dicam meatuum cutis laxationem, aut ob ſudorem aſſiduum immoderatumque ſupervenerit, ne dum ab omnibus laxatoriis erit cavendum, verum etiam adſtrictoriis meatus cutis denſando prorſus incumbere oportebit. unde Medici aquam frigidam repente in faciem projiciunt, aut oxycratum frigidum, & per os quoque ſæpe frigidam vel aquam vel oxycratum propinant; alii dant ipſam frigidam cum omphacio, aut ſucco granatorum; eodem modo ad ſudorem cohibendum contegunt ægrotos tenui velamine, ut ab ambiente aëre frigido cutis meatus denſentur; alii linteo poſca frigida imbuto ægrotos cooperiunt; alii eandem vel aquam frigidam, vel poleam ex linteo toti thoraci, dorſo, collo, lociſque ſub alis repente adhibent. Si vero febribus vel phlegmonis ſupervenerit hæmorrhagia, vel copioſa menſtruæ, vel hæmorrhoides, eodem modo præſidia ad ſcopos curativos febrium, vel phlegmonum, quæ ſunt adſtricti affectus, accommodata, nempe laxantia, prohibentur, eorumque uſus perturbatur, quippe in immoderato ſanguinis fluore, omnino laxatorii ſcopi mutabuntur in adſtrictorios. Nam ſi immoderatius ſanguis ad deliquium ferme animi profluat, tunc coguntur Medici, ne ægroti in ſyncopem labantur, adſtrictoriis medicamentis hæmorrhagiam cohibere. Quæ vero adſtrictoria medicamenta hæmorrhagiæ ſupprimendæ conducant, nos in altero libro diximus. Ubi vero hæmorrhagia eſt moderata, quæ vires non ita exſolvat, ut actiones lædat, non omnino à laxatoriis Medici abſtinent, ſed aliquando iis utuntur. Sic in pleuritico puero Baſſanenſi, qui crebram habuit hæmorrhagiam, nos una cum Euſtachio Rudio, Equite perilluſtri, atque Medico hac noſtra ætate celeberrimo, qui ejus curæ ambo præfuimus, fælici cum ſucceſſu adhibitis cum ſcarificatione cucurbitulis inter ſcapulas, non ſemel ſanguinem eduximus. Quo laxatorio præſidio cito à phlegmone evaſit. Quare hæmorrhagia narium, vel alia ſanguinis evacuatio in febribus, in phlegmonis, vel in aliis morbis adſtrictis ſuperveniens, ſi ita moderata ſit, ut non lædat actiones, neque adhuc laxus morbus facta ſit, turbat ſane quadantenus laxatoriorum præſidiorum uſum, hunc tamen haud plane tollit. Qua ratione ſanguinis miſſio per ve-

nam

nam ſectam, quod eſt maximum omnium laxatoriorum præſidiorum, fieri quidem non debet, verumtamen ejus loco mitiora laxatoria ſunt ſubſtituenda, ut eſt ſanguinis evacuatio, quæ fit ſcarificatis cruribus, (quam vicarium venæ ſectionis præſidium eſſe in libris de medicina Ægyptiorum demonſtravimus) aut quæ fit adhibitis, cum ſacrifitione cruribus, coxendicibus, atque dorſi partibus inflicta, cucurbitulis, aut adhibitis hæmorrhoidibus ſanguiſugis. Eodem modo de medicamentis, quæ ventrem ſubducendo laxant, eſt ſentiendum, ſcilicet magna pharmaca non convenire, ſed clementiora, aut ipſorum loco (quod inter Methodicos Aurelianus maxime faciendum conſuluit) clyſteres laxatorios inſtituere. Sanguine vero, uti dictum etiam eſt, aut per nares aut per aliam partem corporis immoderatius profluente, cum laxus hic evacuationis affectus magis adſtricto urgeat, ne dum ab omnibus laxatoriis erit abſtinendum, at plane uſui contrariorum, ſcilicet adſtringentium, erit ſtudendum. Eodem modo etiam, ſuperveniente in iiſdem morbis adſtrictis vel vomitu vel fluxu ventris, Medici in curatione ſe gerere debebunt. Nam vacuationes per vomitum etſi fuerint moderatæ, uſum tum laxatoriorum & ipſæ quadantenus impedient, præſertimque magnorum, quæ ſunt venæ ſectio, crurum ſcarificatio, cucurbitulæ ſcarificatæ, purgantia, & alia ſimilia; hæc enim auxilia vomitus maxime impedit, ſive ſit criticus ſive ſymptomaticus, quominus adminiſtrari debeant, præcipue vero in febribus; omniumque etiam maxime, ſi vomitus, & ſi per ipſum facta purgatio fuerit moderata, tamen cum faſtidio, dolore, aut angore fiat. Ita enim in febribus ſi ſuperveniat, neque ulla ſanguinis evacuatio, neque ulla cathartica purgatio erit tentanda, quoad tum vomitio ceſſaverit, tum ventriculus robur receperit. Quod dogma etiam Galenus confirmare videtur, cum ita ſcribat: *An prius ori ventris proſpiciemus, ac poſtea ubi recte id habuerit, univerſum corpus, quantum res ipſa expoſcit, vacuabimus? mihi ſane ita videtur.* Tales igitur non paucos ſæpe vidimus, alios quidem interiiſſe, alios vero in ſummum periculum fuiſſe adactos, cùm eos vacuare, ventris ore nondum confirmato, Medici tentaſſent. Ubi vero & vomi-

In 1. ad Glauc.

vomitiones ſupervenientes in iis adſtrictis morbis ſint aſſiduæ, atque immoderatæ, ut de aliis immoderatis vacuationibus laxum affectum magnum facientibus dictum eſt, mutantur ſcopi laxatorii in adſtrictorios; unde cum adſtricto primario morbo laxus hic affectus magis urgeat, coguntur Medici uſu adſtringentium medicaminum eas vomitiones immoderatas firmare, eoque præſertim modo; & iiſdem ſane medicamentis adſtrictoriis, quæ nos ſuperiori libro ad vomitum cohibendum meminimus. Hoc idem dogma, ſi in iiſdem febribus itidem, aut in phlegmonis, aut in aliis morbis adſtrictis alvi profluvium ſupervenerit, eodem modo ſervandum erit, quo de vomitu nunc dictum eſt; namque ſi ipſum haud immoderatum ſit, turbabitur porro in morbo adſtricto uſus laxantium præſidiorum: quod ſi immoderatius profluat, omnem laxantium uſum tollit, & cogit Medicos uti conſtrictoriis, iiſdemque plane, quæ nos ſuperiori libro, ad tollendam lienteriam, & cœliacam paſſionem, ſcripta reliquimus. Ceterum nonnulli ſunt, qui damnarunt laxantia, nedum in magno alvi profluvio, ſed quinimo etiam in levi, quod tamen criticum ſit à naturaque critice noxios humores per alvuum excernente fiat. In hoc enim nullum ex laxatoriis aut vacuatorium aut purgatorium auxilium convenire Dogmaticis viſum eſt. Quod Galenus hiſce profecto verbis voluiſſe viſus eſt: *Quod ſi fuerit febris cum alvi profluvio, etiam ſi non ſit pro multitudinis ratione, neque purgare, neque ſanguinem mittere oportet: quicumque enim iis plus adimere neceſſarium fore putantes, aut ſanguinem mittere, aut purgare voluerunt, in graviora pericula ægrotum deduxerunt.* In quo dogmate haud plane ubique locorum Galenus ſibi conſtare viſus eſt, præſertimque, cum in Hippocratis aphoriſmis dixerit. *Ubi igitur* (inquit) *ſit, factave jam plane criſis eſt, omnia tum naturæ permittere, nec nos quicquam novare oportet: ubi vero imperfecta criſis eſt, id quod deeſt, addere convenit.* Paulo poſt: *Quod ſi aliquid ad perfectam criſim deeſſe videbitur, id addendum erit, noſtraque opera ſupplendum. Nam quæ poſt criſim relinquuntur, recidivos morbos faciunt.* Hippocrates vero longe melius hoc dogma judicaſſe viſus eſt, qui de quocumque profluvio cum critico tum ſymptomatico rem hanc eſſe

In 1. ad Glauc. cap. 14.

In 1. aphor. Hip. aph. xx.

eſſe intelligendam, inſinuavit his, quæ ſequuntur, verbis: *Alvo fluente, ſanguinem non mittito: nam ſi poſt venæ ſectionem fluor perſeveraverit, virtus imbecillior redditur.* Quare ſi in febre, vel in alio affectu adſtrictorio, alvi profluvium ſupervenerit, merito ut nuper diximus turbabit uſum laxatoriorum, quod affectus laxus ſit; atque ſi fuerit immoderatum, plane uſum illorum adimet, ita ut omnino Medici in hoc affectu cogantur ab omnibus laxatoriis præſidiis cavere, & iis contraria ſcilicet adſtrictoria ſubſtituere. Sed neque hoc noſtrum dogma turbabit, quod experientia cognitum ſit, in quibuſdam alvi profluviis ſymptomaticis Medicos fere omnes uti magnis etiam laxatoriis, cujuſmodi eſt ſanguinis evacuatio, atque purgatio. In quibuſdam enim dyſenteriis, vel doctiſſimi etiam Medici & ſanguinem mittunt, & purgatorium medicamentum aliquando propinant. Qua purgatione nonnunquam ad tollendas diarrhœas etiam Medici uti ſolent. At hoc fit, ut poſterius apertius docebimus, quod dyſenteria atque diarrhœa, licet laxi morbi ſint, tamen adſtrictum affectum, quo foventur, mixtum habeant, de quo affectu poſterius accurate etiam agemus.

CAPUT V.

De ſputo ſanguinis.

PEr ſputum ſanguinis Medici intelligunt ſanguinis excretionem quæ per os fit, ſed tamen cum tuſſi, cum & ſimplici excreatu, ut alias dictum eſt, à faucibus quandoque excreetur ſanguis, & vomitu à ſtomachi, & ventris regione excernatur: cum tuſſi vero rejectus emanat ab inſtrumentis reſpirationi dicatis, ſcilicet aut ab aſpera arteria, aut à pulmonibus, aut ab aliqua thoracis parte. Tametſi non perpetuo hoc eſſe verum deprehendatur, quando, ſi à capite deſtillet, cum irritatione quadam & tuſſi excernatur, ut qui ad aſperæ arteriæ caput defluat, iterumque ſurſum feratur. Itaque ſputum ſanguinis intelligunt ejuſdem fluorem cum tuſſi factum, de quo (quod majus ex eo vitæ diſcrimen pendeat) ſtudioſius Medici tractant.

Quibus vero à cauſis hic ſanguis exeat, & à quibus partibus, ſuperiori libro ſatis ſuperque dictum eſt. Unde illud unum erit de eo cognoſcendum, an ſcilicet ſit morbus laxus, vel adſtrictus, aut denique ex utroque mixtus. Habere affectum adſtrictum, neminem latet, cum fiat a multitudine humoris vas frangentis, aut ab humore ſalſo, vel acri erodente, cujus quidem adſtricti affectus ſolent eſſe ſigna, dolor pectoris, vel gravitas, tuſſis, atque mala reſpiratio. Laxum quoque patet adeſſe in ſputo ſanguinis morbum, etiamſi neque ſanguis immoderatius profluat, cum omnem ſanguinis vacuationem morbum laxum facere fere omnibus ſit perſuaſum, præſertimque ſi à venarum ruptura, aut exeſione fiat, quando hæc evacuatio, ni cohibeatur, auctior in dies magis ſit futura, & actiones corporis læſura. Hinc eſt quod omnes Medici cum Dogmatici, tum Methodici, tum Empirici, in quocumque ſputo ſanguinis ſoliti ſunt, ipſum adſtringentium medicamentorum uſu cohibere, & firmare; quod nimirum ex eo ſputo phthiſis periculum impendeat, atque tabis. Non tamen (ut alias demonſtratum eſt) quælibet ſanguinis eruptio evacuatiove, ni immoderatius profluendo vires exſolvat, corporiſque actiones lædat, laxus morbus exiſtit: neque enim hæmorrhoides, neque menſes moderate profluentes laxum morbum faciunt, ſed neque morbum quidem, niſi corpus lædant. At his propoſitis, ad curationem tranſeamus. Quæ indicabitur cum ab adſtricto affectu, tum a laxo, ſcilicet à ſanguinis fluore tabem futuram denotante: unde, cum non minus laxa paſſio urgeat, quam adſtricta, proinde æque tum adſtricto, tum laxo à Medicis incumbendum erit. Qua ratione mirum non eſt, ſi pro adſtricto tollendo omnes Medici corpus cum pharmacis purgatoriis, tum venæ ſectione, aut crurum ſcarificatione, aut cucurbitulis, aut ſanguiſugis adhibitis, laxare ſtudeant, tum frictionibus, tum inunctionibus, atque aliis hujuſcemodi præſidiis utantur laxatoriis. Galenus in matrona Romana, quæ ſanguinem expuerat, & ſanguinem ſecta vena interna dextri cubiti miſit, & catapotia ex colocynthide exhibuit, capiti thapſiam impoſuit, & complura alia, quæ laxatoria ſunt, præſtitit. Ceterum, non omittunt etiam adſtringentia, quæ tum

In lib. 5. meth. med.

per

per os exhibent, tum pectori admovent, ut nimirum ſanguinis ſputum (a quo & puris ſputum, & phthiſim atque tabem maxime timent) ſupprimatur, & tollatur. Quibus vero medicamentis fluor ſanguinis cohibeatur, nos accuratiſſime ſcripſimus in libro præcedenti, à quo libro petenda erunt particularia adſtrictoria medicamenta pro ſanguinis ſputo compeſcendo.

CAPUT VI.

De cholera, & cardialgia.

INter morbos mixtos ex adſtricto & laxo affectum choleram vocatum comprehendi, nuperrime inſinuavimus, quam eſſe oſtendimus immodicam ventris perturbationem ſupra infraque, in qua humores magno impetu, & moleſtia, cum per vomitum, tum per ventrem feruntur. Plerumque paſſio hæc fit ab inſigni ciborum corruptela, qua excrementa multum acria reddita valenter ventris expultricem movent, non ſecus, quam & venena per os aſſumpta facere ſolent. Qua ratione choleram, & magnam quidem, ex uſu fungorum venenatorum nos ſæpe obortam vidimus; fit etiam hic affectus à bilioſis acribuſque humoribus aliunde ad ventriculum confluentibus: non raro quoque ſymptoma febrium bilioſarum eſſe ſolet, à cardialgia neque cauſa, neque parte læſa differens, cum & in hac paſſione, ſcilicet cardialgia, humores acres, bilioſi, è venoſo genere in ſtomachum tranſmittantur, unde ægroti angorem ſtomachi patiuntur, nauſeabundique evadunt, atque anxii. Quod malum familiarius in æſtate ſolet comitari febres tertianas, atque ſemitertianas, nempe quas vulgus Medicorum duplices tertianas appellat. Quandoque vero ægroti ex hoc affectu ad animi deliquium, atque ad lethalem ſyncopen deducuntur: imo etiam hoc malo complures interemptos vidimus. Accedit etiam, quod cardialgia vexati, veluti in cholera fit, ſæpe in vomitus moleſtiſſimos incidunt, atque in ventris dejectionem. Quibus evacuationibus, vel ſeparatim (nunc vomitu, nunc dejectione) vel ſimul utriſque oborientibus, cum purgentur bilioſi acreſque humores, febris conquieſcere ſolet. Itaque colligamus ex iis, cho-

cholericam paſſionem eſſe acutiſſimam (uti dictum eſt) ventris perturbationem, in qua ægroti cum magno angore, & animi anguſtia, magnoque impetu excrementa vel ſumme corrupta, vel humores acres, bilioſos, & per vomitum, & per ventrem excernunt. Quorum evacuationem immoderatam in ægrotis primo laxum morbum facere, cuique noſtrum liquido conſtabit, nimirum, cum ex ipſa vires maxime exſolvantur, atque corpus plurimum patiatur. Quem affectum laxum foveri à cauſa adſtricta, quæ itidem morbum adſtrictum facit, intelligitur: unde mirum non eſt, ſi choleram & cardialgiam inter morbos mixtos ex adſtricto & laxo comprehendi dixerimus. Quare pro curatione inſtituenda, mixta erit indicatio, cum medicamentorum adſtringentium, tum laxantium. At, cum ex Methodicorum placitis conſtet, in morbo mixto urgentiori eſſe incumbendum, primo videndum erit, uter affectus in cholera, adſtrictusne, an vero laxus, magis urgeat; deinde ei contrariis quidem medicamentis mederi oportebit. Quod Dogmatici quoque facere videntur, quando (niſi evacuatio eo uſque fuerit immoderata, ut vires reſoluendo, corpuſque graviter lædendo, cohibentia requirat) cauſæ iſtius affectus (quæ eſt copia corruptorum, acrium, bilioſorumque excrementorum in tunicis ſtomachi adſtricta, infarctave) adimendæ ſemper operam navant. Methodici vero, tanquam morbo adſtricto, huic cauſæ laxatoriis incumbunt. Itaque ſi in hoc affectu evacuatio per vomitum, aut per ventrem, haud fuerit immoderata corpus maxime lædens, urgentior erit adſtrictus affectus, cui merito laxatoria medicamenta pro curatione opponentur. Inter quæ erit accommodata aqua moderate calida copioſius epota, qua vomitus provocatur: alii exhibent aquam coctam cum radice liquiritiæ; alii hordeaceam: eſt vero aqua calida tum per ſe ſola epota, tum cum ſyrupo acetoſo, huic affectui utilis. Eſt accommodatiſſimum etiam hydrelæum, oleum dulce, aut amygdalinum calidum, eodem modo ad ſemilibram epotum, atque ex eo vomitione provocata: non minus utile erit, jus pulli macrum ſine ſale paratum exhibere. Aliqui laudant decoctum althææ, aut fœnugræci, aut lini. Si vero humores

mores ad ventrem deſcenderint, præter clyſteres laxatorios ex ſupradictis oleis, vel decoctis confectos, nonnulli etiam medicamentum leniter laxatorium, uti eſt caſſia, vel manna, vel tamarindus, vel ſyrupus roſatus laxatorius, vel ſerum lactis caprilli exhibent: Avicenna aliquando etiam rhabarbarum exhibendum voluit. Ceterum, ſi laxus affectus ex immoderata evacuatione magis urgeat, uſus adſtringentium convenientior erit. Quo nomine, urgente ſcilicet hoc morbo laxo, cholera vexatis dant in potu aquam frigidam, vel decoctum aut roſarum, aut œnanthes, aut capreolorum vitis, vel exhibent ſuccum granatorum, aut dulcium, aut ſubauſterorum; aliquando offerunt micam panis eo ſucco imbutam, & quandoque (ni adfuerit febris) vino rubro auſtero madidam. Exterius quoque ſtomacho adhibent fomenta ex mentha, roſis, atque balauſtiis in vino auſtero decoctis parata, vel cataplaſma, quod conficitur ex palmulis immaturis, cytonio malo, ex œnanthe, myrto, vel ſimilibus, quæ pariter in vino auſtero, eouſque bullierint, ut mollia facta cum mica toſti atque triti panis contundi, atque applicari queant. Sic uſurpari poterit, quod omnibus Medicis vulgatiſſimum eſt, emplaſtrum de cruſtra panis varie concinnatum. Si plura quis ad hunc affectum deſideret, memoria repetat, quæ nos ſæpius ad laxos morbos commemoravimus.

CAPUT VII.

De Diarrhœa.

PEr diarrhœam illud ventris profluvii genus intelligimus, in quo humores pravi per alvum dejiciuntur. Unde ex humorum, qui excernuntur, varietate variam quoque diarrhœam eſſe neceſſe eſt; quædam ſcilicet bilioſa dicitur in qua bilis; quædam pituitoſa, in qua pituita; quædam melancholica, in qua humor melancholicus excernitur; & quædam varia, in qua varii ſimul humores dejiciuntur, unde dejectiones variæ, atque verſicolores redduntur, ſcilicet flavæ, lutéæ, virides, albæ, nigræ, rubræ, lividæ: at quandoque in ipſis hi omnes colores,

quandoque aliqui tantum obſervantur; & quandoque non mixtæ dejectiones, ſed ſynceræ ſunt, quippe aut flavæ, aut luteæ, aut virides, aut albæ, aut rubræ, aut lividæ, aut nigræ. Hujuſmodi affectus ratione profluvii excrementorum aut immoderati, aut diu durantis (quod vires exſolvat, corpuſque lædat) morbus laxus dicitur; quatenus vero fovetur à cauſa adſtricta, ſcilicet ab humorum multitudine partes internas replente, atque tumefaciente; ea ratione, profecto, morbum adſtrictum habere ſimul conjunctum, manifeſtum eſt. Unde pro curatione inſtituenda, mixta quoque indicatio medicaminum adſtrictoriorum, atque laxatoriorum elucefcit. Itaque, ſi alvi profluvium hominem immoderatius invaſerit, ut corpus maxime lædat, neceſſe erit, adſtringentibus uti medicamentis ad ipſum cohibendum, iiſque particulatim, quæ ſuperiori libro ad lientericum fluxum firmandum propoſuimus. Ubi vero fluxus fuerit moderatus, præſtabit adſtricto affectui incumbere medicamentis laxatoriis, ut non ſit mirum, ſi Medici aliquando medicamenta laxatoria exhibeant, cujuſmodi eſt rhabarbarum tritum cum aqua plantaginis, vel cum decocto tamarindorum, ad drachmam epotum, cum ſyrupi roſati ſolutivi unciis quatuor. Nonnulli exhibent aquam beatæ Virginis ad libras ſex cum tribus unciis ſyrupi roſati laxatorii. Hoc itaque modo diarrhœa, qui affectus mixtus eſt ex adſtricto atque ex laxo, erit curanda in via Methodica. Illam vero intelligimus cohibendam, quæ non critica eſt: criticam enim nullis egere præſidiis (cum potius conſervanda, & forte aliquando juvanda ſit) neminem Medicorum eſſe, qui neſciat, certo ſcio.

CAPUT. VIII.

De fluxu hepatico ſanando.

FLuorem ſanguinis, qui ſit tenuis loturæque carnis perſimilis, aut craſſus, nigreſcens, bituminiſque Judaici modo ſplendeſcens, abſque torminibus per alvum exiens, Medici fluxum hepaticum appellant. Qui fit (ut Galenus eſt auctor) aut ob hepatis imbecillitatem, aut ob calidam iſtius viſceris intemperiem

ſanguinem urentem; plerumque vero, propter obſtructionem in venis, diu ſanguis in hepate retentus plus juſto à calore in igneum mutato alteratus aduritur, craſſiorque & nigreſcens idcirco egeritur. Cum igitur ab iis cauſis fluxus hepaticus foveatur, merito eum mixtam eſſe paſſionem ex laxo & adſtricto, itidem dicendum eſt; hincque eſt, quod in curatione oculos ad utramque adſtringendi, nempe, & laxandi, indicationem Medicus dirigere debet, nam quemadmodum in aliis mixtis morbis dictum eſt, ſi fluor ſanguinis fuerit ita immoderatus ut graviter corpus lædat, neceſſe erit, tanquam laxo affectu magis urgente, omne ſtudium in uſu adſtringentium adhibere, ut talis fluxus compeſcatur; ea vero omnia, quæ ad compeſcendum fluorem ſanguinis per alvum congruunt, in altero libro ſedulo à nobis præſcripta ſunt. Ubi vero laxus hic affectus (quod neque confertim ſanguis egeratur, neque continue profluat) minus urgeat, adſtricto conjuncto affectui laxatoriis nonnullis præſidiis occurrendum erit. Unde merito Avicenna dixit, fluoris hepatici præcipuam curationem in apertione obſtructionum conſiſtere. Complura vero ſunt medicamenta ex laxatoriis, quæ Medici habent in frequenti uſu, ſcilicet de cocta, ſyrupi, trochiſci, fomenta, atque etiam purgantia. Datur (exempli gratia) decoctum abſynthii, agrimonii, hepaticæ, cichorii agreſtis, ſonchi, capillorum veneris, cum modico rhabarbari in eodem decocto per noctem macerati atque expreſſi: ex ſyrupis commendatur ſyrupus de tribus radicibus, de eupatorio, de mentha, atque omnium maxime de cichoreo Nicolai, cum rhabarbaro vocatus; ex trochiſcis vero, de eupatorio vocati, de rhabarbaro, de roſis, atque cyphei quoque dantur ad ſemidrachmam cum conſerva aut roſarum, aut florum roriſmarini, aut florum betonicæ. Sed demum etiam ex laxatoriis catharticis, non pauci ex clarioribus Medicis fuerunt, qui uſum rhabarbari, vel etiam agarici (quod hæc medicamenta adprime faciant ad tollendas hepatis obſtructiones) quam maxime laudarunt. Fomenta vero ex vino albo aquoſo, in quo ebullierint althæa, melilotus, chamomelum, agrimonium, & ſimilia, ſpongiis ad dextrum hypochondrium applicita erunt

probe accommodata. Hæc ſunt, quæ in hepatico fluxu, ſanguine haud immoderatius profluente, ex laxatoriis medicamentis, conveniunt, quandoquidem in morbo mixto ex laxo & ex adſtricto, ubi laxus minime urgeat, in aſtrictum tollendum Medicus laxatoriis incumbere debebit. Dogmatici vero quod idem videtur, dicunt, ubi fluor ſive fluxus non urgeat, cauſæ eſſe incumbendum. Cauſam autem iſtius affectus ex Methodicis plerique adſtrictum morbum faciunt.

CAPUT IX.

De Dyſenteria ſananda.

QUod profluvii genus per alvum Græci dyſenteriam appellarunt, Latini tormina, atque inteſtinorum difficultatem itidem dixerunt. Eſt vero hic affectus inteſtinorum exulceratio, ab humoribus ſumme acribus, abradentibus, mordentibus aut ſumme putridis progenita, à qua cum dolore mucus inteſtinorum primo egeritur mixtus cum acribus humoribus, inteſtina erodentibus, ſcilicet aut cum bile flava ardente, aut cum atra exuſta, aut cum ſalſa pituita; poſtea adeps intus inteſtinis adhæreſcens exiguo cum ſanguine excernitur; tertio ramenta interioris tunicæ inteſtinorum cum ſanguine ſimiliter dejiciuntur; demum vero, ubi dyſenteria jam præfecta eſt, perſeverante acris humoris corroſione, altiuſque ulcere depaſcente, caro & propria ſubſtantia inteſtini deraſa cum ſanguine excernitur. Plerumque hoc malum fit in æſtate, qua cum ob æſtuoſum calorem, tum ob fructuum eſum, bilioſi humores abundant; non raro tamen ob fluxum hepaticum, vel lienteriam, vel denique diarrhœam accidit, quando ſcilicet ex his affectibus acria excrementa prodeuntia diutius in inteſtinis commorata ipſa corrodunt, & exedunt. Signa autem dyſenterici fluxus erunt, ſi cum dolore egerantur primo muci mixti acribus aliis ſuccis inteſtina erodentibus cum ſanguine modico, mox adeps intus inteſtinis adhæreſcens, poſtea ramenta interioris inteſtinorum tunicæ cum copioſiori ſanguine, tandem caro & ſubſtantia inteſtinorum cum ſanguine copioſiore. Atque hæc dy-

dyſenteria perfecta dicitur, à qua nemo evadit: quoad vero ſola ramenta interioris tunicæ inteſtinorum deraſa egeruntur, curationis ſpes non adimitur, hæc enim curationi cedit. His vero præmiſſis, ad indicationes curativas deſcendimus, quæ procul dubio mixtæ erunt, ex laxa & ex adſtricta, cum dyſenteria morbus & ipſa ſit mixtus ex adſtricto & laxo. Etenim ſanguinis fluorem morbum laxum conſtituere, cuique ſatis notum eſſe arbitramur: humores vero acres corrodentes, inteſtinorum exulcerationem, inflammationemque morbum adſtrictum facere, cujus ſignum pathognomonicum eſt dolor inteſtinorum, quis non intelligit? Cum igitur hæc paſſio, quæ per ſe laxa exiſtit, habeat conjunctum affectum alium adſtrictum, quo fovetur, videndum erit (quod in aliis mixtis morbis ſingulis obſervari debet) an fluor ſanguinis immodice, aut nimium profluendo magis urgeat? quod ſi ita fuerit, ad ipſum cohibendum, adſtrictoriis medicamentis opus erit, iiſque profecto, quæ partim de aliis laxis morbis ſcribentes alias diximus, partim dicturi ſumus. Quia vero plerumque fit, ut in dyſenterico fluxu initio modica ſanguinis copia egeratur, ideo merito omnes, ad adſtrictum affectum tollendum, laxatoriis operam dant. Quoniam autem dolor aſſiduus & magnus, cum inteſtinorum ulcere, atque phlegmone, & ſanguinis, quæ fit in partibus exulceratis, defluxu, atque cum febre morbum quidem adſtrictum magnum ſubeſſe denotat, hinc eſt, quod Methodici, ſi vires ferant, etiam ſanguinis miſſionem per venam ſectam, attamen in modica quantitate, faciendam eſſe non dubitarent, ob adſtrictum morbum magnum, quo laxus fovetur, tollendum. A quo præſidio laxatorio magno, ſcilicet ab evacuatione ſanguinis, quæ fit per ſectionem venæ internæ in dextro cubito, neneque etiam ex Dogmaticis celeberrimi graviſſimique Medici abhoruerunt, quin imo rationibus non paucis, & quidem firmiſſimis, nobis demonſtrarunt, dyſenteriam cum febre aſſidua, atque dolore aſſiduo, facilius tolli, ſi ſtatim per venam cubiti dextri, ut dictum eſt, internam ſectam, aliqua ſanguinis evacuatio procuretur, ſcilicet, ut Dogmatici dicunt, ad divertendam humoris mordentis fluxionem, ad tollendamque partis

exulceratæ inflammationem, atque demum ad febrem atque ad dolorem inteſtinorum levandum atque compeſcendum. Nos quoque fatemur, non paucos ſimili dyſenteria vexatos, plurimum ab hujuſmodi præſidio laxatorio adjutos, alios vero innumeros, quod in hoc malo omiſiſſent ſanguinis evacuationem, in pejorem ſtatum redactos, tandemque extinctos fuiſſe. De qua re nos olim in libris de Medicina Ægyptiorum, ex Medicorum Ægyptiorum ſententia, plura ſcripſimus. Præter hoc præſidium laxatorium omnes itidem laudant purgationem (ad tollendam, ut ajunt Dogmatici, cauſam) vel clyſteribus, vel medicamentis leniter laxatoriis faciendam; familariſſimum vero habent medicamentum, quo aliquando ſemel, & aliquando bis in hoc morbo tollendo uti magna cum utilitate ſolent. Exhibent enim aquam Villenſem ex agro Lucenſi, vel Patavinam vocatam Beatæ Virginis, ad libras quatuor, cum ſyrupi roſati ſolutivi unciis quatuor, ita enim hujuſmodi aqua facilius excrementa acria ſubducit. Aliqui exhibent drachmam Rharbarbari pulverizati cum aqua plantaginis; alii myrobalanos citrinos pulverizatos, ad drachmam & ſemis, in aqua plantaginis diſſolutos, cum uncia julepi roſati: Chebuli etiam utiles ſunt ad pituitam ab inteſtinis detergendam. Sunt alii, qui eodem modo agarici præparati drachmam exhibent. At quid de uſu clyſteriorum, qui primas partes habent in curatione dyſenteriæ? an non complures parari ſolent? certe quidem: primo conveniunt, qui parantur ex libra aquæ hordeaceæ, aut cremoris ptiſanæ hordaceæ, cum duobus luteis ovorum atque ſacchari rubri uncia; verum, ad parandum clyſterem, ſi dolor plurimum excruciet, adſitque intus inflammatio, præſtabit lac caprillum vel vaccinum imponere: exempli gratia, accipe lactis caprilli lib. 1. lutea ovorum recentium n. ij., adipis hircini, butyri recentis an. ℥. iij., olei roſati unc. i. miſce pro clyſtere. Vel paretur ex jure capitis caſtrati & lacte, cum prædictis: ubi opus eſt deterſione, additur aut ſacchari rubri uncia, aut mellis roſ. ſimpl. unc. ij. Si vero ſanguis immoderatius egeratur, in prædictis clyſteribus ponunt lac coctum chalybeatum, addunt que ſucci

plan-

plantaginis uncias duas: vel in lacte, vel in jure vervecis ebulliunt aut folia plantaginis, aut roſas, aut cymas rubi, aut balauſtium, aut ſimile aliud adſtringentis facultatis medicamentum. Ceterum ad curanda ulcera inteſtinorum, ipſis primo, deterſis ſupradictis clyſteribus ex ptiſanæ cremore, cum melle roſaceo, aut ſaccharo rubro, luteiſque ovorum, paratis, utuntur poſtea ſarcoticis atque epuloticis: exempli gratia: Accipe lactis caprilli ferrati lib. 1. adipis hircini unc. ß., lutea ovorum n. ij. ſucci plantaginis unc. ij. boli Armeni, terræ Lemniæ, ſanguinis, draconis an. ʒ. j. miſce pro clyſtere, quo utuntur ad ulcera conſolidanda. Quandoque ad eundem ſcopum injiciunt vinum rubrum auſterum aut roſis, aut plantagine alteratum. Ad hunc uſum conducent omnia medicamenta adſtringenta, de quibus nos in præcedente, & proximo libro ſatis ſuperque ſcripſimus. His omnibus addenda erit victus ratio congrua, quæ in cibo ſit tenuis boni ſucci; ubi vero laxus affectus plus urgeat, ſcilicet ſanguinis profluvium, victus plenior conveniet, unde dabuntur ovorum lutea ſorbilia, carnes pullorum gallinaceorum contuſæ, aut jura ſtillatitia reſtaurativa vocata. Ceterum inter cibos dyſentericis maxime accommodatos, lac caprillum commendatur, vel etiam vaccinum, quando caprillum non habetur, coctum, atque chalybeatum: hoc enim nutrit, refrigerat, acrimoniam humorum obtundit, atque partes inteſtinorum exulceratas reſtituit, ipſaque inteſtina firmat, roboratque. In potu dabitur aqua, quæ cum coriandris ebulliit; aut ſtillatitia cum ſyrupo de roſis ſiccis, aut cum julep roſato; aut jus pulli ſine ſale macrum. Omnino enim à vino dyſenteria vexatos abſtinere oportebit: eo vero quod ſit ex granatis dulcibus, vel etiam ex ſubauſteris, in exigua quantitate uti poterunt.

CAPUT X.

De Gonorrhœa ſananda.

GRæci γονορροίαν ſeminis profluvium appellarunt, à γόνη, id eſt, à ſemine genitali, atque ῥεῖν, quod fluere ſignificat.

cat. Quæ paſſio eſt continuus ſeminis fluxus abſque ulla voluntate, & abſque ulla veneris voluptate, nullaque etiam accedente pudendi tentigine. Duplex vero hujuſmodi profluvium eſſe deprehenditur. Unum, in quo ſemen album, quod vere ſemen eſt, per pudendum effluit; atque alterum, in quo aut non ſemen verum, ſed humor excrementitius, aut ſemen infectum aliis humoribus, aut ſumme corruptum putridumve excernitur, cujuſmodi obſervari ſolet in Gallico morbo infectis. In hac ſemen nunc album, nunc pallidum, nunc viride, nunc ſanioſum apparet, citra ullum dolorem. Hæc Gonorrhœa ſanatu eſt difficillima, ordinariisque medicaminibus minime cedit; at ſolummodo (præter evacuationes, & purgationes) ſudorificis ex ligno Indo, ſalſa parilla, china, atque arundinis radice paratis, per plures, ut paulo poſt dicemus, dies factis tollitur. Hoc ſolum genus præſidii Gallicum morbum perfecte ſanat, nullumque lue Gallica infectum, qui probe eo ſudorifico fuerit uſus, vidimus non ſanatum. Neque hoc facit, ut multis Medicis, alioquin doctiſſimis, & celeberrimis, perſuaſum eſt, ex vi quadam ſingulari, qua adverſus hunc morbum agit, ſed à facultate valenter diſcuſſoria, qua lues illa digeritur; unde perperam ligni Indi decoctum, adverſus hoc genus morbi alexipharmacum illi appellarunt: qui tamen ſi dixerint, ipſum ex manifeſtis qualitatibus dici alexipharmacum, ipſis minime contradicemus. At vero quod morbum Gallicum occulta quadam proprietate alexipharmaca oppugnet, deleatque negamus, eoque præſertim argumento, quod abſque ſudore eandem luem Gallicam non ſanet. In hac igitur Gonorrhœa pravæ qualitatis, uti dictum, ſemen effluit modo flavum, modo ſanioſum, modo viride, nunc loturæ carnis ſimile, abſque ullo dolore, neque ex hoc profluvio corpora ita læduntur, neque ita cito contabeſcunt. In illa vero quæ vere Gonorrhœa dicitur, ſemen exit album, quandoque acre, cum veretri dolore, inflammatione, atque non raro cum febre. Quod profluvium ſeminis haud ſanatu eſt admodum difficile, quin imo ordinariis præſidiis, quæ modo dicturi ſumus, cedit. Oritur autem hic affectus, aut à ſuppreſſa copia ſeminis ob venerem intermiſſam, aut à phleg-

phlegmonoſo affectu partium ſeminalium, præſertimque pudendi, aut à cacochymia totius corporis, viſcerumque præſertim internorum, qua humores omnes pravam qualitatem nanciſcuntur, & per pudendum excernuntur; at ſæpiſſime ex contagio mulierum infectarum homines gonorrhœa Gallica afficiuntur. Ab illa gonorrhœa, quæ eſt ſeminis, facile ægroti liberantur, ſi in principio medicaminibus obſtiterint: quod malum ſi in longius protrahatur, corporis liquationem atque tabem futuram minatur. Alterum vero, quod vel cacochymum, vel Gallicum appellavimus, id mali habet, quod morbos, ſymptomataque graviora & periculoſiora itidem minatur. Etenim, ſi quando ex aliqua cauſa ceſſaverit, evanueritque, homines in ſæviſſimos dolores cum capitis, tum artuum, & in tumores, in puſtulas, atque in ulcera cruſtoſa incidunt. Quod pertinet ad morbi eſſentiam, dicimus gonorrhœam eſſe morbum adſtrictum, ſed laxum morbum mixtum habentem. De adſtricto, nulli dubium erit, ſi cauſas ex Dogmaticis ſpectaverimus, quæ ſunt, aut ſeminis multitudo, aut multitudo cacochymiæ, aut phlegmonoſa paſſio partium ſeminalium: quæ omnia Methodicis morbum adſtrictum faciunt. Quod vero etiam alium affectum laxum habeat conjunctum, à ſeminis evacuatione facile intelligimus. Hunc autem laxum affectum, ſcilicet ſeminis profluvium, uſque adeo parum urgere conſtat, ut prius commode poſſimus adſtrictæ paſſioni, quæ majus in curatione faceſſit negotium, totis viribus incumbere. In qua profecto curatione facienda à Dogmaticis (qui & ipſi morbum tollunt adſtrictum, nempe cauſas, quibus ſeminis profluvium fovetur) nullo pacto differemus. Hi enim à cauſarum curatione exordiuntur. Itaque, ut curationem aggrediamur, præſcribentes victus rationem, quæ erit tenuis, parcave, & eorum ciborum qui ſemen non generant, ſcilicet ſiccantis facultatis, uti ſunt aves montanæ, & carnes aſſæ, ſed hæ in pauca quantititate hoc malo affectis conceduntur; à vino aut abſtinebunt, aut aquoſo utentur, & vini loco aqua, in qua ſemia coriandri fuerint incocta, ſubſtituetur; ſi uſus veneris fuerit intermiſſus, denuo reſtituendus erit; excercitium quoque moderatum erit uti-

le. His vero præſcriptis, ad medica præſidia deſcendimus, in quibus primas partes ſanguinis evacuatio habet, quam moliri Medici debent per ſectam venam dextri cubiti internam; & ſi vires ferent, etiam in altero brachio vena eadem ſecta, eadem ſanguinis evacuatio repetenda erit. Non fiet tamen ſanguinis miſſio, ni prius lenitorium pharmacum fuerit præmiſſum: cujuſmodi erit caſſia cathartica Abiſſina, id eſt, corticis rubri ad unciam, & ſemis, cum coriandri pulverizati drachma; aut caſſiæ loco manna Calabrica, aut tamarindus, aut myrabolanus citrinus, aut ſyrupus roſatus ſolutivus, aut electuarium lenitivum conveniet. At exempli gratia hæc potio erit accommodatiſſima, quæ parabitur accipiendo ſyrupi roſati ſolutivi unc. iij. mannæ electæ unc. j. ß. pulpæ tamarindorum unc. ß. quæ pulpa tamarindorum in aqua cichorei fervente per noctem macerentur, & poſtea cum hoc percolato infuſo manna & ſyrupus roſatus diſſolventur. Medici ſingulo mane exhibent decoctum foliorum ſonchi, endiviæ, oxalidis, cichorei, & ſimilium, cum ſyrupo roſato, aut de roſis ſiccis, aut myrtino: & poſt aliquot dies, ut ajunt, paratis humoribus denuo purgant exhibentes, exempli gratia, aut caſſiæ ſolutivæ ʒ. x. rhabarbari pulverizati ʒ. j. ß. in bolis, aut in potione, quæ accipit rhabari electi ſcr. iiij. agarici trochiſcati ʒ. j. ſpicæ, cinnamomi; an. ſcr. ß. infundantur per noctem in ſucci roſarum unc. ij. & expreſſioni addantur ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. cum decoct. flor. & fruct. cord. miſce, fiat potio; aut dabitur, quod accipit rhab. electi in ſucco roſarum per noctem macerati & expreſſi ʒ. j. ß. ſyrupi roſati ſolutivi. unc. iij. ſeri lactis caprilli q. ß. fiat potio, & deinde ſuperhibantur ejuſdem ſeri clarefacti libræ tres. His ita præmiſſis, perſeverante gonorrhœa, exhibent ſingulo mane, per plures dies, lac caprillum calidum, cum modico ſaccharo, ad quatuor uncias. Inungunt renes unguento roſato, aut ſantalino, & jubent patientibus, ut inſideant in balneo aquæ dulcis temperatæ calidæ, in qua ebullierint folia malvæ, althææ ſonchi. Quibus quidem præſidiis Medicis niſi gonorrhœa ceſſaverit, tandem ad adſtringentium medicamentorum uſum (relicto morbo adſtricto atque ſine impoſito uſui laxatoriorum)

erit

erit divertendum, quæ cum intus, tum foris uſurpanda. Quæ profecto eadem erunt, quæ ſuperius, in capite de ſanguinis fluore per veſicam, & de diabete, nos profecto præſcripſimus. At quid de gonorrhœa cacochyma, & Gallica vocata, dicemus? eam ſane tanquam morbum adſtrictum laxatoriis tolli. Unde Medici & ſanguinem (uti dictum eſt) evacuant, & corpus accuratius præparant, & poſtea purgant exquiſitiſſime cum confectione Hamech, dantes (exempli gratia) aut caſſiæ ſolutivæ unc. j. confect. Hamec. ʒ. iiij. Miſce. Aut in potione, accipientes ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. confect. Hamec. ʒ. iiij. cum decoct. flor. & fruct. cord. fiat potio. Aut pilulæ dantur cochiæ appellatæ cum elleboro nigro præparatæ, ad drachmam & ſemis. Hic anteactis, inſtituunt Medici decoctum ſudorificum, quod ad minus per dies triginta ægroti aſſumunt, bis in die ſudando per horæ ſpacium, ſinguliſque decem diebus aſſumentes medicamentum ventrifluum, & purgatorium ex nuper dictis. Quo tempore tenuiſſima, quoad facere poſſunt, utuntur vivendi ratione; panis eſtur biſcoctus; carnes aſſæ illis, ſed parce conceduntur, quarum loco exhibentur amygdalæ dulces, piſtachiæ, paſſulæque. Decoctum vero ad hoc malum accommodatum ita parabitur: Accip. ligni Indi raſpati unc. v. ſalſæ parillæ unc. iiij. Cort. ligni unc. ß aquæ communis lib. xij. Macerentur ſpacio horarum xxiiij, & mox bulliant addito manipulo foliorum ſonchi, lupulorum, fumariæ, ad conſumpt. medietatis, & coletur pro ſyrupo: cujus dentur mane unc. x. & veſperi unc. viij. Deinde paratur decoctum, quo pro potu toto illo tempore utuntur loco vini. Accipe lignum Indum, ſalſam, atque corticem decoctum, adde aquæ libr. xvj. bulliant ad conſumpt. terticæ partis, & percolatum hoc decoctum ſervetur pro potu.

CAPUT XI.

De profluvio muliebri ſanando.

Gal. in 6. de loc. affect. cap. 5.

APpellant muliebre profluvium, quum univerſum corpus per ipſum expurgatur; id vero potiſſimum fit, ſi mulier laxis ſit carnibus. Quod vero in eo profluit, eſt nonnunquam rubra ſanies, interdum aquoſa, aut ſubpallida. Paulus autem inquit: excerni per uterum aliquando rubrum, veluti ſanguinis ſaniem; aliquando candidum, pituitæ ſobolem; interdum pallidum, bilis; nonnunquam vero aquoſum. Eſt vero (ut Paulus teſtatur) muliebre profluvium totius corporis, quod expurgatur, deſtillatio, variis quidem differentiis interſtincta, ita, ut aliquando rubrum excernatur excrementum, aliquando aquoſum, aliquando pallidum, & aliquando album obſervetur. Qua colorum varietate diſtinguitur, à profluvio menſtruo, quod in hoc ſanguis purus, & copioſior profluat; in illo autem ſanguis corruptus diverſorum colorum pro diverſitate ſucci abundantis. Diſtinguitur itidem, à gonorrhœa, quod in hac perpetuo ſemen album excernatur: Ex muliebri profluvio, loci genitales perpetuo madent humoribus colore variantibus, corpus diſcoloratur, cibum femina non ſentit, ipſumque faſtidit; difficulter ambulat, ægriuſque itidem reſpirat, oculos habet prætumidos, nunc cum dolore, nunc citra dolorem, aut cum exulceratione, ſordida aut pura, aut citra exulcerationem per uterum excernit. Galenus credidit fieri cum univerſum corpus per uterum expurgatur, utero nequaquam affecto: crediderim tamen fieri non potuiſſe, quin uterus exinde imbecillus factus ſit, adeo, ut ex imbecillitate hac proveniat, quod idem uterus haud quaquam humorem ad ſeſe decumbentem ſeu ex toto corpore deſtillantem propellere à ſe poſſit, ſed ipſum recipere cogatur. Hoc itaque malum facit multitudo pravorum humorum, ſed potius aquoſorum, atque ſeroſorum. Ni hoc malo mulieres cito liberentur, in cachexiam & in hydropem incidunt. Morbus eſſentia quam maxime cum gonorrhœa cacochyma convenit, quando quidem & ipſe eſt affectus mixtus ex adſtricto

ſto & laxo. Verumtamen cum laxus minus urgeat (niſi immoderate adeo materia profluëret, ut graviter corpus exinde læderetur, quo cogeremur uſum adſtringentium complecti) cum inquam, in hoc muliebri fluore, æque ac in gonorrhœa dictum eſt, adſtricta paſſio plus quam laxa, urgeat, hinc merito ab uſu laxantium exordiri curationem oportebit. De magno vero laxatorio, quod eſt ſanguinis evacuatio per venam ſectam, nihil cogitandum, quod neque morbus adſtrictus hic magnus ſit, neque vires ferant; propterea haud injuria Galenus curando Boethi Romani Senatoris uxorem diu hoc profluvio vexatam, ſanguinis evacuationem non commemorat, ſed eam prius medicamento prævalido (cujus modi eſt diacolocynthidos, & ſimilia purgantia, quæ alias ſæpe menimimus) probè à ſe fuiſſe purgatam refert; hoc autem facto, & corpore depurato, medicamentum accepiſſe diureticum ad ſuperfluam, tenuioremque humiditatem purgandam, evacuandamve per urinam; poſtea uſam eſſe mollibus frictionibus, inunctionibuſque ad humorem per cutem evocandum, digerendumque. Quibus præſidiis Galenus Boethi uxorem ſanavit, & ex iſta præclara curatione multum gloriæ atque lucri aſſecutus eſt. Sed quid de ſudorificis dicemus? Profecto nihil, purgato corpore, utilius eſſe poteſt, quam decoctum ſudorificum inſtituere, quale nos ſuperiori capite, atque alias ſæpe propoſuimus. Poſt hæc ad laxum quoque affectum deveniendum: ad quem affectum omnia cum externa tum interna adſtrigentia, quæ nos in cohibendo menſtruo profluvio accurate in altero libro diximus, erunt, utiliſſima. Sed inter hæc peſſus ex equiſeti ſucco eſt accommodatiſſimus. Non minus convenit ſuffumigium ex laneo panno, quem vulgus griſum pannum appellat, qui ſit infectus colore vere chermeſino. Accipiunt modicum hujus panni, & ſuper carbones accenſos ponunt, ex quo fumum bis in die excipiunt. Hoc ſuffitu vidimus nos non paucas mulieres ab antiquato muliebri profluvio plane ſanitati reſtitutas.

In lib. de præcog ad poſthumum.

FINIS LIBRI DECIMITERTII ATQUE TOTIUS OPERIS.

INDEX RERUM OMNIUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

Abluentia medicamenta quæ. 160
Abſceſſus quid. 461
Abſceſſus in renibus facti ſigna ex Galeno. 436
Acetum an per os conveniat ad ſputum ſanguinis. 710
Acida quomodo laxatoria dicantur. 629
Acria alvum movere. 160
—— quomodo alvum moveant. 683
Actuatio medicamenti frigidi quid ſit. 88
Actuationem frigidorum eſſe in corporibus nanciſci actualem frigiditatem. 87
Adamantis lapidis ad venena vis. 202
Adſtrictum & laxum qua ratione evidens dici Methodici voluerint. 38
——— atque laxum cur Methodici in ſpecies non diviſerint. 38
——— & laxum quomodo in corporibus dignoſcatur. 33
——— in meatibus internis, atque in externis factum quomodo cognoſcatur. 36
——— in meatibus cum ſenſibilibus, tum inſenſibilibus quibus ſignis cognoſcatur. 34
——— in corpore quibus ſignis innoteſcat. 17
Adſtricta cauſa morbum adſtrictum faciens quotuplex ſit. 124
Adſtrictum dari totius & partis. 44
Adſtrictus morbus, qui fit. 124
Adſtricti morbi genere qui affectus comprehendantur. 125
—— morbi genere an febres omnes comprehendantur. 126
Adſtrictum & laxum quomodo ex Galeno curationem indicet. 43
Adſtricti morbi habentes laxum affectum conjunctum quomodo curentur: 744
Adſtringentia medicamenta quæ ſint, & ipſorum differentiæ. 42
——— medicamenta ex ſtirpibus, quæ ſint. 190
——— quæ ex animalibus. 190
——— quæ ex foſſilibus. 190
Adſtringentium medicamentorum quædam leviter adſtringere, quædam fortiter, & hæc ad internos meatus; atque illa ad cutaneos adſtringendos uſum habere. 42
Adſtringentia medicamenta an viſcera roborent, 121
——— exterius adhibita partibus phlegmone vexatis, prohibere phlegmones reſolutionem. 123
——— medicamenta inflammatis partibus exterius adhibita damnaſſe medicos Methodicos. 124
——— medicamenta in principio morborum quorundam adſtrictorum convenire, & quomodo conveniant. 117
——— in principio quarundam phlegmonum cur conveniant. 118
——— non convenire principio phlegmonum malignarum. 119
——— non convenire principio phlegmonum in inguine, axillis & in partibus poſt aures poſitarum. 119
——— lieni obſtructo atque inflammato non convenire 425
——— an conveniant in febribus peſtilentibus. 311
——— qua ratione in angina morbo adſtricto conveniant. 407

Ad-

INDEX.

Adſtringentia ad ſanandas febres eſſe inutilia. 128
——— medicamenta ex accidenti laxare. 551
——— medicamenta ſanguinis profluvio utilia. 698
Ægyptii quali medicina olim uterentur. 2
Ægyptiis phrenitidem exitialem Demelmuja vocatam eſſe familiarem. 101
Ægyptii bis in menſe in balneo vomitu ſanitatis conſervandæ gratia uti ſolent. 234
——— quo vomitorio familiarius in balneis utantur 171
Ægyptios medicos ſervare diatritum. 53
Ægyptii inuſtione ſuſpirioſos ſanare. 625
Ægrotos morbum non ſentire quid ſignificet. 272
Aërem cur principium rerum aliqui poſuerint. 14
Æſculapium non ex Chirone Centauro, ſed ex Apolline ejus parente medicinam didiciſſe. 1
Æſculapium Romam peſte infectam ſolo uſu Theriacæ ſanaviſſe. 72
Ætas ex Methodicis an indicet ſanguinis vacuationem, 155
Aëtius de curſu ad hydropicos. 148
—— de uſu balneorum. 185
Aëtii medicamentum ad quartanam. 340
Affectus particulares cur evacuationes copioſæ non ſanent. 97
——— ad chirurgiam attinentes, atque à venenis, morſibuſque vel ictibus venenatis obortos non referri ad laxum & ad adſtrictum. 124
Agarici uſus ad febres periodicas. 327
Albertus magnus de lapide æetite. 202
Alex. Trallianus quæ ad quartanam laudaverit- 340
Alexipharmaca ad præſervandum à venenis. 203
——— quæ in febribus peſtilentibus conveniunt. 309
Alexandria Ægypti à quibus cauſis quotannis habeat febres peſtilentes. 301
Alienum duplex eſſe ſcilicet exſtrinſecum & intrinſecum. 56
——— intrinſecum quid, quotupleſque ſit. 56
——— extrinſecum quid, quotuplexque. 56
——— magnitudine loco & defectu dari. 56
——— indicare ſui ablationem. 57
——— loco incidat reſtitutionem. 57
——— defectu indicare repletionem. 57
——— magnitudine indicare aut diviſionem, aut omnimodam præciſionem. 57
Allii vis contra venena. 203
Aloe movet hæmorrhoidas. 168
Aloes præparatio varia. 233
Alvus quibus cibis laxa reddatur. 681
—— quibus medicamentis moveatur. 683
Alvi adſtrictæ medicamenta. 367
Alvum laxantia tam alimenta quam medicamenta. 232
Alvus à quibus cauſis cohibeatur. 680
Alvum cohibentia. 375
Alyſſum demorſos à cane rabido ab hydrophobia præſervare. 74
Amentia ferina quæ. 609
——— melancholica duplex. 609
Amentes qui ſint. 609
Amphimerinæ febris cognitio. 342
Anaphoneſis quid. 613
Andreas Laurentius de ſectionis loco in hydrope. 470
——— Laurentius de viis, per quas pus ex Thorace in renes & veſicam defertur. 498
Anginæ cognitio, & prognoſticum. 406
Angina occulta & apparens quæ. 405
Anginæ ſpecies. 406
——— cognitio. 405
Angina exitialis quæ. 406

Anginæ curatio. 407
Animalia ſingula habere proprios cibos atque medicamenta. 71
Animalia, quæ ſola tranſpiratione vivunt. 656
——— quæ reſpiratione atque tranſpiratione vivunt. 656
Animalia exſanguia, cur ſola tranſpirantione vivant. 656
Animi paſſiones laxantes. 142
——— paſſiones quæ adſtringunt. 143
——— paſſiones vehementes meatus denſare. 129
Antidotus Hippocratis. 207
——— Eſdræ. 207
——— Betarnem contra venena. 207
——— ex ſanguinibus. 207
——— Antiochi Regis Syriæ. 207
——— Moibani. 207
——— ex nucibus. 204
——— ex nucibus varii parandi modi. 204
——— Aſclepiadis. 207
Antimonii utilitas ad febrem quartanam. 340
Anthrax ſeu carbo quibus ſignis dignoſcatur. 520
Antipater medicus. 5
Antyllus de curſu. 148
Apocruſtica medicamenta ex Galeno in principiis phlegmonum qua ratione ſint utilia. 117
Apophlegmatismata medicamenta. 174
Apoplexiæ cognitio. 374
——— curatio. 375
Apoplexiam ſigna antecedentia. 375
Apoplecticis an phlebotomia conveniat. 375
Appetitum revocantia. 362
Appetitus caninus. 363
Apoterapeticæ exercitationis facultas. 328
Aquas poſſe veneo inſici. 201
Aquam à carne putrida poſſe reddi veneficam. 201
——— tepidam reſtinguere ſitim. 365
——— frigidam, & quo magis frigida, eo minus ſitim tollere. 365
Aqua frigida quomodo calfaciat. 83
——— frigida in quibus calefaciat, & in quibus refrigeret. 83
Aquam inſigniter frigidam in debilibus refrigerare, atque in robuſtis calfacere, & proinde morbos frigidos tollere. 83
Aquæ frigidæ occurſus aut vincit nativum calorem, aut colligit: colligit in robuſto calore, vincit in debili. 3
Aquam frigidam qui dabant febricitantibus, & qui non. 283
Aqua frigida large affuſa qua ratione ſanet dolores articulorum, atque alios affectus frigidos. 285
Aquam frigidam caloris repercuſſu calfacere in corporibus robuſtis. 285
Aquæ frigidæ in febribus large epotæ utilitates & noxæ. 285
Aqua frigida epota qua ratione febres ſanet. 286
Aqua frigida quando refrigeret. 287
—— frigida quibus ſit danda, & quibus non. 287
Aquam, quæ frigida eſt, in corpus aſſumptam calefieri, & poſtea corpus recalfacere. 87
Aqua frigida quomodo ſudorifica evadat. 180
—— frigida large epota qua ratione ardentes febres ſanet. 94
Aquam frigidam large epotam febres tollere & refrigerando & calfaciendo. 94
Aqua frigida quo pacto calfaciat, & frigidos morbos ſanet. 41
—— frigida epota quomodo affectui & adſtricto & laxo medeatur. 95
Aquam cur rerum principium aliqui eſſe crediderint. 14
Aqua frigida datur utiliter in ſyncope oppreſſis. 692

Aqua ſimplici ad movendum vomitum Æſopum uſum fuiſſe. 171
Aquam frigidam large epotam ſudorem movere. 179
Aqua frigida large epota cur in aliquibus febribus conveniat. 92
—— actu frigida epota cur ſanet febres maxime æſtuoſas. 92
Aquam non actu frigidam ſed tepidam eryſipelati convenire. 90
—— marinam eryſipelati non convenire, quia adſtringit. 90
Aquæ frigidæ occurſus in quibus innatum calorem augeat, & in quibus extinguat. 438
—— frigidæ potus an conveniat vexatis febribus peſtilentibus. 311
—— fluviatilis tepidæ ſtillicidium ad maniacos utiliſſimum. 612
—— Thermales ulceribus internis opportunæ. 518
—— Beatæ Virginis facultas & uſus. 160
Aquam Nili fluminis alvum movere. 160
Aquæ variæ ad febres continentes. 283
—— ſimplicis bonitas, & cognitio. 283
—— Nili fluminis in Ægypto uſu corpora gracilia bonum habitum nanciſci. 284
—— frigidæ uſus ad febres ſynochous ardenteſque. 284
Arbores habentes umbram venenoſam. 201
Archagatus Medicus. 2
Archigenes Apameus Methodicus. 6
—— de medicamentis ſerpentes ruganti-bus. 209
—— de medicamentis ad quartanas. 339
Aretæus quæ dabat ad purulentiam purgandam. 501
—— voluit lac triduo bibendum, priuſquam in epilepticis caput cantharidibus fricetur. 602
Ariſtoteles de purgatoria vi medicamentorum. 163
Ariſtotelem voluiſſe ex inimicitia medicamenta attrahere humores. 163
Ars tuendæ ſanitatis quid promittat. 211
Arthritidis cognitio, & prognoſis, & curatio. 533
Artis tuendæ ſanitatis utilitas. 211
Aſari uſus ad quartanam. 340
—— radicis facultas purgatoria. 173
Aſclepiades antiquorum medicinam mortis meditationem vocavit. 258
—— de uſu balneorum. 184
—— inſanos vinculis eſſe coërcendos voluit. 613
—— quid de phlebotomia in paralyſi ſenſerit. 584
—— de humorum purgatione à catharticis. 163
Aſſæ fœtidæ vis ad tollendas febres. 327
Aſſyrii quali medicina olim uſi fuerint. 2
Aſthmatis cognitio. 623
Athenæus de ruta adverſus venena. 203
Atomos & vacuum qui poſuerint pro rerum principiis. 15
Attalus Methodicus Galeni contemporaneus. 6
Auctor libri medici de prophylactice. 193
Auctorem operis cicuta bis fuiſſe venenatum. 201
Auctor operis fluore ſanguinis per os quando & quomodo vexatus. 718
Avenzoarem trimo filio ſecta vena ſanguinem miſiſſe. 156
Avicennæ interpretem deceptum in cognitione ſcarrificationis cruram. 157
Avicenna de ſignis febris peſtilentis. 303
Avicennæ ſuffumigium pro fugandis ſerpentibus. 109
Aurium perforationis utilitas ad ophthalmicos. 526
Aures cera obturatas maxime facere ad firmandam hæmorrhagiam. 699
Aurium doloris cognitio. 557
—— dolorem mitigantia. 557

Aurium inflammatarum cognitio, & curatio. 401
Austera & acida maxime facere ad excitandam ciborum appetentiam. 629

B.

BAlani emollientes alvum. 233
Balneorum usus quibusque utilis. 186
Balnea quos morbos sanent. 186
—— ad dolorem capitis, stillicidiaque. 556
—— aquæ dulcis febribus diariis conducere. 662
Balneorum usus ad febres. 662
Balneum tepidum ex aqua dulci ad maniacos utile. 612
Balneorum in hecticis usus qualis. 352
—— usus ad quartanam. 341
Balnea frigida in quibus conveniant hecticis. 354
Bassanensis puer pleuriticus cum hæmorrhagia sanatus. 746
Bechica medicamenta. 176
Bilis atra à quibus causis fiat. 333
Boëtii Senatoris Romani uxorem profluvio uteri vexatam. 149
Bolus Armenus. 203
Brassicæ jus ad alvum laxandum quomodo paretur. 232
Brassica marina. 170
Βραγχος, seu vocis raucitas à quibus fiat. 619
Bubones non admittere usum adstringentium. 119
Bulimus quid. 363

C.

C. Aureliani libri qui habeantur. 9
C. Aurelianum Galeni non meminisse. 8
C. Aurelianus de vomica in pleura sectione sananda. 562
C. Aurelianum ex Methodicis nusquam in phlegmonis curandis laudavisse usum adstringentium. 118
—— —— in phlegmonis damnasse usum medicamentorum adstringentium, quod strictura augeant. 118
—— —— in principio dolorum arthriticorum usum fuisse medicamentis adstringentibus. 119
C. Aurelianus reprehenditur, quod dixerit aliquam phrenitim fieri a solutione. 390
—— —— de cursu. 148
—— —— deambulationem utilem insaniæ & asthmati cognovit. 147
—— —— deambulationem ad quos morbos laudaverit. 147
—— —— de purgantium medicamentorum incommodo. 103
—— —— de usu ellebori in epilepticis. 601
Cacochymiæ observationem non facere ad lassitudines sanandas. 246
Cacochymiam quæ adimunt. 237
Cacoëthiam partis tolli sinapismo. 63
Cachexiam partis tolli sinapismo. 63
Cadmus Agenorides medicinæ auctor. 1
Cæliaca passio quid. 730
Cæliacum cum lienteria unum esse affectum. 731
Caliditatem vehementem meatus densare. 129
—— agere rarefaciendo, & hoc modo in animalibus morbos simplices facere. 81
Caliditas quomodo calidum morbum faciat. 83
Caliditatem insignem pestilentiam facere posse. 299
Calor febrilis à quibus accendatur. 258
Calorem accendi ex motu corporis animique. 258
—— accendi, à motu, putrefactione, à caloris vicinia, pororum obstructione ab usu esuque calidorum. 259
Caloris naturalis extinctionis causæ. 691

Calor qualis in febre quotidiana. 343
—— qualis in febre peſtifera appareat. 303
—— febrilis in phrenitide. 389
Calorem æſtuoſum in febribus quæ tollunt. 253
Calor partis quando ſuppurationem notet. 468
—— qui ſuppurat tumores qualis ſit. 463
Calculi in renibus dolor. 567
Calculos aliquando per tuſſim excretos. 618
Calculatio quid. 638
Cantharidum vim ab exterius ferri ad veſicam ex Aretæo. 602
—— uſum pro parandis veſicantibus eſſe fugiendum. 188
Cancros fluviatiles uſtos cum gentiana præſervare homines demorſos à cane rabido ab hydrophobia. 74
Caput à quibus cauſis doleat. 549
Caputpurgia per nares. 235
Cardiogmos quid. 560
Cardialgiæ in febribus curatio. 375
Caros quid, ſupervenire febribus ſemitertianis. 589
—— quomodo differat à comate atque lethargo. 589
Caſſiæ Ægyptiæ conſideratio. 166
Καταῤῥῆξις ſeu deſtillatio quid. 619
Cathartica medicamenta an laxent. 139
Catoches & cataleptis cognitio. 590
—— nomina varia unde. 590
—— ſigna. 591
Catoche correpti caſus ex Galeno. 591
Catochus in febrium acceſſionibus ſemper exitialis. 593
—— in quibus differat à lethargo, apoplexia, à ſyncope, & à præfocatione uteri. 594
Catoche à vermibus. 594
Catochi caſus ex hæmorrhagia ſublatus. 594
—— curatio. 594
Cataplaſmata ad vomitum ſiſtendum. 729
Cauſæ conſervantes ſymmetriam membrorum, an præſervent à morbis ſimplicibus, atque ab aliis in organicis conſtitutis. 215
Cauſarum obſervationem in curandis laſſitudinibus non eſſe neceſſariam. 246
Cauſæ febris tertianæ nothæ. 321
Cauſæ febris peſtilentis. 299
Cauterii uſus ad inſanos. 613
Chamædryos vis ad tollendam obſtructionem. 635
—— vis ſingularis ad quotidianam. 346
Chamomeli laus ad tollendas febres. 326
Chamædryos ad febres periodicas vis mirabilis. 326
Chamomelini olei utilitas ad laſſitudines. 248
Chiron centaurus cæpit herbarum vires in ſylvis obſervare. 1
Cholera quid ſit, cauſæ, atque curatio. 751
—— in quo differat à cardialgia. 751.
Choleram eſſe morbum mixtum ex laxo & adſtricto, quomodoque curetur. 738
Cholchicum Græcorum quid ſit. 170
Cauterii uſus ad epilepticos. 602
Cauteria plurimum juvare ad capitis antiquum dolorem. 556
Cauterium candens in occipite pueris epilepticis an conveniat. 600
C. Celſus de laxatoriis præſidiis. 136
—— —— de præſidiis adſtrictoriis. 189
—— —— de mittendo ſanguine in pueris atque in ſenibus. 155
—— —— de utilitate deambulationis. 147
—— —— contra Methodicos, quod cauſa morborum indicet curationem. 116
C. Celſum deceptum fuiſſe, qui credidit febrem ex ebrietate ſublatam fuiſſe ex epota aqua tanquam præſidio à ſola cauſa indicato. 116
Centaurium minus. 170
Cephaleæ & Cephalalgiæ cognitio. 549

Cephaleæ ſigna ex Aureliano. 549
Cerebri phlegmone vexati ſigna; & curatio. 395
Cibi alvum laxantes. 232
—— venerem moventes. 687
Ciborum inappetentiæ cauſæ, & curatio. 362
—— appetentiam cibis acidis, auſteriſque excitari. 629
Cibi appetentiam humores facientes. 629
—— faſtidii cognitio & curatio. 629
Ciborum temperantia quantum poſſit ad ſanitatem tuendam. 237
Cibi apti ad conſervandam ſanitatem. 228
—— in febribus convenientes ex Ægyptiis. 278
Cibus ad febres tertianas. 318
Cibandi ratio in morbis. 278
Cicutæ venenum. 201
Circuitus dari ex Hippocrate quartanos, quintanos, ſeptimanos, atque nonanos. 333
—— quintanos & ſeptimanos certos ac diſtinctos non dari ex Galeno. 333
Circuituum in febribus variorum ratio. 333
Circumforanei quomodo venena aſſumunt per os innoxie. 197
—— quibus dolis decipiant adſtantes, ut credant illos habere alexipharmacum contra omnia venena. 197
Claudium imperatorem fungis mortuum. 201
Cleophantus Medicus. 184
Clyſteres emollientes. 233
Clyſteriorum uſum Methodicos uſui purgantium lenientium prætuliſſe. 162
Clyſteres deterſorii quibus parentur. 500
—— ad alvi fluorem cohibendum. 719
Clyſter ad quartanam ſingularis apud Ægyptios frequentatus. 342
Clyſteres in dolore colico. 565
Cnicus. 174
Coaguli cervini vis contra ictus ferarum venenoſarum. 208
Cocognidium. 170
Coëundi impotentia quomodo reſtituatur. 687
Coctione magis quam purgatione febres eſſe tollendas. 290
—— potius quam purgatione cur in quartana febre ſit agendum. 336
Colicus dolor quibus ſignis cognoſcatur. 563
Colliquatio in corpore quot modis fiat. 349
Colicus dolor hydropem quando minatur. 565
Colici doloris curatio. 566
Coli phlegmones curatio. 432
Colochynthis. 170
Cognitionem corporis naturæ, ætatis, ſexus & aliorum ſimilium pro inſtituenda curatione non eſſe neceſſariam. 117
—— ætatum, naturæ, ſexus, cæli, ſtudii, conſuetudinis & aliorum non facere ad indicandam curationem. 80
—— pro indicanda curatione, partium læſarum naturæ, cauſarum, cæli, anni temporis, regionis, ætatis, ſexus, & ſimilium parere confuſionem, eſſeque ſuperfluam & inutilem ex Methodicis cognitum fuiſſe. 105
Communitates Methodicorum quæ fuerint ex Galeni libris. 11
—— activæ, & paſſivæ quæ. 12
—— Methodicorum in chirurgica parte medicinæ. 125
Communitas chirurgica præcipua eſt, quod alienum ſit, indicare ablationem. 12
Communitates Methodicorum quas in medicina, chirurgia & prophylactica obſervandas duxerunt. 56
—— quæ in chirurgica. 56
—— in medicina prophylactica quæ ſint. 75

Com-

Communitas in medicamentis delcteriis quæ. 12
Communitates Methodicorum in prophylactica. 12
Concoctio quid. 462
Concubitus utilitas. 153
—— intermiſſus quos affectus hominibus inducat. 684
Conſtantini ſuffumigium ad fugandos ſerpentes. 109
Conſtipationis cutis cauſæ, & curatio. 661
Conſtantinus Africanus quæ ad quartanam commendavit. 339
Continentium febrium curatio. 276
Convulſionis cognitio. 604
—— ejuſque ſigna ex Aretæo. 604
Convulſis quæ conveniant. 606
Convulſiones in phreniticis lethales. 392
Cor an queat ferre putredinem. 300
Cordis ſubſtantia in febre peſtifera an putrefiat. 300
—— palpitationis cognitio. 625
Cor paralyſi tentari. 582
Corpora gaudere ſanitate quoad meatuum ſymmetria ſervatur. 19
—— excrementis multis ſcatentia magnum numerum vixiſſe ſana, quoniam ſervata in ipſis fuerat naturales meatuum apertio. 20
—— incalefacta refrigerataque laxatoriis balneis, & inuctionibus ſanari. 27
—— denſitate & duritie firmiora reddi. 13
—— cutem denſam habentia pati ab internis. 21
—— cutem raram habentia pati ab externis. 21
—— ex Hippocrate rarioris cutis ſaniora, & denſioris morbidiora eſſe. 21
—— fluida fieri oportere pro molienda purgatione quomodo ex Hippocrate intelligi debeat. 172
Corpus ſanum quale ſit. 192
Coxendici doloris curatio. 541
Καῦσος ſeu gravedo quid. 619
Creinores varii ad febricitantes nutriendos. 279
Critica icteritia quibus diſtinguatur à non critica. 366
Critonem obiiſſe poſt inſignes habitas evacuationes. 99
Crurum ſcarrificationis uſus in febre peſtilente. 307
—— ſcarrificatio quibus ſit utilis. 157
Cucumerum uſum valde facere ad peſtilentium febrium generationem. 300
Cucurbitularum uſus ad colicum dolorem. 567
—— uſus pro evacuatione ſanguinis. 158
—— uſus ad amentes. 611
Culinæ cura pro præſervatione à venenis. 199
Cucurbitulæ quo pacto adhibendæ, ut æmulentur ſanguinis vacuationem quæ fit vena ſecta. 308
—— ſcarrificationem crurum imitantes. 308
Cucurbitularum uſus ad epilepticos. 602
Curationis modus olim apud antiquos frequentatus ad finiendas febres periodicas. 325
Curatio an ab adſtricto atque laxo indicetur. 43
Curationem ab affectibus indicari. 48
—— non indicari ab affectibus qua ratione cognoſcatur. 48
—— non indicari à parte læſa, à natura corporis, ab ætate, à vitæ ſtudio, conſuetudine, & ab aliis quæ Medici Dogmatici volucrunt facere ad curationem. 13
—— communem etiam particularibus hominibus convenire. 68
Curatorius ſcopus qualis ſit in phlegmone ſananda. 111
Curationes morborum ab affectibus indicari. 13

Diabetem in venarum atque renum laxitatem referendum. 735
Diarrhœæ cognitio. 730
Diarrhœa quomodo curetur. 754
Diagoras gaudio interemptus. 143
Diariæ febris ex variis cauſis curatio ex Galeno. 261
Diateſſarum Aureliani unguentum ad pleuritim. 414
Dioclem voluiſſe ſimilia non à ſimilibus, ſed à contrariis juvari. 122
Differentias ætatis, ſexus, naturæ, ſtudii, conſuetudinis, cæli & ſimilium pro indicanda curatione ex Methodicis non eſſe obſervandas. 108
Dionyſius Medicus Methodicus. 5
Dioſcorides Medicus quo tempore in medicina floruerit. 8
Dioſcoridem egiſſe de medicamentorum facultatibus aperientibus non per ſe, ſed quovis modo aperientibus. 40
Dioſcorides Anazarbeus de facultate aperiente à Galeno reprehenditur. 40
Dioſcoridem injuria à Galeno reprehendi. 40
Dioſcorides quæ medicamenta ad quartanas febres tollendas meminerit. 339
—— ad morſum canis rabidi quæ præſidia commendaverit. 78
—— de medicamentis quæ igne accenſa fugant ſerpentes. 208
Diſputatio contra Methodicos, an adſtrictum & laxum curationem indicent. 46
Diuretica in febribus. 319
Dogma præcipuum Methodicorum quale ſit. 26
—— primum medicinæ quamobrem Methodici in adſtrictum atque laxum conſtituerint. 14
—— primum in adſtrictum & laxum conſtitutum à quibus fluxerit. 14
Dogmatici quot morbos numero conſtituerint. 27
Dogmaticos Medicos febres tollere medicamentis non refrigerantibus ſed calefacientibus. 86
Dogmatici qua ratione in principio inflammationum utantur adſtringentibus. 119
Dogmaticos uſum adſtringentium in phlegmonum principiis admiſiſſe, & qua ratione iis utantur. 117
—— Medicos febres tollere medicamentis laxantibus. 84
—— in multis morbis curandis non fuiſſe differentes à Methodicis. 102
Dolor quid, differentiæ, cauſæque. 543
Dolorum differentiarum cauſæ ex Paulo. 544
—— variarum cauſarum cognitio. 356
—— differentiæ cum ex partium affectarum, tum humorum varietate. 382
Dolores in partibus ſenſus expertibus affectis non cognoſci. 384
Dolorum variorum ex variis partibus ratio. 382
Dolores affectis pulmonibus quales. 382
Doloris capitis cauſæ. 356
Dolor ſyncipitis cur uteri læſi ſit ſignum. 446
Dolorum in capite ſingulorum cauſæ & cognitio. 549
Doloris capitis in febribus curatio. 383
Dolores capitis quomodo à frigidis tollantur. 551
Dolorum renum à variis cauſis cognitio. 567
Dolor renum a veſicæ dolore quibus diſtinguatur. 567
Dolores qui in renum phlegmone obſervantur. 436
—— qui in uteri phlegmone obſervantur. 445
Dolorum arthriticorum cauſæ. 532
Doloris coxendici curatio. 541
Dolores qui vomicas futuras prænuntiant. 467

Curſus inter quas exercitationes à Galeno adnumeretur. 147
—— utilitas ex Galeno. 147
—— utilitas ex Aureliano. 148
—— utilitas ad ſpleneticos, ad colicum dolorem, ad immodicam pinguedinem, ad hydropem. 148
—— quomodo fieri debeat. 147
—— iſchiadicis utilis ex Antyllo. 149
—— quibus affectibus ſit utilis. 148
—— quomodo ad gonorrhœam conducat. 149
Cutem mollem, laxam, & humidam laxum morbum denotare. 36
—— aſperam, ſiccamque & duram adſtrictum morbum denotare. 36
Cutis mollis & laxa, quando ad cognoſcendum laxum morbum debeat obſervari. 36
—— aſpera & dura pro adſtricto morbo quando debeat obſervari. 36
Cutim mollem & humidam denotare laxum morbum. 132
Cutis quomodo in laxo affectu primo mollis fiat, & humida, & poſtea aliquando dura & ſicca evadat. 132
—— in infantibus cur roboretur, & quibus roboretur. 218
—— denſitatis utilitas. 657
—— laxitas quibus utilis. 657
—— meatuum ſtipatio quos morbos faciat. 658
—— meatuum obſtructionis cognitio. 658
—— ſtipata quibus cognoſcatur. 658
—— ſtipationis cauſæ. 658
—— conſtipationis curatio. 659

D.

DAphnoidis fructus. 170
Deambulationis conſideratio. 145
—— utilitates. 146
—— quibus morbis conducant. 146
—— utilitas ad podagram. 146
—— terminus. 146
—— menſura ex Hippocrate quomodo facienda. 147
—— ad tollendos varios affectus menſura. 148
—— ad tuendam valetudinem menſura. 148
—— perfectæ terminum eſſe plerumque ex Celſo ſudorem, atque crebram reſpirationem. 148
Deambulationem opportunam quæ indicent. 148
Deambulatio nimia quibus indicetur. 148
Decoctum pectorale. 621
—— ſudorificum ad febres. 328
Decocta varia ſudorifica. 182
—— ventrem laxantia. 232
Dejectiones malæ, & quæ exitium præſagiant. 275
—— ictericorum quales. 637
Delirium continuum cur fiat, ex inflammato diaphragmate. 419
—— in ægrotis quibus ſignis innoteſcat, 609, ferinum quale ſit, & a qua cauſa. 610
Demelinuja Ægyptiorum qui morbus, ſit & quomodo curetur. 395
Dæmoniaci qui vocentur. 562
Denſitatem in corporibus morboſiorem eſſe. 22
—— & raritatem qui poſuerint pro rerum principiis. 15
Deſipientiæ lethales. 271
Deſudationum cauſæ. 180
Dentes à quibus cauſis doleant. 557
—— cur à frigido lædantur, & à calido juventur. 558
Dentibus dolentibus quæ conveniant. 559
Dentes canini contra venena. 207
Detergentia laxare. 138
Diabetis cognitio, & cauſæ; non fieri ab affectu renum inflammatorio. 735

Dolor quomodo vomicam factam denotet. 468
—— pulsatorius cur in internis phlegmonis semper fit. 468
Doloribus podagricis diu intermissis homines in morbos graviores labi. 668
Dolores per se calidis tolli, & quomodo aliquando frigidis tollantur. 546
Doloris curatio in communi. 545
—— stomachi in febribus curatio. 358
—— ventris curatio. 358
Dolores antiquos in ventre magnos patientes vocari maleficiatos atque dæmoniacos. 562
Dormientes interius fieri calidiores. 229
Dysuriæ cognitio 677
Dysenteriæ cognitio & curatio 756
Dysenteriam esse morbum mixtum ex adstricto, & laxo. 756

E.

Ecclegmata. 176
Etitis lapidis vis contra venenum. 202
Elementa prima non primis sed mutuo secundis qualitatibus agere. 83
Electri vasis vis ad venenum. 202
Elaterium. 170
Elleborus niger. 169
—— albus quo pacto dandus. 173
—— albus quomodo preparandus. 173
Ellebori præparatio ex oleo. 173
Elleborum purgare perinde atque venenum. 164
Ellebori albi usus ad maniacos ex Aureliano. 610
—— usus in paralysi. 585
Elleborus albus quando antiqui ad vomicam per stomachum purgandam dabant. 500
Elleborismi usus apud antiquos. 171
—— usus apud Medicos obsolevit. 172
—— usus Sacerdotibus cognitus. 172
Ellebori albi usus ad epilepsiam ex Aureliano. 601
Emprosthotonos quid. 604
Empyicorum prognosis. 490
Emplastra sudorem cohibentia. 695
Emplastrum singularis utilitatis ad quartanam. 342
Epicurus de usu venereorum. 153
Ephemerarum febrium curatio. 261
Ephemeram febrem esse passionem adstrictam. 261
Epilepsiæ varia nomina, quid sit, quo tuplexque, & quibus signis innotescat. 595
Epilepsiæ signa ex Aretæo, & causæ. 596
Epilepticorum prognosticum. 598
Epilepticæ accessionis curatio. 598
Epilepticis pueris an ulla curatio conveniat. 599
—— medicamenta ex veteribus Medicis qualia. 600
Epilepsiæ per consensum curatio. 603
Epistola Thessali Medici Methodici ad Neronem Imperatorem. 3
Epithymum. 169
Erasistratus de modo quomodo purgantia humores educant. 163
—— tradidit in faucibus conspici tumores quosdam hæmorrhoidibus similes, per quos sanguis excernitur. 705
Erasistratum Diatritum laudasse. 105
Errhina medicamenta. 175
—— ad cephaleam. 554
Erysipelatis cognitio. 519
—— curatio. 523
Eccoproticum id est, stercoraceum est aloe. 168
Evacuatio quid ex Hippocrate sit. 162
Evacuationem corpus laxare. 136
Evacuationes insignes in quibus inutiliter fuerint visæ. 99
—— communes insignes quos morbos, & quomodo ipsos tollant. 97
—— communes insignes cur morbos aliquos non tollant. 98

Eva-

Evacuationes quæ faciunt morbos laxos. 33
—— quæ non faciunt morbos laxos. 33
—— immoderatas laxum morbum facere. 131
—— moderatas atque naturales non facere morbum laxum. 132
—— quæ sunt morbi laxi. 131
—— insensibiles morbum laxum facientes quibus signis cognoscantur. 132
—— magnas indicari ex Methodicis ex affectus & virium magnitudine. 110
—— morbis adstrictis supervenientes usum laxatoriorum præsidiorum quando perturbent, & mutent in adstrictorios. 745
—— solitæ si supprimantur, corpora labi in morbos. 654
—— dolores movere in antiquato morbo podagrico. 535
Euphorbium. 170
Eustachius Rudius. 746
Exanthemata. 276
Excretiones lædentes colliquationes ab Erasistrato fuisse vocatas. 33
—— omnes an laxum morbum faciant. 130
—— quæ morbum laxum faciant, & quæ non. 131
Excretio quæ morbum laxum facit. 125
Exercitationes quid sint. 143
—— omnes febricitantibus molestæ. 144
—— laxantes. 239
—— blandæ quæ sint. 152
Exercitationum utilitates. 143
—— differentiæ. 144
Exercitium quando faciendum sit. 239
Exercitationis perfectæ terminus sudor, anhelitus & difficultas est. 143
Exercitii terminus qui sit. 239
Exercitium infantulis sufficiens. 239
Expiratio quid sit. 655

F.

FAcici Hippocraticæ significatio. 274
Facultates medicamentorum qualitativas dictas ratione cognosci. 55
—— medicamentorum occultas vocatas experientia minimeque ratione cognosci posse. 55
—— emollientes, laxantes, atque rarefacientes, Galenus differre invicem, docuit. 38
—— emollientes, laxantes, & rarefacientes easdem ex Methodicis dici. easdemque omnes etiam aperire. 38
—— indurantes, tendentes, atque densantes quomodo ex Galeno invicem differant; ipsarumque unam eandemque esse naturam. 42
—— laxantes, emollientes, atque aperientes idem significant. 38
Facultatum emollientium, laxantium atque rarefacientium unam eandemque esse naturam. 42
Famem corpus laxare. 136
Fames quid sit. 629
Febris nominis cognitio. 255
—— definitio. 255
Febres esse morbos adstrictos. 255
—— quæ sunt morbi mixti ex laxo & adstricto. 255
Febrium differentiæ omnes. 256
Febres calidæ, quæ, & quæ frigidæ. 256
—— simplices, & quæ maleficæ. 256
Febrium generatio ex Hippocrate. 257
—— causæ ex Asclepiade. 258
Febres ex atomis quomodo fiant. 258
Febris causæ ex Galeno. 258
Febres ephemeras omnes fieri à causis procatarcticis. 260
—— putridas fieri à meatuum corporis clausione. 259
Febrem pestilentem quandoque absque

ulla meatuum clauſione fieri. 259
Febrium Hecticarum cauſæ. 259
Febres colliquativæ. 259
—— hecticæ quæ ab aliis morbis fiunt. 259
Febris ephemera unde dicta. 260
—— ephemeræ ſigna. 261
Febrium ephemerarum curatio. 261
Febres putridæ quomodo aliquando fiant à cauſis procatarcticis. 263
Febrium putridarum ſigna. 263
Febris continens quæ & quotuplex ſit. 265
Febrium putridarum cauſæ. 266
Febris ſanguinis cognitio. 267
Febres valde rubentes. 267
—— an omnes morbi adſtricti dicantur. & quæ adſtricti & quæ laxi morbi ſunt. 126
—— ſynochæ, ardenteſque maxime æſtuoſæ an laxus morbus ſint. 127
—— omnes putridas eſſe morbos adſtrictos qua ratione comprehendatur. 127
—— putridas, ephemeras, atque hecticas incipientes calidis balneis aquæ dulcis, atque calidis inunctionibus dulcium oleorum tolli. 128
Febrium putridarum cognitio. 264
Febrem ephemeram eſſe morbum adſtrictum. 261
Febres ſumme æſtuoſæ quomodo dignoſcantur habere mixtum affectum ſcilicet adſtrictum, & laxum. 93
—— ſynochas ardentes ſumme æſtuoſas eſſe morbos mixtos ex laxo & adſtricto. 93
—— hecticas eſſe morbos mixtos ex laxo & adſtricto. 93
Febris ſynochæ ſigna. 268
—— ardens. 269
—— ardentis, ſigna & cauſæ. 269
Febres à copioſis evacuationibus cur aliquando augeantur. 100
Febris quatenus morbus calidus indicat ex dogmaticis refrigerandum. 84
Febres ardentes cur ab excretionibus bilioſis ſæpe non tollantur. 100
—— concitari ex natatione aquæ marinæ. 258
Febrium continentium curatio. 276
—— continuarum prognoſis. 271
Febres continentes ſanguinis vacuatione tolli. 277
Febrium continuarum curatio. 295
—— curatio per ſudorificum. 539
Febres & ab æſtu, & à frigore, aquæ calidæ lotione ex Galeno levari. 27
—— ephemeras ex animi paſſionibus, quatenus meatus denſant, fieri. 129
—— ſanari multa aqua capiti ſuperfuſa. 44
Febris continuæ, bilioſæ, pituitoſæ, atque melancholicæ cognitio. 294
Febres colliquativæ. 349
Febris ſchetica. 349
—— hecticæ ſpecies tres, cauſæque. 349
Febres nocturnæ quæ dicantur. 343
—— quatenus morbi calidi ſunt, non indicare ex Methodicis præſidia refrigerantia. 91
Febrem quatenus morbus calidus ſit refrigeratorium medicamentum (dicere) indicare videri quippiam logicum. 86
Febres maxime æſtuoſas ſanari potu aquæ frigidæ. 28
—— omnes putridas fieri non abſque meatuum clauſura. 128
—— quæ ſunt affectus mixti ex adſtricto & laxo. 128
—— ephemeras fieri quoque ex cauſa adſtricta demonſtratur. 129
—— maxime æſtivas adſtrictoriis tolli. 742
—— hecticas tabidas eſſe morbos mixtos ex laxo & adſtricto: & quibus curentur. 743

Febrem ab ebrietate epota aqua per ſudorem diſcuſſam fuiſſe. 116
Febres (exceptis valde æſtuoſis & tabidis) non tolli refrigerantibus. 84
—— periodicas ſudore quomodo moveantur. 181
—— chronicæ vino ſerpentibus infecto ſanatæ. 200
Febris tertianæ nothæ cognitio. 321
Febrium tertianarum cognitio, prognoſticum, & curatio. 316
Febris tertiana notha quamobrem invadat abſque rigore, horrore, & frigore. 321
Febres tertianas nothas aliquando uſque ad ſex menſes perduraſſe. 322
Febris tertianæ nothæ curatio. 323
—— quotidianæ cognitio. 342
—— quotidiana an vere intermittat. 343
—— quotidianæ ex acida pituita ſigna. 344
—— quotidianæ curatio. 344
—— quotidianæ prognoſticum. 334
Febrem quartanam debilibus, & ſenibus lethalem eſſe. 334
Febris quartanæ ſigna. 332
—— quartanæ curatio. 337
Febres chronicas quomodo frictionibus mollitoriis antiqui ſanabant. 153
Febris diariæ duo præſidia præcipua. 262
—— peſtilentis cognitio. 298
—— peſtilens in quo à putrida differat. 299
Febrium peſtilentium an detur quartum genus ab aliis diſtinctum. 301
Febris peſtilentis cauſæ. 299
Febrem peſtilentem ex aëre infecto excitari. 299
—— peſtilentem à ſola caliditate concitari poſſe. 278
Febris peſtilentis ſigna, prognoſis, & curatio. 305
—— peſtilentis ſigna. 306
—— peſtilentis ephemeræ vocatæ, putridæ, atque hecticæ ſigna. 303
—— quæ ſuppurationem futuram denotat. 466
Febrium in ſuppuratis cognitio, eſſeque eas ſimiles ſemitertianis. 470
Febris indicans vomicam ſimilem eſſe ſemitertianis. 470
Febres in ſuppuratione facta minores fieri. 471
—— vomicarum in quo differant à ſemitertianis. 472
—— vomicarum ſudorificas plerumque eſſe & tabidorum. 472
Figuram partium exulceratarum non mutare curationem. 116
Φλογωσις quid. 379
Florentinus de medicamentis, quæ fugant ſerpentes. 105
Fluxum vide laxum.
Fluxus hepaticus quomodo curetur. 755
Fœnugræci ſuccus ad phthiſicos. 509
Fomentum ad capitis dolorem. 258
Fomenta ex Galeno eadem ad oculos inflammatos & ad aures, & ad alias partes convenire. 111
—— ad quotidianam. 348
Franciſcus à Ponte pictor Baſſanenſis ob melancholiam ferinam ex domo præcipitatus, atque mortuus. 610
Frictiones laxatoriæ quæ, & quibus utiles. 152
Frictionum uſus ad tollendas febres chronicas. 153
Frictiones ad chronicas febres tollendas quantum uſum apud veteres Medicos habuerint. 153
Frictionis mollis uſus ad tollendas febres periodicas. 228
Frigiditas quomodo frigidum morbum faciat. 83
Frigida quandoque calfacere. 83
—— medicamenta aliquando calefacere. 88

Frigiditatem agere denſando, & hoc modo morbum frigidum facere. 82
Frigida medicamenta quomodo calefaciant. 41
—— cuti febricitantium adhibita calorem intus claudere, ipſumque idcirco augere. 85
—— medicamenta (exceptis mortiferis) intra corpus aſſumpta calfiunt, & poſtea recalfaciunt. 87
—— expiratio lethalis. 272
Frigiditas extremorum quid in febribus ſignificet. 272
Frigidorum uſus quibus febricitantibus ſit noxius. 85
Frigiditatem in febribus quibus Medici adimant. 253
Frigiditas periodica in febribus quibus tollatur. 361
Fructus adſtringentes alvum laxare & quo tempore exhiberi debeant. 683
Fuliginum in corde generatio. 655
—— impedita evacuatio quos morbos facit. 658

G.

GAgates lapis contra morſus ſerpentum. 208
Galenus de Methodicorum communitatibus. 10
Galenum ſectam Methodicam inter celebres ſectas recenſuiſſe. 3
—— fuiſſe in qualibet ſecta medicinæ doctiſſimum. 3
—— Theſſali viſum fuiſſe hoſtem apertiſſimum. 57
Galenus cur Theſſalo hoſtis acerrimus viſus fuerit. 57
—— cur in libris de differentiis morborum ne verbum quidem de primo Methodicorum placito. 25
—— quæ de meatuum vitiis ſcripſit. 32
—— duas feciſſe meatuum paſſiones ſecundum Dogmaticos, & tion ſecundum Methodicos. 26
—— quibus medicamentis ſanaverit melancholicos. 617
—— quibus medicamentis quartanarios ſanaverit. 339
—— de medicamentis, quæ fugant ſerpentes. 207
—— de uſu purgantium. 139
—— de curſu. 147
Galenum C. Aurelianum non cognoviſſe. 8
—— admiratum fuiſſe, quamobrem tandiu humor maxime pravus, qui phrenitidem acutiſſimam concitavit, antequam fieret, innoxie delituerit. 101
Gallica lue infectis quæ ſudorifica conveniant. 182
Gargariſmata ad fluorem ſanguinis per os cohibendum. 711
Gargariſma ad anginam incipientem. 408
—— ad anginam non incipientem, ſed factam. 408
Gaudii utilitas. 230
Gaudium immoderatum repente interimit. 143
Gaudio immoderato qui interempti fuerunt. 143
Geniſtæ florum facultas purgatoria. 174
Generationem & corruptionem rarefactione, & denſatione perfici. 82
Genitalia quibus medicamentis ad libidinem moveantur. 687
Geſtationum uſus ad quos. 150
Geſtationis in curru uſus. 151
—— in lectica uſus & utilitas. 152
Geſtationes lentæ quibus conducant. 151
Geſtationis in vehiculo utilitas ex Antyllo. 151
Glans unguentaria. 174
Gonorrhœa quotuplex ſit, & quibus ſignis utraque interſtinguatur. 760

Gonorrhœæ cognitio, & curatio. 761
Gratiola. 174
Guadagnina Alpina febre ardente, etſi copioſas purgationes habuerit, extincta. 100
—— curata ab uteri profluvio. 726
Guaiaci ligni uſus ad quartanam. 340
Gymnaſtica ars quid ſit. 145

H.

HÆmatitis lapidis utilitas ad phthiſicos. 510
—— lapidis uſus ex Alex. Tralliano adpus in phthiſicis ſiccandum. 713
Hæmitriteus quæ febris ſit. 322
Hæmorrhagiam quæ movent. 236
Hæmorrhagia quibus cohibeatur. 698
—— ſanguinis ſuppreſſa quibus reſtituatur. 669
Hæmorrhoum ſerpentem facere morbum laxum. 76
Hæmorrhoidarum fluxus quos morbos inducat. 723
—— fluidarum curatio. 724
Hæmorrhoides ſuppreſſæ quibus remediis reſtituantur. 236
Haly Abbatis medicamentum ad quartanam. 344
Hectica febris conſummata quæ. 349
Hecticæ febris ſpecies tres. 349
—— febris differentiæ. 352
Hecticarum febrium cauſæ. 349
—— ſignum proprium ex calore. & ex pulſu. 350
Hecticis qualis aër conducat. 351
—— convenientia. 352
Hecticorum ſeu tabidorum curatio. 250
Hepar cur obſtructionibus ſit obnoxium. 631
—— inflammatum quibus ſignis dognoſcatur. 384
—— quomodo ſchirroſi laboret. 631
Hepatis ſubſtantiam in dyſenterico per alvum excretam. 715
Hepatis phlegmones cognitio & prognoſticum. 422
ſigna hepatitis. 423
Hepatis gibbæ partis & cavæ inflammatæ ſigna. 422
Hepatitis curatio. 424
Hepatis ſcirrhoſi vexati ſigna & curatio. 631
—— vomicæ cognitio. 479
—— ulcerati ſigna. 512
Hepatici fluxus curatio. 754
Hepatis carneam ſubſtantiam adſtringentibus non poſſe roborari, & ſi exinde roboretur, quomodo id fiat. 121
—— ſubſtantiæ qua ratione adſtringentia ſint contraria. 121
—— ſubſtantia carnea, quomodo juvetur adſtringentibus exterius adhibitis. 122
Herpetis cognitio. 520
—— curatio. 523
Hermodactylus. 170
Hieronymus Capellus. 717
Hieronymus Fracaſtorius ſubſtantiam cordis in febre peſtifera contendit non putrefieri ſed humores ſolummodo. 300
—— Mercurialis de variis exercitiis. 150
Hilaritatis utilitas. 230
Hippocratem Artaxerſis Perſarum regis ætate claruiſſe. 2
—— medicinam à Medicis Crotonienſibus atque Cyrenaicis accepiſſe. 2
Hippocrates morbos methodice ubi intellexiſſe viſus ſit. 30
—— de uſu purgantium in morbis. 100
Hippocratem, a frequenti uſu purgantium cavendum cenſuiſſe. 103
Hippocrates voluit purgantia ex ſimilitudine humores attrahere. 165
—— de modo quo cathartica purgant. 163
—— febres magis coctione quam purgatione tollendas cenſuit. 290
Hippocratem laudaſſe uſum fomentorum

laxatoriorum in pleuritidis principio. 413
Hippocrates de indicatione ſanguinis evacuationis. 155
—— de menſura deambulationis. 147
—— de curſu. 148
Hirudinum uſus pro mittendo ſanguine. 159
—— uſus qualis ad amentes. 611
Hiſtericas mulieres aliquando ſola tranſpiratione in vita ſervari. 656
Hollerius de viridium ranarum decocti uſu ad quartanam. 339
Hollerii medicamentum compoſitum ad quartanam. 340
Homines ut ſudent quibus tractandi. 182
—— quibus malis afficiantur ab intermiſſo veneris concubitu. 685
Horrores quando fiant ex obortis internis phlegmonibus 384
Horrorem eſſe proprium ſuppurationum. 468
Horrorum in vomicis cauſæ. 469
—— differentiæ ex ſuppurationis varietate. 471
Horrorem in febribus quæ adimant. 253
Humiditatem rarefacere. 81
Humorum fluxiones dolore & calore concitari. 386
Humores in corporibus exſuperantes non eſſe cauſas morborum. 96
—— quietos in ſuis locis manentes non facere morbos. 24
—— à qualibet cauſa commotos morbos concitare. 24
—— quietos manentes in corporibus morbos non facere. 101
—— commotos ex qualibet cauſa in corporibus morbos concitare. 101
Humorum abundantiam in motum actam facere morbos, atque quietam manentem, non facere. 101
—— in corpore quieſcentem epilepſiam non concitare. 102
—— ad cerebrum commotum facere epilepſiam, apoplexiam, vertiginemque captis dolorem, & alios affectus. 102
Humores non eſſe cauſas morborum, quomodo intelligi debeat. 102
—— morbos adſtrictos & laxos concitare. 102
—— valde putreſcibiles plurimum facere ad peſtem faciendam. 299
—— quatenus humores ſunt, in morbis non indicare curationem. 96
—— non eſſe morborum cauſas quibus argumentis demonſtretur. 96
—— in febribus tertianis nothis qua in parte putreſcant. 322
—— attrahi à medicamentis ex Hippocrate à ſimilitudine ſubſtantiæ. 163
—— an ſemper per initia phlegmonum ſint repellendi. 521
Hydrelæum eſſe medicamentum laxatorium. 39
Hydropoton ſudorificum. 327
Hydropis cognitio. 453
Hydrops ſiccus quis. 453
Hydropis aſcitis ſigna. 553
—— tympanitis ſeu ſiccæ ſigna. 554
—— anaſarcæ ſigna. 555
Hypochondriacæ melancholiæ ſigna & cauſæ. 615
Hypochondriorum loca, quomodo habere ſocum putredinis cognoſcatur. 329

I.

JAcobus Antonius Cortuſus cum pulſu deficiente. 272
Icteritiæ conſideratio. 366
—— cognitio. 636
—— curatio. 367
Jecoris ulcerati ſigna. 512
Ignem cur rerum principium aliqui fecerint. 14
Ilei inflammati ſignum pathognomonicum. 428

Iliacæ paſſionis cauſæ, prognoſticum & curatio. 429
Inſpirationis utilitas. 655
Inappetentiæ cauſæ, & curatio. 628
Incidentia craſſos humores laxare. 138
Indicationes Methodicorum nihil artificii habere. 46
—— Methodicorum, quibus ad medendum utantur, etiam plebeis eſſe notas. 46
Inedia laxat. 141
Infantium epilepticorum nutrices quo victu uti debeant. 600
Infantes epileptici quibus curentur. 599
Inflammatio, lege phlegmone.
—— quid ſit, quotuplexque. 379
Inflammationis in capite ſigna. 356
Joannes Andræas Auriæ Princeps. 189
Inquietatio in febri quibus tollatur. 366
Iram vehementem facere meatuum denſationem. 129
Iridis conſideratio. 168
—— decoctum oſcula venenarum in utero aperire. 40
Inſaniæ cognitio. 609
Inſanos vinculis coërcendos ex Aſclepiade. 613
Imago Serpentarii adverſus venena geſtata. 202
Iſchiaticorum dolorum curatio. 541
Iſchuriæ cognitio, & curatio. 677
Inſeſſiones ad veſicae, renum, atque uteri ulcera. 517
—— ad firmandum uteri profluvium. 727
—— ad movendos menſes. 676
Inuſtiones ad hydropem quomodo Ægyptii parent. 459
Inteſtini ilei inflammati cognitio. 428
Inteſtinorum vomicarum cognitio. 480
—— ulceratorum cognitio. 512
Inteſtina a quibus fiunt laevia. 730
Inunctiones pro preſervatione à beſtiis venenoſis. 209
—— ex calidis oleis dulcibus omnibus diariis conducere. 261
Inunctio Ruffi ad febres peſtiferas tollendas. 312
—— ex nitro ad tollendam cutis ſtipationem. 660
Inuctiones ſudorem cohibentes. 694
—— ad quotidianam. 348
—— ſudorem moventes. 330
—— ad quartanam. 341
Inuſtionis utilitas ad viſcera obſtructa. 634
Inuſtio ad aſthma ex Ægyptiis. 625
Julianus Methodicus. 37
Jura ventrem moventia. 232
—— ad ventrem laxandum utilia. 682
Jus galli antiqui ad aſthmaticos. 624
—— —— ad quotidianam. 347

L.

LAbores cibos praecedant. 239
Lac urinam movens Ægyptiis familiare. 234
Lactis uſus ad prohibendum, ne cantharides exterius adhibitae veſicam laedant. 602
—— decocti, & chalybeati uſum ad ſanguinis fluorem cohibendum eſſe utilem. 719
—— uſus ad phthiſicos. & utilitas. 508
Lac movens urinam. 177
Lactis uſus ad hecticas febres. 353
Lac habere vim ſubductoriam. 353
Lactis utilitas ad ſtomachi dolorem tollendum. 560
—— uſum eſſe unum ex praecipuis auxiliis ad ſputum ſanguinis ex ulcere pulmonum. 708
Λαγοφθάλμοι. 12
Λαγοχείλοι. 12
Lapidum vires ſingulares contra venena. 202
Lapidis in veſica ſigna. 639
Lapidum in veſica & in renibus generationis cauſae. 640

La-

Lapides in veſica & renibus an à frigore gigni poſſint. 640
—— in veſica geniti an iidem ſint cum iis, qui in renibus fiunt. 640
—— veſicæ hac ætate ſectione tuto educi. 640
—— quomodo abſque ſectione per meatum colis educantur ab Ægyptiis. 641
Lapidis in renibus atque in veſica curatio. 641
Lapides in veſica & renibus comminuentia. 643
Laſerpitii facultas purgatoria. 176
Laſerpitium ad quartanam finiendam. 339
Laſſitudinum cognitio. 241
Laſſitudo quid ſit. 241
Laſſitudinem triplicem eſſe. 241
Laſſitudinis ulcerativæ ſigna. 242
—— tenſivæ. 242
—— phlegmonodis, 242
Laſſitudinum cauſæ. 242
Laſſitudinem eſſe morbum adſtrictum. 242
Laſſitudinum curatio ex Dogmaticis, atque ex Methodicis. 243
Laſſitudines ſpontinas in febres ardentes & in phlegmones mutari. 246
Laſſitudinum curatio particularis. 248
Lathyris. 170
Latera à quibus doleant. 560
Lateralis doloris Methodica curatio ex Hippocrate. 245
Laxus morbus qui ſit. 125
Laxi morbi genere qui affectus comprehendantur. 125
Laxum morbum an quælibet excretio faciat. 620
—— in meatibus ſenſibilibus & in inſenſibilibus tactum quibus ſignis innoteſcat. 34
Laxi morbi qui ſint. 130
Laxitas meatuum quibus moderetur. 238
Laxum cognoſci quod corpora mollia ſint, & effeminata. 13
Laxum quibus ſignis in corporibus innoteſcat. 34
—— & adſtrictum duplex eſſe ſcilicet totius & partis. 44
Laxi affectus adſtrictis ſupervenientes quando laxatoriorum præſidiorum uſum perturbent, & quando omnino mutent in adſtrictoria. 745
Laxantia quibus febribus conveniant. 84
——— ex ſex rebus non naturalibus quæ ſint. 141
Laxantium ſpecies ex Galeno. 39
—— medicamentorum uſum in quibus morbis Dogmatici ſecuti ſunt. 105
Laxantia medicamenta an in morbis adſtrictis, nuda conveniant, vel mixta ſubadſtringentibus. 121
—— præſidia cur in ſanguinis profluvio quippè morbo laxo conveniant. 697
—— eadem medicamenta ad oculos inflammatos, aures, aliasque partes Galenum commendaſſe. 111
—— ventrem in febribus. 289
Lævitas intellinorum à quibus cauſis fiat. 730
Lenientium purgantium uſus an utilis. 161
Lentis utilitas ad ventris profluvium cohibendum, & quomodo ex Dioſcoride parari debeat. 732
Lentiſci decoctum ſanare podagram. 540
Leproſos à vino viperis infecto ſanatos. 200
Lethargi cognitio & curatio. 297
Libri C. Aureliani, qui ſuperſuerunt. 9
Libros nonnullos hac ætate extare de ſectæ Methodicæ placitis. 9
Libri Galeni ſcripti de ſecta Methodica. 9
Librum ad Traſybulum Galeno attributum non eſſe Galeni quibus argumentis deprehenditur. 9
Lienteriæ cognitio. 729
Lienis phlegmones cognitio & curatio. 425

Lienis ſcirrhoſi affectus curatio. 634
—— obſtructi ſigna. 633
—— vomicæ cognitio. 480
Ligaturas in profluvio ſanguinis convenire, & ex Eraſiſtrato quæ partes ſint vinciendæ. 710
Lignum guajacum non tollere luem Gallicam ab occulta facultate, ſed diſcuſſoria evacuatoriaque. 760
Lingua ſicca, aſperaque quibus emolliatur. 365
Linguæ ſerpentis uſus ad venenum prodendum. 202
Lipothymiæ cauſæ. 371
Lubricando quæ purgant. 160
Ludus pilæ quibus conveniat. 150
—— pilæ triplex. 150

M.

MAcer de Mithridatio minori. 205
—— de iis, quæ fugant ſerpentes. 206
Macellarius ex jejunio in ſyncopem delapſus. 372
Magney ad movendum ſudorem. 182
Maleficiati qui vocentur. 562
Malleolorum ſcarrificatio unde dicta, & ipſius utilitas. 157
Mammarum phlegmonæ quomodo curandæ. 529
Maniæ cognitio. 608
Maniaci qui ſint, & quibus à phreniticis diſtinguantur. 608
Mania an ſit morbus laxus. 611
Manna roſcida, & calabris. 167
Manuum geſticulatio in phreniticis quid notet. 392
Maraſmus quid ſit. 352
Marina Theupola ardenti febre poſt crebras evacuationes, & purgationes habitas extincta. 100
Maſtahaleb ad tuſſim. 621
Maſtahaleb Ægyptiorum. 279
Maſtahaleb Ægyptiorum ad febres tertianas. 318
Matthæus Maurocenus. 190
Matronæ Genuenſes quomodo aloëm præparant. 233
Meatuum corporis adſtrictio & diffuſio ex Methodicis an de cutis meatibus, vel de aliis intelligenda ſit. 30
—— adſtrictionis atque diffuſionis conſiderationem ab Aſclepiade cœpiſſe. 31
—— ſtipatio quos morbos pariat. 23
—— rarefactio quos morbos faciat. 24
—— paſſiones duas eſſe. 25
—— vitia eſſe anguſtationem meatuum atque ampliationem. 26
—— cutis obſtructionis cognitio. 657
Mechocan radix. 169
Meatuum laxitas quibus tollatur. 238
Medicamenta experimentis cognita olim ad mortalium commodum in tabellas deſcripta in Deorum templis apponebantur. 2
—— dari ex Galeno quæ contrariis eodem tempore agunt facultatibus. 133
—— ex Aureliano non indicari a partis affectæ ſpecie. 112
—— quæ uni homini conveniunt, ſingulis hominibus convenire. 72
—— calida & humida cur omnibus doloribus medeantur. 546
—— calidæ facultatis mederi etiam morbis calidis. 40
—— uni ſpeciei convenientia ſingulis particularibus conducere. 70
—— meatus cutis detergentia & ab infarctu liberantia cur cujuſvis adſtrictionis expertia eſſe debeant. 123
—— incidentia, detergentia, diaphoretica atque catarctica an laxantium medicamentorum genere comprehendantur. 137
—— incidentia & detergentia ex Aureliano Methodico laxare. 138
Medicamentorum incidentium, detergentium, atque aperientium uſum Aurelianum in icteritia meminiſſe. 637
Medicamenta abluentia & detergentia

quando conveniant in iis, qui calculis in renibus, atque vesica laborant. 642
—— abluentia. 160
—— quæ detergendo purgant. 160
—— laxantia quæ purgant. 161
—— quæ emolliant, laxant, rarefaciant, & quæ aperiant. 39
—— laxantia magna, ex Aureliano, indicari ab affectus & virium corporis magnitudine. 110
Medicamentum ex cadmia quamobrem non curet ulcus in aure. 114
—— ex cadmia cur curet ulcus in crure positum. 114
Medicamenta ad ulcera interna non nisi viribus refractis pervenire. 114
—— pro sanandis ulceribus indicari ab ulceris essentia atque ab ejusdem ulceris magnitudine. 115
—— indurantia, tendentia, atque densantia ejusdem facultatis & naturæ esse contra Galenum. 43
—— leviter adstringentia convenire ad cutis exiles meatus cohibendos, & efficaciter ad internos amplos claudendos. 43
—— potestate frigida in morbis calidis assumpta, eos non refrigerando, sed ut laxatoria, sanare. 86
—— frigida in corporibus à febre vexatis nunquam actuari. 87
—— actu frigida cur in febribus maxime æstuosis, atque in tabidis conveniant. 92
—— actu frigida cur in morbis adstrictis aliquando utiliter exhibeantur. 92
—— frigida mortifera sola esse, quæ in corpore actuentur. 89
—— potestate frigida in corpore reddi actu calida, & quandoque calfacere. 88
—— frigida quomodo assumpta intra corpus refrigerent. 88
—— frigida intra corpus à calore calfacta reddi facultatis laxatoriæ. 88
—— etiam potestate frigida actu calida assumpta reddi calida, & idcirco calfacere. 88
—— frigida (exceptis mortiferis) in corpore assumpta nunquam actuari. 89
—— actu frigida cur in aliquibus febribus conveniant. 92
—— adstringentia nunquam morbo adstricto convenire, sed quatenus adstricto affectui laxus urgentior est conjunctus. 94
—— actu frigida actu calidum morbum non tollere. 94
—— frigida actuari in corpore ubi nanciscuntur actualem frigiditatem. 89
—— frigida in corporibus nunquam frigiditatem servare, sed calida reddi à calore, & naturali & præternaturali. 87
—— actu frigida exterius apposita an conveniant in morbis calidis. 291
—— purgantia quomodo ex methodicis humores educant. 164
—— purgantia qualia Methodici fuerint secuti. 164
—— ad dolorem an sint amara. 546
—— humorem melancholicum concoquentia. 336
—— Errhina, Apophlegmatismata, atque Bechica quæ sint. 175
—— purgantia quotuplicia sint. 160
—— vomitoria. 325
—— alvum laxantia. 363
—— alvum laxantia. 232
—— alvum moventia. 682
—— exterius adhibita alvum moventia. 684
—— purgantia qua vi, & quomodo humores educant. 162
—— catarthica purgare determinatos humores qui voluerint. 162
—— purgantia singulis speciebus animalium convenientia. 71
—— purgantia, quæ in quotidiana conveniunt. 344

Me-

Medicamenta ad revocandas menſtruas purgationes quæ. 674
—— urinam moventia. 234
—— ad urinam movendam. 677
—— uretica. 177
—— ſimplicia ſudorifica. 181
—— venerem moventia. 687
—— per renes & per uterum purgantia. 501
—— urinam moventia in febribus. 297
—— venenoſa omnes homines graviter lædere. 73
—— quæ adverſus venena. 202
—— quæ inunctione præſervant à morſibus venenatis. 210
—— ſimplicia ad præſervandum à venenis. 208
—— compoſita alexipharmaca. 204
—— ſimplicia ſerpentes fugantia. 205
—— præſervantia à morſu ferarum venenoſarum. 206
—— igne accenſa, quæ fugant reptilia, atque ſerpentes. 208
—— quæ geſtata præſervant à morſibus venenoſis. 207
—— ſuppuratoria quæ. 495
—— ulcera interna detergentia. 514
—— ulcera pulmonum conglutinantia. 510
—— phthiſicis conducentia. 508
—— extrinſecus adhibenda ad ſputum ſanguinis cohibendum. 713
—— ſarcotica ab antiquis inventa quomodo omnibus ulceribus cavis conveniant. 59
—— ad hæmorrhagiam ſanguinis ſiſtendam. 698
—— ad hæmorrhagiam narium ſiſtendam. 698
—— ad fluorem ſanguinis ex ore ſiſtendum. 711
—— ad ſputum ſanguinis cum tuſſi. 711
—— compoſita ad ſputum ſanguinis cum tuſſi. 713
—— adſtrictoria in communi. 190
—— metaſyncritica quid ſint, ex quibus parentur, & quibus malis medeantur. 187
—— intra nares indita ſanguinis profluvium ſiſtentia. 700
—— ex aloë ad cohibendam hæmorrhagiam. 700
—— ad ſanguinem per ſcreatum manantem. 711
—— in febribus coctionem adiuvantia. 296
—— externa ad febres continuas. 296
—— ad tollendam obſtructionem à viſceribus. 633
—— ſingularia ad febres continuas. 288
—— uſum habentia in febribus peſtilentibus. 308
—— ad febres periodicas. 337
—— interna ad febres tertianas ſpurias. 325
—— exterius in quartana admovenda. 341
—— danda ante acceſſionem in quartana febre. 349
—— danda ante acceſſionem in quotidiana febre. 347
—— ad quartanam tollendam ex variis auctoribus deprompta. 339
—— ad febrem quotidianam. 345
—— purgantia quamobrem in quotidianis ſint ſuſpecta. 346
—— ad cephaleam ex Themiſone. 555
—— ad cephaleam ex Aureliano. 554
—— externa ad dolorem capitis. 555
—— inquietationem in febribus tollentia. 366
—— ad aurium dolorem. 557
—— rigorem periodicum in febribus, vel horrorem, vel frigiditatem adimentia. 253
—— ad epilepſiam quæ ab antiquis Medicis fuerint laudata. 600
—— ad catalepticos. 594
—— ad ſtomachi dolorem. 560

INDEX.

Medicamenta ad ventris dolorem. 561
Medicamentum Pauli ad ſitim. 365
Medicamenta ad ſyncopem. 372
—— interna ad pleuriticos. 415
—— ad aſthmaticos. 624
—— ad tuſſim. 620
—— interna ad colicos dolores. 566
—— iliacis conducentia. 429
—— ad lienteriam. 732
—— qualia conveniant lieni indurato ex Methodicis. 425
—— ad hydrope vexatos. 458
—— ad uteri profluvium cohibendum. 726
—— ad urinam ſuppreſſam. 47
—— ad cutem adſtrictam. 47
—— ad podagram. 541
—— quibus genitale refrigeratum intenditur ad concubitum. 688
—— lapides in veſica comminuentia. 643
—— ad iſchiaticos dolores. 541
Medendi artem primo ortu fuiſſe rudem & incultam. 1
Medicamentorum facultates quomodo ex Galeno experientia cognoſcantur. 55
—— facultates qualitativas vocatas & ratione & experientia cognoſci. 55
—— facultates à totius ſubſtantiæ ſympathia, aut antipathia proficiſcentes ratione non cognoſci poſſe, ſed ſola experientia. 55
Medicos ex tota Italia tanquam damnoſos fuiſſe expulſos. 2
Medicina Empirica primo innotuit. 2
—— —— quæ conſideret. 2
Medicinam Dogmaticam mortalibus ſecundo loco innotuiſſe; atque qualia fuerint ipſius dogmata. 2
Medicinæ quatuor ſectas fuiſſe. 3
Medicinam eſſe adjectionem & detractionem. 54
Medicina Methodica quando cæperit cognoſci. 3
—— —— quando floruerit. 3
—— —— quanto tempore duraverit. 7
Medicinam Methodicam tercentum annos floruiſſe. 7
Medicinæ Methodicæ definitio ex Theſſalo. 10
Medicinam in ſubtractione atque adjectione conſiſtere. 54
Medicina Dogmatica quæ dogmata conſideret. 2
Medici, qui in ſecta Methodica claruerunt. 4
Medicinam prophylacticam poſſe reduci ad laxum, & ad adſtrictum. 76
Medicina prophylactica Methodicorum quibus communitatibus perficiatur. 76
Medicos Dogmaticos uſos fuiſſe ad plures morbos ſanandos medicamentis laxatoriis. 103
—— —— in curandis febribus non exequi indicationem à febre deſumptam. 84
—— —— non in omnibus febribus refrigerare. 84
Medicina Methodica quæ conſideret. 3
Medici Dogmatici in quibus utantur metaſyncriticis. 186
Medicos Crotonienſes & Cyrenaicos ante Hippocratem in medicina claruiſſe. 2
Melchior Guilandinus ileo extinctus. 429
—— —— hiera ad ſemunciam aſſumpta interemptus. 565
Melancholiæ cognitio, & ſigna pathognomonica. 613
Melancholia hypochondriaca. 615
Melam equeſtris ordinis ſucco porri interemptum. 201
Melancholiæ ſigna propria. 609
Menemachus Aphrodiſeus. 5
Menſtruæ purgationes à quibus cauſis ſupprimantur. 671
Menſtruis purgationibus ſuppreſſis, qui morbi oriantur. 672
Menſtruæ purgationes ſuppreſſæ quibus remediis reſtituantur. 673

Men-

Menſtruorum profluvium quibus firmetur. 725
—— immoderatius fluentium cauſæ. 725
Menſes ſuppreſſi quibus revocentur. 236
—— moventia. 178
Metaſyncriſis quid ſit. 15
Metaporopæiſis quid ſit. 15
Metaſyncriſeos, & metaporopæiſeos nomen unde. 19
Metaſyncritica quæ ſint medicamenta. 138
—— meatus quomodo aperiant laxentque. 139
Metaſyncriticorum medicamentorum uſus. 186
Metaſyncritica quibus malis medeantur. 186
Methodicorum communitates ex Galeno. 10
Methodica ſecta quid ſit. 9
Methodicæ medicinæ definitio. 9
Methodica ſecta cur rationalis dicta non ſit. 11
Methodicorum communitates duas fuiſſe. 10
Methodici qua ratione adſtrictum & laxum evidens dici voluerint. 37
—— cur laxum atque adſtrictum in ſpecies non diviſerint. 38
—— in quibus à Dogmaticis diſſenſerint. 27
—— exiſtimarunt ad curationem indicandam non eſſe neceſſariam, neque utilem cognitionem læſarum partium, naturæ, temperamenti, cauſarum, cœli, anni temporis, ætatis, ſexus, ſtudii, & ſimilium. 105
Methodica medicina quando cæpit, quibus dogmatis fuerit conſtituta. 3
Methodicis quæ objiciuntur in arte chirurgica. 59
Methodum Methodicorum nihil habere artificii. 59
Methodici in via ulcerum curandorum, in quo à plebeis differant. 60
Methodicos ſuam hypotheſim de meatuum adſtrictione atque diffuſione etiam de meatibus internis atque maximis intellexiſſe. 32
Methodici quid de prophylactica medicina ſenſerint. 193
—— quamobrem prophylacticam medicinam non reduxerint ad adſtrictum & laxum. 76
Methodicos in multis morbis curandis à Dogmaticis non fuiſſe differentes. 102
—— cauſarum loco affectus adſtrictos atque laxos habuiſſe. 28
—— cauſas morbos dixiſſe. 28
—— calidis morbis recte laxatoriis medicamentis mederi. 95
Methodici in ulceribus curandis ex natura ipſorum curationem indicari voluerunt. 59
—— quo pacto intelligant humores non eſſe cauſas morborum. 100
—— quibus malis uſu metaſyncriticorum medeantur. 187
Methodicos non fuiſſe adeo ſtolidos, qui æque mederentur morſibus venenatis atque non venenatis. 66
Methodicis quibus rationibus fuerit perſuaſum, partium læſarum naturas varias, ætates, ſexum, cœlum, & ſimilia non indicare curationem. 107
Methodicos admittere uſum adſtringentium in principio phlegmones, quæ eſt morbus adſtrictus. 111
—— uſum purgantium planè non ſuſtuliſſe. 103
Methodici cur non lenientium purgatoriorum uſum, ſed valide purgantium potius fuerint complexi. 161
—— an uſum adſtringentium in quibuſdam morbis adſtrictis voluerint, ſcilicet in phlegmonum principiis. 117
Medicos etiam Dogmaticos in phlegmonum internarum initio uſos fuiſſe medicamentis laxatoriis. 118
Methodicos in febribus (exceptis maxime æſtuo

æſtuoſis) nunquam admittere uſum medicamentorum actu refrigerantium. 84
—— ad tolledum adſtrictum aliquando habuiſſe in uſu medicamenta incidentia, atque detergentia & qualibus uſu fuerint. 48
Methodici an admittendum uſum adſtringentium in phlegmonum principiis voluerint. 118
Methodicos admiſiſſe uſum adſtringentium in principiis phlegmonum. 118
—— adſtringentium uſum complexos fuiſſe in principio earum phlegmonum, quæ malignæ non ſunt, & quæ ſunt in partibus ignobilibus. 119
Methodus curandorum adſtrictorum morborum, quibus laxus morbus ſupervenit. 746
Methodici medentur variis partibus exulceratis deſumpta indicatione ab ulceris magnitudine. 115
Methodus tuendæ ſanitatis an ex Methodicorum placitis conſtitui poſſit. 195
—— curandi dyſenteriam. 756
Meſenterii phlegmone obſeſſi cognitio 433
—— vomicæ cognitio. 480
—— ulcerati cognitio. 512
Milium ſudorem movere. 182
Mithridatium minus ex nucibus. 205
Mnaſeas Methodicus. 5
Morbos ſimplices in intemperie dari & quomodo fiant. 84
—— ſimplices ſcilicet calidos, frigidos, humidos, atque ſiccos per ſe non indicare curationem. 84
Morbus calidus quomodo indicet medicamentum refrigerans, & an actu vel poteſtate tale. 84
—— ex Methodicis quid ſit. 19
Morbos omnes ex Methodicis ad tres reduci, ſcilicet ad adſtrictum, ad laxum, atque mixtum ex laxo & adſtricto. 10
Morbi, qui ad laxum morbum referuntur. 125
—— qui ad adſtrictum morbum referuntur. 124
—— adſtricti qui ſint, & qui laxi. 126
Morbum conſiſtere in meatuum ametria, & ſanitatem in ſymmetria rationibus demonſtratur. 19
Morborum cauſas non eſſe humores, & qualitates primas. 13
Morbos ex Dogmaticis etiam indicare ſui ablationem. 57
—— in vitiata intemperie non habere ex Methodicis propriam curandi indicationem. 27
—— in humorum abundantia atque defectu conſiſtere. 55
Morbum calidum & frigidum non habere certam curationis indicationem. 90
Morborum malignitatem curationem indicare. 65
—— calidorum & frigidorum cognitionem ex Methodicis ad indicandam curationem eſſe inutilem. 89
Morbos in intemperie adſtrictos eſſe præſertim calidum & frigidum morbum, idcirco laxantibus utrumque ſanari. 27
—— à clauſis corporis meatibus complures excitari, & qui excitentur. 21
—— ab apertis meatibus fieri, & qui ſint. 21
—— copioſas evacuationes non ſemper tollere. 96
Morbi cur ab inſignioribus evacuationibus non tollantur. 96
Morbus mixtus ex adſtricto & laxo an indicet curationem. 49
Morbi mixti ex laxo & adſtricto an dentur. 132
—— mixti ex laxo & adſtricto. 740
Morbus mixtus ex adſtricto & laxo in corporibus quomodo cognoſcatur. 37
—— mixtus ex laxo & adſtricto qua ratione fiat. 133
Morbum mixtum ex laxo & adſtricto habere miſtam curationis indicationem, ſci-

ſcilicet adſtringendi & laxandi, ſed urgentiori eſſe incumbendum. 93
Morborum in principiis quæ facienda. 51
—— in ſtatu quieſcendum à medicamentis. 52
Morbi qui fiunt ab immoderata meatuum cum adſtrictione tum diffuſione. 29
Morbus cum adſtrictus tum laxus quibus curatur. 30
—— laxus & adſtrictus quid ſit. 30
Morbum calidum tolli medicamento temperate calido. 95
—— frigidum tolli medicamento temperate calido. 95
—— & calidum, & frigidum tolli eodem laxatorio medicamento. 90
Morbi acuti quo tempore in Ægypto graſſentur. 24
—— epidemici, endemici & ſporadici. 298
—— lateralis cognitio, & prognoſis. 409
Mortem ſequi aliquando ex nimio gaudio. 44
—— in febribus quibus ſignis Medici prævideant. 271
Morſus à cane rabido quomodo curari debeant. 66
Motum laxare. 143
Mulieres Atticæ fugabant ſerpentes ſubſtratis agni foliis. 210
—— quibus remediis ab uteri præfocatione præſerventur. 651
—— lotione capitis à dolore ex obſtructis infarctiſque meatibus, liberari. 48
Muliebris profluvii cognitio, & curatio. 764

N.

NAtationem in aqua marina febrem inducere. 189
Navigationes phthiſicis quales ſint utiles. 508
Navigationis utilitas. 152
Nicander de medicamentis quæ igne accenſa fugant ſerpentes. 208
Nicandri inunctiones ad præſervandum à morſibus ſerpentum. 209
Nicolaus Razevil Dux Olivæ. 715
—— Florentinus de monachis ex nigro araneo venenatis. 200
Nervi ulcerati an habeant propriam medicamentorum indicationem. 116
Nervorum vulneratorum curatio qualis eſſe debeat. 65
Nervis vulneratis an laxantia ad prohibendam inflammationem conveniant. 65
—— punctis convenire olea laxantia. 66
Nervorum punctionibus quæ olea conveniant. 66
Nux juglans ad venenum. 203

O.

OBeſitas in corporibus quomodo tollatur. 251
Obſtructio quibus ſignis innoteſcat. 631
—— viſcerum quibus tollatur. 633
Oculorum inflammationes, quæ in Ægypto graſſantur, à quibus cauſis. 525
Oleum ex ſeminibus lini ſecretum eſſe pleuriticis. 44
Olei amygdalini dulcis utilitas ad ileon. 430
Oleum ex veratro albo paratum vocari oleum ſanctum. 562
—— de ſcorpionibus Matth. 207
Olei de chalcantho ad quartanam uſus 340
Olympicus quomodo ſanitatem & morbum definierit. 19
Omenti phlegmones cognitio. 431
—— vomicæ cognitio. 480
—— ulcerati cognitio. 512
Opthalmiæ quæ epidemicè quodam tempore in Ægypto graſſantur. 525
—— curatio. 526
Opiata ad ſomnum conciliandum. 370
Opiſthotonos quid. 604
Oribaſius de uſu metaſyncriticorum. 187
—— de elleboro albo. 173
Os de corde cervi adverſus ſerpentum morſus. 208

Oxythodinorum usus in febribus, & an conveniant actu frigida. 291
Oxycratum. 279

P.

PAlpitationis cordis cognitio. 625
—— causa ex Galeno. 626
Panacea Antonii Musæ. 327
Panereatis phlegmone vexati cognitio. 433
Panem è tritico omnibus particularibus hominibus (licet differant invicem ætate, temperamento, sexu, vel aliis differentiis) æque convenire. 72
Paralysis causæ. 583
—— an sit morbus adstrictus. 583
Paralyticis an conveniat phlebotomia. 584
Paralysis cognitio. 578
Paralysi an interna viscera capiantur. 578
Paralysis quibus aliis nominibus vocetur. 579
Paralysi quæ partes corripiantur. 579
—— partes singulæ correptæ quibus signis innotescant. 580
—— vesicæ detentæ signa. 582
Paralysis in supercilijs, palpebris, oculis, lingua, labijs, ventriculis cerebri anterioribus, musculo siago, mento, faucibus, gutture, stomacho, musculo laryngis, & gulæ, pyloro, ileo intestino, cæco, colo, recto, vesica, peritonæo, cole, meatibus spermaticis, cruribus, brachijs, pedibus, atque manibus, factæ signa. 581
Partium læsarum varias naturas, ætates, sexus, & similia non mutare essentiam medicamentorum, sed aut quantitatem, aut agendi efficaciam. 107
Partem affectam per se curationem indicare quibus argumentis contra Methodicos demonstretur. 120
Partes affectas non indicare curationem. 110
Partem affectam per se curationem non indicare, quomodo intelligatur. 121
Partes affectas curationem non indicare, & partes subjectas affectis partibus. 121
—— hebetis sensus validiora, & acutioris debiliora præsidia indicare. 112
—— quasdam hebetis sensus ex morbo fieri maxime sensibiles, & contra acutioris sensus reddi minus sensibiles. 112
—— affectas non habere aliam particularem indicationem, quam medicamentorum essentiam. 113
—— ulceratas cum internas, tum externas eadem medicamenta indicare, scilicet siccantia. 113
—— corporis, quæ phlegmone vexari solent. 378
—— varias exulceratas non indicare diversas medicamentorum facultates, sed unam solummodo, nempe siccatoriam. 113
—— varias corporis exulceratas non mutare essentiam medicamentorum. 113
Partium sensus expertium inflammatarum cognitio. 384
Partes, in quibus est putredinis focus, quibus cognoscantur. 228
—— corporis quæ fricandæ ad tollendas febres. 228
Partium corporis ad tollendas febres periodicas fricandarum variæ Medicorum opiniones. 229
Partes in corpore, quæ suppurari solent. 515
Parotides in morbis acutis etsi suppurentur, non posse omnino sperari salutem. 528
Parotidas non admittere usum adstringentium. 119
Parotidum curatio. 529
Paroptelis ad capitis dolorem. 556
Passiones seu vitia meatuum corporis consistere vel in ipsorum contractione vel apertione. 24
Pastilli ad fugandos serpentes. 208
Paulus de signis febris pestilentis. 302
Peripneumoniæ cognitio. 416

Pe-

Peripneumoniæ curatio. 418
Peritonæum an tutò ſecari poſſit. 504
Peſſus ex fœnugræco ad uteri phlegmonem utiliſſimus. 447
Peſſi ad menſes ſuppreſſos. 178
—— ad movendos menſes. 675
—— ad firmandum uteri profluvium. 726
—— ad ulceratum uterum. 517
Peſtilens febris quid ſit, & in quo differat à peſte. 298
Peſtiferæ febris cauſæ. 299
Peſtilentis febris ſigna. 305
Peſtilentem febrem tolli ſudorifico. 311
Petronas Medicus in omnibus febribus dabat aquam ægrotis. 284
Petrus Aponienſis de quadam imagine contra venena. 202
Phlebotomia quomodo epilepticis conveniat. 600
—— an in ſputo ſanguinis conveniat, & in qua ſanguinis expultione. 709
—— ut medicamentum laxatorium quomodo conveniat in ſputo ſanguinis affectu laxatorio. 709
Phlebotomiam in cordis palpitatione magnum uſum habere. 626
Phlebotomia in colico dolore. 565
—— qua ratione in profluvio ſanguinis, cum ſit medicamentum laxatorium, uſum habeat. 725
—— cur conveniat in dyſenteria. 757
Phlebotomiam partes dolores articulares patientes replere. 535
Phlegmonæ propriis nominibus vocatæ quæ, & quæ à partibus affectis nominantur. 378
Phlegmone quid ſit quibuſque ſignis innoteſcat. 519
Phlegmonum differentiæ atque cauſæ. 379
—— cum externarum, tum internarum cognitio. 383
Phlegmonæ quomodo in partibus ſenſus expertibus excitatæ cognoſcuntur. 384
—— quibus ſignis deprehendantur. 379
—— in viſceribus internæ. 384
Phlegmones generatio. 383
Phlegmone omenti, meſenterii atque pancreatis quibus ſignis diſtinguatur à phlegmone hepatis, lienis, atque rectorum muſculorum. 433
Phlegmonarum externarum quæ adſtringentium uſum admittant. 119
Phlegmonas malignas non admittere uſum adſtringentium. 119
Phlgmonæ internæ cur in Ægypto non familiarius graſſentur. 24
Phlegmonarum externarum curatio. 520
Phlegmones renum cognitio. 435
—— veſicæ cognitio. 440
—— uteri cognitio. 445
Phlægoſis quid ſit, quibuſque ſignis deprehendatur. 379
—— curatio. 387
Phlægoſes diu durantes in phlegmonas qua ratione mutentur. 386
Phrenitidis cognitio 388. cauſæ, & prognoſis 390. curatio. 393
—— ſympathicæ, & idiopathicæ ſigna. 420
—— ex læſo ſepto tranſverſo ſigna. 389
—— non lethalis ſigna atque exitialis. 390
—— effrenis primo, poſtea quæ blanda apparet, generatio. 391
—— exitialis ſigna omnia. 392
Phreniticus die tertia interemptus. 101
Phrenitis apud Ægyptios Demelmuja vocata. 101
—— Demelmuja vocata qualis ſit, & quomodo generetur. 101
Phthiſis cognitio, & cauſæ. 506
Phthiſicorum febris quibus ſignis cognoſcatur. 506
Phthiſis ex ſputo ſanguinis ſigna. 506
Phthiſici quibus evadunt. 507
Phthiſicis quæ conducant. 508
Phtiſim quæ ſanant. 508
Pilæ ludus quotuplex, & quibus ſit utilis. 150

Pituitæ differentiæ. 342
—— salsæ causæ. 342
—— acidæ facientis febrem signa. 344
—— salsæ facientis febrem signa. 344
Plebeos scire omne alienum sui ablationem indicare, sed qualibus medicamentis illud fiat ignorare. 59
Plenitudo humoris an morborum sit causa. 97
Plenitudinem in corporibus cum communem tum particularem ab insigni communi evacuatione minui oportere. 97
Plethoræ observatio ad sanandas lassitudines non necessaria. 246
Plethora quibus tollatur. 236
Pleuritidis cognitio & prognosticum. 409
—— quæ in pulmoniam mutatur, cognitio. 412
Pleuritidem non esse morbum laxum, neque fieri a fluore. 412
Pleuriticorum curatio. 413
Pleuritidis Methodica curatio ex Hippocrate. 245
Pleuriticis qualis sanguinis evacuatio conveniat. 413
Plinius de milite venenato ex succo porri. 201
Plinii suffumigium pro arcendis bestiis venenosis. 209
Podagræ cognitio, prognosis, curatioque. 533
Podagra quibus juvetur. 539
Podagræ antiquæ curatio. 536
Podagricos non ferre utiliter insignes evacuationes atque purgationes. 538
Podagra cohibita quibus præsidiis revocetur. 667
Polypodium. 169
Polygoni succum febres sanare. 326
Pondus in parte quando vomicam denotet. 468
Porri facultas venenosa. 201
Potiones ad sitim restinguendam. 364
Potus ad conservandam sanitatem. 228
Potiones variæ sudorificæ. 182
Prasius lapis ad venenum. 202
Praxagoras quæ in paralysi facienda laudaverit. 585
Præservatio venenorum an habeatur certa, cui fidere Reges queant. 199
Præsidia laxatoria quæ sint. 136
Præsidii laxatorii genere quæ comprehendantur. 136
Præsidia facientia ad laxandum, atque ad adstringendum. 214
—— febribus continuis congruentia. 296
—— plethoram tollentia. 236
Priapismus quid sit, quibusque signis cognoscatur, & curatio. 644
Principia rerum esse densitatem & raritatem. 14
—— rerum esse atomos & vacuum. 14
Principium primum Methodicorum ab Asclepiade fluxisse. 14
Proculus Medicus. 5
Prodicus febrientes exercitationibus interficiebat. 144
Profluvii muliebris curatio. 764
—— tria genera. 729
Profluvium alvi prohibere phlebotomiam. 747
—— ventris quibus cohibeatur. 732
Prophylacticam medicinam fuisse in præservatione à venenis rebusque venenatis. 195
Prophylacticen Methodicorum præsidiis solummodo alexipharmacis atque alexiteriis perfici. 77
Prophylacticam Medicinæ partem quamobrem Methodici non reduxerint ad adstrictum & laxum. 75
—— Medicinam a Methodicis solummodo in venenis, morsibus & ictibus venenatis fuisse observatam. 75
—— Medicinam posse reduci ad laxum & ad adstrictum. 76
Prophylactice an ex Methodicorum placitis constitui possit. 195

Pro-

Prophylacticam Medicinæ partem in quibus Methodici obſervarunt. 194
Proſper Alpinus auctor operis ex navigatione quantum fuerit adjutus. 152
Pſeudo laſſitudo ſiccatoria vocata quid, & ejus curatio. 249
Pſittacus quid valeat ad venenum prodendum. 202
Pſyllii ſingularis utilitas in febribus continuis. 289
Pueros ſtatim enixos morboſa gaudere ſanitate. 225
Puerorum recenter natorum corpora cur adſtrictoriis roborentur. 218
Pueros habere laxum habitum, idcircoque ipſos non ferre magnas evacuationes. 109
Pueri cur non ferant magnas evacuationes. 109
Pueris cur victus calidus & humidus conveniat. 215
Pueri cur fortius aliarum ætatum hominibus morbis reſiſtant. 156
Pueris denſi habitus & fortibus convenire ſanguinis evacuationem. 156
Pueri cur per multos dies à cibis abſtinentes vivant. 156
Pueros largas evacuationes perferre. 156
Pueris pleuritide laborantibus cur ſanguinis vacuatio non convenit. 109
Pueri ab epilepſia qui evadant, & quamobrem. 598
Pueris epilepticis an curatio conveniat. 599
—— an conveniat ſanguinis evacuatio & quomodo cognoſcatur. 155
Pulmoniæ cognitio, & ſigna. 417
Pulſus peſſimi in morbis. 273
Pugnæ umbratilis utilitas. 150
Pulvis Aëtii ad ſputum ſanguinis. 713
Pulveres ad ſudorem cohibendum. 695
Purgationis definitio. 162
Purgatio quid ſit ex Galeno. 162
Purgantium medicamentorum utendi ratio cum ex Dogmaticis tum ex Methodicis. 103
Purgantia Medicamenta ex Ariſtotele eſſe homini inimica. 163
—— quæ in uſu Methodicis fuerunt. 164
Purgantium uſum à Methodicis eſſe complectendum, demonſtratur. 162
Purgantibus (lenientibus volgo vocatis) cur Methodici olim non uſi fuerint. 161
Purgantium lenientium vocatorum uſus. 160
Purgantia Medicamenta quotuplicia ſint. 160
—— corporibus robuſtioribus valida convenire, debilibus debilia. 107
—— cur in principio morborum haud tutò exhibeantur. 98
—— ex Hippocrate in principio morborum quando conveniant, & quando non. 98
—— quo tempore tutò ægrotis exhiberi poſſunt. 99
—— in quo tempore morbi ſint exhibenda. 165
—— medicamenta non eſſe frequentanda. 139
—— ex Hippocrate in quibus morbis dari debeant, & quando. 139
Purgantium medicamentorum noxæ. 139
Purgantia quæ in febribus conveniant. 280
—— —— conveniant in febribus. 320
Purgantium uſus in febribus continuis tollendis. 298
Purgantia quæ in febre quotidiana conveniunt. 346
—— in antiquato morbo podagrico dolores excitare. 535
Purgationes conſuetas cohiberi eſt cauſa ut in morbos homines indicant. 653
Purgatio narium cohibita quibus reſtituatur. 662
Puris eruptionis in variis partibus factæ cognitio. 483
—— eruptiones quanto tempore fiant. 483
—— eruptionse quæ cito, & quæ tarde fiant. 483

—— eruptionis factæ ſigna. 483
Pus ſubter cutem latens quibus ſignis dignoſcatur. 484
Puris eruptionum ad varias partes cognitio. 485
Purulentiarum futurarum cognitio. 471
Purulentiæ quæ ſalutares & quæ peſſimæ. 488
Puris eruptionem quæ faciant. 496
Purulentia quibus viis ex thorace in ventrem prolabatur. 498
Purulentias e thorace purgari aliquando per urinam, aliquando per ventrem, & aliquando per uterum, & aliquando per abſceſſus. 499
Purulentias poſſe purgari per urinam. 498
Pus per quas vias ex thoracis cavitate in renes & veſicam feratur. 498
—— in vomicis peſſimum. 490
Putredinis cauſæ. 299
Putrefactio quid. 462
Putredinis focus in qua parte corporis exiſtat in febribus intermittentibus. 322
Putreſcendi aptitudinem plurimum facere ad peſtiferæ febris generationem. 299
Putridarum febrium cognitio. 263

Q.

QUalitates elementorum agere mediantibus ſecundis qualitatibus, nempe aut rarefaciendo, aut denſando. 82
Qualitates primæ quomodo morbos in animalibus faciant. 81
Qualitates activas potius pati à paſſivis, quam paſſivas vocatas ab activis. 82
—— primas agere ſecundis qualitatibus. 83
—— —— non facere morbos. 81
—— —— ſcilicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatemque per ſe primo morbos non facere, ſed rarefaciendo, & denſando. 81
—— —— per ſe primò non agere ſed rarefactione & denſatione. 82
—— —— parum facere ad curationem inſtituendam. 91
—— —— non eſſe præcipuas morborum cauſas. 96
—— —— ad indicandam curationem eſſe inutiles. 96
Quartanariis medicamenta convenientia. 338
Quartanæ febris cognitio. 331
Quartanam febrem liberare à magnis morbis. 332
Quæſtio de partibus fricandis & inungendis ad febres periodicas tollendas. 328
Quietem tumentiam facere. 143
Quotidianam febrem vere intermittentem non dari. 343

R.

RAnarum viridium decoctum ad quartanam finiendam. 339
Raritatem in corporibus ſalubriorem eſſe. 21
Refrigerationem ex Hippocrate quæ in ventre ſunt indurare. 278
Reges qualibus hominibus debeant vitam tutandam committere. 199
—— atque alios magnates non poſſe præſervari à venenis. 196
—— vinorum ciborumque præguſtatoribus fidere non poſſe. 197
Regum præſervatio à venenis quibus perficiatur. 199
Renales dolores quibus cognoſcantur. 567
Renum dolores à grumoſo ſanguine. 568
—— dolor à calculis. 568
—— dolor a pituita craſſa. 568
—— dolor ab acri humore. 568
—— phlegmones cognitio & curatio. 435
—— vomicæ cognitio. 482
Renes ulcerati quibus comprehendantur. 515
Renum calculis vexatorum cognitio. 638
Repellentia in capitis dolore non eſſe tuta. 357

Rerum principia qualia ab antiquis constituta fuerint. 15
Respirationis utilitas. 655
Respiratio lethalis. 272
Rhabarbari facultas purgatoria. 169
Rhabarbarum morbis calidis aliquibus mederi. 39
Rhasis de signis febris pestilentis. 303
Rigor vel horror in febribus periodicis quomodo tollatur. 253
Rigorem periodicum vel frigiditatem in febribus per os assumpta quæ tollant. 253
Rigor quartanarum febrium qualis. 331
Risus Sardonius. 604
Romanos sexcentos annos sine Medicis vixisse. 2
Rosæ facultas purgatoria. 168
Rosarum usus ad capitis dolorem. 358
Rubea febrilis Nicolai sudorifica. 327
Rubricæ Constantini compositio. 327
Rubea trochiscata ad febres. 327
Rutæ vis efficax ad febres eximendas. 326
—— —— alexipharmaca. 203

S.

SAcerdotes uti elleboro albo ad dæmonio actos. 172
Saltus quid. 149
—— ad quos affectus utilis. 149
Salsa quomodo alvum moveant. 683
Sanguinis stillæ malignæ. 274
—— evacuatio à quibus in morbis indicetur ex Methodicis. 154
—— vacuationem tanquam magnum laxatorium indicari ex affectus & virium corporis magnitudine. 110
—— evacuationem, quæ fit adhibitis cruribus cum scarrificatione cucurbitulis, non esse eandem cum illa, quæ fit crurum scarrificatione. 158
—— evacuatio ad animi deliquium an conveniat febribus continentibus vexatis. 280
—— mittendi in febribus ratio. 281
—— ad animi deliquium missionis in febribus utilitas. 281
—— evacuationem indicantia ex Methodicis Dogmaticisque. 281
—— vacuatio cur pueris & senibus non conveniat. 110
—— evacuatio cur in hydrope morbo adstricto magno non conveniat. 456
—— vacuatio cur in febre diaria non conveniat. 263
—— evacuatio cur conveniat in febribus continentibus. 280
—— evacuatio qualis conveniat in febribus tertianis nothis. 324
—— vacuatio ad capitis dolorem. 356
—— evacuatio quo pacto ad dolorem capitis sit molienda. 553
—— vacuatio quæ juvet insanos. 611
—— —— quæ ophthalmicis conducat. 526
—— evacuatio quæ pleuriticis conveniat. 413
—— —— in febre quotidiana. 345
Sanguis in quartana febre quando, & quomodo mittendus. 336
Sanguinis evacuationem in antiquatis doloribus podagricis eos excitare. 536
—— sputum an morbum laxum faciat. 68
—— —— à quibus læsis partibus fiat. 704
Sanguinem in asperam arteriam destillans quibus signis cognoscatur. 704
—— ex capite in os descendere quibus dignoscatur. 704
Sanguinis per tussim excreti cognitio. 704
Sanguinem aliquando excerni ex venis in fauces desinentibus credidit Erasistratus. 705
Sanguinis ex aspera arteria, e pulmonibus, è thorace, ex pleura membrana, diaphragmate prodeuntis cognitio. 705
Sanguis quot modis è vasis exeat. 705
Sanguinis per erosionem exeuntis cognitio. 706
Sanguis qualis sit venarum, & arteriarum. 706

Sanguinis ſputo quæ conveniant. 711
—— per nares profluvii cauſæ. 696
—— ex ore profluvium criticum quartanam tollens. 373
—— vomitus cognitio & curatio. 701
—— per alvum fluoris cognitio. 715
—— fluoris per alvum differentiæ. 716
—— per alvum fluor criticus, quibus ſignis diſtinguatur à ſymptomatico. 717
—— profluvii per urinam cognitio. 720
—— profluvio per renes, & veſicam quæ conveniant. 722
Sanguinem ab utero quæ avertunt. 726
Sanitas quid ſit, quotuplexque. 195
—— quid ſit ex Methodicorum ſententia. 19
—— & morbus ex Juliano Methodico quid ſit. 19
—— & morbus quid ex Galeno. 19
Sanitatem conſiſtere in moderata ſymmetria meatuum, atque morbum in ametria. 19
—— in qua ſymmetria Dogmatici conſtituerint. 215
—— in qua ſymmetria Methodici conſtituerint. 215
—— non ex qualitate, quantitateque humorum turbari, at ab ipſorum motu. 25
—— partium organicarum mutari à receſſu clauſionis & apertionis meatuum corporis demonſtratur. 23
Sanitatis tuendæ Methodum etiam ex Methodicorum placitis conſtitui poſſe. 195
Sanitatem conſervantes cauſæ ad quot genera reducantur. 221
Sanitatis tuendæ methodi utilitas. 113
Sanitatem tueri quid ſit. 113
—— inceſſe corporibus & perfectam, & imperfectam. 113
Sanitatis conſervandæ rationem pendere ex uſu effectricium cauſarum. 113
—— præcipuum ſtudium cibis non ſatiari. 227
Sanitas imperfecta quibus conſervetur. 228
Sanitas perfecta quibus conſervetur. 227
Sarbet quid. 365
Satyriaſis cognitio. 442
Satyrium facere ſatyriaſim. 442
Satyriaſis in quo differat à priapiſmo & curatio. 442
Scammonium. 169
Scarrificationis crurum utilitas. 156
Scarrificatio crurum in peſtilentibus febribus 307
Scarrificationem crurum ex Galeno eſſe vicariam venæ ſectionis. 157
Scarrificationis crurum utilitas maxima in pueris. 157
Scarrificatio crurum pro mittendo ſanguine in febribus. 282
Schetica febris. 349
Scyllæ utilitas ad ſuſpirioſos. 525
Scirrhoſis quomodo in viſceribus gignatur & quibus cognoſcatur. 631
—— quibus ſignis deprehendatur. 632
Scopi duo ſolummodo pro mittendo ſanguine à Methodicis obſervati. 154
Scotoma quid ſit. 586
Secta Methodica vide Medicina Methodica.
Sectæ Methodicæ definitio. 9
Secta Methodica quanto tempore duraverit. 7
Sectionis cognitio ad purgandas vomicas ex thorace. 562
Sectione quæ tolluntur purulentiæ & quomodo. 563
Sectionis ad hydropem utilitas, & quomodo facienda. 489
Sectionem in inguine ad vomicas purgandas ex Aretæo eſſe utilem. 504
Sectionis uſus in hepate purulento. 504
Semen retentum ſæviſſima ſymptomata corporibus inducere. 685
Semina urinam moventia. 234
Seneca de geſtationis utilitate. 151
Senecam deambulationem deſtillationi utilem eſſe cognoviſſe. 147

Senæ folia. 168
Senæ foliorum uſus ad alvum movendam. 684
Senes pleuritide laborantes cur ſanguinis vacuationem non ferant. 109
—— an habitum laxum habeant. 109
—— cur non ferant magnas evacuationes. 109
Senibus an ſanguinis evacuatio conveniat quomodo cognoſcatur. 155
Septi transverſi varia nomina, & phlegmone. 419
Septum transverſum nihil ex Hippocrate facere ad prudentiam. 419
Senes à quartana cur maxime patiantur. 334
Septi tranſverſi inflammati ſigna. 420
Septo tranſverſo inflammato, cur delirium continuum fiat. 420
Septi tranſverſi inflammati prognoſticum. 421
Serpentes quibus fugentur. 209
Serpentarii imago adverſus venena. 202
Serum lactis in qua quartana conveniat. 339
Siccitatem denſare. 81
Sigismundus de Capitibus Liſtæ phlegmone renum extinctus. 438
Signa quibus morbus laxus in inſenſibili vacuatione conſtitutus cognoſcitur. 131
—— parthognomonica febris ardentis. 268
—— febris ſynochæ. 268
—— optima in febribus continuis. 271
—— peſſima in febribus continuis. 272
Signorum in febre peſtilenti ratio. 303
Signa febris peſtilentis. 303
—— virium languorem in febribus denotantia. 272
—— lethalia in febribus. 272
—— phlegmonum. 379
—— exitialium phrenitidum. 391
—— phlegmonum in partibus ſenſu deſtitutis excitatarum. 384
—— ſalutis in ſepto tranſverſo inflammato. 421
—— pleuritidis. 409
—— pulmoniæ. 416
—— lienis phlegmone vexati. 425
—— ilei inflammati ex Galeno. 427
—— uteri inflammati. 445
—— febris tertianæ nothæ. 321
—— febris quartanæ. 332
—— febris quotidianæ. 343
Similia an ſimilibus conſerventur vel à contrariis. 122
Sinapiſinus qua ratione ulceribus antiquis conveniat. 58
—— quomodo conveniat in curandis ulceribus. 62
—— ad ſuſpirioſos. 625
Singultus quales in phreniticis. 392
—— in febribus quibus tollatur. 367
Sitim humores concitantes. 629
Sitis quæ laxa & quæ adſtricta paſſio ſit. 364
Sitim in febribus quæ tollunt. 364
—— quæ demulcent. 365
Sitis cauſæ in febribus, & curatio. 364
—— cognitio ad prognoſim. 273
—— mala. 273
Situm varium partium exulceratarum non mutare curationem. 115
Somnus quid & quomodo gignatur. 359
Somniculoſi qui. 360
Somni humiditatem eſſe propriam. 360
Somnus conferens ſanitati. 230
—— malus. 230
—— lethalis. 272
Somnum conciliantia. 369
—— laxare. 142
Somnus qua ratione ſudorem moveat, & evacuet. 142
Somnolenti quibus præſidiis excitentur. 360
Soranus Epheſius Medicus Methodicus. 5
Smaragdi vis contra venena. 202
Spirabile intro foraſque eſſe totum corpus. 656
Spirationem eſſe duplicem, ſcilicet, quæ per

per os & nares fit, & quæ per cutis meatus. 655
Spiritus vitales quibus à cauſis exſolvantur. 690
—— extendens & urgens & obſcurus, & ſtertoroſus lethalis. 273
Sputum ſanguinis quas partes læſas denotet. 704
—— —— cum tuſſi non ſemper à partibus reſpiratoriis fieri, ſed aliquando ex Sanguine deſtillante à capite ad guttur. 749
Sputi ſanguinis curatio. 750
Sputum in pleuriticis, qualé bonum, & malum. 411
Sputorum in morbis conſideratio, & ex ipſis quæ mortem ſignificent. 276
Sputa purulenta quibus ſignis cognoſcantur. 506
—— incraſſantia. 499
—— attenuantia detergentiaque. 499
Stellæ marinæ vis adverſus venena. 202
Stibii preparati facultas purgatoria. 174
Stillicidia aquæ tepidæ ad dolorem capitis. 357
Stiptica in dolore capitis inutilia. 357
Stomachus à quibus doleat. 560
Stomachi vomicæ cognitio. 478
Stomachus ulceratus quibus ſignis deprehendatur. 512
Strabiſmus. 604
Stranguriæ cauſæ, & ſigna. 677
Stratonis ſuffumigium ad fugandos ſerpentes. 209
Succus fœnugræci quomodo paretur. 415
Sudorum cognitio, & qui in febribus lethales ſunt. 274
Sudores in purulentiis ſeu vomicis quales fiant. 472
Sudor qui criticus, & qui ſymptomaticus. 693
—— qui ſit cohibendus. 694
—— immoderatus quibus auxiliis ſupprimatur. 694
Sudoris profluvium quæ cohibeant. 694
Sudores copioſi inutiles qui. 101
Sudor in corporibus quibus moveatur. 235
Sudorem moventia quæ. 180
—— —— in febribus. 320
Sudor quibus modis excitetur. 451
Sudores quibus cohibeantur. 374
Sudorum ratio in febribus quartanis. 332
Sudor in febre tertiana notha quibus moveatur. 330
Sudores quomodo moveantur, & quibus medicamentis. 180
Sudoris cauſæ ex Galeno. 180
Sudorem omnem à calore moveri. 180
Sudoris ſolita evacuatio cohibita quos morbos faciat. 661
Sudorifica interna, atque externa, quæ. 179
—— ficca quibus conducant. 181
—— humida quibus malis conveniant. 181
Sudor in tina quomodo moveatur. 181
Sudorifica cur in paralyticis non conveniant. 586
—— ad febres tollendas. 297
Sudorificum ad finiendam febrem. 327
—— hydropoton vocatum. 327
—— decoctum. 181
—— ad phlegmonas omenti, meſenterii, atque pancreatis. 435
Sudorfica quæ in febre peſtilente. 312
Sudorificorum uſus ad quotidianam. 347
Sudorifica ad quartanam tollendam. 341
—— per plures dies cur in Podagrico morbo antiquo non conveniant. 535
Sudorificorum uſus in podagra qualis ſit utilis. 536
Sudorificorum uſus quomodo conveniat in antiquata podagra. 537
—— uſus utrum poſſit fieri non prægreſſa exquiſita totius corporis & evacuatione & purgatione in Podagra. 538
Suffitus ſudorifici. 183
—— in febribus peſtilentibus. 306
—— qui fugant ſerpentes, reptiliaque. 208

Suffumigia, ad fugandos ſerpentes ceteraſque feras venenatas. 208
Suffitus ad movendos menſes. 676
Surditas in febribus quid notet. 272
Suppuratio quid ſit. 462
—— quid ſit, & à quibus cauſis fiat. 462
—— quando ſit ſperanda. 466
Suppurationis ſigna. 466
Suppurationes externæ, atque internæ quibus ſignis cognoſcantur. 467
Suppurationis exiſtentis ſigna. 467
Suppurationum umbilicum eſſe terminum. 464
Suppuratorum ſudores & alia ſigna. 472
Suppurationes, quæ in capite fiunt. 473
Suppurationum in cerebro, in auribus, in gula quæ factæ ſunt cognitio. 474
—— quæ fiunt in thorace, cognitio. 475
Suppurationes quæ in ſtomacho ſunt, quibus ſignis innoteſcant. 478
Suppurationis in renibus factæ ſigna. 436
Suppurationem futuram quæ prohibeant. 493
Suppurationis futuræ ſigna. 494
Suppurent quæ medicamenta. 494.
Symmetriam qualitatum atque humorum mutari à receſſu clauſionis & apertionis meatuum, demonſtratur. 23
—— meatuum conſervantia & deſtruentia. 215
Symmetria meatuum vitiata morbum facit. 195
Synanche. 405
Syncope in quo differat à lipothymia. 690
Syncopes ſigna propria. 690
Syncope quid ſit. 690
—— quæ auxilia requirat. 692
—— oppreſſi quomodo curentur. 692
Syncopes cognitio, & curatio. 371
Synochi cognitio. 266

T.

Tabe qui affectus comprehendantur. 505
Tabidæ febres quæ. 470
Tabidis hecticis medicamenta actu frigida convenire. 92
Tempora morbi diſtingui à temporibus naturæ. 49
—— morborum an indicent curationem & quomodo indicent. 50
—— morborum curationem indicare. 61
—— morbi curationem indicare. 13
—— morborum varia præſidia indicare. 51
Temperamenti corporum varietas quid in medicamentis evariet. 108
Terræ Lemniæ facultas contra venena ex Galeno. 203
Tertianarum febrium cognitio atque curatio. 317
Tertianæ febris nothæ cognitio. 321
Tetanos quid. 604
Themiſonem Laodiceum Syrium fuiſſe ſectæ Methodicæ auctorem. 3
Themiſon ſectæ Methodicæ inventor quando in Medicina claruerit. 8
Themiſonem fuiſſe, quem Dioſcorides ſcripſit rabie affectum non interiiſſe. 8
Themiſon de deambulationis commodis, & quomodo facienda. 147
—— quæ ad inſaniam laudaverit. 612
—— quid de phlebotomia in paralyſi ſenſerit. 584
Theophraſtus de venenis. 197
Theriacam, ſi optima ſit, omnibus demorſis à viperis mederi. 74
Theriaca Diateſſaron. 207
Theriacæ antiquæ uſus ad quartanam. 340
Theſſali Tralliani Methodici cognito. 4
Theſſalum Trallianum Methodicam Medicinam perfeciſſe. 4
Theſſali Medici quot fuerint. 4
Theſſalos Medicos quatuor fuiſſe. 4
Theſſalus Hippocratis Coi Medici filius. 4
—— Trallianus, qui Medicinam Methodicam perfecit. 4
—— quomodo ſanitatem atque morbum definierit. 19

Theſſali arrogantia atque in Medicina auctoritas. 3
Theſſalus voluit à tempore morbi curationem indicari. 51
—— utebatur in ulcere antiquato ſinapiſmo. 186
Thraſyas Mantinenſis in venenorum cognitione peritus. 197
Thucydides de peſte quæ olim Athenienſes invaſit. 300
Timorem vehementem maxime facere ad profluvium ſanguinis cohibendum. 707
Timor vehemens cur quartana oppreſſum juvet. 335
Tormentum quid. 427
Tranſpirationis cauſæ & utilitas. 655
Tranſpiratione ſola quæ animalia vivant & quæ reſpiratione etiam conſerventur. 656
Tremores lethales. 272
—— in phreniticis lethales. 392
Triſmos. 640
Tumores molles indolentes. 448
Tumorum internorum cognitio. 449
—— exitus varii qui. 450
—— curatio. 450
Tumores, qui in hypochondriis, cur facilius & citius ſuppurentur. 463
—— qui juxta umbilicum & infra fiunt, cur tarde ſuppurentur. 463
Tumor in meſentereo quomodo cognoſcatur & in pancreate. 433
—— in omento quomodo cognoſcatur. 432
Tumoris in pancreate cognitio. 433
Tumor in angina quid notet. 405
Tumores qui ſuppurentur. 434
—— externi an admittant uſum adſtringentium. 119
—— malignos non admittere uſum adſtringentium. 119
Tuſſis differentiæ & cauſæ. 618
—— an ſit morbus laxus, vel adſtrictus, vel mixtus. 619
Tuſſim non ſemper denotare paſſionem partium ſpiritualium. 704
Tuſſis in hydrope cur ſit ſignum exitiale. 456
—— remedia. 620
Tuſſim ſedantia. 361

V.

Valde frigida in capitis dolore fugienda. 357
Valens ſive Vectius Methodicus. 6
Valentem Medicum Meſſalinæ C. Cæſaris in adulterio deprehenſum ad ſupplicium ductum fuiſſe. 6
Vectiones quibus utiles. 150
Venatio quotuplex ſit. 149
Venationis terreſtris utilitas & ad quos affectus. 149
Venatores ſolos in quadam peſtilentia ex Rhaſi ſervatos incolumes. 149
Venarum ruptionis, apertionis eroſionisque ſigna. 696
Venerearum utilitates ex Galeno & Rufo. 153
Veneris uſus quæ faciat. 230
—— uſus intermiſſus homines quibus malis afficiat. 685
Venerem deperditam excitantia. 687
Venenorum præſervationem haud tutam haberi. 197
Venenis quæ adverſentur. 202
Venenum quibus modis innoxie per os aſſumi queat. 197
Veneris uſus quibus utilis. 154
Venter à quibus doleat. 560
Ventrem ſubducentia. 363
—— cohibentia. 374
Ventris dolores antiquatos tolli veratro albo per os exhibito. 562
Ventriculi phlegmones cognitio, & cura. 426
Ventriculus ulceratus quibus cognoſcatur. 512
Ventris profluvium quibus cohibeatur. 732

Ventris profluvium quomodo ex Galeno, Hippocrateque turbet usum evacuationis sanguinis. 747
Ventos austrinos plurimum facere ad concitandas febres pestilentes. 301
Veratrum sturnis cibum, & hominibus venenum esse. 71
Vertiginis cognitio & curatio. 587
—— cerebro primario læso, & per consensum signa. 587
Vesicæ phlegmones cognitio, prognosticum, atque curatio. 440
—— vomicæ cognitio. 482
Vesicam læsam qualis urina denotet. 721
Vesicæ doloris cognitio. 568
—— ulcera quibus cognoscantur. 515
—— calculis vexatæ cognitio. 639
Vesicantia an conveniant in febribus pestilentibus. 313
Vesicantium usum ex cantharidibus non esse tutum. 602
Victus ratio qualis in morborum temporibus sit instituenda. 53
—— ratio in febribus continentibus. 277
—— ratio in febre tertiana notha. 323
Vigilia quid. 359
Vigiles qui. 360
Vigiliarum siccitatem esse propriam. 359
—— causæ. 359
Vigilantes esse interius frigidiores & exterius calidiores. 229
Vigiliæ utilitas. 229
—— usus ratio. 229
Vigiliam laxare. 142
Vigilia quomodo ex accidenti morbum adstrictum faciat. 142
—— quando morbus adstrictus. 370
Villanovanus de medicamentis ad quartanam. 339
Vini usum quæ prohibeant in febribus. 295
Vinum prohibentia quæ. 372
—— in quibus febribus, & quando conveniat. 306
—— melitites ad quotidianam. 347
—— medicatum ad quotidianam. 347
—— posse à venenatis bestiis venenari. 201
—— in quo serpentes fuerant mortui, auxilio fuisse febribus tertianis chronicis vexatis. 200
Violarum pulvis ad febres tollendas. 326
Viperas vino ex Aristotele delectari. 200
Virium languorem quæ notent. 272
Vitæ periodi varietatis in hominibus ratio. 112
Ulcera cacoethia quando solo sinapismo sanantur, & quando purgatio totius corporis medicamentis catharticis molienda addenda sit. 64
Ulcerum cacoethium causæ. 64
—— cacoethium curatio. 64
Ulceris malignitas an indicet curationem. 65
Ulcera antiqua pro curatione esse renovanda Thessalus voluit. 60
—— antiqua quomodo à Methodicis curabantur. 65
—— *antiqua labiorum incisione* tolli, & quomodo eadem a sinapismo *juventur*. 60
Ulcerum partium thorace contentarum cognitio. 706
Ulceratorum pulmonum signa. 706
Ulceratæ tracheæ arteriæ signa. 706
Ulcera cachoethia cur diuturna Thessalus appellaverit. 61
Ulceratarum internarum partium cognitio. 512
Ulcerum internorum curatio. 513
—— in pectoris partibus curatio. 508
Ulcera pulmonis cur difficillime coalescant. 705
Ulcerum pulmonis prognosticum. 706
Ulceratorum pulmonum prognosticum. 207
Ulcera pulmonum & aliarum pectoris partium detergentia. 509
—— pulmonum & asperæ arteriæ lapide hæmatite ex Tralliano fuisse sanata. 113

Ulceratorum renum, veſicæ atque uteri curatio. 516
Ulcera aliquando in corporibus eſſe conſervanda. 664
Ulcus à rei natura indicat ipſum cicatrice claudendum. 58
—— cacoethe ex Methodicis pro curatione eſſe renovandum. 58
Umbilicum eſſe terminum ſuppurationum. 466
Unguentum Neſtoris ad quartanam. 341
Vomicarum cognitio. 461
Vomicæ exiſtentis ſigna. 466
—— quas partes corporis vexare ſoleant. 466
Vomicarum omnium prognoſis. 486
Vomicæ quæ ſalutares, & quæ lethales. 487
—— quæ peſſimæ. 487
Vomicarum in pulmonibus, Thoracis cavitate vel in diaphragmate exiſtentium cognitio. 477
Vomicæ ſeu collectionis in ſtomacho ſigna. 478
—— in ventre & pyloro ſigna. 478
—— in hepate cognitio. 478
—— per quas vias expurgentur. 498
Vomicas per urinam aliquando purgari. 498
Vomicarum in inteſtinis cognitio. 480
Vomicæ ſeu collectionis in renibus, in veſica, atque in utero cognitio. 481
—— eruptionem adjuvantia. 496
—— in quibus partibus chirurgia curari poſſint, & in quibus non. 492
Vomicarum curandi ſcopi. 492
Vomitus quales in iliaca paſſione fiant. 429
—— pravi. 276
Vomitum in morbis adſtrictis omnibus prohibere magna laxantia, præſertim phlebotomiam, atque pharmaciam. 747
Vomitus quando in tertianis febribus excitandus & quibus. 324
Vomitum moventia. 171
—— juvantia. 500
—— quæ ſiſtant. 374
—— quæ moveant. 679
Vomitoria in quotidiana. 344
Vomituum uſus in quartana febre. 337
Vomitus ſanguinis cognitio & curatio. 701
Urinæ, & fæces in phreniticis quales lethales ſint. 392
—— malæ, & quæ exitium denotent. 275
—— ictericorum 636
—— in renum phlegmone quales. 436
—— in febre quotidiana. 343
—— in febre quartana. 332
—— ſuppreſſæ, vel non commode exeuntis cognitio. 677
Urina, quæ veſicam læſam oſtendit. 721
Urinæ ſuppreſſæ remedia. 678
Urinam moventia medicamenta. 678
—— moventia. 234
Urinalia medicamenta. 177
Urinæ profluvium non fieri à renum affectu inflammatorio. 735
—— profluvii cauſæ. 734
Uſtione ſuppuratos ſanari. 563
Uteri doloris cognitio. 569
—— phlegmones cognitio, prognoſticum & curatio. 445
—— vomicæ cognitio. 498
—— ſtrangulatus cognitio. 646
—— præfocatio quibus diſtinguatur à ſyncope, catalepſi, apoplexia, atque epilepſia. 648
—— præfocatio ex retento ſemine in quo differat ab ea, quæ fit à menſtruis retentis. 648
—— præfocatio quibus tollatur. 659
Uvæ & glandularum phlegmone, & curatio. 403
Vulnus venenatum diu apertum eſſe ſervandum, neque ſtatim claudendum cicatrice. 77
—— à cane rabido ſtatim non eſſe claudendum. 77
Yſaac ad quartanam quando, & cum quibus propinaret theriacam. 339

FINIS.